Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

xxiii
C
32

Digitized by Google

ARMAMENTARIVM SCIENTIFICVM.

In quo
REPOSITA ORDINATE ET BREVITER illustrata continentur, Axiomata, Pronunciata, Dicta Philosophica in primis & Theologica; deinde etiam Iuridica, Medica, & cuiusuis generis Moralia.

A R. P. HENRICO MARCELLIO è Societate IESV.

OPVS VTILE, NON AD ACQVIRENDAS modò scientias, sed etiam conseruandas; quo simul traditur methodus, doctrinam quamlibet in locos communes secundum Doctrinæ ordinem congruè digerendi.

PARISIIS,
Apud MICHAELEM SOLY, viâ Iacobæâ, sub signo Phœnicis.

M. DC. XXXV.
Cum Priuilegio Regis, & Approbatione Sup.

Digitized by Google

Digitized by Google

ARMAMENTARIVM SCIENTIFICVM,

In quo

REPOSITA ORDINATE ET BREVITER illustrata continentur Axiomata, Pronunciata, Dicta Philosophica in primis & Theologica; deinde etiam Iuridica, Medica, & cuiusuis generis Moralia.

A R. P. HENRICO MARCELLIO
è Societate IESV.

OPVS VTILE, NON AD ACQVIRENDAS modò scientias, sed etiam conseruandas; quo simul traditur methodus, doctrinam quamlibet in locos communes secundum Doctrinæ ordinem congruè digerendi.

CVM DVPLICI INDICE.

PARISIIS,
Apud MICHAELEM SOLY, viâ Iacobæâ, sub signo Phœnicis.

M. DC. XXXV.
Cum Priuilegio Regis, & Approbatione Sup.

Digitized by Google

Digitized by Google

NOBILISSIMO,

REVERENDISSIMOQ; D.D.

HENRICO DE MAVPAS

S. DIONYSII APVD REMENSES Abbati, primo Reginæ Eleemosynario, Illustrissimi & Reuerendissimi Principis, Archiepiscopi, Ducis Remensis Vicario Generali, &c.



MNE BONVM EST DIFFVSIVVM SVI,] *inquit Magnus Galliarum Apostolus & tutelaris, tibiq; proprius Abbatiæ regalis titulo Patronus Dionysius. Ita Deus qui sua natura summè bonus est, cũ omnibus omnino bonitatem suam largissime communicat; & inter homines, quantò vnusquisque melior, tantò in bonitatis suæ diffusione est liberalior. Ostendis id reipsa, & lu-*

c 4. de Diuinis Nominibus.

Digitized by Google

culentis teſtimoniis palam facis, Nobiliſſime & Reuerendiſſime Domine, *dum bonitatis tuæ largitatem vberius quotidie diffundis. Quamobrem non diu mihi deliberandum fuit, cur Tui potißimum nominis ſplendore opuſculum hoc illuſtrari peterem, & virtutum tuarum radios cum illo communicari: cuius enim tuitioni & fidei potius credatur* Armamentarium Scientificum, *quam illius, qui eò futurus eſt æſtimator & Patronus nobilior, quo & virtutibus & ſcientiis omnibus humanis diuiniſque eſt inſtructior? pollicetur id ſingularis ille, & clariſſimis declaratus indicijs affectus, quo humanitas Tua ſcientiarum & virtutum cultores omnes proſequitur. Neque vero illud eo potißimum fine dedico, vt in acceptorum paginam referas: ſed tanquam debitæ venerationis ἀνάθημα ad te defero, in excelſo D. Dionyſij Remenſis tholo ad poſteritatis memoriam ſuſpendendum, cuius conſecratam honori vt Prælaturam geris, ita eximias, heroicaſque virtutes æmularis,*

Digitized by Google

vt idcirco ſummus, optimuſque præclaro-rum operum æſtimator Deus, Te pro exi-mijs meritis ad altiores dignitatum gradus, & honorum titulos, à mitra Abbatiali ad Epiſcopales infulas deſtinârit. Accipe igi-tur ea qua ſoles humanitate litterarium hoc munuſculum, cumque eo animum Auctо-ris dicatum Tibi habe; obſeruantiæ quidem meæ & affectus obſequendi ſincerum teſti-monium: virtutum autem Tuarum, æternæ memoria digniſsimarum, perpetuum mo-nimentum. Deum Optimum Maximum precor, vt ad gloriam ſuam, Te quam diu-tiſsime incolumem & florentem tueatur. Remis, pridie Annunciationis B. Virginis Mariæ. 1635.

Nobiliſſimæ, Reuerendiſſimęque D.V.

Seruus in Chriſto

HENRICVS MARCELLIVS.

Digitized by Google

PROOEMIVM.
DE
Operis occasione, consilio, methodo annexis.

I. *Necessaria Principiorum cognitio.*

PRincipiorum generalium cognitio, quam vtilis, & necessaria sit cuilibet sapientiæ cultori, siue ad vniuersam altiorum facultatum κυκλοπαιδείαν facile & perfectè obtinendam: siue ad disserendum eruditè de re quâpiam, aut etiam argumentandum; id nemo ignorat, qui quidnam Principia ipsa sint, non ignorat. Experitur id vel imprimis liberalis & Academica iuuentus, quæ arduum illud studium nouiter ingressa dum nihil penè frequentius obuiam habet, quam crebram Axiomatum & celebrium sententiarum iterationem, mirum quantopere latitantem in ijs doctrinam, veritatemq; penetrare efflagitat.

Digitized by Google

II. *Operis occasio.*

IDem & ego in Academico tyrocinio expertus, cœpi anno Domini 1615. memoriæ & exercitii causâ Axiomata & Effata communiora vnà cum ipsorum explicatione ex probatissimis Auctoribus colligere, & ad certa capita reuocare, secutus in hoc Aristotelem, qui futurum sapientem annotare iubet complura Pronunciata, & multas sententias eorum, qui clari & illustres in quolibet rerum genere fuerunt; quæ vero communiora sunt, in alia atque alia minus communia, magisque familiaria deducere; vocabulorum item ambiguitatem sollicitè pernoscere, ac differentias rerum similium, & similitudines differentium, diligentissimè peruestigare: tametsi verò minimè me lateret, non deesse huius generis sententias ab alijs iam collectas: non ideò cessandum tamen, sed ante omnia perdurandum esse videbatur. Neque enim tam appositè alienis, neque tam iucundè, neq; tantâ fiduciâ, & auctoritate, vt nostris vtimur, ac sæpe alij alia pro ingenij sui, institutionis, atque consilij ratione obseruant, quæ præterita fuerunt ab alijs; vt bene aduertit Franciscus Zachinus.

l. 1. Top. 11. 12.

lib. de ratione legendi libros.

III. *Variæ Auctorum classes, ex quibus est illustratum.*

PRincipio igitur ex Aristotele, Magistro sententiarum, D. Thomâ, & alijs primæ

notæ Philoſophis, Theologiſque, quidquid ſelectorum Axiomatum, vel ſententiarum memorabilium reperiri potuit, in locos communes digeſſi, & conſulto prius vtroque Ariſtotelis textu, iuxta celebriorum Auctorum mentem, explicationem ſubiunxi. Idem in aliorum ſiue Theologorum, ſiue Philoſophorum lectione eſt factitatum. Neque prætermiſſa eorum inter ſe, & præcipuè cum Ariſtotele, vel D. Thomâ collatio, ſicubi vel à ſe mutuo diſſentirent, vel Effatum quodpiam minus germanè explicarent, id quod vel maximè à me eſt præſtitum in explicatione Axiomatum Venerabilis Bedæ cum Ariſtotele, aliiſque Peripateticis conferendâ: hæc enim cum ſuppoſitia ſit, & ab alio pauculis illis, quæ Beda collegerat, Axiomatibus ſubnexa; mirum non eſt, ſi Lectorem ſuum non rarò inaniter ludat & Ariſtotelem mala fide alleget. Deinde ex decretalium libris & alijs iuris vtriuſque voluminibus, cœpi generaliſſimas Regulas & Pronunciata colligere, atque in aduerſaria referre. Nam vt in Iure dicitur. *Omnis diſciplinæ progreſſus à generalibus præceptis rectè deducitur, quæ veluti Artis cuiuſque fundamenta ad omnium ſpecierum & individuorum cognitionem ita neceſſaria ſunt, vt neque ignorari, neq; indubiũ reuocari debeant, plane ignorari vniuerſalia non poſſunt, ſine quibus ad particularium notitiam minimè peruenitur.* Simili mo-

§ *bis agitur vniuerſalium de individuis Logice.*

do ex Hippocrate, Galeno, aliisque tum Medicis, tum aliarum facultatum Auctoribus, priscis iuxta atque recentibus varia Effata medica annotaui, Armamentario suis locis non incommodè includenda. Denique etiam dicta pleraque Moralia siue Ethicæ propria, siue communi hominum vsui ac vulgo accommodata, quà lectione, quà auditione percepta eodem retuli. Etenim generale scientiarum Armamentarium adornare mens fuit, pro quo, generis arma, id est particularis alicuius scientiæ Principia minimè suffecerint.

IV. *Opèris dispositio.*

ATque hæc denuo ad calculos primò. Ac deinde etiam ad incudem reuocata méthodo conuenientiore dispositi, secutus ordinem naturalem doctrinæ, non verò literalem seu alphabeticum. Ea itaque inter se Pronũciata coniungo, quæ vel doctrinæ sunt eiusdem, vel certè à se mutuò in sensu & explicatione dependent. Quare vnius Axiomatis declarationem legere aut intelligere cupienti expediet præcedens etiam & subsequens inspicere. Et vero licet varij antehac variarum scita scientiarum collegerint, ex quibus inter Philosophos egregiam laudem promeritus est Marcus Antonius Zimara; nullum tamen hactenus videre licuit, qui omnia sapientum dicta ad naturalem doctrinæ ordinem redegerit, &

Digitized by Google

generaliſſimos fontes ex quibus alia conſequenter riuulorum inſtar profluxerunt vnico quaſi aſpectui obiecerit: litterali plerique ſerie contenti; non magnopere laborarunt, quæ naturalis eſſet ſingulorum connexio, quæ vnius ab altero dependentia, quid ordini doctrinæ foret conſentaneum magis. Quare ſæpius eaſdem aut ſimiles explanationes, diſtinctiones, ampliationes, reſtrictiones repetere & ingeminare neceſſarium fuit. Neque tamen in eorum lectione multiplex ille fructus extitit, qui ex doctrinali in ſcientiis progreſſu quam vberrimè dimanat. Cuius equidem intuitu, aliam methodum inuenire ſtudui & præcipua ſcientiarum Principia, Scita, Axiomata, hoc, quem cernis, ordine digeſſi.

V. *Vſus Armamentarij Methodicus.*

IN quo equidem quid præſtitum ſit, aliorum eſto iudicium; certè vti confido operæ fructus conſtabit: præterquam enim quod ingens Principiorum dignitas ſit & vtilitas, methodus iſta per ſe delectationem non mediocrem afferet legenti, efficietque vt exiguo labore, non variã modo ſed etiam plenam fere ſcientiam rerum hauriat: dum videlicet & fontes ſcientiarũ ipſos & riuulos inde ſcaturiẽtes vnico veluti hauſtu propinat. Poterit & ipſa eſſe veluti norma quædã ſiue Canõ legendi vtiliter & ex lectione annotandi ea quæ maioris videantur

esse momenti: nihil siquidem ex vlla liberalioris & altioris Auctoris lectione facile offeretur egregium; siue ad vitam instituendam conducat, & virtutem ac pietatem alat; siue tale sit, vt in familiari vsu, in disputationibus priuatis ac publicis, in litteris ac libris scribendis in magistratu gerendo deseruire vtiliter possit; aut denique alio quolibet modo, ad scientiam quampiam, vel artem liberalem pertineat, quod non in certum aliquem huius Armamentarij locum referri commodè & digeri possit. Eum namque in finem tanta titulorum varietate distinctum est, vt consideranti perspicuum fiet. Quinimò tota doctrina quæ in variorum Auctorum collectaneis, florilegiis, Polyantheis sparsa continetur, in formam huiusmodi si refunderetur, non ita magno temporis dispendio lectores grauarentur, qui dum sententiarum temerè congestarum farraginem perscrutantur, non rarò post exhaustum irritæ inquisitionis tædium, manu vacuâ coguntur recedere: at vero si in excerpendi labore huiusmodi doctrinæ methodus seruetur, non solum omnis confusio vitari poterit; sed etiam id commoditatis sequetur, vt breui, sub quolibet titulo, prudentiæ verbi gratia, vel amicitiæ, vel fidelitatis, tam multa memorabilia ex operibus quæ legeris, collecta videas, vix vt vnquam deesse possit subtiliter iis de re-

bus & ſapienter, ac cum admiratione audientium diſſerendi ac diſputandi copia. Eſt in hanc ſententiam præclara Senecæ monitio. Epiſt. 8. *Apes, vt aiunt, debemus imitari, quæ vagantur, ac flores ad mel faciendum idoneos carpunt, deinde quidquid attulerunt, diſponunt ac per fauos digerunt: & vt Virgilius noſter ait; liquentia mella ſtipant, & dulci diſtendunt nectare cellas. Nos quoque has apes debemus imitari & quæcunque ex diuersâ lectione congeſſimus, ſeparare; melius enim diſtincta ſeruantur.*

VI. *Principiorum Interpretatio.*

EXplicationem Axiomatum do, non priuatis aliquorum ſententiis propriam, ſed peripateticâ omninò ſi philoſophica ſint, ac talē, quæ quoad eius fieri poteſt, omnibus cuiuſcumq; ſectæ Philoſophis ſatisfaciat: ſin autē alterius ſint facultatis Pronunciata, in iis explicādis celebriores Auctores ſequor, ita tamē vt ex ipſa ratione potius quā è nudâ aſſerentium auctoritate conatus ſim doctrinam veram edicere; Quem in finem adii præcipuè Doctores veteres, & non ratò pro vnius Axiomatis interpretatione decem aut plures etiam conſului, vt ex genuinâ eorum citatione, & textuum collatione colligi poterit: ſæpius quidem recentiores quoſdam cito; quia in multorum manibus ſunt, & veterum inuentis lumen addunt; non facilè tamen ſolis iis acquieſcendum

esse censui, nisi consultis antiquioribus, è quibus vel profecerunt ipsi, vel ab iis, si sublimem illorum sensum non potuerunt assequi, cum aliis defecerunt. Quoties autem in probatæ notæ Auctoribus bonam Axiomatum interpretationem reperi, de proprio quidquam addere & actum agere superuacaneum duxi. Siquidem non mea dumtaxat verba dare, sed veritatem ipsam sincerè proponere conatus sum. In quo equidem vtrum-ne peccatum sit, an operæ pretium factum, quiuis facilè determinauerit, ex iis, quæ pro theſſelato hoc scribendi genere eleganter disputat Cassiodorus in sui de Amicitia libri Proœmio; & ex vsu grauissimorum Auctorum, nominatimque Eusebij & Theodoreti cum Græcis agentium vt taceam, è re lectoris videri, in hoc exiguo Promptuario pleraq; scientiarum Principia ex optimis quibusque Auctoribus non tumultuariè congesta, sed certa ratione ac methodo digesta habere.

VII. *Terminorum Expositio & distinctio.*

GEneralissimas rerum diuisiones, & terminorum explicationes, distinctionesque Axiomatis suo loco præmitto; eas videlicet, quæ ad pleniorem horum intellectum, & ad omnem altioris scientiæ cognitionem quam maximè videntur necessariæ: nullum enim ferè Axioma est, quod non distinctione ali-

quâ opus habeat, & vno ſenſu concedi quidem, alio autem negari poſſit: adeóque hæc vnâ è præcipuis cauſis eſt, cur tanta inter Philoſophos opinionum varietas ſit, quod generalia veritatis Principia, abſque diſtinctione debitâ, in quemlibet ſenſum detorqueantur. Ac licet forſan non abs re foret præfixiſſe cuique rei tractandæ definitionem præcipuam: id tamen rarò admodum, & non ſine delectu factum eſt; tum quia iſtæ paſſim ſunt obuiæ, aut per ſeſe perſpicuæ; tum etiam ne nimium opus excreſceret.

VIII. *Breuitas quæſita.*

QVâ etiam de causâ non paucâ, quæ iudicio quorundam, loco Axiomatum habentur, conſultò præteriui, ſectans vbique breuitatem, quam in docendo meritò requirit Horatius; quod ideo monere volui, ne fortè quis temerè præteriiſſe exiſtimet, quod non abſque iudicio eſt prætermiſſum: hoc autem in iis maximè ſeruatum eſt, quæ vel ab honeſtis auribus abhorrere, vel parum aut nihil omninò ad ſcientias & omnem rem litterariam facere videbantur. Neque verò hic iure videtur requiri debere, vt ſingulç diſtinctiones fiant pleniores, & quçlibet materia fuſius tractetur; non in theſi ſolum; ſed etiam in hypotheſi: quia hoc libri huius inſtituto repugnat, in quo generalia ſolum traduntur: non

Digitized by

item res quælibet ſpecialiter pertractatur: alioqui non vnum, ſed plura volumina ſcribenda forent. Id vnum hîc maximè laboratum eſt, vt Axiomata & Dicta celebriora ad ſuas quæque claſſes ſecundum doctrinæ ordinem reuocarentur, interpretatione additâ verâ quidem & ſolidâ: breui tamen & captui iuniorum accommodâ. Eâdem de causâ abſtinere viſum fuit à longioribus verborum ambagibus, & à diſputationibus ac hiſtoriis ad rerum explicationem minimè neceſſarijs; denique à nimia ſuppoſitionum & acceptionum varietate, quæ obruit potius quam erudit: idcirco enim tantæ in philoſophicis tenebræ ſunt & tricę quibus adoleſcentum animi non implicantur ſolum, ſed etiam à ſapientiæ ſtudio retrahuntur; quod à quibuſdam tot inutiles acceptiones, exceptiones, reſtrictiones, abſque ordine conglobentur. Addita ſunt tamen nonnulla ſubinde, quę vel eſſe faciliora videntur, vel aliunde haberi poſſe; tum ad pleniorem doctrinę ordinem; tum quia alibi, vt in Dialectica aliquando, non niſi obiter, & ex re nata proponuntur, addito duntaxat aliquo exemplo, rationibus intermiſſis. Celebriora ſacræ Paginæ Effata non attingo, niſi rarò admodum & ex occaſione: Peculiarem illa, & vberiorem iſto laborem poſtulant. Litterali & propriæ Axiomatum explicationi ſubiungo

in ſinu ſuo, non mole quidem ſed virtute, quidquid opum in varios artium & ſcientiarum theſauros eſt digeſtum; ideóque omnis ferè eruditio quæ in diuerſis voluminibus diſperſa reperitur; ea in hiſce Effatis collecta cuilibet eorum non ingrato lectori nullo negotio ad manum ſeſe offeret. Itaque ſi quâ in diſſertatione, de materiâ quâpiam, ſenſa doctorum Virorum aut Axiomata erunt adhibenda; ex hoc opuſculo in promptu haberi poterunt præcipua quæque, quæ in Gymnaſijs & Academiis ſunt recepta: nec vlla eſt claſſis eorum qui ſcientias colunt, quibus ex Pronunciatis hiſce benè perluſtratis ad quamlibet rem pertractãdam copioſa non ſuppeditetur dicendi & ratiocinandi materia. Nam ex habito Principio Concluſiones variç in variis quæſtionibus profuturç facili negotio deduci poſſunt, diſcurrendo nimirum circa proprietates & effectus, aliaque accidentia ſiue intrinſeca, ſiue extrinſeca rerum, quæ in Principio veluti in ſemine continentur. Et ſanè: (quod ſapientum Virorum iudicium eſt:) ſi quis breui ac facili methodo ad rerum variarum eruditionem pertingere intendat, paucos omnino reperire erit libros, ex quorum potius quam ex huiuſmodi opuſculorum lectione facili conatu gradum in ſciẽtiis facere ſataget: tum quia in omnibus huius generis libris magna rerum ſcitu digniſſima-

rum varietas continetur: tum etiam quia in hoc opere ſelectiſſima quæque ſcientiarum omnium Principia, ex quibus veluti fontibus omnis alia cognitio dimanat, breuiter & clarè explicantur: tum denique quia ita ſecundum ordinem doctrinæ ſunt diſpoſita: vt ſub quolibet ferè Titulo prima & præcipua rei illius diſciplina comprehendatur; cuius Axiomata explicanda proponuntur.

INDEX.

SINGVLARVM PARTIVM, TITVLORVM, ET DISTINCTIONVM quæ in hoc opere continentur.

PARS PRIMA.

De Principiis generatim.

TITVLVS PRIMVS

De Principiorum natura, dignitate & ceteris attributis.

DISTINCTIO PRIMA.

QVid ſit Principium, & quotuplex, ac quid Axiomata. pag. 1.
2. *Axiomata de Principiis in genere,* 3.
3. *Valor, & dignitas Principiorum,* 6
4. *Vis eorundem in malum,* 9
5. *Claritas & notitia complexorum,* 12
6. *Vſus eorum in ſcientiis,* 15
7. *In eos, qui negant principia,* 18

Digitized by

INDEX.

PARS SECVNDA.

De Ente & eius passionibus.

TITVLVS II.

De Ente, & essendi modis in Communi.

Dist. 1. EXplicatio quorundam terminorum, 21
2. Axiomata de esse entis generalissima, 22
3. Axiomata de eodem esse minus generalia, 26
4. Axiomata de essentia entis, 31
5. Axiomata de existentia entis, 35
6. De subsistentia & inhærentia, 38
7. De ipso ente generatim, 41

TITVLVS III.

De ente vno.

Dist. 1. Quid vnitas sit, & quotuplex, 46
2. De vnitate transcendentali, & formali, 48
3. Diuisio vnius vniuersalis, 50
4. De natura vniuersalium, 51
5. De vniuersalibus in ordine ad durationem, & locum, 55
6. De vniuersalibus in ordine ad cognitionem & significationem, 58
7. De vniuersali, vt est quoddam totum, 61
8. De genere & differentia, 62
9. De specie & individuo, ac de vnitate numerica, 68

INDEX.

10. *Quid sit ens vnum per se, & ens per accidẽs*, 75
11. *Axiom. de vno per se, & vno per accidens*, 76

TITVLVS IV.

De veritate, & vero.

Dist. 1. *Varia veritatis acceptio, & explicatio*, 79
2. *Quid sit verum, & quid veritas generatim*, 81
3. *Veritatem esse cognitu difficilem*, 84
4. *Veritas sequitur ipsum esse*, 86
5. *Veritatem fundari in esse*, 89

TITVLVS V.

De bonitate, & bono.

Dist. 1. *Variæ boni diuisiones*, 92
2. *Axiomata de bono absolutè*, 94
3. *De bono publico, & priuato*, 98
4. *De bono per comparationem ad malum, & de hoc absolutè*, 103
5. *De bono in ordine ad appetitum*, 107
6. *De malo in ordine ad appetitum*, 112
7. *De bono & malo in ordine ad leges*, 115
8. *De bono & malo hominis*. 120

TITVLVS VII.

De perfectione & perfecto.

Dist. 1. *Diuisiones perfectionis*, 124
2. *De ente perfecto generatim*, 125
3. *De imperfecto generatim, & eius ad perfectum ordine*, 127
4. *De naturali studio perfectionis*. 130
5. *De perfecto in ordine ad operationem*. 133

INDEX.

PARS TERTIA.

De ente increato.

TITVLVS VII.

De Deo, qui eſt ens entium infinitum.

Diſt. 1. *PRima diuiſio entis realis, & per ſe* 136

2. *Axiomata de Deo, & eſſe Dei in genere,* 137

3. *De vnitate Dei, & perſonarũ Trinitate,* 139

4. *De ſimplicitate Dei, & cæteris attributis negatiuis,* 142

5. *De bonitate Dei, & cæteris attributis poſitiuis,* 144

6. *De operatione Dei,* 147

7. *Reuerenter eſſe & parcè de Deo loquendum,* 151

PARS QVARTA.

De cauſis entis creati.

TITVLVS VIII.

De cauſis entis creati in genere.

Diſt. 1. *VAria cauſarum diuiſio,* 153.

2. *Axiom. de cauſis generatim,* 155

3. *De ordine temporis, & naturæ inter cauſas, & effectus,* 162

4. *De ordine dignitatis inter cauſas & effectus,* 167

Digitized by Google

INDEX.

5. De similitudine inter causas, & effectus, 170
6. De causis in ordine ad effectus diuersos, 174

TITVLVS IX.

De causa materiali.

Dist. 1. Variæ diuisiones materiæ. 177
2. Quid sit materia, 179
3. Qualis sit materiæ entitas, 181
4. De appetitu, & cæteris materiæ attributis, 184

TITVLVS X.

De causa formali.

Dist. 1. Variæ diuisiones formæ, 191
2. Quid sit forma Physica substantialis, 192
3. Quomodo forma actuet, & specificet compositum, 195
4. De subiecto formæ inhæsionis, & denominationis, 199
5. Quomodo res sit in potentia, & actu, 202
6. De forma in ordine ad actionem, 204
7. De formis viuentium, 208

TITVLVS XI.

De causa efficiente in genere.

Dist. 1. Variæ diuisiones causæ efficientis, 211
2. De efficiente & eius causalitate in genere, 212
3. De modo operandi cuiuis agenti proprio, 216
4. De agente in ordine ad sui sufficientiam, 219
5. De agente in ordine ad materiam subiectam, 222
6. De eodem in ordine ad dispositiones, 224
7. De distinctione inter agens, & patiens, 228
8. De similitudine inter agens & patiens, 232
9. De contrarietate inter agens, & patiens, 236

10. De *singularitate agentis, & patientis*, 239
11. De *agente in ordine ad spacium*, 243
12. De *agente libero, & necessario*, 246
13. De *causa instrumentali in genere & specie*, 251

TITVLVS XII.

De Deo Opt. Max. pro vt est causa Prima.

Dist. 1. De *causa prima, siue Deo, vt est Creator*, 255
2. De *causa prima vt est gubernator in genere*, 259
3. De *eodem vt est conseruator, & immutator*, 262
4. De *eodem prout est cooperator*, 265
5. *qualiter Deus operetur ad extra*, 272
6. De *perfectione effectuum diuinorum*. 276

TITVLVS XIII.

De causa finali.

Dist. 1. *Variæ finium diuisiones*, 281
2. De *fine in ordine ad alia causarum genera*, 282
3. De *fine in ordine ad media generatim*, 286
4. De *fine prout media nobilitat, & actus*, 290
5. *Omnia fieri ob aliquem finem*, 293
6. *Omnia fine suo definiri, & in illo quiescere*, 298
7. *Præcipua finium genera*, 301
8. *Finis cognitio homini necessaria*, 305

TITVLVS XIV.

De ijs quæ præter intentionem eueniunt, & generatim de casu, & fortuna.

Dist. 1. *Quid sit fortuna, & quam instabilis*. 310
2. *Quâ ignota fortuna sit, & quam dubiè causet*, 312
3. *Virtutem esse fortuna potiorem*, 314
4. *Euentus fortuitos diuinæ subesse voluntati*, 316

Digitized by Google

7. De *linea, & ſuperficie*, 439
8. De *corpore quantitatiuo*, 441
9. De *numero*, 444
10 De *toto & partibus in genere*, 448
11. De *compoſitione & diuiſione generatim*, 454
12. *Pronunciata ex loco totius & partium*, 456

TITVLVS XXII.

De qualitate generatim.

Diſt. 1. *Quid ſit qualitas, & quæ eius ſpecies*, 459
2. *Pronunciata de qualitate generatim*, 461

TITVLVS XXIII.

De habitu in genere.

Diſt. 1. *Variæ habitus diuiſiones*, 46[illegible]
2. *Quid ſit habitus & quod eius munus?* 464
3. *Quomodo generetur habitus & intendatur*, 467
4. *Quomodo remittatur habitus & corrumpatur*, 470
5. *Vnde ſpecificentur habitus, & actus*, 473
6. De *proportione inter habitum, & actum*, 476

TITVLVS XXIV.

De virtute in genere.

Diſt. 1. *Varia virtutis acceptio.* 478
2. *Quid ſit virtus*, 479
3. De *actibus virtutum*, 481
4. De *functionibus virtutum*, 483
5. De *medio virtutum*, 487
6. De *virtutum connexione*, 490
7. *Virtutem eſſe naturæ conformem, ac delectabilem*, 492

Digitized by

8. *Virtutem florere in arduo*, 494
9. *Pretium, & amabilitas virtutum*, 497
10. *De vitiis generatim*, 499

TITVLVS XXV.

De nobiliſſima virtutum Cardinalium Prudentia.

Diſt. 1. *Varia Prudentiæ acceptio, & diuiſio*, 501
2. *quid ſit Prudentia abſolutè*, 503
3. *Quis prudens dicendus & quæ Prudentię cuſtos*, 505
4. De *Prudentia gubernatrice in genere*
5. De *Prudentia gubernatrice militari*, 511
6. De *Prudentia gubernatrice Politica*, 514
7. De *Prudentia gubernatrice Oeconomica*, 518
8. De *primo officio Prudentiæ, quod eſt bene conſulere*, 520
9. De *ſecundo officio Prudentiæ, quod eſt bene iudicare & eligere*, 526
10. De *tertio officio Prudentiæ, id eſt, de executione*, 328
11. De *Imprudentia*, 532

TITVLVS XXVI.

De Iuſtitia & iure generatim.

Diſt. 1. *Quid ſit iuſtitia, & quę eius partes*, 553
2. *Quæ ſint diuiſiones iuris & quæ eius nominis acceptio*, 536
3. *Axiom. de iure naturali & poſitiuo in genere*, 537
4. *Axiom. de iuſtitia abſolutè*, 539

Digitized by Google

INDEX.

5. *Axiom. de homine iusto & eius conditionibus generatim*, 541
6. *Ax. de iniuria.* 543
7. *De Iudice, Arbitro accusatore*, 543
8. *De iudicio in rebus dubijs*, 548
9. *De vario in iudicijs affectu*, 550

TITVLVS XXVII.

De virtutibus Iustitiæ annexis.

Dist. 1. *Axiom. de Religione & Pietate*, 552
2. *De obseruantia, & Obedientia*, 556
3. *De libertate*, 560
4. *De Auaritia & prodigalitate*, 564
5. *De gratitudine & ingratitudine*, 566
6. *De affabilitate & vitijs oppositis*, 559
7. *De veritate & vitijs oppositis*, 571
8. *De fidelitate & vitiis oppositis*, 575
9. *De iustitia vindicatiua*, 579
10. *De æquitate*, 581

TITVLVS XXVIII.

De Temperantia.

Dist. 1. *Quid temperantia & quæ eius partes*, 584
2. *Axiom. in genere de Temperantia*, 585
3. *De speciebus Temperantiæ*, 587
4. *De vitijs Temperantiæ oppositis*, 590
5. *De continentia*, 592
6. *De humilitate & superbia*, 593
7. *De clementia & crudelitate*, 559
8. *De mansuetudine & iracundia*, 601
9. *De modestia & immodestia*, 603

Digitized by Google

INDEX.

TITVLVS XXIX.

De quarta virtute Cardinali Fortitudine,

Dist. 1. *Varia fortitudinis acceptio & explicatio,* 606

2. *Axiomata de fortitudine secundum se,* 607

3. *De vitiis fortitudini oppositis,* 611

4. *de magnanimitate & magnificentia,* 612

5. *De vitiis magnanimitati oppositis,* 616

6. *De patientia, & longanimitate ac impatientia,* 618

7. *De constantia, & perseuerantia, atque earum extremis,* 622

TITVLVS XXX.

De scientia in genere,

Dist. 1. *Varia scientiæ acceptio,* 625

2. *Quid sit scientia,* 626

3. *Quomodo appetatur scientia,* 628

4. *Quomodo gignatur scientia,* 630

5. *Quid dubitatio ad scientiam & admiratio conferat,* 633

6. *De vsu & experientia ac quomodo ad scientiam conducant,* 635

7. *De obiecto scientiarum in genere,* 639

8. *De conditionibus obiecti scientiæ,* 641

9. *De specificatione & distinctione scientiarum,* 648

10. *De ignorantia generatim.* 651

11. *De munijs scientiæ,* 646

Digitized by Google

INDEX.

TITVLVS XXXI.

De scientiis in particulari.

Dist. 1. De *Philosophia*, 656
2. De *Logica*, 660
3. De *Mathematica*, 661
4. De *Physica & Medecina*, 668
5. De *Metaphysica, sive Sapientia*, 674
6. De *Sapientia generalius sumpta*. 680
7. De *Ethica, Politica & generatim de Philosophia morali*, 684
8. De *Theologia*, 689

TITVLVS XXXII.

De habitibus qui non sunt virtutes intellectuales.

Dist. 1. De *opinione*, 696
2. De *fide humana*, 700
3. De *suspicione*, 709

TITVLVS XXXIII.

De habitibus supernaturalibus in genere & specie.

Dist. 1. De *Gratia generatim*, 713
2. De *Fide*, 718
3. De *Spe*, 723
4. De *Charitate*, 726
5. De *vitijs oppositis Charitati*, 733
6. De *Pace & concordia*, 736

TITVLVS XXXIV.

De Potentia generatim.

Dist. 1. *Varia potentiæ acceptio*, 738

2. De

Digitized by Google

2. De potentia secundum se, 739
3. De eadem magis in particulari, 644
4. De potentia in ordine ad actum, 949
5. De potentia in ordine ad obiectum, 759
6. De possibili & impossibili, 762
7. De proprietate generatim, 767

TITVLVS XXXV.

De potentia vegetatiua.

Dist. 1. De vegetatione generatim, 769
2. De alimento in genere & specie, 772
3. De fame & siti, 776

TITVLVS XXXVI.

De potentia cognoscitiua.

Dist. 1. Varia cognoscendi genera, 779
2. De cognoscibili & cognoscitiuo generatim, 780
3. De eodem, & modo cognoscendi, 782
4. De potentia cognoscitiua in ordine ad sensum, 786

TITVLVS XXXVII.

De potentia sensitiua in communi.

Dist. 1. De sensu & sensibili generatim, 788
2. De modo sensationum, 791
3. De sensationum extremis, 794

TITVLVS XXXVIII.

De sensibus in specie.

Dist. 1. De visu, 796
2. De auditu, 798
3. De olfactu, 802
4. De gustu, 804
5. De tactu, 806

Digitized by Google

INDEX.

TITVLVS XXXIX.

De potentia intellectiua.

Dist. 1. *Qualis sit potentia intellectiua,* 809
2. *De intellectu in ordine ad intelligibile generatim,* 814
3. *De intellectu in ordine ad voluntatem liberam,* 819
4. *De intellectu in ordine ad sensum,* 821
5. *Vis & præstantia intellectus,* 825

TITVLVS XL.

De potentia memoratiua.

Dist. 1. *Quid sit memoria & quotuplex,* 829
2. *Quorum sit, & maximè vigeat memoria,* 832
3. *An, & quomodo excolatur Memoria,* 835
4. *De lectione librorum,* 838

TITVLVS XLI.

De potentia appetitiua generatim.

Dist. 1. *Quid & quotuplex sit appetitus.* 841
2. *Appetitus sequitur potentiam cognoscentem.* 842
3. *Operationem potentiæ cognoscentis necessariò præsupponi ab appetente.* 844

TITVLVS XLII.

De potentia appetitiua rationali.

Dist. 1. *Quid sit appetitus rationalis, siue voluntas,* 847
2. *Quomodo operetur voluntas,* 852
3. *An, & qualem cognitionem voluntas habeat præuiam,* 854

Digitized by Google

INDEX.

TITVLVS XLIII.

De impotentia, & patibilitate.

Dist.1. De *patibilitate generatim*, 857
2. *De eadem patibilitate in specie*, 859
3. *De sympathia animæ, & corporis*, 861

TITVLVS XLVI.

De patibili qualitate.

Dist.1. De *luce*, 864
2. *De calore*, 866
3. *De frigore*, 869
4. *De humore & siccitate*, 872

TITVLVS XLV.

De forma, & figura.

Dist.1. De *forma & figura in genere*, 874
2. *De iisdem in specie*, 876

TITVLVS XLVI.

De relationibus in genere.

Dist.1. *Series relationum*, 878
2. De *natura & proprietatibus relationum*, 878
3. *De simili & dissimili*, 882
4. De *proportione æqualium & inæqualium*, 884
5. *Omne simile habere aliquid dissimile*. 888

TITVLVS XLVII.

De relatis in specie.

Dist.1. De *Patre & Filio*, 892
2. *De nobili & ignobili*, 895
3. De *Domino & seruo*, 898
4. De *possessore & re possessa*, 901

Digitized by Google

5. De *diuite & paupere*, 904

TITVLVS XLVIII.

De actione & passione generatim.

Dist. 1. *Varia actionum diuisio*, 907
2. *Quæ sit actionis & passionis natura*, 908
3. *Agere & pati rebus naturalibus esse naturale, & necessarium*, 912

TITVLVS XLIX.

De Motu.

Dist. 1. *Variæ diuisiones motus.* 917
2. De *natura motus, & eius terminis in genere*, 917
3. De *motu in ordine ad oppositionem*, 920
4. De *motu in ordine ad mouens*, 923
5. De *motu in ordine ad mobile*, 925
6. De *motu in ordine ad spacium, tempus, & cæteras circunstantias*, 928
7. De *motu violento*, 932
8. De *motu moderato*, 636
9. De *labore & ignauia*, 939
10. De *quiete & recreatione*, 942

TITVLVS L.

De generatione & cæteris actibus potentiæ vegetatiuæ.

Dist. 1. *Varia acceptio termini generatio*, 946
2. De *natura, & terminis generationis*, 947
3. De *corruptione & morte generatim*, 950
6. De *oppositione generationis & corruptionis*, 954.

Digitized by Google

INDEX.

5. De *vicissitudine generationum & corruptionum*, 957
6. De *generante & corrumpente*, 960

TITVLVS LI.

De actibus potentiæ cognoscitiuæ.

Dist. 1. De *cognitione secundum se*, 963
2. De *sensatione*, 967

TITVLVS LII.

De actibus potentiæ appetitiuæ seu de passionibus in genere.

Dist. 1. *Varia passionum acceptio*, 970
2. *Natura & proprietas passionum*, 971
3. *Vnde maximè oriantur passiones*, 973
4. *Homines non pati, nisi à semetipsis*, 975
5. De *domandis passionibus*. 977

TITVLVS LIII.

De passionibus in specie.

Dist. 1. De *amore*, 981
2. De *odio*, 984
3. De *desiderio & fuga*, 986
4. De *gaudio siue delectatione*, 989
5. De *dolore siue tristitia*, 997
6. De *Ira*, 999
7. De *timore*, 1004
8. De *audacia*, 1007
9. De *spe & desperatione*, 1009

TITVLVS LIV.

De actibus intellectus.

Dist. 1. *Quid & quot sint operationes intellectus*,

Digitized by Google

INDEX.

2. De *conceptu rerum*, 1010
3. De *vocibus & locutione*, 1013
4. De *enunciatione generatim*, 1017
5. De *significatione illius*, 1020
6. De *diuisione*, 1022
7. De *definitione*, 1024
8. De *prædicatione*, 1027
9. De *illatione*, 1033
10. De *syllogismo*, 1036
11. De *demonstratione*, 1042

TITVLVS LV.

De actibus voluntatis.

Dist. 1. De *actibus potentiæ volitiuæ secundum se*, 1047
2. De *actibus virtutum*, 1051
3. De *actibus vitiorum, siue de peccatis*, ibid.

TITVLVS LVI.

De præmio actuum à virtute profectorum & primo de felicitate.

Dist. 1. De *præmio virtutum in genere*, 1058
2. *Quidnam sit felicitas*, 1060
3. *In quibus actibus consistat beatitudo formalis*, 1062
4. De *felicitate huius vitæ*, 1068
5. De *appetitu beatitudinis*, 1070

TITVLVS LVII.

De honore, laude & gloria.

Dist. 1. *Quid honor, laus & gloria*, 1074
2. *Quis dignus honore, quis indignus*, 1078

Digitized by Google

3. De ijs, quæ comitantur honorem, 1080
4. De honore imaginum, 1082

TITVLVS LVIII.

De amicitia.

Dist.1. Quid sit amicitia, & quotuplex, 1086
2. Quomodo generatur amicitia, 1089
3. Amicitiam in æqualitate fundari, 1092
4. Quæ sint commoda amicitiæ, 1097
5. An, & quomodo dissoluatur amicitia, 1102
6. De ficta amicitia, 1104
7. De amico & amicorum proprietatibus generatim, 1106

TITVLVS LIX.

De pœnis quæ sequuntur actus vitiosos.

Dist.1. De pœnis peccatorum generatim, 1110
2. De pœnis, quas mala infert conscientia, 1112
3. De ijsdem magis in particulari, 1115

TITVLVS LX.

De legibus quæ dirigunt actus humanos.

Dist.1. De natura, & origine legis generatim, 1118
2. De vtilitate legum, 1121
3. De vsu & obligatione legum, 1124
4. De necessitate in ordine ad legem, 1126
5. De consuetudine & præscriptione, 1128

TITVLVS LXI.

De Vbi & situ.

Dist.1. De Vbi, siue præsentia rei in genere, 1131
2. De Vbi seu præsentia rerum in specie, 1134

Digitized by Google

INDEX.

3. De *loco*, 1138
4. De *vacuo*. 1141
5. De *situ*, 1144

TITVLVS LXII.

De Quando & in vniuersum de durationibus.

Dist. 1. *Variæ durationum species*. 1146
2. *Effata de tempore generatim*, 1147
3. De *duratione longa & breui*. 1152
4. De *iuuentute & aliis ætatibus*, 1155
5. De *priore & posteriore*, 1160
6. De *præterito & futuro*, 1169
7. De *æternitate & æterno*, 1168

TITVLVS LXIII.

De prædicamento Habere.

Dist. 1. *De modo habendi*. 1174

PARS SEXTA.

De rerum ac vocum distinctione, oppositione, &c.

TITVLVS LXIV.

De distinctione rerum.

Dist. 1. DE *variis Distinctionum generibus*, 1178
2. De *distinctione reali & rationis generatim*, 1178

Digitized by Google

3. De distinctione generica & specifica, 1182
4. De conditionibus distinguentis, 1184

TITVLVS LXV.

De oppositione rerum.

Dist. 1. De oppositis generatim, 1187
2. De oppositis contrariè in genere, 1190
3. De extremè & mediè contrariis, 1194
4. De contrariis in ordine ad subiectum, 1196
5. De causis & effectibus contrariis, 1200
6. De priuatione & priuatiuè oppositis, 1205
7. De oppositis contradictoriè, 1210

TITVLVS LXVI.

De nomenclatione rerum.

Dist. 1. De vocabulis & eorum vsu, 1214
2. De æquiuocis & analogis, 1219
3. De abstractis & concretis, 1222
4. De denominatione intrinseca & extrinseca, 1224

FINIS.

Digitized by Google

FACVLTAS ET APPROBATIO.

EGo infra ſcriptus Societ. IESV in Prouincia Franciæ Præpoſitus Prouincialis, iuxta Priuilegium eidem Societati à Regibus Chriſtianiſſimis, Henrico III. decima Maij 1563. Henrico IV. 20. Decembris, 1606. & Ludouico XIII. nunc regnante 14. Februarij 1611. conceſſum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur ne libros ab hominibus noſtræ Societatis compoſitos edant abſque Superiorum eius permiſſione, poteſtate ad id mihi factâ ab admodum R. P. N. Mutio Vitelleſco Præpoſito Generali permitto Michaeli Soly Bibliop. Pariſ. vt ad proximos ſeptem annos imprimere ac diuendere poſſit Librum, quem his verbis inſcriptum. *Armamentarium ſcientificum Patris* HENRICI MARCELLII *Societatis* IESV *Presbiteri*, &c. & eiuſdem Societatis noſtræ aliquot Theologi, ac Philoſophi deputati examinarunt & approbarunt. Datum Pariſijs 7. Aprilis 1635.

STEPHANVS BINETVS.

Digitized

APPROBATIO DOCTORVM.

OPus hoc à R. P. HENRICO MARCELLIO Societatis IESV conſcriptum, & inſcriptum *Armamentarium ſcientificum*, laudatorem poſtulat potius & prçconem, quam probatorem vt pote probatiſſimum, & prædicabile varia multiplicique ſcientia, ac recondita ſapientia, eâque ſana & orthodoxa: expectatum pridem Philoſophis & Theologis; quibus vt ſua varietate, perſpicuitate, & in vnoquoque Axiomatè illuſtrando breuitate iucundiſſimum; ita & ſolidâ ſublimique eruditione vtiliſſimum fore iudico, Ego infra ſcriptus Doctor & Profeſſor Theologus in Vniuerſitate Remenſi, & Chirographo meo confirmo. Remis die decimo quinto Martij anno 1635.

PETRVS MOGIS.

Digitized by Google

EGo IACOBVS GODINOT in Vniuerſitate Remenſi Doctor Theologus, perlegi *Armamentarium hocce ſcientificum*, R. P. HENRICI MARCELLII *Societatis* IESV, in quo nihil mihi occurit Fidei Catholicæ, boniſque moribus contrarium; quin etiam viſum eſt opus mira eruditione refertiſſimum ſubtiliſſimas & accuratiſsimas, in Philoſophica Axiomata continere Notas & Phraſes; ideoque digniſſimum, quod in bonum publicum euulgatum Typis donetur. Actum Remis die Martii penultima, anni 1635.

GODINOT.

SVMMA PRIVILEGII REGIS Chriſtianiſſimi.

LVDOVICI XIII. Galliæ & Navarræ Regis auctoritate ſancitum eſt & patentibus eius litteris cautum, ne quis in regno ipſius, aliiſue locis ditioni ſubiectis, infra proximos ſeptem annos à die impreſſionis primę inchoandos, excudat, vendat, excudendum vendendumque, quouis modo & ratione curet librum inſcriptum *Armamentarium ſcientificum*, R. P. HENRICI MARCELLII &c. Præter MICHAELEM SOLY Bibliopolam Pariſienſem aut illos quibus ipſe conceſſerit; ſub pœna confiſcationis librorum aliiſue originali diplomate contra delinquentes expreſſis. Datum Pariſiis 26. Ianuarij 1635.

Signatum de Mandato Regis,
PETIT.

Hoc opus abſolutum, Die 20. Aprilis 1635.

Digitized by Google

Digitized by Google

ARMAMENTARII SCIENTIFICI

PARS PRIMA.

De Principijs generatim.

TITVLVS PRIMVS

De Principiorum naturâ, dignitate, & cæteris attributis.

DISTINCTIO PRIMA.

Quid sit Principium, & quotuplex, ac quid Axioma.

PRINCIPIVM latissimè sumptum ita describitur ab Aristotele: *Est primum, vnde aliquid est, aut fit, aut cognoscitur.* 5. Metaph. c. 1. Ex quâ descriptione patet, Principia alia esse rei, & incomplexa, alia cognitionis & complexa.

Principia rei sunt duplicia: alia sunt principia in fieri, alia in facto esse, vt loquuntur Philosophi. Vtrumque membrum ex datâ definitione manifestum est. Atque de his ex professo, vt dici solet, agunt Physici.

Principia cognitionis, siue complexa, item

Digitized by Google

dnplicia ; propria certæ alicui ſcientiæ, & communia ſcientijs.

Propria, vocantur Theſes ſiue poſitiones, quæ in qualibet ſcientiâ ſolent proponi, ſine probatione ; Et ſunt duplices: aliæ ſunt Definitiones rerum, aliæ dicuntur Hypotheſes, quæ affirmant aliquid eſſe, vel non eſſe. Quo etiam nomine comprehenduntur ſententiæ celebriores, & dicta ſapientum, quæ communiter ab omnibus, veluti probata recipiuntur.

Communia Principia, vocantur Axiomata, ſeu Dignitates, quod dignæ ſint, quibus omnes aſſentiantur. Item Effata, Pronunciata, Proloquia, Maximæ ; Et ſunt Propoſitiones per ſe notæ, quibus multa argumenta probantur. Vnde Ariſtoteles ea vocat, *Principia ex quibus*, quia ex illis ratiocinamur, & multas particulares veritates deducimus : Definitiones autem vocat, *Principia circa quod*, quia hæ definiunt ſubiectum, circa quod ſcientia verſatur. Vide textum 42. l. 1. Poſt.

Rurſus communia Principia, vel ſunt omnibus ſcientijs communia, vt, de quolibet vera eſt affirmatio, vel negatio, vel pluribus, vt, Totum eſt maius ſuâ parte. &, ſi ab æqualibus æqualia demas, quæ remanent, ſunt æqualia.

Porrò communibus Principijs ſcientiæ vtuntur, cum reſtrictione ad ſuum obiectum, vt docet Ariſtoteles 11. Metaph. c. 4. ratio eſt, quia ſcientiæ procedunt ex proprijs, vt explicabitur infra; ideóque communia Principia per reſtrictionem ſibi faciunt propria : Sic illud, Si ab æqualibus æqualia demas, quæ remanent, ſunt æqualia, ita reſtringit, & ſibi appropriat Atithmeticus. Si ab æqualibus numeris æquales demas, qui remanent, erunt æquales.

Digitized by Google

Quia verò propria cuiuſque ſcientiæ Principia, vt Definitiones & Hypotheſes, ad communem Axiomatum intelligentiam, perſæpè ſunt neceſſariæ, & dignæ, quibus omnes in eâdem ſcientiâ verſantes aſſentiantur, ideo eas ſubinde ſub communi Axiomatum titulo referimus (parcè tamen & non ſine delectu) ac latiùs ſumpto vocabulo, eodem eas nomine indigitamus: liberiùs tamen eas Proloquia, & Pronunciata appellamus. Vtimur etiam ſubinde nominibus Prouerbij, & Adagij, imitantes P. Hurtadum de Mendoza; Neque enim ad Prouerbiorum rationem Metaphoræ ſemper inuolucra, aut ænigmaticum quid, requiri debent; Et Adagia ſi ſententialia ſint, id eſt, ſi ſententiam plenam, & Enunciationem contineant; pro eodem ſumuntur, pro quo Proloquia, ſiue Pronunciata.

DISTINCTIO II.

Axiomata de Principijs in genere.

1.

Omne Principium prius eſt ſuo principiato. 5. Metaph. c. 1. tex. 1.] Intelligitur & verum eſt, de omnibus Principijs naturalibus, ſiue rei & incomplexis, ſiue cognitionis & complexis. Nam ſicuti corpus naturale, v. c. non poteſt eſſe, niſi præexiſtentibus ſuis principiis; ita neque vlla ſcientia certa haberi poteſt, niſi certa eius cognita ſint principia. Dixi verum eſſe de principiis naturalibus; quia Ariſtoteles, vti ſola naturalia agnouit; ita præſens axioma (& omnia alia) pronunciauit de principio, quod lumine naturali cognoſcitur; non quod Fides reuelat. Quanquam in diuinis etiam, vna per-

sona dici possit alterâ prior, vt existimant Scotus, & alij ; non durationc, naturâ, aut perfectione; sed tantùm origine; &, vt inquit Fonseca, ordine naturalis enumerationis. Quæ prioritas originis, dũmodo rectè intelligatur, nullam imperfectionem connotat in principiato; quia solum consistit in eo, quod Pater habeat esse absque tali origine, id est, generationis, per quam habet esse Filius, & Pater ac Filius habeant esse absque origine Spirationis, per quam habet esse Spiritus sanctus. Et hinc etiã est, quod Pater numeratur prima Persona, Filius secunda, Spiritus sanctus tertia. Simili modo, si nomine principiati significetur tantum Ens à principio, persona producta in diuinis, v. c. Filius potest dici principiatum : si verò significetur Ens à principio factum, vel habens principium durationis, non potest. Quia tamen posterior significatio est frequentior apud Latinos ; ideo S. Thomas ait, à Græcis quidem concedi hanc enunciationem, Filius principiatur, &, Filius est principiatus ; non tamen à Latinis. Et Magister negat hanc, Filius habet principium, quæ proinde sine distinctione admitti non debet ; cum illâ admitti potest, hoc modo: Filius habet quidem principium, à quo procedit ; non tamen principium durationis ; sed originis. Hac igitur distinctione adhibitâ verum est axioma in omnibus, siue diuinis, siue creatis. Omne enim principium prius est eo, cuius est principium, vel tempore, vel naturâ, vel cognitione, vel ordine, vel origine, vel aliâ qualibet habitudine. Vid. Vasquez in 1. p. D. Tho. d. 167. Suarez disp. 12. Metaph. sect. 1. n. 32. & alios.

2. *Quidlibet cognoscitur, dum in sua Principia resoluitur.*] Sensus est, quamlibet rem creatam, dum resoluitur in sua principia clarè & distinctè perspi-

ci, secundum esse, quod habet. Sumitur ex 1°. Priorum Analyt. c. 1. & ex 2°. Prior. c. 18. vbi Philosophus ait, Principia per se cognosci: reliqua verò per Principia, & verum est de Principiis non cognitionis modò, siue complexis, de quibus ibi potissimè agit Aristoteles, sed etiam de Principiis rei & incomplexis. Ratio est, quia sicut se res habet ad esse, ita etiam ad cognosci, vt infra explicabitur: atqui res quælibet creata habet esse per sua principia; Ergo etiam nata est, per ea cognosci, iuxta illud,

3. *Cognitionis certitudo ex certitudine Principiorum dependet.* refertur à S. Thomâ 4. Meta. lect. 6. t. 9.] Intelligitur autem præcedens effatum, tum de resolutione reali; siue physicâ, qua totum aliquod reipsa dissoluitur in suas partes & principia, v. c. mixtum in elementa, domus in ligna, lapides, &c: tum verò præcipuè de Analysi seu resolutione rationis, qua totum aliquod non reipsa; sed tantum per intellectum resoluitur in suas partes & principia, vt homo in corpus & animam; Angelus in genus & differentiam: propositio in subiectum & prædicatum: demonstratio in propositiones siue principia, & ita de cæteris. Per huiusmodi namque Analysim clarius & distinctius videntur partes & principia cuiusque rei, quæ compositæ & disiunctæ latent.

4. *Diuersorum diuersa sunt Principia.* 1. de anima c. 1. in fine text. 5. & alibi] Intelligitur & verum est, tum de principiis complexis particularibus, tum præcipuè de incomplexis & intrinsecis. Quælibet enim res, vti distinctam, ab alia qualibet, habet entitatem, ita etiam propriis sibi, & distinctis à quocunque alio, constituitur principiis: non verò intelligi debet de principiis extrinsecis & vniuersa-

libus; vt perſpicuè colligitur ex l. 3. Metaph. c. 4. t. 14. & 15. vbi varijs rationibus probat omnium rerum eadem eſſe generalia principia, aitque eam communem eſſe omnium Philoſophorum ſententiam. Similem doctrinam habet 10. Metaph. t. 24. & alibi.

5. *Eiuſdem rei non debent eſſe plura Principia.*] Elicitur ex eodem textu, quo axioma præcedens, & intelligendum eſt, de principiis in eodem genere cauſandi vel principiandi, concurrentibus eodem modo, déque principiis totalibus ſiue adæquatis, quæ inter ſe non ſint ſubordinata, nam principia diuerſi generis, & particularia, aut etiam totalia ſibi ſubordinata, plura eſſe poſſunt reſpectu eiuſdem principiati, vt patet ex dictis, & fuſiùs explicabitur titulo, de cauſis in genere. Ratio autem Pronunciati eſt, quia quod poteſt fieri per pauciora, non debet fieri per plura, vt dicetur infra; vel enim alterum eiuſmodi principiorum eſſet fruſtra; vel etiam ſe mutuò impedirent, ac negotium corrumperent.

DISTINCTIO III.

Valor & dignitas Principiorum.

1. *PRincipium cuiuſque rei maximum eſt.* 2. Elenc. cap. 8.] Vbi ex eo probat Philoſophus, primos artium inuentores, etſi rudem duntaxat, vel non vſquequaque perfectam rerum cognitionem promant, maiori tamen gloriâ dignos eſſe, quam eos, quorum opere & labore varia deinceps accrementa ad prima rerum accedunt principia. *Principium enim*, inquit, *omnium rerum maximum eſt*, &

difficillimum, quo comperto, facile est, adjicere aliquid, & quod reliquum est, coaptare. Vnde istud vulgare:

2. *Facile est, inuentis aliquid addere.*] Idem pronunciatum, de magnitudine & æstimatione principij, refert Philosophus in Problemat. sect. 10. q 15. rationem addit ibidem; *quia*, inquiens, *rei totius dimidium est.* Et inde probat animalia perfecta non posse generari sine semine genitali: minutorum verò animalium ortum absque eo fieri posse: vt quæ ex putrefactione, vel aliâ concretione, materiæ sæpe producuntur. *Minoris enim rei*, inquit, *minus quoque principium esse conuenit. Maiorum autem genus mutationem pro sui magnitudine desiderat amplioren*, iuxta illud,

3 *Magnorum fluminum sunt etiam fontes nobiles.*] Porrò principium cuiusque rei, maxima eiusdem, siue potissima pars esse dicitur, non formali, & intrinseca magnitudine; sed radicali siue causali virtute; vt pulchrè Philosophus explicat, dicto sequente.

4. *Principium vi maius est, quàm magnitudine.* l. 1. de Cœlo c. 5. t. 33.] Ratio patet ex dictis; quia nimirum à principijs suis omnia dependent. Et, vt Bio dixit, *Omnia omnium negotia similia ordinariè sunt suis initijs.* Ex hoc Aristotelis pronunciato à Philosophis desumptum est istud,

5. *Principia male parua, virtute sunt magna.*] Patet in seminibus, aliisque principiorum generibus, quàm magnus circa Hellespontum Danubius, ex paruo eius fonte ad Syluam Hercyniam? quantula sæpe scintilla neglecta quantum excitauit incendium? atque hac de causâ Aristoteles in administratione vrbium & regnorum, cauendum esse docet, maximâ curâ, à principiis corruptis, quæ

Digitized by Google

causa sint & origo maximorum erratorum ; cum *Principium*, ait l. 5. Polit. c. 4. *Dimidium esse dicatur totius, & parvus in principio error alijs partibus actionis respondeat, quas nempe corrumpit.* Vide, si placet, Salianum tomo 3. Annal. Eccles. Veteris Testamenti, in anno Mundi 2964. num. 117.

6. *Principium est operis totius dimidium.*] Aristoteles in Problematis & Politicis loco iam citato, Plato l. 6. de legibus, vbi addit, eum qui bene cœpit commendari; quia nimirum, *dimidium facti qui bene cœpit habet.* Quinimò subiungit, videri sibi principium plus esse, quàm operis totius dimidium. Cōsentit magno suo Magistro magnus discipulus Aristoteles l. 1. Ethicor. c. 7. sub finem, vbi docet, principium magnam adferre opem ad ea, quæ sequuntur tractanda, & pro confirmatione subiungit hæc verba.

7. *Principium plus, quàm dimidium totius esse videtur.*] Ratio vtriusque eadem est, quæ præcedentium. Ea de causa Aristoteli familiare est, librorum suorum exordia sumere à communibus quibusdam Principiis & Axiomatis, vt patet ex 2. Physicorum c. 1. t. 1. ac plerisque aliis ipsius operibus, quia, vt, ex mente Aristotelis loquuntur Philosophi, Principia multum valent ad consequentia. Eandem ob causam M. Tullius, oratione in Vatinium, à Dijs, inquit, immortalibus sumenda esse principia; Et Plato magis vniuersè & piè Epist. ad Dio. omnibus in rebus, & dicendis, & cogitandis, principium semper à Dijs esse sumendum, vt eò feliciùs finem suum adipiscantur, & media ac fines suis principiis consentiant.

Digitized by

DISTINCTIO IV.

Vis eorundem in malum.

1. *Paruus error in principio magnus fit in fine.* Sumitur ex l. 5. Polit. c. 4. paulò ante citato.] Ratio est, quia vti in bonum, ita in malum quoque, principia mole parua, virtute sunt magna; cum oppositorum eadem sit ratio, vt explicabitur infra, titulo de oppositis. Hinc Aristoteles l. 1. de generatione animalium docet, commutato principio, necessariò maiorem partem consequentium mutari, eò quod à principiis omnia dependeant. Aliis verbis præsens effatum Philosophus effert, l. 1. de Cælo cap. 5. t. 33. nempe

2. *Modica transgressio à veritate discedentibus fit longè decies millies maior.*] Illustrat id ibidem exemplo eorum, qui insectiles magnitudines inuexerunt, vt Democritus & alij prisci Philosophi. Posità enim minima quantitate, quæ in minorem diuidi nequeat, euertuntur plurima effata Mathematicorum iubentium, lineam datam secari in duas partes æquales, &c. Simile contingit in aliis quibuscunque scientiis & officiis. Quemadmodum enim viatores, si in principio à via deflectere inceperint, quò longius in errore procedunt, eò grauius à suo termino deuiant: ità in omni rerum genere, admissi initio errores, alios sexcentos consequenter progenerant.

3. *Vno dato absurdo, sequuntur plura.* l. 1. Phys. t. 10. & 22.] Quod superioribus axiomatis de quolibet errore generatim dicitur, siue intellectus ille sit, siue voluntatis, siue alterius potentiæ cu-

ipſcunque: id præſenti effato reſtringitur ad errores cognitionis & intellectus. Vti enim ex vno Principio, ſeu Axiomate per ſe noto & vero, multæ ſequuntur Propoſitiones & Concluſiones itidem veræ; ita ex poſitione ſumptionis alicuius falſæ, magnus falſitatum catalogus facilè pertexitur. Patet hoc in diſputationibus & exercitationibus quotidianis. Nam ſi quis vnum det ſiue concedat abſurdum aut inconueniens, mox plura & longè grauiora à non ſegni aduerſario ſubinferuntur. Eſt autem intelligendum Pronunciatum, quando ſimpliciter & abſolutè conceditur aliqua propoſitio, falſa v. c. vel impoſſibilis, vel aurium honeſtarum offenſiua; quia ex hypotheſi, & ſub conditione valere poteſt argumentatio, etiam ab impoſſibili; vt exempli cauſa; ſi Deus non eſſet immutabilis, ergo neque foret æternus: ſi bos haberet alas, poſſet volare, &c.

4. *Malorum initijs obſiſtitur facilius, quàm incrementis.*] Senſus huius dicti per ſe manifeſtus eſt, cuiſque ratio patet ex ſuperioribus: monet autem, maturè quærenda eſſe malorum remedia, & minimè expectandum, dum pullulent & inualeſcant: Exempli gratia, pueros à vitiis arcendos, dum adhuc tenera & flexilis eſt ætas; haud facilè enim dediſcuntur à ſenibus vitia, quibus à pueris ſunt imbuti: item ſarciendas eſſe protinus offenſas, ne in ſimultatem degenerent, & ita ſimiliter, in omnibus aliis malorum antidotis. Verè enim pronunciauit Ouidius 1. Remed.

Principijs obſta, ſerò medicina paratur,
Cum mala per longas inualuere moras.

In eandem ſententiam, magis piè & Chriſtianè vir illuminatiſſimus Thomas de Kempis l. 1. de imitatione Chriſti c. 13. de Tentationibus ſuperandis,

Digitized by Google

ait; *Primò occurrit menti simplex cogitatio, deinde fortis imaginatio: postea delectatio & consensio. Sicque paulatim ingreditur hostis malignus ex toto, dum illi non resistitur in principio.* Sæpe quidem audiri à Medicis solet: *Modicum non nocet*: Et à Iurisperitis: *De minimis non curat Prætor*, Et, *Modicum pro nullo reputatur*. Et in l. si quis, §. fin. π. de dolo malo: *Modicum non est anxiè curandum.* Sed respondeo: Modicum non nocet multum, quando suam retinet paruitatem: nocet tamen non mediocriter, si sinatur incrementa accipere; & quia iter parat ad ea, quæ per se sunt grauissima, vt vidimus.

5. *Nunquam bene; qui nunquam malè.*] Istud adagium in consolationem valet eorum Tironum, qui antequam perfectam scientiam, aut virtutem, aut rerum agendarum peritiam consequantur, in errores subinde ac defectus incidunt, vt ne desperent; sed cum piscatore icti sapiant, & intelligant, cuiusvis hominis esse, errare; nullius nisi insipientis perseuerare in errore. Quare etsi contingat, hominem labi sæpius, non ideo abijciendus est animus; sed altiùs erigendus. Quam multùm enim possit firma resolutio experientia docet, in vrbium inexpugnabilium euersionibus, in mercatorum lucris, in virtutis ac gloriæ consecutione. Nam, *Labor improbus omnia vincit*, Et, *Nihil est, quod non expugnet pertinax opera, & intenta ac diligens cura*, vt inquit Seneca l. 6. Epist. 51. In hanc quoque sententiam exprimitur vetus illud: *Nullum sine venia placuit ingenium.*

DISTINCTIO V.

Claritas & Notitia Complexa.

1. *PRincipia sunt tanquam locus ostij in domo, quem nemo ignorat.* l. 2. Metaph. commēt. 1.] Vbi & textus habet: *ab ostio quis aberret?* intelligitur de Axiomatis communissimis, déque ijs minus communibus, quæ ex ipsâ terminorum notitia, vi solius luminis naturalis innotescunt: alia verò magis contracta, & propriâ singulatum scientiarum principia, cum non sint tam clara & per seſe euidentia: ideo ad assensum illis præbendum, sine formidine, opus est inductione & experientiâ præuiâ, quæ tamen non est ratio siue causa assentiendi hisce principiis; quo modo omnis cognitio discursiua dicitur haberi per causam 1. Post. c. 1. sed tantum est conditio, sine quâ non assentiretur illis intellectus promptè & sine timore: vel est id, quod remouet impedimentum, siue formidinem intellectûs, illúmque iuuat, ac disponit, vt promptè & expeditè illis assentiatur, vt docetur 2. Post. c. 16. & vltimo: Causa autem per se, cognoscendi Principia, est lumen naturale intellectûs: perceptio verò terminorum nihil aliud est, quam debita, ad mentem, obiecti applicatio & explicatio. Porro illud

2. *Ab ostio quis aberret.* 2. Metaph. t. 1.] Sic exponitur secundum Auerroëm & D. Thomam. Et quis non facilè assequatur Principia quæ sunt veluti ianua veritatis inueniendæ? vel, vt exponit Alexander; quis non assequatur saltem ea, quæ facilia sunt? Sicut enim iaculator, si ei totũ ostium

proponatur, non errat, propter facilitatem attingendi tam luculentum obiectum; sic quoque Principia, naturali lumine facilè intelliguntur: ita Suarez in indice copioso, loco citato. Monet autem hoc diuerbium, vt rectè quis instituatur, seriò illi considerandа esse Principia; ne quod aiunt, in limine offendat; quod turpe & mentis oculo carentium est, iuxta illud, Eccles. 10. 16. *Labor stultorum affliget eos, qui nesciunt in vrbem pergere*: in quem sensum Moyses, vt grauissimam iudicaret fuisse Sodomitarum ἀορασίαν, percussos ait, cœcitate, ita vt ostium domûs reperire non possent. Gen. 19. 11.

3. *Impossibile est, arbitrari oppositum eius, quod est per se notum*, sumitur ex 4. Metaph. t. 9. & 1. Post. t. 1. & vltimo.] Ratio est, quia nemo sanæ mentis existimare potest, *idem simul esse, & non esse*, vt dicit Aristoteles 4. Metaph. textu citato; sed si quispiam arbitraretur oppositum eius, quod constat esse verum, & quod per se notum est, crederet idem esse, & non esse. Ergo sicuti hoc fieri nequit, ita nec illud videri potest S. Thomas 1. p. q. 2. a. 1. vbi vtitur hoc Pronunciato.

4. *Intellectus omnis est rectus*. 3. de anima cap. 10. t. 51.] Comparat hoc loco Philosophus, intellectum cum appetitu & imaginatione, & docet ea recta esse, & non recta, & erroribus esse obnoxia: intellectum verò minimè; sed rectum esse omnem. Interpretandum itaque Pronunciatum est de assensu primorum Principiorum, non eorum solum, quæ ad contemplationem pertinent, sed etiam quæ ad actionem; vt bene notant Conimbricenses in hunc locum. Circa illa enim nullus contingit error, cum naturali lumine sint euidentia; nemo siquidem sanę mentis ignorat, Totum esse maius sua parte; aut quidquid est, esse vel sub-

ſtantiam, vel accidens; ſicuti nemo ignorat bonum eſſe faciendum, malum declinandum, quæ ſunt principia agibilium, & pertinent ad ſpecialem habitum, quem vocamus *ſyndereſin*; vt docet D. Thomas 1. p. q. 79. a. 12. Principia autem ſpeculabilium ad ſpecialem habitum ſpectant, qui ab Ariſtotele l. 6. Ethic. c. 6. dicitur, *Intellectus*. Vide Scotum in 2. d. 39. §. *Ad quæſtiones*.

5. *Notitia primorum Principiorum habetur ex terminis*. l. 1. Poſter. c. 1. & 3.] Vbi de natura Principiorum agens, illa eſſe docet, *quæ ſcimus cum terminos cognoſcimus*. Noſter enim intellectus ita à Natura comparatus eſt, vt ſi primorum Principiorum terminos perſpicuè penetrarit, continuò ijs, tanquam notis per ſe, vel quoad exercitium, vel certè quoad ſpecificationem aſſentiatur & acquieſcat, iuxta illud,

6. *Prima ſunt, quæ non per alia; ſed per ſe fidem habent*. l. 1. Topic. c. 1.] Illæ enim primæ ſiue immediatæ dicuntur propoſitiones, quæ per ſe cognoſcuntur, & per quas cęteræ omnes ab illo dependentes cognoſci ſolent: ipſæ verò à nulla alia priore demonſtrari poſſint, vt pluribus explicatum eſt in primo huius diſtinctionis Axiomate; ex quo etiam manifeſta eſt veritas iſtius:

7. *Principiorum alia inductione, alia ſenſu, alia aſſuetudine, alia aliomodo perſpiciuntur*. l. 1. Ethic. c. 7.] In eandem ſententiam l. 7. Politic. c. 13. quædam à nobis addiſci, ait, aſſuefcendo, quædam audiendo. Primò quidem ad Principiorum & rerum quarūlibet notitiam cōſequendam opus eſt ſenſu, quia nihil eſt in intellectu, quod non prius fuerit in aliquo ſenſu: Et ſenſus feneſtræ ſunt animæ, quæ ex natura ſua eſt veluti tabula raſa, nullis ornata ſcientiæ figuris: Inductio verò & experientia eſt con-

Digitized by Google

ditio sine qua non assentimur promptè & sine formidine principiis minus communibus, vt dictum est. Vsu denique & assuetudine, aliisque cognoscendi modis, multa principia siue naturalia, siue moralia firmantur & roborantur.

8. *Omnis scientia habetur per aliqua principia per se nota & visa.* Refertur à S. Thoma 2. 2. q. 1. a. 5. in corpore.] Veritas huius perspicua est per explicationem præcedentium. Illa enim videri dicuntur, quoad præsens institutum, & ex mente S. Thomæ, quæ per seipsa mouent intellectum nostrum, vel sensum ad sui cognitionem, vt docetur eadem parte, eâdem quæstione, art. 4. in corpore, sub finem.

DISTINCTIO VI.

Vsus eorum in Scientijs.

1. *Scientiæ procedunt ex propriis*, sumitur ex 1. Post. c. 7. t. 23.] Vbi docet, vnumquodque sciri & demonstrari, ex vniuscuiusque principijs. Quemadmodum enim singulæ scientiæ proprium sibi obiectum vindicant, priuataque de eo affectiones demonstrant; ita etiam propria sibi habent principia, quæ tanquam certa supponunt, & ex quibus in suis demonstrationibus procedunt. Tale est principium proprium Physicæ: *Natura est principium motûs & quietis*; & Geometriæ. *Rectum est, cuius extrema non exeunt à medio.* Hinc

2. *Diuersæ scientiæ procedunt ex diuersis principijs.* Sumitur ex eodem textu.] Sic v. c. terram esse rotundam, demonstrat Physicus & Astronomus, vt dicitur l. 2. Phy. t. 17. hic quidem per principia & media mathematica, vt per figuras Eclipsium,

& alia huiuſmodi: ille verò per principia & media naturalia, vt per motum grauium ad medium, vel per aliud huiuſmodi, de quo videri poteſt D. Thomas 1.2. q. 54. a.2. ad ſecundum.

3. *Omnes ſcientiæ conueniunt in illis, quæ ſunt communia.*] Etſi ordinariè ſcientiæ procedunt ex propriis principiis, vt dictum eſt, nihilominus tamen vtuntur etiam ſubinde communibus, iuxta præſens effatum; quod ſumitur ex 1. Poſter. c. 8. t. 27. Vbi per communia, intelliguntur Axiomata generalia, vt explicat ibidem Ariſtoteles, & addit: *Communia dico illa, quibus vtuntur ſcientiæ, tanquam ex ijs demonſtrantes.* Eandem doctrinam habet. 3. Metaph. t. 4. vbi ait.

4. *Omnes ſcientiæ dignitatibus vtuntur.*] Rationem inſinuat ſub finem textûs quarti iam citati, quia omnis Demonſtratio eſt & dependet ex aliquo, id eſt, ex axiomatis ſiue dignitatibus, & circa aliquid, id eſt circa ſubiectum. In eandem ſententiam l. 5. Meta. c. 3. t. 4. docet, primas demonſtrationes, quæ componuntur ex primis propoſitionibus, eſſe elementa omnium demonſtrationum, quæ componuntur ex illis. Intelligitur autem hoc effatum præcipuè quidem & propriè, de ſcientiis demonſtratiuis, vt patet ex textu, nihilominus etiam verum eſt: de omnibus aliis Artibus, vt docet Ariſtoteles. Porro communibus principiis vtuntur ſcientiæ cum reſtrictione ad ſuum obiectum, vt dictum eſt ſupra, diſtinctione prima.

5. *Communia primum, dein ſingula conſideranda ſunt*, ſumitur ex 3. Phyſ. 1.] Vbi dicitur conſideratio de propriis poſterior eſſe eâ, quæ eſt de communibus, ratio eſt, quia ordo doctrinæ poſtulat, vt à communibus ad ſingula progrediamur vt etiam docetur initio libri 1. Phyſ. & 1. de partibus Animalium

malium cap. 4. Et alioqui sæpius eadem repetenda sunt, non sine ordinis & temporis detrimento, vt bene notat Ægidius de Coninck in Præfatione de actibus supernaturalibus, vbi ait; *quosdam auctores, quia hanc methodum non seruant, eadem sæpius repetendo, per ambages sequi, quæ compendio poterant assequi.*

6. *Principium in Speculatiuis se habet, vt finis in practicis*, sumitur ex 2. Phys. t. 89. & 7. Eth. c. 8.] Sensus est, quemadmodum in rebus agendis finis propter seipsum diligitur, media autem propter finem: ita in scientiis speculatiuis principia per sese; conclusiones autem per principia cognoscit. Item eo modo principia esse causas, cur assentiamur conclusionibus in discursu scientifico, quo finis est causa eligendi medium in operatione: hinc sicuti in moralibus, finium diuersitas, constituit habitus diuersos, ita similiter diuersæ scientiæ procedunt ex diuersis principiis, & pro eorum distinctione, habitus scientiarum distinguuntur. Conuersam huius Propositionem explicabimus infra, Titulo *de Causâ Finali.*

7. *Omnis scientia virtute continetur in suis principijs.* Sumitur ex l. 1. de Cælo t. 33.] Ad eum nimirum modum, quo effectus quilibet esse & contineri dicitur in suis causis virtualiter. Ratio huius manifesta est ex ijs, quæ diximus in Præfatione de dignitate & vtilitate Principiorum.

7. *Philosophia omnibus Scientijs principia subministrat.*] Refertur ab Ammonio in Porphyrium, non procul ab initio. Ex hoc communi sapientum dicto patet vel imprimis dignitas Philosophiæ; vtpote, quod sit veluti fons quidam vberrimus omnium laudandarum artium & facultatum, ab eâque omnis rerum humanarum politia proficiscatur; nomen enim scientiæ hîc latè sumitur; prout complectitur, quam-

uis artem & facultatem. Quare non immeritò M. Tullius per apostrophen eam commendans : *Tu, vrbes*, inquit, *peperisti, tu dissipatos homines in societatem vitæ conuocasti, tu inuentrix es legum, tu magistra morum ac disciplinæ*, &c.

DISTINCTIO VII.

In eos qui negant Principia.

1. *Contra negantes Principia non est disputãdum.*] Tritum istud Philosophorum axioma sumitur ex 1. Phys c.2. t. 8. vbi Philosophus, *Vt Geometra*, inquit, *nulla contra eum remanet ratio, qui principia tollit; sed aut alterius est scientiæ, aut omnium communis; sic neque ei, qui de principijs disserit.* Intelligitur itaque & verum est pronunciatum hoc sensu: Contra eos, qui siue ex ignorantiâ, siue ex protervia, aut alio quocunque affectu, tollunt principia, non est amplius disputandum in illa scientia, cuius illi, & in quantum negant principia. Ratio est, quia cum huiusmodi hominibus nihil disputatione perficietur, cum tollant ea, à quibus veritas totius scientiæ, & series disputationis dependet; quælibet enim scientia innititur suis principiis, tanquam certis & immutabilibus suarum conclusionum fundamentis, iuxta illud,

2. *Omnis scientia supponit sua principia.* Sumitur ex 1. Post. c.1. & c. 7.t.13.] Vbi docet Philosophus, scientias non demonstrare obiectum, aut principia; sed de vtrisque supponere, quod sint, & quid sint, vt explicabitur infra. Tit.30. Dist.7. Atque hac de causa propria cuiusque scientiæ principia dicuntur Theses, siue Positiones; eò quod in quauis scien-

Digitized by Google

tia proponi ſoleant abſque probatione, vt dictum eſt, diſtinctione prima. Licet tamen contra negantes principia particularis alicuius ſcientiæ, ad altiorem ſcientiam, vt Metaphyſicam; vel etiam ad Dialecticam confugere, & ex illa dicta principia confirmare: vel etiam, ſi aliqua duntaxat ſcientia cuiuſpiam principia negentur, licebit ex aliis eiuſdem ſcientiæ principiis, quæ conceduntur, inſcium aut impudentem negatorem conuincere. Sic Metaphyſica diſputat contra negantem ſua principia, ſi aduerſarius aliquid concedat; cuius ratio eſt, quia Metaphyſica non habet aliam ſcientiam naturalem ſuperiorem, cuius ſit probare eius principia, contra negantes illa, ſicut habent aliæ ſcientiæ inferiores, quarum principia firmat Metaphyſica, &

3. *Principijs Metaphyſicæ ſublatis tolluntur omnium ſcientiarum principia.* Alexander Aphrod. 10. Metaphyſ v. 11.] Quando ergo ad Metaphyſicæ principia deuenitur, ſiſtendum eſt tandem, & ex ipſamet ſcientiâ, ea quæ negantur ſunt defendenda, ſi aliquid concedat aduerſarius: ſin autem nihil concedat, non poterit cum eo diſputatio inſtitui; poterunt tamē ſolui rationes ipſius. Eodem modo ſanctiſſima Theologia, cum non habeat ſcientiam ſuperiorem, poteſt diſputare contra negantes ſua principia, & eadem probare, ex reuelatione diuina, ſi Antagoniſtæ concedant aliquid ex reuelatis, & ex vno articulo Fidei, qui conceditur, probare alium, qui non conceditur: Si verò nihil concedant, non poterunt ijs ſufficienter probari Articuli Fidei: poterunt tamen ſolui omnia eorum argumenta contraria. Vide D. Thomam 1. p. q. 1. a. 8.

4. *Metaphyſica confirmat principia ſcientiarum.* Sumitur ex 1. Poſter. c. 7. t. 27. & ex 1. Metaph. c. 2.]

Confirmat Metaphysica, & defendit aliarum scientiarum principia, non formaliter, quatenus principia sunt: Sic enim sunt naturaliter nota per se immediate & sine discursu, atque ita versatur circa ea Habitus principiorũ, qui intellectum reddit promptum & facilem ad assentiendum illis; sed prout sunt aliquo modo conclusiones. Facit enim Metaphysica, vt cum aliquo discursu nouo, & per nouum medium illis assentiamur: vnde etiam auget certitudinem intellectûs circa illa, non intensiuè, quatenus principia sunt; quia, vt sic, certitudo eorum est maxima, iuxta illud,

5. *Cognitio nulla certior est cognitione principiorum.*] S. Thomas in Posteriora Aristotelis; sed auget illam, quatenus nouo modo principia cognoscũtur, per discursum, vt dixi. Porrò Metaphysica versatur 4. modis circa principia, iuuando & confirmando intellectum in assensu eorum, 1°. explicando terminos, vel per diuisionem, vel per descriptionem. 2°. demonstrando principia per causas externas, vt per finalem, efficientem, exemplarem. 3°. reflectendo se super lumen naturale, quo cognoscitur veritas principiorum; dum enim considerat, illud lumen esse participationem luminis diuini, ideôque in assensu principiorum non posse falli, augetur certitudo, quo assentitur principijs. 4. deducendo ad impossibile eum, qui negat principia aliarum scientiarum. Atque hinc rectè dictum est istud,

6. *Metaphysica maximè est veritatis contemplatrix.*] 2. Metaph. t. 3. patet ex superioris Proloquij explicatione.

7. *Prima negantes principia difficilè sanantur.* Elicitur tum ex 1. Phys. c. 2. tum ex 11. Metaph. cap. 7.] Causa est, quia rationem non admittunt, & omnem legitimæ disputationis materiam perimunt, vt loco

proximè citato docet Aristoteles. Vnde & alibi inquit, absurdum esse, ratione contendere cum ijs, qui non merentur rationem, sed multam: quippe fustibus potius, quàm rationibus permouendi.

PARS SECVNDA.

De Ente & eius Passionibus.

TITVLVS SECVNDVS.

De Ente & essendi modis in communi.

DISTINCTIO PRIMA.

Explicatio quorundam Terminorum.

1. ENS latissimè sumptum diuidi solet in reale & rationis; sed hæc diuisio est potius nominis, quam rei: quia Ens reale & rationis non habent vnũ conceptum, seu conuenientiã formalem.

2. Diuidi solet in Ens per se & Ens per accidens: quæ diuisio etiam à propriis Entis realis diuisionibus excludenda est: quia Ens per accidẽs non est Ens, sed Entia. Est enim aggregatum per accidens ex pluribus Entibus.

3. Ens reale & per se immediatè duplicem habet significationem. Primò est idem, quod existens actu, & sumitur participialiter, à verbo Sum. 2°. est idem, quod habens essentiam realem, & sumitur nominaliter, alias Entis diuisiones trademus suo loco.

4. Res & Ens idem omninò significant, Res enim dicitur id, quod est verum & non fictum, seu quod habet realem entitatem: Ens, quod habet realem essentiam.

5. Essentia realis dicitur, cui non repugnat existere à parte rei. Hæc est duplex, potentialis & actualis.

6. Existentia est actus constituens essentiam in ratione actualis entis, à sua causa actualiter; siue, vt loquitur Suarez, Existentia à parte rei est ipsa essentia actualis, existens extra suas causas.

7°. Essentia, Quidditas, & Natura rei differunt hoc modo. Essentia dicitur in ordine ad esse; Quidditas in ordine ad definitionem; Natura in ordine ad operationem.

8°. Essentia & Entitas in hoc differunt, quod Essentia consistat in indiuisibili: Entitas verò possit suscipere magis & minus v.c. in calore vt 4. tàm est perfecta essentia caloris, quàm in calore vt 8. Est tamen in calore vt 8. plus entitatis.

DISTINCTIO II.

Axiomata de Esse Entis generalissima.

1. *Quodlibet est, vel non est.* 4. Metaph. t. 27. & 28.] Est hoc primum principium affirmatiuum absolutum de Esse rei, quo significatur naturalis & necessaria immediatio contradictoriè oppositorum; talis nempe, vt impossibile sit, inter illa cadere aliquod medium. Ea namque definiuntur contradictoria, inter quæ, comparatione alterius nullum datur medium; & quorum alterum de quouis siue ente, siue non ente affirmari potest. Vis huius

Digitized by Google

Axiomatis clariùs isto Pronunciato exprimitur:

2. *Necesse est, quodlibet esse, vel non esse.* ibidem.] Id est, ex contradictoriis, necessariò altera pars est vera, altera falsa: quia enim opposita contradictoriè absolutè diuidunt verum & falsum in omni materia proposita, necesse est alteram partem esse veram, alteram verò falsam; cum nullum dari possit medium, vt docet Aristoteles ibidem: verba ipsius sunt. t. 27. *At vero nec inter contradictionem possibile est, quicquam medium esse: sed necesse est, dicere aut negare vnumquodque de vno;* ex quibus verbis desumptum est etiam istud:

3. *De quolibet verum est dicere, est, vel non est.*] Fundatur hoc in axiomate primo; quia enim quidlibet est, vel non est, ideo de quolibet verum est dicere, est vel non est: inseruit autem hoc axioma, 1°. demonstrationi ostensiuæ, quam ingreditur explicitè & expressis verbis, cum sui determinatione ad certam aliquam & particularem materiam, hoc modo v. c. De quouis corpore naturali verum est dicere, moueri, vel non moueri; sed omne elementum est corpus naturale; Ergo de omni elemento verum est dicere, moueri vel non moueri. 2°. inseruit demonstrationi ducenti ad impossibile, quam ingreditur virtute tantum, id est, vim suam exercendo in illâ, hoc modo: Neget aliquis hanc propositionem esse veram: Homo est risibilis, sumo contradictoriam illius: Nullus homo est risibilis, & sic argumentor. Nullus homo est risibilis, omne rationale est homo, ergo nullum rationale est risibile; quæ conclusio in Celatent, est falsa, ergo & altera præmissarum erit falsa: non minor, quia est manifestè vera, ergo maior, quam tu dixisti esse veram: quod si hæc maior est falsa, ergo etiam illius contradictoria, quam primò negasti, est vera; aut debes concedere duo con-

tradictoria esse simul vera & falsa.

4. *Necesse est, idem affirmari, vel negari de eodem,* ibidem t. 27.] vt patet ex verbis citatis, axiomate 2. & 1. Post. c. 8. t. 26. vti præcedens Effatum fundatur in primo, ita præsens in secundo. Quia enim necesse est, quodlibet esse, vel non esse; ideò etiam necesse est, idem vel affirmari verè de eodem, vel verè negari; sicuti absolutè, ex eo, quod res est, vel non est, verum est dicere absolutè, est, vel non est.

5. *Nullum Ens simul est, & non est.* 4. Meta. t. 8.] Est hoc primum principium negatiuum absolutum, quod similiter fundatur in absoluta repugnantia contradictoriorũ; de qua repugnantia, déque conditionibus ad veram contradictionem requisitis agetur infra, Titulo *de Oppositis*. Vis huius Axiomatis potentius exprimitur & exercetur isto Pronunciato:

6. *Impossibile est, idem simul esse & non esse,* ibidem tex. 8.] Est hoc simpliciter primum, & absolutè notissimum Principium in omni scientia humana, speculatiua & practica, de quo subdit Aristoteles t. 9. *Nos autem nunc accepimus, tanquam impossibile sit, de eodem, simul esse, & non esse, & per hoc demonstrauimus, quod certissimum hoc cunctorum principiorum est.* Ratio est, quia ex illo confirmantur & demonstrantur vltimatò, non modo conclusiones omnes; sed etiam principia alia, cuiuscunque sint generis saltem quoad nos; primariò quidem & principaliter, per reductionem ad impossibile; secundariò autem, & minus principaliter, per demonstrationem ostensiuam, vt patet ex huius distinctionis numero 3. Vnde rectè Leonardus Lessius, l. 5. de Perfectionibus Diuinis, cap. 2. ait, hoc esse, *Principium omnis ratiocinationis, in quod omnis ratio, omnisque disputatio vltimò resolnitur.* Quando enim Aduersarius eò redu-

ctus est, vt cogatur concedere, idem esse simul, & non esse, ibi sistitur, vt inquit Suarez; nec quicquam potest adferri impossibilius; omnes siquidem, auditis terminis, lumine naturali statim intelligunt, fieri nullo modo posse, vt ea, quæ sibi contradicunt, simul subsistant. Vide infra. Tit. *de Bono*, explicationem illius: *Omne bonum est amplectendum.*

7. *De nullo simul verum est dicere, est, & non est*; sumitur ex 4. Metaph. t. 27. & 28.] Fundatur in primo axiomate negatiuo absoluto: quia enim nullum Ens simul est, & non est, ideo de nullo simul verũ est dicere, est & non est. Ingreditur hoc principium aliquando formaliter seu explicitè demonstrationem; vt si Physicus sic argumentetur: de nullo corpore simul verum est asserere, moueri & non moueri; sed dicere, hominem ambulare, & non moueri, est asserere, idem corpus simul moueri & non moueri; ergo dicere, hominem deambulare, & non moueri, est asserere, idem corpus simul moueri & non moueri; ergo dicere, hominem deambulare, & non moueri, non est verum. Aliquando virtute tantum ingreditur demonstrationem vim suam exercendo: in illis videlicet demonstrationibus, in quatum conclusione vnum affirmatur, & oppositum negatur; v. c. si concludendum sit, Petrum esse animal, & non esse non animal, in maiori exercebitur vis huius principij hoc modo: omnis homo est animal, & non est non animal; Petrus est homo: ergo est animal, & non est non animal.

8. *Impossibile est, idem de eodem simul affirmari & negari*, ibidem, & 1. Post. c. 8. t. 26. & 27.] Fundatur in secundo axiomate negatiuo, de impossibili; quia enim fieri non potest, vt idem simul sit, & non sit, etiam fieri non potest, vt idem de eodem simul verè affirmetur & negetur. Nam veritas affirmationis &

negationis fundatur in veritate essendi, vt dicetur infra, Titulo de Veritate. Omnia hæc axiomata l. 4. Metaph. à textu 8. fusè, per multos paragraphos à Philosopho explicantur. Vide Hurtadum disp. 3. Metaph. sect. 3.

DISTINCTIO III.

Axiomata de eodem Esse minus generalia.

1. *IPsum Esse maximum Dei beneficium.* Sumitur ex l. 8. Eth. c. 11. sub initium.] Vbi Philosophus amicitiam paternam, beneficiorum magnitudine ab alijs differre, & multis partibus anteire, docet ex eo; quia pater est causa essendi, *quod maximum esse videtur.* Nihil enim est actu bonum, & perfectum, nisi quod actu est, & in quantum est: ideo D. Dionysius cap. 5. de Diuinis nominibus, inquit, *ipsum esse est maximum omnium perfectionum, quas à Deo accepimus;* Ex quibus Dionysij verbis desumptum est istud commune Pronunciatum:

2. *Ipsum Esse est perfectio perfectionum omnium.* Indicatur à S. Thoma, q. 20. de veritate, ar. 2. ad 3.] Vbi Dionysij verba interpretatur, aitque: Esse dici nobilius, quàm viuere vel intelligere, si comparatio fiat, separato per intellectum, Esse, à Viuere: quo etiam sensu, si comparatio fiat inter existentiam præcisè conceptam, vt modum (siue à parte rei ille distinctus sit, siue ratione tantum, de quo controuertunt Philosophi), & essentiam actu existentem; sic essentia concipitur, vt quid perfectius; quia concipitur, vt id, quod est actu in rerum natura, extra suas causas.

3. *Omnis nobilitas cuiusque rei est sibi secundum esse.*

Digitized by Google

Item refertur à S. Thoma, l.1. cont. gen. c. 28.§.1.] Verum est sub hac distinctione; vel secundum esse naturale, si consideretur nobilitas naturæ; vel secundum esse morale, si spectetur dignitas morum; vel secundum esse supernaturale, si eius excellentiæ ratio habeatur; vel denique secũdum omnia, vel aliqua simul. Ex eo enim modo quo res est, nobilitas cuiusque æstimatur. Sic nobilior est sapientia, quàm scientia, & Caritas quam Timor, quia eorum esse nobilius est; nec sapientia v.c. amplius in se habet, quàm ei suum esse tribuit; si enim nullo modo sit, nec nomen quidem dignitatis meretur.

4. *Omne quod* creatum *est, tantò magis est, quantò similius illi, quod summè est, &*

5. *Omne, quod* creatum *est, tantò præstantius est, quantò similius illi, quod summè magnum est.*] B. Anselmus c.29. Monologij. explicat ibidem & probat: *Hinc enim fortasse, imò non fortasse; sed pro certo* (ait) *hinc omnis intellectus iudicat naturas quolibet modo viuentes præstare non viuentibus, sentientes non sentientibus, rationales irrationalibus. Quoniam enim summa Natura suo quodam modo singulari, non solum est, sed etiam viuit & sentit, & rationalis est; liquet, quod inter omnia, quæ sunt, id quod aliquo modo viuit, magis est illi simile, quàm quod nullatenus viuit: & quod modo quolibet, vel corporeo sensu cognoscit aliquid, magis est, quàm quod nihil omninò sentit; & quod rationale est, quàm quod rationis capax non est.*

6. *Non esse infinitum est malum.*] Ratio est, quia non esse tollit omne fundamentum boni, quod est proprietas entis. Intelligitur propriè & verum est, de infinito malo negatiuo: non autem de positiuo aut priuatiuo, vt sic. Cum enim hoc malum definiatur esse id, quod est alteri disconueniens, aut quod caret perfectione debitâ; perspicuum fit, id quod

absolutè non est, non esse eiusmodi malum. Atque hac de causa, quãdo malunt damnati non esse, quàm in æternum cruciari, ex duobus malis minus eligunt; deterius siquidem est, si non physicè, certè moraliter, tàm miseros esse, quam omninò non esse, hoc enim solummodo est malum negatiuum: illud verò insuper est positiuum. Vide D. Thomam 1. 2. q. 87. art. 4.

7. *Vnumquodque magis dicitur esse, cum est actu, quàm cum est potentia,* 2. Phy. t. 13.] Sensus est, vnũquodque habere nobiliorem modum essendi, cum actu existit, quàm cum est in potentia tantùm. Ratio est, quia illud dicit perfectionem actualem: hoc verò potentialitatem, vt vocant, & imperfectionem; Ens enim in potentia, non est propriè Ens; sed tantùm secundum quid, vt loquuntur Philosophi, & rectè notat Alexander de Ales in 5. Metaph. t. 5. & 14. vbi ait, *Ens in potentia non est Ens primò & per se, & per formalitatem entis, quam habet; sed tantum est Ens per quandam analogiam, quam habet ad Ens.*

8. *Prius est Esse, quam operari*: sumitur ex l. 5. Metaph. c. 1.] Intelligitur autem vel de prioritate naturæ, vel originis, vel temporis, sub distinctione: non autem necessariò de qualibet illarum; nam & Angeli boni eodem instanti, quo creati sunt, elicuerunt actum amoris Dei, vt communiter docent Theologi; Et Sol, aliáque entia naturalia, simul esse cœperunt, & operari, vel de facto, vel certè de potentiâ, vt sentiunt Philosophi; Et Pater in diuinis ab æterno, producit Filium vt ex fide certum est. Vide sup. Tit. 1. dist. 2. num. 1.

9. *Omne Ens naturaliter se in Esse cõservare desiderat.* Illud vulgare dictum citari solet ex l. 1. de Cælo c. 9. t. 100.] Sed ibi neque habetur, nec nisi obscurè admodum inde deduci potest: sensus eius verus est,

Digitized by Google

rebus omnibus à natura ingenitum esse mirum & indefatigabile sese tuendi & conseruandi studium, iuxta illud:

10. *Vniuersis expetibile atque amabile est suum esse.* 9. Ethic. c. 7.] Hinc enim est illa sollicitudo, qua salutaria & vtilia quærunt, noxiáque declinant. Hinc elementariis corporibus ad procreandum sibi simile naturalis propensio: hinc animantibus in educando fœtu cura & vigilantia: hinc litteratis hominibus tam acre studium scribendi libros: hinc Remp. tractantibus, & ijs, qui militarem vitam sequuntur, aliisque huiusmodi tam ardens desiderium relinquendi aliquod rei ab se præclarè gestæ monumentum, iuxta illud:

11. *Hominis est Spectare immortalia.* Sumitur ex l. 10. Eth. c. 7.] Vbi docet Philosophus, quemlibet cogitare debere immortalia & quoad licet, sese reddere immortalem. Cogitent hoc illi, qui animo ignauo humi perpetuò serpunt, & rebus terrenis ita affixi hærent, vt vix vnquam, aut ne vix quidem attollere mentem valeant ad cælestia; Nam & suæ dignitatis immemores sunt, & iniquè ab ipsa rerum omnium parente natura degenerant. Siquidem absolutè & vniuersim:

12. *Natura diuina immortalitatis est æmula,*] elicitur tum ex eodem textu vtroque, tum ex 2. de Anima cap. 4. t. 34. Vbi docet Philosophus: *Natura quæcunque agunt, eum in finem agere, vt participent Esse diuinum, secundum quod possunt*; videlicet quia omnes res naturales, eo modo, quo possunt, sese perficere. & tueri & ab interitu vindicare student; &, si non numero, saltem specie; si non per se, per ea saltem, quæ ad ipsas pertinent, immortalitatem obtinere nituntur, vt ita ad diuinam similitudinem, quantum fieri potest, accedant. Vide S. Thomam 1. p. q.

63. a. 3. in Corp. Hinc etiam

13. *Omne Ens naturaliter se corrumpentibus resistit.*] Elicitur ex eodem textu, & refertur ab Alberto M. in 4. Meteor. Tract. 1. c. 6. Ideo rebus omnibus naturalibus tantus mutuæ inter se coniunctionis & societatis amor insidet; Nam, vt Crassus ille Ciceronianus ait, l. 3. de Orat. *Nullum est genus rerum, quod aut annulsum à cæteris, per seipsum constare possit, aut quo cætera si careant, vim suam atque æternitatem conseruare possint.* Hinc aquæ guttulæ frondium lanugini, saxisve illatæ, confestim se in orbem affingunt, & è tegulis dependentes in rotundam figuram coëunt, dumque natiuum pondus, quod eas deorsum trahit, vincere possunt, conglobatæ cohærent; quia videlicet vnitæ & collectæ, multò fortius operantur, & aduersariorum iniurias repellunt, atque adeo incolumitatem & diuturnitatem conseruant. Vide D. Thomam 22. q. 64. a. 5. in Corp.

14. *Viuere viuentium est Esse.* l. 2. de anima. t. 36.] Vita tripliciter sumitur; 1°. vt est ipsum esse viuentis per animam, quæ est principium vitalium actionum; 2°. vt est operatio vitalis, cuius anima principium est per se, quo sensu sumpsit Aristoteles 9. Eth. cum dixit: *Viuere nil aliud esse, quàm sentire vel intelligere præcipue & proprie videtur*; Tertio modo sumitur pro collectione actionum à principio viuente prodeuntium, siue pro moribus & conuersatione, cui quispiam alluxit: de vita primo modo accepta intelligitur propriè axioma, cæteris etiam potest accommodari. Lege D. Thomam, in 5. Politic. lect. 7.

15. *Viuere inhonestis voluptatibus peius est, quam non Esse.* l. 1. Moral. Eudemiorum c. 2.] Rationem addit Philosophus ibidem: *Nihil enim distare, patet, ita affectum hominem à bruto; ita vt bos Ægyptius, quem*

vt Apin colunt, hos monarchas multis modis antecedat. Sed de hoc pluribus infrà.

16. *Qualis quisque est, taliatam dicit, quam agit, & ita viuit. 4. Eth. c. 7.*] Congruit hoc pronunciatum cum eo, quod docet Christus Matt. 12. 35. *Bonus homo de bono thesauro profert mala*: intelligitur autem & verum est, absolutè loquendo, & nisi alicuius rei gratia, quis aliter se habeat, vt ibidem explicat Aristoteles de arrogante, qui ea, quæ non insunt, & maiora quàm insunt, inaniter simulat; & de dissimulatore, qui negat, quæ sibi insunt aut imminuit: Vnumquodque autem horum fit alicuius rei gratia: at verò, *qui simpliciter nullius rei causa facit*, is, qualis est, talia tam dicit, quàm agit, & ita etiam viuit. Eodem sensu verum etiam est istud: *mores ex motionibus discernuntur*, de quo infra.

DISTINCTIO IV.

Axiomata de Essentiâ Ente.

1. *Essentiæ rerum sunt æternæ.*] Est commune & celebre pronunciatum, vt testatur Hurtado dis. 8 Metaph. s. 1. desumptum ex l. 7. Metap. t. 27. dicuntur autem essentiæ rerum æternæ, siue immortales, non quoad realitatem, extra suas causas, aut in ordine ad existentiam; sed quoad ipsius naturæ conceptum, qui de illis fundari potest, & quem de ijs habet ab æterno Deus; siue quoad esse obiectiuum, & vt sunt in potentiâ; quia necessariò sunt possibiles & objiciuntur omnipotentiæ diuinæ, vt docet Hurtado loco citato:

2. *Essentia ante existentiam nihil habet reale actu.*] Sensus est, essentia cuiusque rei possibilis, nullam in

ie habet realitatem positiuam, extra causas, ante quàm existat: Existit autem per productionem sui, in rerum natura. Elicitur ex textu iam citato, & inducatur à S. Thoma. 1. p. q. 9. a. 2. vbi ait: *Omnes creaturæ antequam essent, non erant possibiles esse per aliquam potentiam creatam, cum nullum creatum sit æternum; sed per solam potentiam diuinam, in quantum potest eas* Deus *in esse producere*: Quod autem ex eodem textu citari à nonnullis, & dici solet;

3. *Essentiæ non habent causam.*] Intelligi debet de causa efficiente, seu producente, eodem modo, quo essentiæ dicuntur esse æternæ, nimirum quoad ipsius naturæ conceptum, siue quoad Esse obiectiuum & possibile; quo sensu de ijs enunciari possunt propositiones æternæ veritatis, id est tales, vt quocumque tempore, & momento assignabili intellectus illas enunciat, siue res significatæ existant, siue non, semper sint veræ: Earum namque veritas non fundatur in esse actuali; sed in potentiali, siue in identitate terminorum, vt hominis, v. c. & animalis rationalis; quam identitatem Deus simplicissimè cognoscit ab æterno: nos autem eam cognoscimus per compositionem cõiungendo vtrumque extremum per copulam est, cum dicimus hominem ab æterno esse animal rationale; quod esse tantum pertinet ad veritatem propositionis: dicuntur autem huiusmodi propositiones æternæ veritatis; quia veritas conceptuũ, qui de illis fundari possunt, à tempore abstrahit, & est ab æterno in intellectu diuino, qui eas ab æterno concepit & intellexit actu simplicissimo: Hocigitur sensu dici possunt Essentiæ non habere causam efficientem: At verò quoad productionem sui in rerum natura, & realitatem actualem, verè causas habent & principia, à quibus in suo esse dependent, iuxta illud:

4. *Omnibus*

4. *Omnibus creaturis substantiam voluntas Dei attulit.* S. Hilarius, l. de Synodis.] Dicitur voluntas Dei substantiam attulisse omnibus rebus creatis; quia non necessariò; sed liberè omnia producit & gubernat; solus enim Deus est Ens per se necessarium, ex cuius liberâ voluntate, producitur ad extra, quidquid producitur, aut vllam in se realitatem habet, iuxta illud:

5. *Essentiam omnia habent per Ens primum.*] Aristoteles de causis, propositione 18. sine illo namque factum est nihil, & sine illius effectione, nihil est, aut aliquod esse reale in se habet, vt docet S. Augustinus l. 1. de Trin. c. 6. Quare cum v.c. generatur Petrus, substantia & essentia Petri à generante, & à primâ causâ concurrente accipit esse reale, quod incipit existere extra suas causas, cum ante non existeret, nec vllam in se, extra causas, realem essentiam haberet.

6. *Nihil est prius essentiâ rei.*] Vulgate istud dictum intelligitur hoc sensu: Res vt est completa in suo Esse nihil habet prius, quàm suam Essentiam; nimirum in ordine ad proprietates & accidentia, quæ essentiam consequuntur: hæc enim est fundamẽtum omnium aliarum perfectionum, vt docet D. Thomas q. 20. de Veritate a. 2. ad 3. In ipsa tamen re priores sunt partes essentiales, quàm tota essentia, v. c. prior est materia & forma hominis, quàm ipse homo, quia ex eo, quod sit homo, licet inferre: ergo est materia & forma: non autem contra; Et ratio est, quia omnis causa est prior suo effectu, vt explicabitur infra, Titulo *de causis in genere*; sed partes essentiales sunt causa intrinseca cõpositi, ergo sunt illo priores.

7. *Essentiæ consistunt in indivisibili*: sumitur ex 8. Metaph. c. 5. t. 11.] Non ita intelligitur, quasi omnis essentiæ indivisibilis sit, & nullis constet partibus,

nam & totum essentiale metaphysicum diuiditur in genus & differentiam, & omne compositum physicum in materiam & formam veluti in partes essentiales; sed sensus est. Conceptum essentialem cuiuscunque rei consistere in indiuisibili, nec posse rerum essentias intendi vel remitti, aut magis minusve accipere quoad partes essentiales, id est, quoad genus & differentiam, vel etiam quoad materiam & formam præcisè, & vt sic prout partes essentiales sunt, siue quoad prædicata essentialia; quo sensu calor vt 1. tam est perfectè calor, quoad essētiam caloris, quàm calor vt 8. & infans 8. dierum æquè est essentialiter homo, ac vir quinquagenarius, vt clariùs patebit ex ijs, quæ dicemus Titulo *de Perfectione*. Eadem ratione verè dicitur istud,

8. *Essentiæ se habent sicut numeri.* Elicitur ex eodem textu.] Quemadmodum enim ternario v.c. addi non potest, vel demi vnitas, vt nihilominus maneat ternarius; ita neque essentiæ alicuius rei addi potest, vel subtrahi gradus aliquis essentialis, quin mutetur & destruatur essentia: sic v. c. Leoni non potest addi, vel demi perfectio essentialis, vt nihilominus maneat Leo; Essentia enim est propriè id, quo primò aliquid constituitur intra latitudinem Entis realis, vt distinguitur ab Ente ficto, & in vnoquoq; Ente particulari, Essentia eius dicitur id, ratione cuius in tali gradu & ordine entium constituitur: quo modo dixit M. Augustinus l. 12 de Ciuit. Dei: *Auctor omnium essentiarum alijs dedit esse amplius, alijs minus, atque ita naturas essentiarum gradibus ordinauit.* Quare si alicui essentiæ particulari gradus aliquis essendi vel addatur, vel auferatur, non poterit manere eadem essentia: At verò

9. *Entitas rei potest suscipere magis & minus.* Sumitur ex capite de Qualitate.] Si nimirum res illa de se

capax sit augmenti vel decrementi, qualis non est substantia spiritualis, vel punctum indiuisibile; & si aliunde non sit impedimentum; tunc enim potest res, quoad entitatem, fieri maior vel minor, vt cum linea bipedalis fit tripedalis, essentia lineæ essentialiter non augetur, fit tamen ipsa maior integraliter, & augetur ipsamet entitas essentiæ. Atque hoc sensu intelligi debet pronunciatum; vnde maioris claritatis gratia proponi solet istud:

10. *Nullares suscipit magis aut minus essentialiter, sed entitatiuè.* Sumitur ex cap. de Substantia.] Dicitur hoc effato coniunctim, quod in præcedentibus diuisim, videlicet nullius rei essentiam posse intendi & remitti, vel magis minusve suscipere in ratione Essẽtiæ: posse tamen in ordine ad entitatem, siue integritatem aut accidentalem perfectionem, vt videre licet in substantiis materialibus, in Quantitate, Qualitate, & alijs. Ratio vtriusque patet ex dictis tũ præsenti distinctione, tum etiam distinctione prima. Videri potest Suarez Disp. 46. Metaph. sect. 1. n. 12.

DISTINCTIO V.

Axiomata de Existentia Entis.

1. *Existentia est nobilissimus actus essentiæ.* Elicitur ex verbis D. Dionysij, c. 3. & 5. de diuinis Nominibus.] Ratio pronunciati est, quia per existẽtiam constituitur essentia rei actualiter & realiter in rerũ natura extra suas causas, cum ante tãtum haberet esse possibile, seu potẽtiale in causis; quia enim essẽtia creaturæ nõ hoc necessariò habet, vt sit actualis entitas, extra suas causas existens; propterea quando recipit entitatẽ suã realẽ, cõcipitur aliquid esse in ipsa quod sit ipsi formalis ratio essendi extra causas, & il-

lud sub tali ratione appellamus Existentiã; quæ licet in re non sit distincta ab ipsamet entitate essentiæ: (vt sentiunt multi & graues auctores) sub diuersa tamen ratione & descriptione à nobis concipitur, id quod ad distinctionẽ rationis sufficit. Dicitur autem existentia actus essentiæ nobilissimus, tum ob rationem positam; tum quia id est nobilius, quod in dignitatis gradu magis accedit ad nobilissimum; sed existentia maximè accedit, iuxta illud:

2. *Existentia creaturæ est præcipua participatio diuini esse.* D. Dionysius c. 3. de diuinis Nominibus.] Ita enim actuat ipsum esse creaturæ, vt per Existentiam omnem habeat perfectionem sibi naturalem, secundum quam Deo quadantenus assimilatur; nihil siquidem est actu perfectum, nisi quod actu est, siue existit: propter quod S. Thomas dixit, 1. p. q. 4. a. 1. ad 3. *Ipsum esse est perfectissimum omnium; comparatur enim ad omnia vt actus; nihil enim habet actualitatem, nisi in quantum est: vnde ipsum esse est actualitas omnium rerum, & etiam ipsarum formarum.* In eandem sententiam S. Dionysius c. 5. de diuinis nom. inqnit: *Ipsum esse est maximum omnium perfectionum, quas à Deo recepimus*; vt explicatum est supra Distinctione tertia.

3. *Deus est sua existentia.*] Commune istud pronunciatum Theologicum facit ad explicationem præcedentium; sensus illius est: Deum esse essentialiter & quidditatiuè suam Existentiam, quemadmodum creaturæ essentia realiter & identicè est idem cum sua Existentia, vt docet Suarez, Hurtado, & alij: Cum hoc tamen discrimine, quod Deus sit sua existentia independens & imparticipata: creatura verò sit sua existentia dependens & participata; quia scilicet creatura illam à seipsa non habet, sed ab extrinseco recepit, licet

ab ea constituatur essentialiter realiter extra suas causas.

4. *Existentia est vltima rei actualitas*, refertur à D. Thoma, q. vnicâ, *de anima*, a. 6. ad secundum,] Sensus est: Existentia actualis est vltimus actus siue actualitas essentiæ, vel physicè & secundum rem, vt existimat S. Thomas & alij. qui volunt Existentiam realiter distingui ab essentia; vel metaphysicè & secundum rationem, vt explicat Suarez & alij, qui docent essentiam & existentiam sola ratione ratiocinata distingui, idque respectu prędicatorum essentialium, quatenus vnum comparatur ad aliud, vt actus ad potentiam metaphysicam; quia existentia constituit in actu, totam essentiam includentem omnia prędicata essentialia, & est id, quod nostro modo concipiendi vltimò aduenit essentiæ, in constituenda intrinsecâ & actuali Entitate rei; Et iuxta hunc sensum, non *omnis Existentia est à formâ*; sed

5. *Qualibet res, vt suam essentiam habet, ita & Existentiam.*] Proponitur à Suarez, Hurtado, & alijs huius sententiæ auctoribus. Ratio est, quia existentia est omninò idem realiter cum essentiâ actuali; non enim potest res intrinsecè & formaliter constitui in ratione Entis actualis, per aliquid à se realiter distinctum; quia hoc ipso quod vnum ab alio distinguitur, tanquam Ens ab Ente, vtrumque habet, quod sit Ens, & quidem distinctum ab alio; ac proinde non potest intrinsecè constitui, & formaliter esse Ens, per illud aliud, ac per consequens, neque existere per Existentiam alienam. Hinc etiam illud vulgare.

6. *Vnius rei vna est Existentia.*] Intelligitur & verum est de Existentiâ adæquatâ, & proportionatâ illi rei, cuius est Existentia; atque ita, & animæ, & humanitatis & hominis vnum est esse, & existere respectiuè, vt sic dicam; quamuis absolutè & in se non

sit vnum & idem esse seu Existere illorum omnium; nam reuerà

7. *Quale est esse rei, tale etiam existere.*] Vt si esse rei sit substantiale, etiam existere erit substantiale, quod ex naturâ suâ postulat modum subsistendi; si essentia sit accidentalis, existentia quoque accidentalis erit, quæ postulat modum inhærendi: si essentia sit entis completi, existentia completa siue totalis erit; sin incõpleti, erit incompleta & particularis. Sic materia & forma, cum sint entia physicè incõpleta, existunt incompletè: at verò compositum physicum existit completè, cum sit ens vnum completum, vt rectè notauit Scotus in 4. dist. 11. q. 3. §. *ad rationes*, vbi etiam addit, se non intelligere istam fictionem, quod esse, siue existere sit quid superueniẽs essentiæ, non compositum, etiamsi essentia esset composita, vt volunt aliqui; *Quod ego etiam* (inquit Suarez d. 31. Metaph. sect. 11. in fine) *non intelligo, cum sufficienter constet ex dictis, verum esse non posse.*

DISTINCTIO VI.

De Subsistentia & Inhærentia.

1. *Existentia rem statuit in actu, Subsistentia complet.*] Est communis sententia Philosophorũ, de qua prolixè disserit Suarez dis. 34. Met. sect. 4. Hurt. disp. 10. Met. sect. 5. & alibi. Pars prior patet ex dictis de existentia, Posteriorem explico & probo. Subsistentia est terminus substantialis vltimo complens naturam substantialẽ, & faciẽs eam per se subsistẽtem ac incommunicabilem; vel est vltimus actus siue complementum individui substantialis, quo subsistit per se & incommunicabiliter. Subsistere autem

est per se existere independenter ab alio sustentante, vt bene docet Suarez disp. 34. sect. 5. n. 1. Ratio est, quia per existentiam res solum est extra suas causas, & adhuc suo modo indifferens, vt existat per se, sicut substantia, vel in alio, sicut accidens, vt mox pluribus explicabitur, ergo ad alterũ horũ debet determinari. Ad existẽdum per se determinatur substãtia per subsistentiam; ad existendum in alio determinatur accidens per inhærentiam, quo sensu verum est illud:

2. *Subsistentia ad substantiam se habet, sicut Inhærentia ad accidens.* Traditur à Suarez loco cit.] Hæc autem est modus accidẽtis, vt v. c. Inhærentia quantitatis in materia, qualitatis in forma, ergo similiter illa est modus substantiæ. Etenim sicuti inhærentia modaliter afficit existentiam accidentalem, vt à subiecto pendeat, ita subsistentia est modus illi oppositus afficiens existentiam substantialem, vt per se existat & ab alio non dependeat. Loquor autem hîc de ijs accidentibus quæ sunt entitates propriè dictæ, cuiusmodi est virtus scientia, calor, frigus, & cæteræ qualitates ac quantitates; nam modi accidentales, cuiusmodi est ipsa inhærẽtia seipsis immediatè afficiũt subiectum, alioqui daretur processus in infinitum.

3. *Subsistentia est ratio perfectatis.* Traditur à Suarez & ab Hurt. loc. cit.] Licet enim existentia substantiæ per se sit independens à subiecto inhæsiuè, & aptitudinalis subsistẽtia de essentiali illius ratione sit; sicuti de essentia accidentis est dicere aptitudinalem inhærentiam & habitudinem ad substantiam, vtraq; tamen præcisè considerata nondum determinata omninò est vel ad essendum in se, & per se, vel ad existendũ dependenter ab alio, atque hinc infert Suarez naturã per se subsistentẽ reddi incõmunicabilem, etiã de potẽtia Dei absoluta alienosuppositio, ita nimirũ, vt omnino incapax sit alterius subsistẽtiæ, & nullo modo

sustentari possit, aut amplius cõpleri ab alio in genere substantiæ, intellige reduplicatiuè quatenus est & manet suppositum, quia in ratione suppositi includitur, vt sit vltimo terminatum, ergo non potest vlterius terminari ab alio.

4. *Suppositum est substantia completa incommunicabilis.*] Ita communiter definiunt Theologi cum Magistro sententiarum, Fonseca in caput 8. libri 5. Metaph. quæst. 5. sect. 3. Hurt. disp. Met. 11. sect. 2. Suarez & alij, significatur hoc pronunciato effectus formalis subsistentiæ, qui est constituere compositum cum indiuidua natura substantiali, id est ens incommunicabiliter subsistens. Tametsi enim substantia præcisè secundum essentiam suam considerata postulet existere per se, & non in alio, tanquam subiecto inhæsionis, sicuti accidens iuxta ea quæ dicta sunt, non tamen habet vltimum terminum substantialem, neque completè per se, & independenter subsistit actu natura substantialis absque subsistentia, idque patet ex ipsa nominis etymologia, quæ Græcè Hypostasis dicitur à subsistendo, Latinè subsistentia, siuè suppositalitas. In natura intellectuali dicitur Personalitas, vt mox videbitur. Atque hinc sequitur Primo omnia animalia bruta ad corpora, siue mixta, siue simplicia esse proprie dicta suppositа. Sequitur secundo nullum accidens esse aut dici debere suppositum, sed potius appositum, quia apponitur & immittitur suppositis.

5. *Persona est rationalis naturæ indiuidua substãtia.*] Ita communiter definiũt Philosophi & Theol. cum Boëtio Hurtado disp. cit. sect. 1. §. 3. Suarez lib. 1. de Sanctissima Trin. cap. 1. num. 2. D. Thomas, & alij. Hinc sequitur solos Angelos & homines esse personas creatas. Hæc tamen definitio etiam rectè extenditur ad personas Sanctissimæ Trin. Etenim in

Deo verè & propriè eſt ratio perſonæ ſecundum perfectiſſimum huius vocis ſignificatum. Vnde & Cicero lib. de natura Deorum dixit in Deo & homine perſonam conſiderari. Natura vero rationalis hîc non ita preſsè accipitur, prout diſcurſum denotat, ſed prout ratio generalius accepta quamcunque vim intelligendi ſignificare poteſt, vt idem ſit natura rationalis quod intellectualis, qua voce vti maluit Richardus de S. Victore. Ita explicat D. Thomas 2.2. quæſt. 83. art. 10. ad 2. Vide etiam Suarez diſp. 34. Metaph. ſect. 1. num. 14.

DISTINCTIO VII.

De ipſo Ente generatim.

1. *OMne Ens vel à ſe eſt, vel ab alio.*] Commune iſtud effatum Theologorum, ac Philoſophorum vſurpatur à magno Auguſtino l. de Cognitione veræ vitæ c. 7. ad oſtendendum ex eo, Deum eſſe; & fusè explicatur à Suarez, d. 28. Metaph. ſect. 1. num. 6. Veritas eius clara videtur ex terminis: Nam omne Ens vel eſt à ſe ipſo, ita ſcilicet vt aliunde non pendeat, quoad ſuum Eſſe; vel non eſt à ſeipſo; ſed pendet ab alio: inter pendere autem & non pendere non datur medium; ergo neque inter Ens à ſe, & Ens ab alio, illi contrapoſitum, ſeu pendens ab Ente à ſe Pulchrè tradidit hoc Triſmegiſtus c. 14. Pimandri *Sermonis*, inquiens, *varietate, vanitate que dimiſſâ duo: hæc imprimis meditari oportet, genitorem ſcilicet & genitum: Horum nihil eſt medium, nec quicquam præter hæc aliud*: Hæc ille, nomine genitoris, quem ingenitum eſſe vult, intelligens Ens à ſe: nomine geniti autem, Ens creatum ſiue productum ab alio, iuxta explica-

tionem propositam.

2. *Omnis substantia, quæ Deus non est, Creatura est*, &

3. *Omnis substantia, quæ Creatura non est, Deus est.*] S. Augustinus l. 1. de Trin. cap. 6. & refertur inter sententias D. Augustini à D. Prospero collectas, numero 5540. Veritas vtriusque manifesta est, per explicationem præcedentis. In eandem sententiam Iustinus Martyr in Fidei expositione, circa initium: *Res ipsas*, ait, *quæ sunt, dividamus; reperiemus namque omnia ita esse dispertita, vt vel creata sint, vel increata*; Nam;

4. *Quidquid in rebus extat, aut creata est natura, aut increata.* S. Iustinus, ibidem.] Similia habet Cyrillus apud Cyparissiotam, decade 8. cap. 10. vbi fusè & luculenter docet, inter creaturam, & non creaturam, nihil funditus interijci medium posse, multaque ex alijs Patribus in eandem sententiam adducit, additque ibidem, quosdam fuisse errones, qui intermedium nescio quid inter Ens creatum & increatum commenti fuissent; quod in Eugubino, tale quid viso asserere, de cælo empyreo, multi acriter damnarunt.

5. *Ens in potentiâ simpliciter est non Ens.*] Per Ens in potentiâ intelligitur hîc omne illud, quod cum existere possit, non existit: hoc autem dicitur simpliciter non Ens; quia simpliciter non est actu, sed in potentiâ tantum; quæ ratio clarè traditur 9. Meta. c. 3. vbi Philosophus ait: *Non enim quædam potentiâ sunt, quoniam Entelechiâ*, (id est actu) *non sunt.* In eundem sensum S. Thomas 1. p. q. 5. a. 1. ad 1. *Dupliciter*, inquit, *dicitur aliquid Ens, vno modo simpliciter; quia scilicet est Ens actu; alio modo secundum quid, quia est ens potentia*, vbi eandem reddit rationē, quam Aristoteles, inferens negationem entis simpliciter, ex negatione existentiæ: Astipulatur Thomas alter ibidē:

Digitized by Google

Quæ ſunt, aiens, *in potentiâ, non ſunt, & ſicut excludũtur à numero Entium, ita excluduntur à numero omnium.* Quæ phraſis latè confirmari poſſet ex ſacris litteris & profanis; ſed ſufficiat hoc loco auctoritas S. Thomæ & Ariſtotelis.

6. *Entis diuerſæ ſunt ſpecies.* Sumitur ex 1. Phy. c. 3. t. 13. & 5. Metaph. c. 7. t. 14. & alijs.] Verum eſt pronunciatum, ſi per ſpecies intelligantur termini minus communes : non autem neceſſariò ſpecies propriè dictæ; Ens enim non eſt genus reſpectu ſuorum inferiorum ſecundum communiorem ſententiam, & ſecundum iſtud :

7. *Ens non eſt vniuocum, nec æquiuocum.* Sumitur ex 7. Meta. t. 15.] Nempe reſpectu omnium ſuorum inferiorum, à quibus participatur; conuenit enim Entibus inferioribus non omninò æquiuocè, cum omnia verè & eſſentialiter ſint entia : nec etiam omnibus conuenit vniuocè; Quædã enim ſubſtãtiæ ſunt, quędã accidẽtia, quædã item modi ſubſtantiarũ & accidentiũ; ſed analogicè, vt colligitur ex eodem textu, vbi ita ratiocinatur Philoſophus : aut res omnes dicũtur æquiuocè entia, aut vniuocè (quod ſupplet Alexãder) aut cum adiectione & detractione: Eſt autem rationi conſentaneum, vt non dicãtur æquiuocè; cum magis, quàm ſolâ nominis ſocietate conueniant: neque etiã vniuocè; quippe cum ratio accidẽtiũ, quatenus entia ſunt, includat ſubſtantiam, non item ratio ſubſtantiæ accidentia, vt patet ex c. 1. eiuſdẽ libri; igitur dicũtur Entia, cũ adiectione & detractione: quo pacto homo dicitur ſimpliciter & ſine adiectione Medicus: cętera autẽ, quæ idẽ nomẽ participãt, non niſi cũ adiectione medica vocantur, vt medica herba, curatio medica, &c. Cũ hoc tamẽ diſcrimine, quod ratio medici iſtis nõ cõueniat, niſi extrinſecè: at verò ratio entis oĩbus accidẽtib⁹ cõuenit intrinſecè. Dixi reſpectu omnium

inferiorum; quia respectu aliquorum non est analogum. Species enim eiusdem generis, v. c. homo & equus; Et indiuidua eiusdem speciei, v. c. Petrus & Paulus vniuocè conueniunt in ratione Entis, vt bene notat Fonseca in c. 2. lib. 4. Metaph. q. 1 sect. 5. Vide Suarez d. 28. Metaph. s. 3. & d. 32, sect. 2.

8. *Entia non sunt multiplicanda sine necessitate.*] Est commune axioma Philosophorum, ratio illius est; quia Deus & Natura nihil agunt frustra, vt docetur l. 1. de Cælo cap. 4. Nec quicquam patiuntur otiosum, vt docetur l. 2. de part. animalium c. 13. sed omnia, quæ fiunt, propter aliquem finem fiunt, vt colligitur ex l. 7. Metaph. c. 2. de quibus effatis singulatim agemus infra. Titulo *de Causâ Finali*, sensus propositi axiomatis clarè satis à Philosopho exprimitur, l. 3. de Partibus animal. c. 4. his verbis: *Vbicunque fieri potest, vnum quàm plura esse, melius est.* Idem asseritur 8. Physic. t. 48.

9. *Quidquid potest fieri per pauciora, non debet fieri per plura.*] Sumitur tum ex locis proximè citatis, tum ex libro de senectute & iuuent. cap. 11. sequiturque ex axiomate præcedente; quia enim entia non sunt multiplicanda sine necessitate, propterea non oportet id fieri per plura, quod fieri potest per pauciora: Est autem verum, si per pauciora res æquè commodè expediatur, atque per plura; alioqui non semper habet locum. Vide Suarez d. 34. Metaph. sect. 4. n. 33. & disp. 35. sect. 6. n. 25. Hurtado disp. 11. Metaph. n. 41. & alibi.

10. *Omne Ens est alicui conueniens.*] Elicitur ex l. 1. Ethic. c. 6. patet inductione omnium: siquidem omne Ens accidentale bonum est, seu conueniens alicui substantiæ; & omne Ens substantiale bonum est, seu conueniens alicui substantiæ vel accidenti: sic & actus praui sunt absolutè boni effectibus quos pro-

ducunt, vt habitibus, & motibus externis quos imperant : item sunt physicè boni potentiæ passiuæ ipsorum, quæ physicè perficitur per illas. Intelligitur itaque & verum est, non de qualibet bonitate siue conuenientiâ, siue naturalis illa sit, siue moralis; sed de bonitate & conuenientiâ Entis vt sic, quam omne Ens habere censetur, hoc ipso, quod Ens est; Ens enim & bonum inter se conuertuntur, vt docent Metaphysici; & omne bonum dicit conuenientiam, sicuti omne bonum est appetibile alicui, vt fusiùs explicabitur, Titulo *de Bono*.

11. *Ens omne, quantò est perfectius, tantò operatur nobilius*, refertur à S. Thomâ in l. 8. Physicorum lectione 21. t. 79.] Ratio est, quia sicuti se res habet ad Esse, ita etiam ad operari : Modus enim operandi sequitur modum essendi, & vnumquodque est propter operationem, ac habet aliquam actionem, vel officium sibi proprium. propter quod à naturâ est institutum ; quo sensu rectè dixit Commentator 9. Metaph. t. com. 7. Entia si non habent proprias actiones, nec habebunt essentias proprias : sed de his plura, Titulo *de Causa efficiente*.

12. *Entia nolunt malè gubernari.* 12. Metaph. c. 10.] Ratio est, quia omne Ens naturaliter, & eo modo, quo potest, vult siue intendit suum bonum, quod per malam sui dispositionem, seu gubernationem destruitur, vt fusius explicabitur infra, Tit. *de Causâ primâ*, vt est Gubernator. Plura huiusmodi effata referri huc possent ; sed quia alibi magis proprius eorum locus est, eò remittenda censuimus.

Digitized by Google

TITVLVS TERTIVS.

De Ente Vno.

DISTINCTIO PRIMA.

Quid Vnitas sit, & quotuplex.

1. VNITAS in genere est negatio diuisionis; id enim dicitur Vnum, quod non est diuisum, seu indiuisum in se, & per consequens non diuisum quidem, si propriè loquendum sit; sed distinctum ab alio. Etenim Christus habet corpus vnum, & animam vnam; quæ tamen non habent diuisionem inter se; cum sint vnita; sed distinctionem. Vt bene Hurtado d. 4. Metap. n. 37.

2. Vnitas generatim est quadruplex. Transcendentalis, Formalis, Vniuersalis, & Indiuidualis.

3. Vnitas Transcendentalis est quælibet ratio entis realis per se, prout est indiuisa adæquatè & secundum se: Hæc comprehendit omnes alias vnitates; est enim quælibet entitas, vt dictum est.

4. Vnitas Formalis, quæ etiam essentialis dicitur, est, quâ res est vna in suâ essentiâ.

5. Vnitas Vniuersalis, seu præcisionis est, per quam natura vniuersalis est vna seu indiuisa in sua inferiora, idque per operationem intellectûs.

6. Vnitas Indiuidualis, quæ & numeralis, numerica, & singularis dicitur, est, quâ res singularis est vna, seu indiuisa in suâ natura singulari.

Digitized by Google

DISTINCTIO II.

Axiomata de Vnitate tranſcendentali & formali.

1. ENs *& vnum ſunt idem*, 4. Metaph. c. 2. t. 3.] Probatur ibidem hac ratione : quæ non ſunt diuerſæ naturæ ab vllâ re particulari, non ſunt diuerſæ inter ſe ; ſed potius vna & eadem ; atqui ens, & vnum ita ſe habent, ergo maior perſpicua eſt ex illo communi axiomate : *Quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe* ; quo pacto illi 3° ſunt eadem 1 minorẽ probat inductione ; *quia idem ſunt*, inquit, *homo & vnus homo* : Etenim additio nullam diuerſam naturã apponit; quia detractis ab homine omnibus naturis, & relictâ tantùm naturâ humanâ, adhuc illa eſt Ens, & vnum quid, alias rationes habet Ariſtoteles ibidem, quas videre licet in textu.

2. *Idem eſt principium vnitatis & Entitatis.*] Patet axioma ex ſuperiore, & elicitur ex eodem textu; cum enim Ens & vnum non diſtinguantur à parte rei, etiam vnitas & entitas realiter non diſtinguuntur ; ergo principium Entitatis idem eſt, à parte rei, quod vnitatis, & contra. Etenim vnaquæque res ita eſt vna, ſicuti eſt ; & negatio, quam addit vnitas immediatè fundatur in entitate rei ſecundum quod in ſe eſt, vt bene docet Suarez d. 5. Metaph. ſect. 6. Hurtado d. 4. Metaph. n. 72. & alij.

3. *Ens & vnum conuertuntur.* Sumitur ex eodem textu 3°.] Vbi addit, tot eſſe entis ſpecies, quot vnius, & contra (quod intellige iuxta ea, quæ diximus Tit. 2. diſtin. 6. numero 7°.) idem dicendum eſt, de vero & bono ; ſunt enim hæc tria,

Digitized by Googl

vnum, verum, bonum, passiones siue attributa Entis, quæ conueniunt cuilibet Enti, & reciprocantur cum illo, siue (vt Dialectici loquuntur) dicuntur ad conuertentiam: siquidem omne Ens est vnum, & omne vnum est Ens: item, omne Ens est bonum, & omne bonum est Ens, secundum multiplicem inter vtrumque proportionem. Pronunciatum istud refert Boëtius hisce terminis: *Omne, quod est, in quantum est, vnum est*, in libro, an omne, quod est, bonum sit.

4. *Id magis est vnum, quod est perfectius.* 5. Physic. c. 4.] Pendet hoc effatum à superiore, & facilè per illius explicationem intelligitur; sicuti enim id, quod est, vnum est (quoniam Ens & vnum conuertuntur) ita nihilominùs id, quod perfectius est, magis est vnum; cum mutua sit inter vtrumque proportio. Hinc probat Aristoteles, loco citato, motum regularem esse magis vnum, quàm sit irregularis; quia ille perfectior est, & perfectiùs suum terminum acquirit, nimirum vniformiter fluens: Hinc etiam Deus, quia maximè est perfectus, etiam maximè est vnus in Essentiâ, ita vt implicet contradictionem, vnitatem Essentiæ diuinæ tolli, & eam multiplicari. Lege Suarez d. 4. Metaph. sect. 1. n. 24.

5. *Ens & vnum non sunt genera*, 3. Metaph. t. 10.] Rationem Philosophus assignat ibidem: *Necesse est enim est*, inquiens, *vnius cuiusque generis differentias & esse, & vnamquamque vnam esse: impossibile verò est, aut Species generis de proprijs differentijs prædicari, aut genus absque suis speciebus, quare si vnum, vel Ens genus est, nulla differentia nec vnum, nec Ens erit.* Ens itaque contrahitur ad inferiora, non per compositionem metaphysicam, seu per modos entis distinctos, sicut genus contrahitur ad species, per differentias distinctas; sed contrahi dicitur ad inferiora, quando illa concipiuntur distincto conceptu. Ratio est, quia

ens

ens essentialiter & actu includitur in omni Ente particulari, & in omni modo Entis ; at verò genus non includitur actu in differentijs, v. c. substantia in corporeo; nec differentiæ in genere, vt corporeum in ratione substantiæ. Lege Suarez disp.2. sect. 3.

6. *Ens & vnum maximè vniuersalia sunt.* 3. Meta. t. 16.] Sumitur eo loco nomen vniuersalis latè & impropriè : non strictè & propriè ; quomodo diuidi solet in 5. Prædicabilia; Nam propriè dicta vniuersalia debent esse, *quid vnum vniuocè*, vt docet Aristoteles 1. Post. c. 10. t. 25. hoc autem non conuenit Enti & Vni, respectu omnium suorum inferiorum, vt constat ex ijs, quæ diximus supra Tit. 2. dist. 6. numero 7. dicuntur ergo Ens & vnum maximè vniuersalia ; quia non certis duntaxat inferioribus, vt animal v. c. vel homo; sed omnibus omninò Entium generibus conueniunt.

7. *Omne Vnum est indiuisibile.*] Sumitur ex 5. Metaph. c. 6. & verum est in sensu formali, siue reduplicatiuè, hoc modo : omne vnum, quatenus est vnum, non potest diuidi in plura talia, quale ipsum est, idque in indiuiduo : sic v. c. hæc aqua non potest diuidi in plura, quæ sint hæc aqua (licet diuidi possit in plura, quæ sint aqua) quia indiuidualis huius aquæ entitas non est communicabilis multis similibus entitatibus ; quo modo neque Petrus diuidi potest in plures Petros, neque hoc genus, aut hæc species potest diuidi in plura alia, quæ sint hoc genus, aut hæc species : ratio est, quia sub tali consideratione indiuidua sunt; hæc quidem secundum rationem, illa autem secundum rem. At in sensu materiali, natura generica & specifica diuidi potest in partes subiectas, vt animal in rationale & irrationale, Homo in Petrum & Paulum. Natura etiam singularis diuisibilis est in partes integrantes : vt Petrus in manus, pedes,

caput, & reliqua membra: non tamen in partes subiectiuas; quare per antonomasiam dicitur *Individua*. Lege Suarez disp. 5. sect 1. num. 3. Hurtado disp. 5. Metaph. sect. 1. n. 1.

8. *Vnum & multa opponuntur.* 4. Metaph. c. 2. & l. 10. c. 10. & alibi.] Pronunciatum istud diuerso respectu diuersam habet explicationem; Nam 1°, si multa considerentur, prout sunt *vnum secundum quid*, tunc *Vni simpliciter*, opponuntur disparatè. Secundo si vnum & multa spectentur materialiter, habent se vt pars, & totum; quia multa componuntur ex pluribus vnis: si formaliter, & ratione negationis, quam includunt, opponuntur aliquo modo priuatiuè; quia vnum includit negationem diuisionis, quam requirit multitudo; Et contra multitudo includit negationem identitatis, quam requirit vnitas: dixi aliquo modo priuatiuè; quia non omne Ens est aptum diuidi, v. c. Deus, ideo vnitas seu indiuisio non est perfecta priuatio. Tertio si vnum spectetur, prout est mensura, multitudo vt mensuratum, per vnitatem sæpius repetitam, opponuntur relatiuè. Quarto opponuntur etiam contrariè quatenus omnia opposita positiua, quæ non sunt relatiua, solent dici contraria; quia tam vnum, quàm multitudo includit aliquid positiuum. Ita ferè Suarez disp. 5. Metaph. sect. 6.

DISTINCTIO III.

Diuisio Vnius Vniuersalis.

1. VNiuersale generatim est quadruplex, primũ est Vniuersale in causando, secundum in repræsentando, tertium in essendo, quartum in prædicando.

2. Diuidi solet Vniuersale in Metaphysicũ, quod vocant Vniuersale ante rem; Physicum, quod in re; Et Logicum, quod post rem. Sed rectiùs secundum huius diuisionis membrum eliminatur. Vt Vniuersale in Essendo Metaphysicum dicatur, in Prædicando Logicum. Duo enim priora, quæ Vniuersalis physici rationem habent, proprie singularia sunt. Vt bene docet Suarez d. 6. Metaph. sect. 8. n. 2. & 3.

3 Vniuersale includit duo, 1° ipsam naturã realem, quæ à parte rei reperitur in singularib⁹, vt v.c. natura humana in Petro, Paulo, &c. Et hęc est quasi materiale, seu fundamentũ Vniuersalis; 2° includit ipsam Vniuersalitatẽ, à quâ natura habet, vt denominetur Vniuersalis formaliter: ac proinde hoc est formale Vniuersalis. Secundum hæc duo, explicari & distingui solent axiomata & effata de Vniuersali, hisce terminis. Formaliter, Materialiter, vt iam patebit.

DISTINCTIO IV.

Axiomata de Naturâ Vniuersalium.

1. *VNiuersale est quid Vnum in multis non æquiuocè.* 1. Post. c. 10. t. 25.] Dicitur 1° Vniuersale esse *quid*, idest aliquod ens seu natura realis; non enim sola nomina cõmunia sunt & Vniuersalia, *insignificando*; sed etiam dãtur vera Vniuersalia *inessẽdo*. Dicitur 2° esse *quid Vnum*, eâ scilicet vnitate, quæ cõsistit in indiuisione alicuius naturæ in plures naturas similes, sub eodem nomine & ratione, ita tamẽ vt sit apta diuidi & multiplicari in illas, iuxta illud:

2. *Vniuersale est id, quod est aptum, vt in pluribus insit.* 7. Metap. t. 45.] Est enim Vniuersale formaliter sumptũ vnum quid actu; sed potẽtiâ est multa, quia est aptum multiplicari in suis inferioribus,

vt natura humana in Petro, Paulo, &c. Participatur autem à suis inferioribus *vniuoce*, siue eâdem ratione, iuxta vltimam particulam ptioris effati: ita v. c. natura specifica hominis, habet vnum nomen *homo*, & vnam rationem seu definitionem, *animal rationale*, & secundum vtrumque participatur æqualiter ab omnibus suis indiuiduis; quia omnes indiuidui homines vocantur æqualiter, *homo*, & sunt æqualiter *animal rationale*: Neque enim Petrus est, aut dicitur magis homo, quàm Paulus, & ita de cæteris.

3. *Vniuersale est id, quod est aptum, vt de pluribus prædicetur.*] Elicitur ex textu iam citato, & sequitur ex pronunciatis superioribus: propterea enim Vniuersale potest prædicari de pluribus; quia est, vel esse potest in pluribus; Nam vt rectè docet Aristoteles c. 2. in anteprædicamentis: *Ex eo quod res est in aliquo, potest de illo affirmari*, v. c. quia albedo est in pariete, ideo potest dici paries albus: intelligitur autem de prædicatione 1° vniuocâ, 2° naturali, 3° directâ, 4° affirmatiuâ, 5° verâ: per primam particulam rejicitur prædicatio æquiuoca, per secundam non naturalis, per tertiam identica, per quartam negatiua, per quintam falsa.

4. *Vniuersale aut nihil est, aut posterius est.* 1. de animâ c. 1. t. 8.] Verum est hoc dictum in sensu formali, nimirum de Vniuersali formaliter, & non fundamentaliter sumpto, vt patet ex ijs, quæ diximus dist. 3. num. 3. Nam Vniuersalitas ipsa, siue Vniuersale formaliter sumptum, nihil est in se à parte rei, ante operationem intellectus; cum non existat positiuè, separatum à singularibus, vt fertur voluisse Plato; aut certè posterius est, id est, fit per operationem intellectûs, vocaturque proinde, *Vniuersale post rem.* Nam vt rectè docet S. Thomas, Opusculo de Ente & Essentiâ c. 4. *Natura secundum se neque*

Digitized by Google

Vniuersalis est, neque singularis; & alibi inquit : *Intentionem vniuersalitatis esse ab intellectu*, vt 1. p. q. 85. a. 1. & 7. Metaph. lect. 13. In eandem sententiam inquit Commentator :

5. *Intellectus facit vniuersalitatem in rebus.* 1. de animâ t. com. 8.] Id est, intellectus abstrahit naturas rerum à differentiis indiuiduantibus, & concipit eas per modum vnius apti esse in multis. Eodem sensu 12. Metaph. comm. 4. inquit : *Vniuersalia apud Aristotelem esse collecta, ex particularibus, in intellectu, qui accipit inter ea consimilitudinem, & facit ea vnam intentionem*; Et comm. 28. ait : *Vniuersalia non habere esse extra animam*

6. *Vniuersale fundamentaliter est in rebus, formaliter in intellectu.*] Tritum istud apud Philosophos effatum tum ex præsenti, tum ex præcedenti distinctione euadit perspicuum : citari autem solet ex 2. de animâ, tex. 60 ; sed ibi neque habetur, nec nisi obscurè admodum insinuatur; tãtum enim Philosophus inquit: *Vniuersalia sunt quodammodo in animâ* ; nempe secundum esse suum formale, vel etiam secundum esse obiectiuum ; sic enim pendent ab animâ, vel ab intellectu; at verò quoad esse fundamentale, siue secundum existentiam realem non sunt nisi in singularibus, vt clarè docet Aristoteles l. 3. Metap. c. 3. t. 13. vbi inquit : *Singulare exponimus, quod numero est vnum : Vniuersale autem, quod in his.*

7. *Vniuersalia non sunt substantiæ.* 3. Metaph. t. 20. & l. 6. t. 43.] Intelligendum est, non de Vniuersali formaliter sumpto : id est, de Vniuersalitate; illa enim cum non sit ens reale ; sed solum denominatio extrinseca ; vel relatio rationis, neque est verè substantia, neque accidens : sed intelligendum est de naturâ, quæ denominatur Vniuersalis; quæque non substantialis modo, sed etiam accidentalis esse potest: itaque

dum dicit Philosophus, Vniuersalia non esse substãtias, intelligit non esse res, per se & in se subsistentes extra singularia, & ideo, Capite de Substantiâ, in Categorijs, *Vniuersalia substantialia*, vocat *secundas substantias*: indiuidua verò substantiarum vocat *primas*, quas dicit esse magis substantias, quàm secũdas; quia illæ primò existunt, cęteræ verò in ipsis. Ita fere Suarez dis. 6. sect. 7. n. 5.

8. *Quæ in superioribus sunt vnum, in inferioribus sunt multa.*] Est commune dictum Philosophorum, de quo videri potest S. Thomas 1. p. q. 77. a. 3. ad 1. sic natura humana in Vniuersali est vna; at verò in indiuiduis est multiplicata, ita vt tot sint naturæ humanæ particulares, numero & re distinctæ, quot sunt homines: sic & potentia intellectiua versatur circa varios actus, & obiecta adæquata habituum specie distinctorum: sic etiam multa obiecta adæquata sensuum externorum sunt vnum, & adæquatũ obiectum sensus interni; quia potentia superior respicit vnam aliquam rationem obiecti Vniuersaliorem, quàm potentia inferior, vt explicabitur infra, Titulo *de Potentiâ* d. 5. Debet autem effatum intelligi de Vnitate Vniuersali, vt de vnitate genericâ, vel specificâ, res enim siue natura sub tali consideratione vna in indiuiduis multiplicatur numericè: quoniam si de vnitate tantùm indiuiduali, seu eiusdem generis sermo sit:

9. *Multiplicato inferiori multiplicatur superius.*] Vt si multiplicentur homines, etiam multiplicabuntur animalia, viuentia, substantiæ, res, &c. Etenim si 10 sint homines, erunt etiam 10 animalia, & 10. viuentia, & 10 substantiæ, & ita de cæteris: Verum est pronunciatum, quotiescumque multiplicatio in inferiori, & superiori fit secundum eandem rationem, & secũdum hanc restrictionem debet intelligi:

Quare licet in diuinis sint 4 relationes reales, secundum Theologos; non tamen sequitur esse 4 res; quia relationes multiplicantur tantum ratione terminorum: vt autem multiplicentur res, oportet eas multiplicari, non solum per ordinem ad terminos; sed etiam prout sunt in seipsis, & secundum proprium esse, seu proprias Entitates. Itaque cum hîc varietur multiplicationis modus, & (vt loquuntur Dialectici) appellatio siue significatio mutetur, locum non obtinet pronunciatum.

10. *Multiplicato superiore, multiplicatur inferius.*] Intelligitur & verum est eodem sensu, quo axioma præcedens, cuius est correlatiuum. De vtroque videri potest Suarez, l. 5. de Sanctissima Trinitate cap. 7. num. 5. D. Thomas 1. p. q. 85. a. 3. ad 2.

DISTINCTIO V.

Axiomata de Vniuersalibus in ordine ad durationem, & locum, &c.

1. *Vniuersalia sunt æterna.*] Est commune axioma Philosophorum, ex l. 1. Post. c. 24. desumptum, quod non in omni sensu est verum. Nam 1° non sunt æterna secundum existentiam realem; quia realiter non existunt nisi in singularibus, quæ dum corrumpuntur, ipsa etiam Vniuersalia corrumpuntur in illis: secundo non sunt æterna secundum existentiam obiectiuam, seu rationis; quia illa dependet formaliter ab operatione intellectus: Sed dicuntur æterna secundum esse Essentiæ, id est, sunt æterna, quoad prædicata essentialia; quia licet actu non existant à parte rei in singularibus, semper tamen

illis ea conueniunt: sic homo & animal dicuntur æterna, quoad conceptum sui essentialem; quia antequam existeret vllus homo singularis, verum fuit ab æterno, & erit in æternum, hominem esse rationalem, animal esse corpus, & ita de cęteris: Vide supra explicationem illius: *Essentiæ rerum sunt æternæ.* p.2. tit.1.d.4.n.t.

2. *Vniuersalia sunt semper.* 1. Poster.c.24. t.45.] Diceret fortassis Aristoteles,& alij, qui æternitatem mundi statuebant, Vniuersalia esse semper; quia nũquam defuerunt, nec deerunt vnquam aliqua eorum singularia, in quibus illa subsistant; sed hæc eorum hypothesis erronea est,vt ex fide constat: itaque dicendum est, Vniuersalia esse semper,eodem modo, quo axiomate præcedenti dicuntur æterna;nam quo modo res aliqua æterna est, eodẽ etiam semper existat, necesse est. Vide D. Thomam 1.p. q. 8 a.4.ad primum & secundum.

3. *Vniuersalia sunt incorruptibilia.*] Sumitur ex eodem textu & verum est eodem sensu, quo vtrumque præcedens, vt ex eorum explicatione liquet: addunt aliqui, Vniuersalia dici incorruptibilia; quia per sese non corrumpuntur,sed per accidens tantum, ad corruptionem suorum singularium, eodemque modo negatiuè explicant ea esse semper;quia scilicet nulli differentiæ temporis sunt alligata. Licet verò individua etiam sint possibilia ab æterno, & fieri de ijs possint propositiones perpetuò veræ: *Est tamen differentia in modo concipiendi & loquendi* (vt inquit Suarez d.6. sect. 7. num. 6.) *Nam vniuersalia vt sic, hoc ipso, quod à singularibus abstrahuntur, consequenter etiam à tempore & loco, & ab omni mutatione, inceptione & desitione separantur*; adeóque non sunt temporalia aut corruptibilia per se: Hoc autem de individuis dici nequit, quæ per se temporalia sunt, & plerąque

Digitized by Google

etiam corruptibilia. Vide Suarez loco citato.

4. *Vniuersalia sunt vbique.* 1. Post. c. 24. t. 43.] Verum est duplici sensu, 1° negatiuè, id est, non quia in omni loco sunt, sed quia, vt sic, nullum certum locum sibi determinant, sicuti singularia; Est enim vnumquodque Vniuersale indifferens ad existendum in diuersis locis, per sua singularia, cum abstrahat à conditionibus limitantibus & determinantibus ad certum locum vel tempus; in quem sensum D. Thomas 1. p. q. 16. a. 7. ad secundum ait: *Vniuersalia solere dici vbique & semper non positiuè, sed negatiuè.* Secundo etiam verum est pronunciatum positiuè, vt sensus sit, Vniuersalia esse in omnibus locis, non quidem simpliciter (hoc enim soli Deo conuenit, qui per suam immensitatem omnia continet) sed in ijs omnibus, in quibus sunt, aut esse possunt ipsorum singularia; Nam vnumquodque indiuiduum est in suo tantum loco determinatè; non in locis aliorum: at vero Vniuersale est vbique, id est, in omnibus simul locis suorum singularium.

5. *Vniuersalia priora sunt suis singularibus.* 5. Metaph. t. 16.] Intelligitur & verum est, non de prioritate temporis, aut durationis realis; non enim prius tempore extitit homo, quàm hic homo; sed de prioritate naturæ, siue existendi consequentiâ, cum nimirum ex vno potest inferri alterũ sed non contra: bene enim sequitur, à singularibus ad Vniuersalia: Petrus est, ergo homo est: & homo est, ergo animal est: non autem valet illatio ab Vniuersalibus ad singularia, vt, animal est, ergo homo est; homo est, ergo Petrus est, & ita de cæteris, vt docet Philosophus cap. 11. in Post-prædicamentis. Potest etiam intelligi pronunciatum de prioritate cognitionis, iuxta primum axioma Distinctionis sequentis.

DISTINCTIO VI.

Axiomata de Vniuersalibus in ordine ad cognitionem & significationem.

1. *VNiuersalia ordine doctrinæ præcedunt singularia.* 1. Phys. t. 4.] Ratio huius est, quia sicuti se res habet ad esse, ita etiam ad cognosci ; sed Vniuersalia prioritate naturæ præcedunt sua singularia, ergo etiam prioritate cognitionis, siue cognoscibilitatis naturalis secundum se. Vt fusiùs explicatura est, in Præfatione huius Opusculi, & rursus attingetur, Titulo *de Potentiâ cognoscitiuâ*. Dixi Vniuersalia priora esse singularibus ordine cognitionis *secundum se* ; quia, *quoad nos*, & per ordinem ad sensum :

2. *Ferè difficillima cognitu sunt, quæ magis Vniuersalia sunt.* 1. Metaph. c. 2.] Rationem addit ibidem; quiã remotissima sunt à sensibus, comparatiuè nimirum ad res singulares, vel etiam minus Vniuersales. Illud enim est notius nobis, quod sensui est propinquius, cum omnis nostra cognitio incipiat à sensibus, & per eos res cognoscenda veniat ad intellectũ, iuxta illud : Nihil est in intellectu, quod non prius fuit in aliquo sensu, de quo infra, Titulo *de Potentiâ intellectiuâ*. Intelligitur itaque pronunciatum, non de cognitione Vniuersalis, seu totius complexi, cuiusmodi sunt generalia axiomata & principia scientiarum, horum enim cognitio nobis obuia est, & habetur ex terminis, vt diximus supra p. 1. t. 1. d. 5. Sed de cognitione Vniuersalis incomplexi, siue illud sit Vniuersale in essendo, siue in prædicando, siue etiam in causando. Ex dictis modò, facilè est explicare duo alia Philosophi pronunciata, quæ primâ fronte sibi videntur contradictoria; Nam cum ait :

Digitized by Google

3. *Vniuersaliora notiora sunt, quàm minus Vniuersalia.* 1. Phys. c. 1. t. 4. & 4.] Verum est viâ auscultationis, seu ordine accuratæ doctrinæ, quatenus ex cognitione magis Vniuersalium pendet cognitio minus Vniuersalium, cognitio, inquam, actualis & distincta; quia prius à nobis cognosci debent partes actuales distinctè, quàm possit distinctè cognosci totum actuale; sed magis Vniuersalia sunt partes actuales seu essentiales minus vniuersalium, v. c. partes essentiales hominis sunt animal, viuens, corpus, substantia, ex quibus metaphysicè componitur homo, ergo magis Vniuersalia debēt à nobis distinctè prius cognosci, & per consequens notiora sunt nobis cognitione actuali distinctâ. Suppono autē non tantum hoc loco dici notiora nobis, quæ propinquiora sunt sensibus; sed ea etiam, quorum cognitio in nobis prærequiritur ad cognitionem aliorum.

4. *Minus Vniuersalia notiora sunt nobis, quàm magis Vniuersalia.* 2. Poster. t. 82.] Verum est de scientifica cognitione per viam inuentionis; illâ enim viâ progredimur à minus Vniuersalibus tanquā vicinioribus sensui ad magis vniuersalia cognoscēda, cognitione, inquam, potentiali distinctâ, cuius ratio eadem est, quæ præcedentis: quia partes potentiales debent prius à nobis distinctè cognosci; quam totum potentiale; sed minus Vniuersalia seu inferiores species sunt partes potētiales magis vniuersaliū, siue superiorū generum: vt partes animalis, quod est genus, sunt homo, equus, leo, & cęteræ species, quas potestate continet, & ad quas est contrahibile animal, ergo minus Vniuersalia notiora sunt nobis cognitione potentiali distincta. Atque hæc vtriusque pronunciati explicatio communis est, teste Fonseca & Conimbricensibus: Sola difficultas est, de cognitione confusâ, de quâ diuersimodè locuti sunt

D. Thomas & Scotus, quos aliqui conciliare sunt conati, sed non satis commodè, vt ostendit Aquilonius l. 1. Opticæ Propositione 103. Verum huius rei determinatio Philosophicæ est propria concertationi.

5. *Minus Vniuersalia facilius definiuntur, quam magis Vniuersalia.* 2. Post. t. 82.] Sensus est, ordine inuentionis, per viam collectionis facilius posse inuestigari & confici definitiones minus Vniuersalium, quàm magis Vniuersalium, v. c. speciei, quàm generis; quia definitio speciei colligitur ex similitudine & conuenientiâ indiuiduorum illius tantum speciei: definitio autem generis ex consideratione plurium specierum, & insuper indiuiduorum, quæ sub illis speciebus continentur: est autem facilius pauca colligere, quàm plura, ergo etiam facilius est hac methodo colligere definitionem speciei, quàm generis, & minus Vniuersalium, quàm magis Vniuersalium, ita Zabarella. Vide Fonsecam l. 5. Dial. cap. 7. circa medium, & in fine, & l. 7. c. 40. post medium.

6. *Vniuersale non significat Quod quid, sed Quale quid.* 3. Metaph. t. 20. qui est vltimus illius libri.] Quale quid sumitur tripliciter, 1° pro eo, quod est affectum qualitate aliquâ; quo sensu dixit Aristoteles 4. Top. c. 6. *Interroganti quale quid sit nix, recte respondetur esse album*, id est, esse subiectum, affectum illâ qualitate, quæ dicitur albedo. 2° pro eo, quod significat qualitatem essentialem vel substantialē, quo pacto sola differentia dicitur prædicari de specie & indiuiduis in Quale quid; in *quale* quidem; quia per modum qualitatis quasi adiacentis, & non per se stantis: in *Quid* verò; quia non significat qualitatem accidentalem, quæ ad essentiam rei minimè pertineat (cuiusmodi qualitatem significant solum proprium & accidens) sed essentialem, seu pertinentem

ad rei quidditatem. 3° illud dicitur ſignificare *Quale quid*, quod non ſignificat rem per ſe vltimò exiſtentem, id eſt, ſingularem, ſed vniuerſalem habet ſignificandi modum ; Et ſecundum hanc acceptionem verum eſt pronunciatum: Eodem ſenſu dixit Ariſtoteles in Categorijs, capitè de Subſtantia : genera & ſpecies ſubſtantiarum non ſignificare hoc aliquid, id eſt rem ſingularem per ſe vltimò exiſtentem ; ſed ſignificare quale quid, id eſt, rem Vniuerſalem ſubſiſtentem in alio, ſcilicet in ſingularibus, vel rem cum Vniuerſalitate, ita vt Vniuerſalitas ſit quaſi quædam qualitas naturarum communium.

DISTINCTIO VII.

Axiomata de Vniuerſali, vt eſt quoddam totum.

1. *VNiuerſale eſt quoddam totum.* 1. Phyſic. c. 1.] Ratio eſt, quia vt ibidem docet Ariſtoteles, *multa complectitur vt partes*; Totum ſiquidem illud dicitur, quod conſtituitur ex ſuis partibus : atque ob hanc cauſam dici ſolet Vniuerſale non reſpicere ſua inferiora, neque prædicari de illis, niſi per modum totius ; Nam licet genus & differentia formaliter non dicant totam eſſentiam ; ſed partem metaphyſicam, tamen vt Vniuerſalium rationem habent, neceſſe eſt, vt per modum totius concipiantur : Et ideo ſumi etiam debent in concreto, vt rem totam ſaltem implicitè dicant; Et quatenus in potentiâ ſaltem plura includunt inferiora, quo ſenſu dixit Porphyrius : *Genus eſſe totum reſpectu ſuarum ſpecierum*: nempe totum potentiale, quod refertur ad quas potentiâ continet, vti v. c. animal refertur ad ſpecies, hominem & brutum, quas poteſtate complectitur : non autem

totum essentiale seu actuale, quod refertur ad partes essentiæ, quas actu continet; sicuti idem animal, quatenus constat ex genere & differentiâ, id est, viuente, & sensitiuo, dicitur totum essentiale. Lege Suarez d. 6. metaphysicâ. s. 8. n. 8. & 5. 10. totâ.

2. *Positâ quacunque parte subiectâ ponitur totum.* 2. Top. 2. loco 10. & 11.] Vt si concedatur esse homo, vel leo, vel equus, vel aliqua talis species animalis, bene sequitur esse animal. Et contra,

3. *Posito toto Vniuersali ponitur aliqua pars subiecta*, ibidem.] Vt si ponatur animal, ergo vel erit homo, vel equus, vel leo, vel aliqua alia species animalis

4. *Sublatis omnibus partibus subiectis tollitur totum*, ibidem.] Vt si non est homo, nec equus, nec alia species animalis non etiam erit animal: Et contra,

5. *Sublato toto Vniuersali tolluntur omnes partes.* ibidem.] Vt si non est animal, ergo nec homo, nec equus, nec asinus, nec alia species animalis. Argumenta ex his pronunciatis ducta plurimum valent ad instandum, resistendumve illi, qui generatim affirmat aliquid, vel negat.

DISTINCTIO VIII.

Axiomata de Genere & differentiâ.

1. *Genus à materiâ desumitur, differentia à formâ.*] Pronunciatum istud passim refertur, tanquã Aristotelicum: à S. Thomâ q. 3. de veritate a. 2. ad 3. Soncinnate 4. Metaphy. q. 18. Vasq. 1. p. d. 179. c. 3. & alijs, quod ad eius veritatem attinet, genus vniuersim loquendo, non desumitur à materia physicâ, vt

patet in Angelis & accidentibus, quæ constât genere quidem, non tamen materia; Neque etiam differentia desumitur à solâ formâ; Nec vnquam Aristoteles tale quid asseruit: tantum ait:

2. *Genus se habet vt materia, differentia vt forma.* 8. Metaph. c. 3.] Quia nimirùm compositum metaphysicum, siue species, consurgit ex genere & differentiâ, tanquam ex duobus extremis, re indistinctis, siue ex eâdem re, sub ratione indeterminatæ, & determinatæ diuersimodè conceptâ, per modum compartium ad inuicem comparatarum, eodem modo proportionali, quo se habent materia & forma; in quem sensum dixit Porphyrius in comparatione 5 vniuersalium: *Genus est consimile materiæ, differentia verò formæ.* Ex eodem capite desumptum, & eodem sensu verum est istud:

3. *Genus se habet vt potentia, differentia, vt actus.*] Desumitur genus à tota naturâ specificâ, & differentia similiter, sed diuersâ ratione, iuxta ea quæ dicta sunt; Nam genus desumitur à totâ rei essentiâ sub vniuersaliori ratione, prout scilicet se habet per modum potentiæ, quæ perfici & determinari potest per suum actum: Differentia autem sumitur ab eâdem essentiâ, seu totâ naturâ secundum vltimam perfectionem essentialem consideratâ; & secundum hanc explicationem saluari potest istud quasi effatum, quo dicitur genus desumi à materiâ, differentiâ à formâ, propter quandam videlicet similitudinem, quam habet genus cum materiâ, & differentia cum formâ. Lege Suarez disp. 15. metaphysicâ, sect. 11. num. 12. & seqq.

4. *Differentia est nobilior genere.* Sumitur ex 3. Metaph. c. 3. & 4.] Ratio est, quia id, à quo sumitur differentia, se habet ad illud, à quo sumitur genus,

ſicuti actus ad potentiam vel materia ad formam, iuxta explicationem præcedentium; quemadmodum enim forma phyſica determinat & exornat materiam, turpem per ſe, & ſubſtantiam poſtremæ notæ, vt explicabitur infra, Titulo *de Materiâ*; ita differentia contrahit & nobilitat ſuum genus, indifferens ex ſeſe ad quamlibet ſpeciem, & cum eo compoſitum metaphyſicum conſtituit. Vnde etiam differentia, *generis forma* appellatur. Lege D. Thomã 1. p. q. 50. a. 4. ad 1. vbi ait: *Differentiam eſſe genere nobiliorem, ſicut determinatum indeterminato, & proprium communi.*

5. *Differentia ſubſtantiæ ſubſtantia eſt, accidentis accidens*: refertur ab Alberto M. in 5. Metaph. tract. 6 c. 13. & ſumitur ex 1. Phyſicorum c. 6.] Vbi materia, forma, & differẽtiæ vocantur ſubſtantiæ. Ratio eſt, quia ſunt partes metaphyſicæ eſſentiales, cum genere ſubſtantiali conſtituentes ſubſtantiam: cum accidentali accidens: ſumitur autem hîc ſubſtantia latè, pro omni re, quæ non eſt accidens, ſiue quæ diſtinguitur contra accidens, ſiue completa illa ſit, ſiue incompleta.

6. *Differentiæ ſubſtantiales per accidentales manifeſtantur*: refertur à S. Thomâ in l. 1. de Gen. & corrup. lect. 8. t. 18] Verum eſt eodem ſenſu, quo dicuntur accidentia iuuare ad cognitionem ſubſtantiæ; cuius ratio eſt, quia *omnis noſtra cognitio pendet à ſenſu*; & ſola accidentia per ſeſe ſunt ſenſibilia, vt explicabitur infra, Titulo *de accidente generatim*: Eâ de cauſâ, inquit S. Thomas loco citato; *Sæpe loco differentiarum ſubſtantialium vtimur accidentalibus*, id eſt proprietatibus & attributis rerum accidentarijs, quibus in ipſius Eſſentiæ cognitionem, viâ inuentionis, deuenitur.

7. *Nulla differentia includit genus quod diuidit.*

Refertur

Refertur ab Alexandro de Ales in 3. Metaph. t. 20. & sumitur ex 11. Metaph. c. 1.] Verum est Theorema in sensu formali, ratio eius est, quia si rationale v. c. vel irrationale, actu includerent & participarent animal, etiam includerent sensitiuum, & per consequens non essent entitates simplices; sed componerẽtur ex genere & differentiâ, quod nequaquam est admittendum; Nam differentiæ inter se primò, id est, seipsis sunt diuersæ, sicuti summa genera, nec differunt per alias differentias, alioqui daretur processus in infinitum. Eâdem de causâ:

8. *Differentia nulla superior genus est inferioris.* Elicitur ex capite citato Aristotelis.] Ratio iam est insinuata; quia differentiæ sunt entitates simpliciter simplices, id est, nullo modo compositæ, neque physicè, id est, ex materiâ & formâ, neque metaphysicè, id est, ex genere & differentiâ: item si differentia inferior formaliter includeret superiorem, hæc superior bis formaliter includeretur in specie, quod est absurdum: sequela patet, quia si rationale v. c. formaliter includeret sensitiuum, ergo sensitiuum semel esset in homine, ratione animalis, cuius est differentia constitutiua, & iterum, ratione ipsius rationalis.

Dices. Non potest concipi differentia infima, quin concipiatur subalterna, vt latrabile v. c. non concipitur formaliter; nisi & concipiatur sensibile. Ergo differentia includitur in inferiore.

Resp. si sensus sit; non posse concipi differentiam vltimam, quin & concipiatur subalterna, tanquã aliquid præsuppositum, concedo antecedens: sin velit eam concipi tanquam constitutiuam inferioris formaliter, nego antecedens. Etenim latrabile v. c. non est principium operationis caninæ adæquatè consideratæ; sed tantum formaliter, quatenus canis est; sub qua reduplicatione non constituitur à sensitiuo dif-

ferentia superiore formaliter. Est namque latrabile principiũ operationis caninæ, quatenus latratus est; non verò quatenus sensatio est. Vide Hurtado dis. 6. Logicâ sect. 3 Hinc etiam:

9. *Differentiæ non suscipiunt magis & minus.*] Est commune dictum Philosophorum, & refertur à Porphyrio, Capite *de Differentiâ* Ratio patet ex dictis; quia nimirum differentiæ omnes essentiales (de quibus hîc sermo est) siue substantiarum illæ sint, siue accidentium sunt formæ simpliciter simplices, quibus ipsæ rerum essentiæ constituuntur: *Essentiæ* autem *non suscipiunt magis & minus; sed consistunt in indiuisibili*, vt diximus supra, Titulo 2. dist. 4. Sensus itaque Pronunciati est, omnes differentias vniuscuiusque speciei inter se consideratas esse æquè perfectas essentialiter, seu perfectione specificâ; v. c. rationale in vno homine tàm esse perfectum, quam in alio: quia omnes homines sunt eiusdem speciei, cum habeant eadem prædicata essentialia, nec vnus habeat aliquod prædicatum essentiale, quod alius non habeat; alioquin enim differrent specie essentiali, sed dubium est, an omnes sint æquè perfectæ indiuidualiter, seu perfectione indiuiduali, negat Rubius 2. de animâ c. 3. q. 3. vbi explicat, perfectionem indiuidualem esse modum substantialem, & ideo vnam animam v. c. aliâ perfectiorem substantialiter modaliter, non essentialiter: affirmat Toletus d. de animâ, q. 18. & Fonseca 5. Metaph. c. 28. q. 16. sect. 2. Conimbricenses vtramque partem existimãt probabilem; affirmantem tamen probabiliorem, quæ probari potest ex Aristotele 3. Metaph. c. 3. t. 11. vbi quærit; Cur species non dicatur genus, cum prædicetur in quid de pluribus, scilicet indiuiduis: & Respondet; *Quia in illis, quæ continentur sub eâdem specie*, id est, in indiuiduis, *non datur*

Digitized by Google

prius & posterius, id est perfectius, & imperfectius, *sicut datur in ijs, quæ continentur sub eodem genere*, id est in speciebus, quarum vna est perfectior alterâ. Vnde 7. Phys. c. 4. ait, *in genere latère æquiuocationes*, eò quod genus habeat perfectius esse in vna specie, quàm in aliâ, v. c. animal in homine, quàm in bruto. Lege Auctores citatos.

10. *Genus non est particeps differentiarum.* 7. Metaph. t. 42.] Sensus est, Genus non participare, neque continere suas differentias specificas, siue diuisiuas, actu & formaliter, in suâ essentiâ & ratione intrinsecâ, rationem assignat Philosophus ibidem, quia alioquigenus *simul contrariorũ idem participaret: differentiæ namque contrariæ sunt, quibus genus differt*: id est, si genus includeret differentias, per quas contrahi, & determinari potest, actu & in suâ essentiâ, simul includeret opposita, v. c. rationale, & irrationale; ac proinde animal non posset prædicari de homine, quia irrationale repugnat homini; nec de bestia, quia rationale repugnat bestiæ. Animali itaque, prout genus est (& similis est ratio in omnibus alijs) sic neque est rationale, neque irrationale actu; sed abstrahit ab vtroque: Dicitur nihilominus omne genus includere suas differentias specificas virtute tantùm & potentiâ, quatenus cum illis potest coniungi in suis speciebus, v. c. animal in homine cum rationalitate, in bestiâ cum irrationalitate; Hæc autem coniunctio & determinatio non fit per receptionem alicuius, sicut materia determinatur per formã distinctam realiter; sed fit per identitatem naturæ genericæ cum differentiâ determinante. V. c. natura generica animalis non recipit in se differentiam, v. c. rationale, vt eam deinde abjiciat, sed per idẽtitatem, statim, atque fit hoc singulare rationale. Fit etiam animal.

11. *Genus non continet actu suas species.* Commentator 7. Metaph. textu iam citato.] Verus huius pronunciati sensus idem est, qui præcedentis, & eadem vtriusque ratio ; quemadmodum enim genus non participat differentias specificas actu, sed potentiâ tantùm, cum non sit simul actu capax oppositorum : ita ipsas species non actu; sed potentiâ continet. Quæ potentia nihil aliud est, quàm quædam determinabilitas formalis, seu essentialis ; Potest enim natura generica determinari per varias differẽtias ad diuersas species, cum ex se non sit magis determinata & inclinata ad vnam, quam ad alteram, vt clarum est ex dictis.

DISTINCTIO IX.

De specie & Individuo, ac de Vnitate numericâ.

1. *QVælibet species generis perfectioris nobilior est quauis specie generis imperfectioris.*] Est commune axioma Philosophorum, & intelligitur de nobilitate, siue perfectione entitatiuâ, siue essentiali, à quâ propriissimè naturalis rerum differentia sumitur. Sic v. c. quæuis substantia, quæ est sub genere perfectiori, quàm sit quoduis accidens, dignitate superat quodvis accidens, quod positum est sub genere imperfectiori: item quodvis brutum, quia est animal, quod est genus perfectius, quàm planta, nobilius est qualibet, etiam perfectissimâ specie plantę. Ratio generalis est, quia omnis species generis perfectioris habet partes metaphysicas essentialiter perfectiores, quàm quælibet species generis ignobilioris, vt docetur Capite de Differentia, ex quo tum

hoc, tum ſequens etiam pronunciatum deſumitur.

2. *Quodlibet indiuiduum ſpeciei perfectioris nobilius eſt, quolibet indiuiduo ſpeciei imperfectioris.*] Verum eſt eodem ſenſu, quo axioma præcedens, & eadem vtriuſque eſt ratio; quia nimirum omne indiuiduum ſpeciei perfectioris, habet gradum eſſendi nobiliorem, quolibet indiuiduo ſpeciei imperfectioris: intelligitur enim vtrumque de perfectione eſſentiali; non verò de accidentariâ aut integrante; ſic v. c. quilibet homo nobilior eſt quolibet vel lapide, vel plantâ, vel bruto; quia non habet eſſe tantùm vt lapis, nec viuere ſolùm, vt plantæ, nec ſentire modò, vt beſtia; ſed inſuper intelligere. Dixi intelligendum eſſe Pronunciatum vtrumque de perfectione eſſentiali; quia certum eſt, Ens naturâ imperfectius, ſæpe eſſe, quoad accidens, perfectius iuxta illud vulgare:

Nos aper auditu, lynx viſu, ſimia guſtu,
Vultur odoratu præcellit, aranea tactu.

3. *Ex duabus ſpeciebus non componitur tertia.*] Effatum iſtud traditur à Porphyrio in vltimâ parte textûs 6. cuius ſenſum explicat egregiè M. Albertus, Tract. 8. c. 8. ex verbis præcedentibus: oppoſuit enim Porphyrius differentiam & ſpeciem in hoc, quod duæ differentiæ conſpirent in vnam compoſitionem, non autem duæ ſpecies: loquitur autem, non de differentijs æquè vltimis; ſed de ſuperiori & inferiori: hæ namque in vnius ſpeciei compoſitionem venire poſſunt, non per immediatam informationem vnius ab aliâ, ſed quia inferior contrahendo genus, contrahit etiam differentiam ſuperiorem, ad quam ſe habet, velut actus ad potentiam: at verò ex duabus vltimis & completis ſpeciebus, (de his enim intelligi debet effatum, quidquid ſit de bonâ, vel malâ comparatione Porphyrij) neutra eſt actus, neutra potẽtia; idcircò in metaphyſica compoſitio-

ne in vnius essentiæ coniunctionem venire non possunt: Et hoc etiam significauit Porphyrius, cum dixit, in concursu equi & asinæ, non concurrere simpliciter equum ad muli compositionem; quia licet equus & asinus mulum generent, non propterea mulus ex vtrâque specie compactus est.

4. *Species ad inuicem non debent permiscere.*] Sumitur ex eodem textu, & absolutè ac vniuersaliter verum est, eodem sensu, quo axioma præcedens; quia nimirum metaphysicâ compositione nunquam coalescunt; cum neutra ad alteram se habeat vt genus, neutra vt differentia: secundum alios explicandi modos locum non habet, vt patet in generatione muli, in elementorum coitione, in materialibus & accidentalibus rerum commixtionibus. Sensus huius effati moralis valet in illos, qui discretionis & ordinis ignari permiscent quadrata rotundis, & omnia temerè confundunt.

5. *Species Entium se habent vt numeri.*] Sumitur ex 8. Metaph. c. 5. t. 11. & verum est eodem sensu, quo diximus essentias rerum esse sicut numeros, & consistere in indiuisibili: nimirum si considerentur essentialiter, quoad gradus metaphysicos, & prædicata essentialia; sic enim nec addi quicquam illis, nec subtrahi vllus gradus aut differentia potest, quin mutetur & destruatur essentia: non autem si accidentaliter spectentur, aut entitatiuè, vt fusè explicuimus supra. Titulo 2. dist. 4. num. 7. & seqq. Hinc docent Philosophi, mundum à Deo posse fieri perfectiorem accidentaliter quidem, non verò essentialiter: prius patet, quia Deus potest homini vel Angelo dare plura dona tum naturalia, tum supernaturalia, quibus accidentaliter perficiatur, item potest plures & meliores rerum species producere in infinitum; quia creatura est, imitatio & participa-

Digitized by Google

tio diuinæ perfectionis; ſed nulla poteſt illam perfectiſſimo modo imitari, ergo ſemper perfectiùs in infinitum: patet poſterius; quia ſpecies rerum ſunt veluti numeri, ergo ſicuti quinario non poteſt addi, vel demi vnitas, vt tamen maneat quinarius; ita neque vlli ſpecici vlla differentia vel perfectio eſſentialis, vt tamen maneat eadem ſpecies. Vide, ſi placet, Tit. 21. Diſtinct. 9. num. 6. & 7.

6. *De quocunque negatur genus, de eodem negatur & ſpecies.*] Eſt commune dictum Philoſophorum, cuius veritas patet exemplo: Nam ſi aliquid negetur eſſe animal v. c. etiam negatur eſſe homo, aut equus, aut leo, aut aliud brutum. Et ratio eſt; quia *ſublato toto vniuerſali tolluntur omnes partes*: in illo enim axiomate hoc dictum fundatur. Item:

7. *Omnis ſpecies includit in ſe genus ſuperius, ſicuti omne totum actuale includit ſuas partes.*] Nam ſpecies eſt totum metaphyſicum, cuius partes ſunt genus & differentia: ſublatâ autem parte, totum actuale permanere non poteſt, iuxta illud: *Sublatâ quacunque parte integrante, tollitur totum*, de quo infra, Tit. *de Quantitate*: ergo ſi tollatur aut negetur genus de aliquo, tollitur etiam & negatur de eodem ſpecies.

8. *Idem numero maximè eſt idem.*] Sumitur ex lib. 1. Topic. cap. 6. vbi Philoſophus ait; *idem numero maximè ab omnibus dici idem*: cum enim poſſit quatuor modis aliquid dici idem, videlicet, genere, ſpecie, numero, & proportione, vt notat Alexander Aphrodiſæus, in locum citatum Ariſtotelis, omnium propriiſſimè dicitur idem numero; hoc ſiquidem abſolutè & ſimpliciter vnum eſt & idem, cum reliqua vnitatis & vnius genera potius multa ſint, quàm vnum, vt conſideranti facilè patebit.

9. *Vnumquodque secundum idem habet esse & individuationem.*] Pronunciatum istud ex l. 4. Metaph. c. 2. t. 3. desumptum traditur à D. Thoma, Quæst. vnica de Anima, a. 1. ad 2. & refertur à Suarez d. 5. Metaph. sect. 4. n. 1. Ratio est; quia generatim, *Idem est principium Vnitatis & Entitatis*, iuxta dicta superiùs. Vnitas etenim est passio consequens entitatem, cui non addit, nisi negationem: Ergo non potest habere aliud principium positiuum & reale, nisi quod est principium ipsius entitatis: Ergo vnaquæque res indiuidua est per suam entitatem singularem existentem à parte rei. Ita substãtia physicè simplex, vt materia, forma, Angelus, est indiuidua per suam simplicem entitatem: Substantia physicè composita ex materia & forma vnitis, indiuidua est, siue hæc, per hanc materiam, formam & vnionem. Sicut enim hæc tria sunt principia huius entitatis; ita & huius vnitatis, seu indiuiduationis, vt bene docet Suarez D. 5. Metaph. sect. 6. & 7. Hurtado disp. 4. Metap. sect. 5. & alij. Non rectè igitur Ferrariensis l. 1. cont. Gen. c. 21. Caietanus & alij Thomistæ, Principium generale indiuiduationis inter ea, quæ specie conueniunt, numero discrepant, statuunt materiam primã: sicut eadem ratione Auerroës errat 1. de Anima c. 7. & Auerroïstæ, vt Zimara Theoremate 971, qui volũt adequatum indiuiduationis principium esse formam substantialem: hæc enim non nisi partialia principia sunt, & quidem in compositis physicis duntaxat; vt iam explicabitur. Quando autem D. Thomas 1. p. q. 3. a. 3. ad 3. & alibi assignat materiam signatam siue affectam accidentibus, non vult rem quamlibet intrinsecè indiuiduari per illam; sed vel per connotationem ad illam, vel quoad nos. Quo modo etiam Porphyrius describit indiuiduum per aggregationem accidentium, quæ in alio reperiri non possunt:

Digitized by

non quod illa sint principium formale & intrinsecum indiuiduationis; sed quia ex illa aggregatione tanquam nobis notiore, solùm voluit à posteriori & sensibiliter indicare, quid sit Indiuiduum.

10. *Illa sunt vnum numero, quorum Materia est vna.* 5. Metaph. c. 6. t. 12.] Loquitur hoc loco Aristoteles de composito substãtiali, & dicit illud esse vnum numero, quod habet vnam numero materiam; cuius ratio est, quia vnum compositum substantiale physicum, non potest naturaliter habere plures materias concurrentes ad compositionem & constitutionem eiusdem numero suppositi, sicuti neque eadem materia naturaliter subest diuersis formis constitutiuis per se alicuius compositi physici; Non autem loquitur, neque intelligi debet hoc dictum de accidentibus, aut formis partialibus; quia distincta numero accidentia, & diuersæ formæ partiales possunt esse in eâdem materiâ, siue subiecto. Vide Suarez d. 5. Metaph. sect. 3. n. 3.

11. *Manente forma manet identitas rei.* Sumitur ex l. 1. de Gen. c. 5.] Vbi de nutritione agit Philosophus, & vt probet, toto vitæ tempore manere idem numero viuens, ait: *Subiectum quod nutritur manere idem quoad formam, non tamen secundum materiam.* Tripliciter potest manere idem numero viuens, vel aliud quodcumque compositum, (de hoc enim vti præcedens, ita & præsens Propositio intelligenda est) 1° si nihil materiæ & formæ perdat, sic cælum manet idem numero: 2° si aliquid materiæ perdat, nihil formæ, vt homo, in quo licet aliquæ partes materiæ sensim defluant; forma tamen, vtpote indiuisibilis & spiritualis nullam sui iacturam facit. 3° & & materiæ & formæ partes depereant, ita tamen, vt semper aliæ succedant, & continuentur cum remanentibus, seruato eodem situ, ordine, figurâ;

Digitized by Google

idque duobus modis, vel ita, vt maneant partes quædam primigeneæ aut alimentitiæ duriores ac solidiores, vt contingit in multis animalibus, & in domo v. c. quæ eadem manere dicitur, quandiu manēt eadem fundamenta, & muri, licet aliæ partes sæpius innouentur; vel ita, vt non maneant vllæ partes, nisi æquiualenter, quo sensu per 960 circiter annos eadem numero permansisse dicitur Nauis quâ Theseus in Getam delatus fuit, eò quod eandem semper figuram obtinuisset, licet omnia tabulata, & tigna vetera sæpius essent innouata, secundum hoc itaque triplex identitatis genus plana est explicatio axiomatis propositi; vti & verborum ex Aristotele allatorum; quæ alio sensu intellecta, non modicam difficultatem habent. Vt videre est apud Conimbricenses in l. 1. de Gen. & Cor. c. 5. q. 12. a. 1. & 2.

12. *Nullum individuum est sub genere, quod non sit in certâ Specie illius generis.*] Est commune dictum Philosophorum, cuius veritas patet exemplo, vt nulla est substantia singularis, quæ nec corporea sit, nec incorporea: nullum animal existit, quod nec rationale sit, nec irrationale; & ita, eâdem ratione in omnibus alijs. Vide Thomam 3. parte qu. 50. artic. 5. ad 2.

13. *Conditiones individuantes sunt primò diuersæ.*] id est, seipsis sunt, & non per alias differentias distinctæ. Ratio est; quia ne procedatur in infinitum, deueniendum est tandem, & sistendum in ijs, quæ per seſe, & non per alia distinguantur. Sensus huius dicti moralis, significat maximam in hominibus complexionum esse, & morum diuersitatem. Quare imprudentiæ est, velle, vt alij omnes ad sensum ac voluntatem nostram omnia dicāt & faciant; id enim in hac vitâ fieri nequit, vbi de Proprio & Accidente,

Digitized by Google

quæ restant ex quinque prædicabilibus, opportunior infra differendi locus est.

DISTINCTIO X.

Quid sit Ens vnum per se, & Ens per accidens.

1. ENs per se est, quod est vnum per se, Ens per accidens, quod est vnum per accidens.

2. Vnum per se est, quod habet vnam essentiam seu naturam, in suo genere completam, quæ in vno prædicamento ponitur, & vnâ definitione explicatur. Hoc est duplex, simplex & compositum.

3. Vnum per se simplex est, quod non constat rebus ex naturâ rei distinctis, siue quod non componitur physicè ex partibus essentialibus, aut integralibus, vt Angelus.

4. Vnum per se compositum est, quod constat rebus ex naturâ rei distinctis, & ordinatis ad componendum vnum ens completum in suo genere, quale est primo compositum physicum essentiale, secundo compositum integrale.

5. Vnum per accidens est, quod constat ex rebus diuersorum prædicamentorum, vt paries albus; vel ex rebus eiusdem prædicamenti, specie aut numero totali differentibus, vt vas argenteum deauratum: Et est triplex, primum per meram aggregationem, sine certo ordine, vt cumulus lapidum. Secundum vnum ordine, sine vnione physicâ reali, vt exercitus. Tertium vnum ex subiecto, & accidente vti quantitas alba, superficies quadrata, intellectus habitu scientiæ informatus.

Digitized by Google

DISTINCTIO XI.

Axiomata de Vno per se, & Vno per accidens.

1. *EX potentiâ & actu eiusdem generis, ad se invicem ordinatis fit vnum per se.* Sumitur ex l. 7. Metaph. t. 49.] Intelligitur & verum est de Vno per se composito, in essentiâ seu naturâ, quale fit ex materiâ & formâ substantiali physicâ. Illa enim sunt entia eiusdem generis , cum ambæ sint substantiæ, & ad se invicem ordinantur vt actus ad potentiam, & potentia ad actum. Defectu prioris conditionis, non fit vnum per se ex substantia & accidente, vt ex pariete & albedine : defectu posterioris non fit vnum per se ex Angelo, v. c. & materiâ primâ : neque enim ad se mutuò ordinatâ sunt, nec vllam ad compositionem faciendam, proportionem habent.

2. *Ex duobus Entibus in potentia fit Vnum in actu.*] Sumitur ex eodem textu 49. & longè accommodatius est ad mentem Aristotelis, quàm axioma præcedens ; docet enim Philosophus ibidem : *Ex duobus entibus in actu, non fieri vnum in actu; sed ex duobus in potentiâ ; actus enim separat.* Omnia siquidem illa, ex quibus constitui vel componi potest vnum per se, rectè dicuntur Ens in potentiâ ; quia non sunt entia per se simpliciter, quæ postulent actu existere separatim ab alijs ; sed instituta sunt ad constituendum vnum aliquod Ens totale siue completum. Quoad alia, sensus huius pronunciati idem est, qui præcedentis. Lege Suarez in indice copioso Metaphysicæ l. 7. cap. 13.

3. *Ex duobus Entibus in actu non fit Vnum per se.*] Sumitur ex eodem textu, vt patet ex verbis modo ci-

Digitized by Google

tatis. Senſus eſt, ex duobus entibus per formam actuatis, vel alio modo per ſe completis, in ſuo genere ſiue prædicamento, quatenus talia ſunt, non fieri vnum compoſitum per ſe in eſſentiâ, vel naturâ, quale v. c. conſtituitur ex materiâ & formâ hominis, ſiue ex corpore & animâ rationali. Atque hanc eſſe mentem Ariſtotelis, perſpicuum eſt ex eodem textu, & diſcurſu totius capitis; adfert enim horum axiomatum doctrinam, vt demonſtret, Vniuerſalia non poſſe eſſe ſubſtantias integras & per ſe ſubſiſtẽtes completè, & nihilominus ita ineſſe indiuiduis ſubſtantijs, vt cum eis vnum per ſe & actu componant. Porrò ea hîc intelliguntur entia completa in ſuo genere, quæ non per formam modò phyſicam; ſed ea etiam, quæ per alios modos ſubſtantiales vltimò perfecta & terminata ſunt: quæ verò horum aliquo carent, dicuntur incompleta. Sic natura Chriſti humana, priuſquam à Verbo aſſumeretur, non erat Ens in actu completo; ſed in potentiâ ad perſonalitatem, tanquam ad terminum ſubſtantialem, ac proindè ex illâ & perſonalitate Verbi diuini conſtitui poteſt ens vnum per ſe, id eſt, vna ſubſtantia prima, ſeu perſona. Ita ferè Valentia 3. p. d. 1. q. 1. puncto 2. & alij Theologi.

4. *Ex Ente & Ente fit Vnum per accidens.*] Elicitur, & citatur à pleriſque ex eodem textu, ac verum eſt eodem ſenſu, quo effatum præcedens; nempe ex Ente & Ente actu completis, vel etiam ad ſe inuicem improportionatis, non fieri vnum cõpoſitum per ſe, ſed per accidens tantum; qualis eſt ſtrues lignorum, cumulus lapidum, &c. de quibus ſupra: *Secundum hunc enim modum* (verba ſunt Ariſtotelis, loco citato) *rectè dixit Democritus: Impoſſibile eſt, ex duobus vnũ, aut ex vno duo fieri.* Porro hoc, & præcedentia effata intelliguntur præcipuè de vno per ſe eſſentiali,

non item de Toto, seu vno per se integrali. Nam:

5. *Homogenea solâ continuatione fiunt Vnum per se.*] Est commune axioma Philosophorum, de quo videri potest Suarez, d. 4. Metaph. sect. 3. n. 9. sic duæ guttæ aquæ, quæ sunt duo entia in actu, per solam coniunctionem fiunt vna numero aqua: sic etiam ex duobus caloribus, vt 4 per vnionem fit vnus calor, vt 8, & ex duabus lineis pedalibus, consurgit vna bipedalis, quæ est vnum per se integrale: quamquam ex huiusmodi non fiat vnum per se, quatenus actu sunt entia completa; sed quatenus partes sunt integrantes, & in potentiâ ad constituendum aliquod totum, vt patet ex citato textu 49, vbi ait: *Vnum actu fieri ex duobus, si potentia duo sint, vt duplum ex duobus dimidijs.* Et secundum hunc sensum formalem priora axiomata vera sunt, non solum de vno per se essentiali, sed etiam integrali.

6. *Quæ differunt specie non faciunt vnum per se.* 8. Metaph. t. 9.] Intelligitur de entibus in actu, & de ijs, quæ sunt entia totalia, ac differunt specie completè: nam materia & forma physica constituunt vnum per se, & nihilominus differunt specie incompletè. Ex hoc pronunciato quidam probant, in qualitatibus, gradus intensionis, vt caloris v. c. non differre inter se specie; (vt quidam volunt) alioqui non posse illos integrare vnum calorem per se; sed hæc res controuersa est, cuius determinatio spectat ad libros de Generatione. Vide D. Thomam 3. p. q. 50. a. 5. ad 2.

7. *Quæcunque sunt vnum per se, vel sunt vnum per identitatem realem, vel per connectionem.*] Sic animal, rationale, substantia in homine sunt vnum per se propter identitatem realem: multæ guttæ aquæ faciunt vnum per se propter continuationem: materia & forma per vnionem, qua inter se copulantur.

Ratio huius pronunciati clara est, ex descriptione & diuisione vnius per se, de quâ paulò ante. Vide D. Thomam 1.p. q.11. a. 1. ad 2.

8. *Multitudo omnis, nisi incomposita futura sit, indiget conciliatrice harmonia.*] Proclus comment. 3. in Timęum, sensus est, omne Ens vnum per aggregationem, vt possit esse vnum vnitate ordinis, requirere proportionem, & accommodationem rerum inter se, veritas huius manifesta est experientiâ quotidianâ.

9. *Omne Ens per se est Vnum simpliciter.*] Ratio huius patet ex datâ ante diuisione entis per se, & per accidens; Ens enim per se idem dicitur, quod Ens vnum simpliciter: at verò,

10. *Omne Ens per accidens est multa simpliciter.*] Patet etiam hoc ex dictis: Nam Ens per accidens, siue secundum quid, vt v. c. exercitus, aut aceruus lapidum, nempe per ordinem, & aggregationem, sine vllâ continuatione aut vnione physicâ: Et est multa simpliciter, quia physicè & à parte rei sunt multa entia per se completa. De hac vtraque suppositione agit Suarez, d. 4. Metap. sect. 3. n. 6. & n. 13.

TITVLVS QVARTVS.

De Veritate & Vero.

DISTINCTIO PRIMA.

Varia Veritatis acceptio & explicatio.

1. VEritas est triplex, 1ª in essendo. Hæc est in ipsis rebus seu obiectis cognoscibilibus, vnde etiã dicitur veritas obiectiua, & fundamentalis. 2ª in

cognoscendo, hæc est in intellectu cognoscente res, seu in cognitione ipsarum rerum, & dicitur *Veritas formalis*, estque conformitas seu adæquatio intellectûs cognoscentis cum re cognitâ. Tertia in significando. Hæc est in vocibus, scriptis, & conceptibus significantibus rem sicuti est. Sumitur hæc diuisio ex Aristotele, qui 6. Metaph. in fine dicit veritatem esse in intellectu formaliter: in rebus autem, vt in causâ, seu fundamentaliter 9. Metaph. c. 12. In vocibus verò, tanquam in signo. 1. de Interpret. c. 4. Lege Suarez d. 8. metaphysicâ, sect. 8. n. 1.

2. Veritas generatim est duplex, vna simplex seu incomplexa, altera complexa, quam aliqui dicunt veritatem cognitionis, & veritatem Logicam. Sumitur etiam veritas aliquando moraliter pro virtute, quæ inclinat ad consetionem linguæ & mentis, signorum externorum, & internæ conscientiæ, & opponitur mendacio; sed de hâc agemus infra, Titulo, *de Iustitiâ*, cuius est pars potestatiua, vbi etiam de mendacio, & falsitate axiomata proponemus. Porro secũdum hanc diuisionem tria superioris numeri membra possunt subdiuidi. Nam,

3. Veritas simplex in cognoscendo, inuenitur suo modo in apprehensione simplici, seu primâ operatione intellectûs, cui respondet res siue obiectum simplex & incomplexum, in quo est simplex veritas in essendo; huic rursus rei siue obiecto incomplexo, respondere potest vox itidem incomplexa, in quâ est simplex veritas in significando. Similiter

4. Veritas complexa in cognoscendo reperitur in secunda & tertia operatione intellectûs; huic respondet veritas complexa in essendo siue fundamentalis, quæ est entitas ipsarum rerum, quæ intelliguntur; quibus rebus etiam respondent voces, in quibus est veritas complexa in significando: Sic v. c. verum est iu-

Digitized by Google

eſt iudicium, quo iudicamus, Deum eſſe trinum & vnum, veritate formali complexâ in cognoſcendo; & ſimiliter vera eſt propoſitio vocalis, quâ id affirmamus, veritate in ſignificando; ſed etiam hoc ipſum, Deum eſſe trinum & vnum eſt in ſe verum veritate fundamentali in eſſendo. Lege Suarez, loco citato, num. 10.

DISTINCTIO II.

Quid ſit Verum, & quid Veritas generatim.

1. *Omne Ens eſt ver m.*] Sumitur ex 4. Metap. ca. 5. t. 2. vbi inter alia inquit: *Verum eſt Ens eſſe, & non ens non eſſe.* Senſus itaque pronunciati eſt, omne id, quod habet aliquod eſſe, verè habere tale eſſe, in quantum eſt. Quare intelligitur præcipuè & primariò de ente reali; quod ſicuti habet eſſe, ſiue eſſentiam aliquã realem; ita verè talem eſſentiam habet, ac proinde verum ens eſt, veritate tranſcendentali; quia in ſuâ eſſentiâ eſt tale, vt poſſit gignere veram ſui cognitionem in intellectu. Opponitur ergo huic, *ens fictum*, ſiue *ens rationis*, quod ſicuti entitatem verè realem non habet, ita neque ens verum dici ſolet: poteſt tamen huic etiam præſens axioma conuenire ſuo modo; Nam vti ens reale, verum eſt ens reale, ſic ens rationis, verum eſt ens rationis. Atque hoc ſenſu omne omninò ens, ſiue logicum, ſiue phyſicum, ſiue morale, in quantum ens eſt, rectè dicitur verum; abſolutè enim & vniuerſim.

2. *Ens & verum conuertuntur.* Elicitur ex eodem capite.] Annectitur hoc axioma præcedenti; ex cuius explicatione facilè intelligitur. Sicuti namque

Digitized by Google

omne ens est verum, ita etiam omne verum est ens; dicuntur enim hæc duo ad conuertentiam, vt loquuntur Philosophi, & patet ex ijs, quæ diximus supra, Tit.3. dist 2. ad illud axioma: *Ens & vnum conuertuntur.* Atque hac de causâ falsitas propriè non est in rebus, siue in ente, vt ens est; quia res omnes actu sunt conformes cognitioni, seu ideæ diuinæ, & possunt esse conformes intellectui creato, ergo sunt veræ & non falsæ. Hinc patet, quod falsum non sit proprietas entis, alioquin etiam Deus esset falsus; & oppositæ propositiones, verum scilicet, & falsum, conuenirent eidem subiecto, id est, Enti. Quod verò in moralibus non omnis actio humana dicatur vera; cum multæ sint fictæ: & quod aliquæ propositiones logicè dicantur veræ, aliquæ falsæ, non conuenit ijs prout habent rationem entis, nec intelligitur de veritate transcendentali, quæ est proprietas entis, & de qua hic est sermo; sed de veritate morali & logicâ, vt fusiùs explicabitur suo loco.

3. *Metaphysica maximè est veritatis contemplatrix* 2. Metaph. tex. 3.] Duplici de causâ verum est hoc axioma. Primo enim sicuti omnes scientiæ veritatem rerum considerant; practicæ quidem propter opus, speculatiuæ verò propter se, nempe propter ipsam cognitionem veritatis: sic Metaphysica maximè veritatem contemplatur; quia maximè speculatiua est, & de primis entibus, ac maximè veris, & de primis causis, ac principijs veritatis differit. Secundo quia non tantum materialiter & quasi in actu exercito veritatem rei contemplatur; sed etiam quasi formaliter, & (vt sic dicam) in actu signato, inquirendo scilicet, quidnam ipsa veritas in rebus sit, & quotuplex, & quomodo ad Ens comparetur, & cum Ente conuertatur, ita docet Suarez, disp.8. Metaph. initio.

4. *Veritas est centrum intellectûs.*] Istud vulgare dictum fundatur in analogicâ sumptione nominis centrum: sicut enim ad centrum vniuersi omnia grauia naturali impetu feruntur; sic intellectus noster ad veritatem percipiendam naturali impulsu dirigitur, in cuius possessione contemplatiuâ, tanquam in suo termino, naturaliter conquiescit. Huic consentaneè dixit Aristoteles 6. Eth. c. 2. *Veritas bonum est intellectus nostri, falsitas autem malum.*

5. *Intellectus est verus, etsi non aliquid de aliquo.* 1. de animâ c. 6.] Sensus est: Etsi intellectus nihil enunciet de aliquo; potest tamen esse verus. Est itaque intelligendum hoc dictum, de incomplexâ veritate cognitionis, quæ est in simplici apprehensione, siue prima operatione intellectûs; quando nimirum simplex conceptus in repræsentando, est conformis obiecto, siue rei, quam repræsentat, vt cum aliquis animal rationale apprehendit, tanquam quidditatem hominis. Talis veritas cognitionis incomplexa, datur in Deo & Angelis, quorum cognitio est simplex, id est, sine compositione & diuisione.

6. *Verum & falsum consistit in compositione & diuisione.* l. 1. de Interp. c. 3.] Intelligitur de veritate complexâ formali, quæ est in secunda operatione intellectûs, quâ intellectus formaliter est in actu exercito cognoscit conformitatem aut difformitatem subiecti, v. c. & prædicati: & consequenter affirmat iudicio componente, vel negat iudicio diuidente vnum de alio, in quo iudicio propriè veritas formalis, aut falsitas consistit. Huiusmodi veritas potest etiam esse de non ente, quia intellectus potest iudicio diuidente negare ens & proprietates entis de illo, vt v.c. priuatio est non ens; chymæra nihil in se habet reale: huiusmodi enim vetæ sunt enunciationes.

7. *Verum & falsum est in mente, non in rebus.* 6. Metaph. c. & t. vltimo.] Loquitur Philosophus de eâdem veritate formali complexâ, quæ est in iudicio intellectûs; quia enim veritas speciali modo est in compositione & diuisione intellectûs, ideo quasi per antonomasiam, vel analogiam specialiter dici solet de illâ veritate, quæ est in compositione & diuisione, vt rectè notat Suarez dis. 8. Metaph. sect. 7. num. 37.

DISTINCTIO III.

Veritatem esse cognitu difficilem, &c.

1. *Veritatem homo difficulter assequitur.* Traditur à D. Augustino l. 12. Confess. cap. 1. & sequentibus.] Etsi naturali propensione ad veritatis cognitionem feramur; cum veritas sit quasi centrum nostri intellectûs, vt explicatum est distinctione proximè superiore: inest tamen nobis difficultas eam assequendi, & perfectè in omnibus penetrandi, vt docet Philosophus l. 2. Metap. c. 1. & l. 4. c. 5. & seq. vbi fusè disputat contra eos, qui non solum difficile; sed etiam impossibile putant, sinceram assequi veritatem. Oritur autem hæc difficultas, 1° ex improportione obiectorum, & nostri intellectûs, qui in rebus inferioribus cognoscendis deficit propter earum imperfectionem, in rebus sublimioribus propter earum perfectionem. Vt bene docet Suarez d. 9. Metaph. sect. 3. Fonseca in c. 1. l. 1. Metaph. q. 1. & alij communiter. 2° quia veritas in singulis rebus est vna tantum, & vno solum modo attingitur: at verò multis modis ab eâ, quasi à scopo aberratur. Nam:

2. *Veritas consistit in indiuisibili.*] Commune

Digitized by Googl

istud Philosophorum proloquium, intelligendum est, de veritate formali, siue de veritate cognitionis, quæ quia consistit in omnimodâ adæquatione intellectûs cum re intellectâ, ideo in indiuisibili consistere dicitur, & non admittere magis vel minus. Est enim veritas instar pũncti & scopi, qui tantum vnicâ & certâ viâ attingi potest; ac proinde, si intellectus attingat, & iudicet rem esse, sicuti est, dicitur verus; si non attingat, etsi vel minimum aberret, dicitur falsus, nec quicquam inter hæc duo potest dari medium, vt doctè ostendit Suarez disp. 9. Metaph. sect. 1. n. 23. Hinc ex propositionibus veris vna non est verior altera formaliter, sicut ex duabus lineis æqualibus, vna non est magis æqualis, quàm altera: ita Ferrariensis l. 1. cont. gen. c. 13. ad primum. Veritas tamen fundamentalis non ita consistit in indiuisibili, & vna propositio esse potest verior altera materialiter, seu ratione fundamenti, & obiectiue. Nam sicuti se res habet in esse, ita etiam in veritate, vt mox explicabitur.

3. *Non omne, quod apparet, est verum.* 4. Metaph. t. 24.] Fertur olim sibi persuasisse Protagoras, & alij, contra quos loco citato disputat Philosophus, res omnes, esse tales, quales apparent; sed difficulter id huic seculo vel ipse, vel alius quicunque persuaserit, in quo, luce clarius est, quædam habere veritatis apparentiam, non verò essentiam; &, vt in alio vulgari diuerbio est, non omne id esse aurum, quod splendet: *Multa* siquidem *videntur, & non sunt*, non in naturalibus modò, in quibus adulterinæ species perfæpe sensum, siue externum, siue internum, decipiunt; sed in moralibus etiam, & conuersatione quotidianâ, vbi, pró dolor! subinde exulat germana sinceritas, & pharisaica dominatur peruersitas.

4. *Opinans curare debet de veritate, vti infirmus de sanitate.*] Depromitur ex 4. Metaph. c. 4. t. 18. sub finem capitis & textûs, vbi rationem addit, quia is, qui scientiam non habet; sed opinionem duntaxat, si conferatur cum sciente, æger quodammodo est, & non bene ad veritatem dispositus: Monet hoc salubri documento Philosophus, eos, qui nihil certò se scire, sed opinari solummodo fatentur more ægrorum, qui suum morbum agnoscunt, diligentius curare debere, vt veram de rebus scientiam assequantur: Cognitio enim, quæ verisimilitudini seu probabilitati innititur, est infirma quædam rerum notitia; quæ tamen diligenti studio in certam scientiam potest conualescere. Itaque quemadmodum ægrotanti (quod ait Alexander) curandum est, vt medicamentis salubribus adhibitis conualescat, sic valentibus, qui inchoatam cognitionem habent, danda est opera, vt perfectam scientiam nanciscantur.

5. *Veritatis inuentio, solutio est dubitationis.*] Clarum est hoc dictum ex terminis: ideo enim veritas inquiritur, vt dubitatio soluatur. Citari autem solet præsens effatum ex l. 7. Ethic. c. 2. vbi quidem in terminis non habetur; tantum enim dicitur, in fine capitis: *Dubitationis solutio est inuentio*; rectè nihilominus subintelligitur, *Veritatis*, & additur pronunciato; vt perspicuum fiet legentibus verba textûs.

DISTINCTIO IV.

Veritas sequitur ipsum Esse.

1. *VTi secundum esse vnumquodque se habet, ita & secundum veritatem.* 2. Metaph. c. 1. t. 4. in fine capitis & textûs.] Docet hoc axiomate Phi-

Digitized by Google

losophus; sicuti vnumquodque est, ita etiam esse verum; & quod magis est, vel minus perfectè ens, etiam magis esse, aut minus perfectè verum, veritate nimirum fundamentali, quæ est veritas in essendo: cum enim ea veritas sit quædam passio entis, transcendentaliter omnibus entium generibus conueniens, quantò res aliqua perfectiorem habet, vel imperfectiorem gradum entitatis, tantò quoque maiorem habet, vel minorem rationem veritatis, quo sensu dicitur vnum esse verum, alterum verius, aliud verissimum. Nam

2. *Veritas sequitur vniuscuiusque rei essentiam.*] Elicitur ex eodem textu: Eâ de causâ Deus, qui est primum & perfectissimum ens, habet summam & perfectissimam rationem veritatis: reliquæ verò res ab eo, in suo esse dependentes, habent minorem: Est enim Deus ratio suæ veritatis (vt sic dicam) & est origo & mensura omnis veritatis, quæ in creaturis reperitur. Vniuersim verò loquendo, quantò immutabilius est fundamentum, seu potiores habet causas veritatis, tantò erit verius obiectum, veritate nimirum obiectiuâ & materiali in essendo. Hinc eæ propositiones, inter quarum prædicata & subiecta est naturalis, necessaria, & infallibilis connexio, habēt maiorem veritatem fundamentalem, quam illæ, inter quarū subiecta & prędicata, est connexio accidentalis, & mutabilis; quo sensu textu citato Philosophus inquit:

3. *Principia semper existentium verissima sunt.*] Similiter illæ propositiones habent maiorem veritatem, quarum subiecta & prædicata magis abstrahunt à materiâ, & motu; quia hæc duo secundum Philosophos sunt origo & radix mutationum: Hinc scientiæ Mathematicæ maiorem habent veritatem fundamentalem (de eâ enim hîc

præcipuè sermo est) quàm Physica;& Metaphysica adhuc maiorem; quia huius obiectum est magis abstractum à materiâ, & per consequens minus mutabile.

4. *Ex eo quod res est, vel non est, propositio vera, vel falsa est:* in Prædicamentis cap. de Substantiâ.] Sensus huius Axiomatis clarus est ex dictis: intelligitur autem propriè de veritate in significando, quæ est in propositione vocali, ita vt illa propositio sit vera, quæ ita rem esse significat, sicuti est; illa falsa, quæ ita rem esse significat, sicuti non est: potest etiam intelligi de veritate in cognoscendo, siue de veritate formali, quæ est in propositione & iudicio mentali; vtraque enim ab esse rei dependet, prior quidem à conformitate rei significatæ ad vocem vel propositionem significantem; posterior verò à conformitate iudicij ad rem iudicatam. Atque hoc eodem sensu intelligitur etiam istud:

5. *Verus est intellectus propter rem: non autem res propter intellectum.*] Depromitur ex 9. Metaph. c. 7. t. 21. vbi pulchrè id explicat hisce verbis: *Non enim propterea, quod nos te verè putamus album esse, tu albus es: sed propterea, quod tu albus es, nos, qui dicimus, verum dicimus.*

6. *Omnis enuntiatio est vera vel falsa.*] Est commune dictum Philosophorum, quod intelligi debet, non de veritate transcendentali, quæ omni omninò enti conuenit, & cum eo conuertitur; sed de veritate formali & in significando; Etenim omnis illa enunciatio vera dicitur, quæ significat id, quod est, esse, aut quod non est, non esse: Falsa verò, quæ significat id, quod est, non esse, aut id, quod non est, esse; ac proinde, inquit Aristoteles l. 9. Metaph. textu 21. iam citato: *Verum dicit, qui diuisum diuidi & compositum componi putat: falsum autem, qui contra, quàm*

Digitized by Google

res se habeant, aut quando sunt, aut non sunt. Est autem verum axioma in sensu composito, in quo particula, *vel* sumitur disiunctim, ita vt nectat partes vnius extremi: veritas enim & falsitas semper omni enunciationi conueniunt sub disiunctione, vt pluribus explicat Fonseca l. 8. Dialect. c. 9. Sumitur autem propositum axioma, ex lib. 1. de Interp. cap. 4. vbi enunciatio definitur: *Oratio quæ vera est, vel falsa.*

DISTINCTIO V.

Veritatem fundari in esse.

1. *Omnis veritas fundatur in aliquo esse.*] Sumitur ex 2. Metaph. t. 4. & intelligitur de omni veritate, quæ est siue in cognoscendo, siue in significando: vtriusque enim fundamentum est veritas in essendo, quæ propterea veritas materialis, siue fundamentalis dicitur, & immediatè comitatur ipsum esse, quod est fundamentum illius non re, sed ratione distinctum; ipsa siquidem veritas in essendo, siue veritas fundamentalis est ipsum esse rei prout conforme, aut conformabile est cognitioni intellectûs, ac proinde in eo omnis veritas fundari dicitur; cognitionis quidem & signi, siue veritas in cognoscendo & significando, mediatè & secundum rem; rei autem cognoscendæ veritas, siue fundamentalis immediatè & secundum rationem. Cæterum hoc esse rei, in quo veritas omnis fundari dicitur, non semper necessariò est actu reale, siue actualiter existens, sed etiam potentiale, siue identitas aut diuersitas obiectiua terminorum, vt iam explicabitur.

2. *Omnis veritas propositionis affirmatiuæ fundatur in identitate extremorum.*] Sumitur ex 9. Meta. t. 21.

& traditur à Suarez disp. 31. metaph. sect. 12. n. 46. consequitur hoc dictum ex superiore, quo omnis veritas in aliquo esse fundari dicitur: Nam vnitas vel identitas extremorum, licet à nobis concipiatur complexo modo, per modum coniunctionis prædicati cum subiecto, quo sensu loco citato, ait Aristoteles: *Verum is dicit, qui composita componit*: tamen in re nihil aliud est præter ipsam simplicem rei essentiam vel entitatem; ita vt huius propositionis v. c: *homo est animal*, sensus sit hic, homo nihil aliud est, vel potius; homo non habet aliud esse, secundum genus suum, quàm esse animalis; ac proinde veritas huius propositionis fundatur in ipso esse hominis, qui nimirum essentialiter est animal: Item in hac propositione: *Petrus est albus*, est aliqua identitas prædicati & subiecti; licet enim albedo in abstracto sumpta, prout est forma quædam physica accidentalis, differat realiter à Petro, proindéque nemo verè dixerit; Petrus est albedo: tamen album in concreto sumptum, habet identitatem cum Petro, qui ponitur esse albus: Nam etsi explicitè significet formam accidentalem, implicitè tamen & materialiter connotat id, cui forma inest, & ita idem est cum suo subiecto, de quo prædicatur verè per modum identitatis, & eadem est ratio de omni verâ propositione accidentali. Vide, si libet, Suarez loco citato.

3. *Omnis veritas propositionis negatiuæ fundatur in diuersitate extremorum.* Elicitur ex eodem Aristotelis textu, & insinuatur à Suarez loco citato.] Sensus huius proloquij idem est, cum proximè superioris, & eadem vtriusque est ratio: quemadmodum enim veritas propositionis affirmatiuæ consistit in eo, vt prędicatum suo modo idem sit cum subiecto, de quo affirmatur; ita similiter veritas propositionis negatiuæ in hoc consistit, vt prædicatum non sit idem, sed

Digitized by Google

diuerſum ab ſubiecto, de quo negatur: ac proinde ſicuti teſte Ariſtotele, verum ille dicit, qui compoſita componit, ſic nihilominus, eodem auctore: *Verum is dicit, qui diuiſa diuidit*, ibidem. Oppoſitorum ſiquidem eadem eſt ratio & ſcientia, vt explicabitur infra, Titulo *de Oppoſitis*.

4. *In propoſitionibus affirmatiuis æternæ veritatis, eſt perpetua extremorum identitas.*] Sumitur ex S. Auguſtino, l. 2. de libero arbitrio, & ex D. Anſelmi Dialogo de veritate c. 14. & alijs, ac traditur à Suarez loco citato: ſimiliter, ſecundũ eoſdem auctores:

5. *In propoſitionibus negatiuis æternæ veritatis, eſt perpetua extremorum diuerſitas.*] Infertur vtrumque hoc pronunciatum ex duobus proximè antecedentibus: ſicut enim abſolutè veritas propoſitionis affirmatiuæ fundatur in aliquâ identitate extremorum, negatiuæ verò in diuerſitate abſolutè; ſic æterna veritas propoſitionis affirmatiuæ fundatur in perpetuâ extremorum identitate: negatiuæ verò in perpetuâ diuerſitate & incõpoſſibilitate; ita vt in illa ſemper vera ſit affirmatio, in hac verò ſemper vera negatio, idque ſiue extrema exiſtant actu realiter, ſiue non. Etenim identitas & diuerſitas, cum ſint proprietates entis (nam, *Idem & diuerſum reuocantur ad vnũ*, vt aiunt Philoſophi) in omni ente, ſeu in omni ſtatu entis cum proportione reperiũtur: Vnde ſicut homo exiſtens, & animal in re ſunt idem: homo verò exiſtens, & lapis diuerſa; ita homo poſſibilis, ſeu qui obijci poteſt cognitioni, identitatem habet cũ animali, & diuerſitatẽ cum lapide proportionaliter ſumptis: ac proinde hæc identitas, ſiue neceſſaria connexio extremorum, & hæc diuerſitas, ſiue neceſſaria incompoſſibilitas extremorum poteſt fundare æternã veritatem in huiuſmodi propoſitionibus affirmatiuis & negatiuis. Lege, ſi libet, Suarez loco citato.

6. *Omnis veritas propositionis conditionatæ fundatur in veritate absolutæ præiacentis.*] Commune istud Philosophorum axioma patet inductione. Nam veritas huius, v. c. conditionatæ : Si Petrus currit, Petrus mouetur, nititur veritate huius absolutæ : omne currẽs mouetur. Item huius veritas : si est homo, est animal, fundatur in eo, quod omnis homo sit animal: eadem est ratio in alijs. Videri potest Suarez, sect. citatâ, num. 45.

TITVLVS QVINTVS.

De Bonitate & bono.

DISTINCTIO PRIMA.

Variæ Boni diuisiones.

1. BONVM est duplex, verum, & apparens tantum : Bonum verum dicitur, quod est tale, quale existimatur & cognoscitur : Bonum apparens dicitur, quod in re non est tale, quale existimatur & apparet. De priori hîc præcipuè agetur.

2. Bonum verum est duplex ; aliud enim est bonum alteri, quod vocant respectiuum. Bonum in se est, quod habet perfectionem sibi debitam : Bonum alteri, quod habet perfectionem alteri conuenientem.

3. Bonum in se est triplex, essentiale, integrale, accidentale ; Essentiale bonum est, quod habet essentiam sibi debitam : quo modo puer dicitur verus & bonus homo essentialiter, licet careat magnitudine, & alijs accidentibus viro debitis; sufficit enim, quod sit animal rationale. Integrale est, quod habet perfectionem integralem sibi debitam : sic dicitur bonus

Digitized by Google

homo, qui habet 5 ſenſus, omnia membra, &c. Accidentale eſt, quod habet accidentia ſibi debita & proportionata: ſic dicitur bonus, qui eſt generoſus, acer, &c. Quanquam hæc duo membra poſteriora ſæpius confunduntur.

4. Vnumquodque horum ſubdiuiditur in naturale, morale, & artificiale. Bonum naturale eſt, quod conuenit naturæ vt ſic, ſiue quod conſiſtit in aggregatione ſeu integritate eorum omnium, quæ naturaliter in rei cuiuſpiam entitate requiruntur. Bonum morale eſt, quod conuenit rectæ rationi vt ſic, ſiue, vt ait Scotus, quod conſiſtit in aggregatione eorum omnium, quæ conueniunt non abſolutè, & ex naturâ rei, ſed ſecundum rectam rationem. Bonum artificiale eſt, quod conforme eſt regulis Artis. Vide Ariſtotelem l. 1. Mag. Moralium c. 3.

5. Bonum alteri itidem eſt triplex, Honeſtum, Delectabile, Vtile. Bonum honeſtum eſt, quod per ſe conuenit alterius naturæ, abſtrahendo à delectatione: Bonum delectabile eſt, quod per ſe alterum delectat: Vtile eſt, quod per ſe non conuenit naturæ, nec delectat; ſed iuuat ad illorum alterum conſequẽdum. Hæc differunt inter ſe ratione formali, licet à parte rei; eadem res poſſit omnes 3 rationes ſubire: ſic amor Dei eſt honeſtus, quia conuenit homini per ſe; eſt delectabilis, quia delectat; eſt vtilis, quia ducit ad vitam æternam. Vide Hurtado diſp. 7. Metapli. n. 49.

6. Singula hæc triplicia ſunt; alia enim ſunt bona fortunæ (quæ extrinſeca appellari ſolent) alia bona corporis, alia animi. Bona fortunæ ſunt diuitiæ, honor, &c: Corporis, valetudo, robur, pulchritudo, &c: Animi Bona triplicia iterum ſunt, 1° naturalia, quæ à naturâ ipsâ conferuntur, vt acumen ingenij, propenſio ad virtutem; 2° acquiſita quæ ſtudio

comparantur, vt scientiæ, virtutes, &c: 3° denique supernaturalia, quæ cum naturæ vires excedant diuinitùs conferuntur, vt virtutes Theologicæ, &c.

7. Aliud est bonum simpliciter, aliud secundum quid; quæ diuisio variè potest intelligi; primariè autem hoc sensu, vt bonũ simpliciter sit idem, quod perfectũ in omni genere, cuiusmodi est solus Deus, iuxta illud: *Nemo bonus, nisi solus Deus*, Marci 10: Et bonum secundum quid sit idem, quod perfectum in aliquo certo genere, cuiusmodi bonum sunt omnes creaturæ. Huic diuisioni consonat illa, quâ bonũ diuiditur per essentiam, & per participationem.

DISTINCTIO II.

Axiomata de Bono absolutè.

1. *Omne ens est bonum.*] Sumitur ex 1. Ethic. c. 6. vbi dicitur Bonum æquè diuidi ac Ens, & cum eo conuerti. Intelligitur autem & verum est, eo modo, quo diximus supra, omne ens esse verum, Tit. 4. dist. 2. sicuti enim veritas, ita & bonitas transcendentalis, est proprietas entis, omni ac soli conueniẽs; ac proinde qualem vnumquodque habet rationem entis, talem quoque possidet gradum bonitatis. Si quæras, quodnam sit attributum seu passio entis, vtrum bonum in se, an verò bonũ alteri, siue vtrum bonum absolutum, an respectiuum. Respondeo breuiter, vtrumque, quia omne ens reale in se bonum est bonitate intrinsecâ, seu entitatiuâ, & est bonum seu conueniens alicui alteri; imò alteri conuenire, siue bonitatem afferre non posset, nisi in se aliquam obtineret vt bene notat Suarez, d. 10. Metaph. s. 2. n. 2. Vide, si libet, D. Thomam 1. p. q. 5. a. 3. vide etiam supra Tit. 2. dist. 6. num. 10. explicationem illius: *Omne ens est alicui conueniens.*

Digitized by Google

2. *Omne quod eſt, in quantum eſt, bonum eſt.*] Habet hoc dictum D. Auguſtinus l. 83, qq. q. 24. cuius verus ſenſus coincidit, cum proximè ſuperiori ; ita tamen vt hoc illi lucem maiorem afferat. Hinc, *Deus, qui ſummè eſt, ſummè etiam bonus eſt* (vt ait idem ſanctus Doctor, lib. 1. de Doctrinâ Chriſtianâ c. 32.) *cætera, quæ ſunt, niſi ab illo eſſe non poſſunt, ac proinde in tantum bona ſunt, in quantum acceperunt, vt ſint.* Siquidem, teſte Apoſtolo: *Omnis creatura Dei bona eſt.* 1. ad Tim. c. 4. cæterùm, de hoc pronunciato fusè videri poteſt Boëtius, in libro; An omne, quod eſt, bonum ſit.

3. *Bonum reperitur in quolibet prædicamento.* Sumitur ex 1. Eth c. 6.] Quemadmodũ ens diuiditur in 10 Categorias , ità etiam bonũ in eas diuiditur, ac reperitur in illis. Etenim bonum æquè diuiditur, ac ens, & per omnia prædicamenta vagatur, vt loco citato docet Ariſtoteles, vbi expreſsè ait: *Bonũ & in ſubſtantiâ dicitur, vt mens, & Deus; & in quali , virtus , & in quanto, mediocre, & in relatione vtile; & in tempore, occaſio : & in loco, mora : & alia iſtiuſmodi.*

4. *Bonum & Ens conuertuntur.* Traditur ab Ariſtotele 1 Ethic c. iam citato, & alibi, à D. Thomâ 1. Eth. lect. 1. & alijs.] Veritas eius clara eſt ex dictis ; Eſt enim Bonum proprietas entis, ſicut vnum & verum, vt diximus ſupra Titulo 1. diſt. 2. num. 3. Intelligitur autem tum de bono in ſe, tum de eo quod eſt bonum, ſeu conueniens alteri; ſiquidem vtrũque cõcipitur per modum proprietatis, quæ omni ac ſoli enti conueniat, & cum ipſo conuertatur. Porrò hæc omnia pronunciata intelligenda ſunt de Bono entis, vt ſic, ſiue de bonitate entitatiuâ quę eſt paſſio entis, & dicitur bonitas tranſcendentalis ac eſſentialis, quo ſenſu infra dicetur : *Defectu eſſentiæ nullum ens eſſe malum* : Non autem intelligi debent, de bono integrali , aut accidentali , ſiue illud morale ſit,

Digitized by Google

siue naturale, siue etiam artificiale; multa enim sunt, quæ carent huiuscemodi bonitate, vt perspicuum sit ex huius Tituli dist. primâ, num. 3. & 4.

5. *In mathematicis non est bonum, nec finis.* Sumitur ex 3. Metaph. c. 2.] Sensus verus est, quod res mathematicæ non censeantur bonæ, quatenus præcisè subsant considerationi, vel abstractioni mathematicæ, id est, mathematicus non considerat in suo obiecto bonitatem transcendentalem aut moralem, neque tractat illud sub ratione boni, aut sub ratione finis; sed versatur circa illud sub ratione mensuræ, quam in eo considerat, præscindens à ratione boni & finis. Ita ferè explicat S. Thomas 1. p. q. 5. a. 3. ad 4. Quãuis autem Aristoteles non dicat loco citato, res mathematicas nõ esse bonas; sed: *in immobilibus non reperiri boni naturam*, & inde concludat, in mathematicis nihil demonstrari per causam finalem: tamen per immobilia intelligit omnia, quæ abstrahuntur ab omni motu & actione, qualia sunt entia mathematica, vt rectè notat Suarez, disp. 10. metaphysicâ, sect. 3. n. 19.

6. *Bonum est in rebus ante operationem intellectus.*] Explicat hoc axioma distinctionem, quæ est inter bonum verum & apparens; bonum enim apparens, solo intellectu aut phantasiâ fingitur, & apprehenditur esse, cum reuera non sit: Verum autem bonum non solum habet esse obiectiuum in intellectu, si ab ipso concipiatur; sed etiam in reipsâ existit, ante omnem actionem intellectus, vt rectè notat Suarez, disp. 10. Metaph. sect. 1. n. 3. Elicitur autem pronunciatum ex 6. Metaph. cap. & tex. vltimo, vbi Philosophus inquit: *Non enim est falsum & verum in rebus, (vt quod, bonum verum, quod verò falsum, malum) sed in mente*: Ex quibus verbis citari etiam solet istud:

7. *Bonum & malum sunt in rebus, verum autem, & falsum*

falſum in intellectum.] Significat, verum non perinde ſe habere ac bonum, nec falſum perinde ac malum, vt quemadmodum dicimus, hoc vel illud eſſe bonum aut malum, nullâ habitâ ratione intellectûs, ita dicamus eſſe verum & falſum, nullo ſpectato ordine ad illum: res enim dicuntur bonæ, aut quia perfectæ ſunt, aut quia alicui conuenientes; malæ autem, quia carent huiuſmodi perfectione aut conuenientiâ; quæ omnia, præciſo reſpectu earum ad intellectum, rebus conueniunt, at nunquam ſimpliciter & propriè dixeris, hoc vel illud eſſe verum aut falſum, niſi habitâ ratione intellectûs affirmantis aut negãtis aliquid de aliquo; nimirum ſi ſermo ſit de veritate formali, quæ & cognitionis dicitur, & per antonomaſiam, veritas appellatur, vt conſtat ex ijs, quæ diximus Titulo 4. diſt. 2. num. 6. & ſeqq. De veritate autem materialiter ſumptâ aliter res habet, vt patet ex eodem Titulo, diſt. 1. Vide Hurtado diſp. 7. Metaph. ſect. 4. num. 47.

8. *Bonum connumeratum bono, facit ipſum melius.*] Intelligitur de bono integrali & accidentali in comparatione ad aliud eiuſdem ordinis: omne ſiquidem bonum integrale aut accidentale, ſuperadditum alteri bono cuique, eiuſdem rationis, facit ipſum melius, ſi non intenſiuè, ſaltem extenſiuè: quo ſenſu aliqui docent, mundum ſimul ſumptum cum Deo, eſſe quid perfectius, quàm ſolus Deus, id eſt, Deum & creaturas eſſe plura entia perfecta, quàm ſolus Deus: Non autem intelligendum eſt de bono eſſentiali, vt ſic; quia eſſentiæ rerum conſiſtunt in indiuibili, & habent ſe vt numeri; ac proinde ſicuti denario non poteſt addi vel demi vnitas, vt tamen maneat denarius, ita neque eſſentiæ bonum aliud eſſentiale: v. c. homini non poteſt addi perfectio eſſentialis, vt tamen maneat homo.

Digitized by Google

DISTINCTIO III.

Axiomata de Bono publico & priuato.

1. *Bonum commune excellentius est priuato.*] Sumitur ex 1. Ethic. c.2. & intelligitur de eo, quod Bonum est alteri; quemadmodum enim absolutè id alteri dicitur bonum, quod ipsi conuenit & prodest; ita comparatiuè, excellentius bonum dicitur id, quod ad totam Remp.aut communitatem tantam conuenientiam dicit, quantam aliud ad quempiam priuatum duntaxat: Dixi quod tantam conuenientiam dicit ad communitatem; quia verum est axioma, manendo in eâdem quantitate virtutis, & conferendo vnum cum altero eiusdem ordinis, cum cætera sint paria. Nam prædium v. c. trium iugerum, siue proprium sit alicui ciui priuato, siue commune toti ciuitati, non ideo in se est melius, aut peius; sed si ager sit, qui tanta possit afferre commoda singulis & omnibus ciuibus, quanta alius vni priuato, tantum is haud dubiè nobilior erit. Vide, si libet, Thomã 2.2. q.152.a. 4. ad 3.

2. *Omne bonum est diffusiuum sui.* D. Dionysius c.4. de Diuinis nom. & ex illo Albertus M. 1. Eth. tract.2. c.6.] Sensus est: omne bonum natum est seipsum, siue bonitatem suam communicare cum alijs; ac proinde id, quod in plura seipsum diffundit, in certo conuenientiæ gradu, nobilius est illo quod cum vno duntaxat, vel certè paucioribus, in eodem gradu bonitatem suam communicat, cæteris nimirum paribus, iuxta explicationem axiomatis præcedentis: Sic Deus qui per essentiam summè bonus est, cum omnibus omninò creaturis seipsum, siue

Digitized by Google

bonitatem ſuam largiſſimè communicat; quemadmodum enim eſſe creaturarum eſt participatio quædam diuini eſſe, ita nihilominus bonitas earum eſt participatum quid Bonitatis diuinæ: Sic etiam inter homines, quantò vnuſquiſque melior, tanto in bonitatis ſuæ diffuſione liberalior; in quem ſenſum verè pronunciauit S. Leo:

3. *Nemo bonus ſibi ſoli bonus eſt.*] Oratione de S. Laurentio. Etenim, *hoc ipſo quis alijs prodeſt, quod illis profuturum parat; quo modo qui ſe deteriorem facit, non ſibi tantummodo nocet: ſed etiam omnibus eis, quibus melior factus prodeſſe potuiſſet*, inquit Seneca l. de Vita Beata c. 30. Hæc verò diffuſio boni dupliciter fieri poteſt; vel enim per ſeipſum cum alijs, ſe bonum communicat, conferendo eandem ſpecie, vel numero naturam; vel per ſui quandam imaginem & imitationem, vt fusè & præclarè tradit idem, ante citatus, S. Dionyſius, libro de Diuinis nom. cap. 4. parte 1. vbi etiam inter cætera habet iſtud præclarum, quo cauſam, vel quaſi cauſam diuinæ liberalitatis inſinuat:

4. *Diuinus amor non dimiſit Deum eſſe ſine germine.*] Porrò omnis iſta boni communicatio ſemper ad aliquod genus cauſæ reuocari, & iuxta varia cauſarum genera multiplex aſſignari poteſt, prima fiat in genere cauſæ finalis, quo ſcilicet omne bonũ allicit & mouet appetitum ad amorem ſui, & hanc communicationem ſeu cauſalitatem vocant Philoſophi intentionalem, de quâ expoſuit S. Thomas 1. p. q. 5. a. 4. ad 2. *Eo*, inquiens, *modo bonum eſt diffuſiuum ſui, quo finis mouet*: cum enim bonum & finis à parte rei ſint idem, vt mox explicabitur, vbicunque bonum exiſtit, ibi etiã ratio cauſę finalis inuenitur. Sic Deus, qui eſt ſummè bonus, ſummus etiam, & vltimus omnium rerum finis eſt. 2ª in genere cauſæ efficientis;

quo etiam modo Deus se communicat per creationem & gubernationem, aliasque actiones ad extra, quæ huc spectant. Simili modo omnia agentia creata suam bonitatem in ratione causæ efficientis communicant, si libera sint libere, si naturalia, naturaliter seu necessariò, & ita deinceps secundum naturam & conditionem suam. Præterea in genere causæ tum materialis, tum formalis; nam & materia se communicat formæ, & forma materiæ, & vtraque composito; qui modus communicationis propriè non cadit in Deum; quia supponit indigentiam & imperfectionem in eo, qui se communicat, quod non necessariò faciunt duo priores. Vide, si libet, Suarez tomo 1. in 3. parte in Commentario, articuli 1. qu. 1.

5. *Bonum commune præferendum est bono priuato.*] Quanto enim bonum quodcunque excellentius, tanto eligibilius: at bonum commune excellentius est priuato, eo sensu quo explicatum est: ergo etiam eligibilius est priuato, & præferendum illi, eodem sensu. Indicatur axioma libro 1. Ethic. c. 2. vbi sub finem capitis Philosophus ait: *Quanquam vnius hominis & ciuitatis idem est bonum, ciuitatis tamen comparare conseruarèque bonum maius atque perfectius esse videtur*: Pluris namque faciendum est bonum & salus vniuersæ ciuitatis, quàm vnius ciuis. Amplius tamen aliquid Philosophus citatis modo verbis significare visus est, quàm vulgaris interpretatio, & superioris axiomatis sensus præ se ferat, vt videbimus, num. 9.

6. *Publica vtilitas priuatorum commodis est præferenda.*] Axioma istud priori consonum, refertur in Iure Ciuili, authenticâ *Res, quæ, Cod. communia, de legatis.* Ratio est; quia omne totum est melius suâ parte; sed bonum commune est totum aliquod, cuius pars est bonum priuatum & particulare; ergo illud huic est præferendum: Pars enim est propter

Digitized by Google

ſuum totum, non contra: item.

7. *Omne bonum particulare tendit ad complementum boni totalis.* Sumitur ex 1. Ethic. c. 2. & refertur à D. Thomâ 1. p. q. 60. a. 5. in corp.] Intelligitur autem de bono integrali, vt ſic; quia enim omnis pars integrans ex natura ſua ordinatur ad ſuum totum conſtituendũ, etiam omne bonũ particulare, vt ſic, tãquam pars boni integralis ordinatur ad complementum eiuſdem, vt fuſiùs explicabitur, Titulo *de Quantitate*, & videre licet in diſpoſitione huius vniuerſi. Etenim omnia entia creata, veluti partes reuerà integrantes vniuerſi, inditam ſibi à Deo habent maiorem propenſionem naturalem, ad bonum & conſeruationem eiuſdem, quam ad bonum proprium. Hinc eſt, quod omnes partes vniuerſi conatu tanto conſpirant, contra vacuum; quia nimirum vacuum tollit vnionem & ordinem corporum vniuerſi, ſine qua illud ſubſiſtere nequit. Hinc eſt, quod grauia velut oblita ſuæ naturæ moueantur ſurſum, leuia deorſum ad impediendum vacuum; qui motus eſt illis violentus, ſi per ſe ſpectentur, ſecundum priuatam ſuam naturam, & inclinationem: non tamen, ſi ſpectentur, quatenus ſunt partes vniuerſi, cuius conſeruationem intendunt. Hinc & homo pro tuendo capite manum vel brachium objicit; quia capitis periculum, cum totius corporis periculo eſt coniunctum; non item brachij, aut manus.

8. *Bonum vniuerſi conſiſtit in ordine*: depromitur ex 12° Methaph. c. 10.] Ratio eſt, quia per illum in ſuo eſſe conſeruatur, & ſine illo perſiſtere nequit, vt patet per explicationem pręcedentis. Eſt autem duplex ordo vniuerſi, in quo bonum eius cõſiſtit; prior eſt ſingularum partium inter ſe: Nam in primis tres angelicorum ordinum hierarchiæ miro inter ſe ordine à Deo ſunt collocatæ; deinde reliquæ partes vni-

Digitized by Google

uersi elegantissimè distributæ, eóque ordine omnia corpora sunt à Deo disposita, vt se mutuò foueant, & quæ inferiora sunt, influxum superiorum aptissimè recipiant, atque in alia rursus transfundãt: posterior est ordo omnium creatorum ad auctorem Deum, à quo tali harmoniâ inter se coordinata sunt, & in eâdem conseruantur & gubernantur.

9. *Omne bonum, quanto vniuersalius, tanto excellentius.*] Elicitur ex citato iam sæpius cap. 2. l. 3. Ethic. ac verum est eodem sensu, quo diximus, bonum commune nobilius esse bono priuato; ratio patet ex supradictis, quia nempe sui est diffusiuum magis; ac proinde loco citato docet Philosophus; *Bonum quanto vniuersalius, tanto esse diuinius*: Etenim quo magis sui est diffusiuum, eo propiùs accedit ad diuinitatem, qui affluenter cum omnibus suam bonitatem communicat; siue, vt loquitur D. Thomas 1. Ethic. lect. 2: *quo pluribus se bonum exhibet, eo magis pertinet ad similitudinem Dei, qui est vltima causa omnium bonorum.* Bene autem notandum est, quod Aristoteles capite citato ait: *Quanquam vnius hominis idem & ciuitatis est bonum, esse tamen diuinius, si genti ciuitatibusque sit acquisitum partumque conseruetur*: non enim solum significare videtur, bonum eò esse melius, quò communius, si ita à pluribus participetur, vt aliud ab vno vel paucioribus, in eâdem quantitate virtutis, ita vt nemini detrahatur, siue plures sint, qui participent, siue pauciores: Verum etiam licet idem sit bonum, id hoc ipso quod vniuersalius est, magis procurandum esse, & maioris æstimandum. Cæterum hæc axiomata de bono communi & priuato, pondus habere debent in quauis Republicâ, aut Congregatione; Cum enim singuli ciues, & congregationis cuiusque homines partes sint & membra Totius boni illius moralis; ita

Digitized by Google

viuere eos oportet, vt minimè censeri possint otiosæ partes aut noxiæ; sed vt Bonum istud Totale per ipsos verè integretur, & perficiatur, memores illius, quod habet Cicero, in somnio Scipion: *Omnibus qui Rẽp. adiuuerint, certus est, ac definitus in cælo locus.*

DISTINCTIO IV.

De Bono per comparationem ad malum, & de hoc absolutè.

1. *Bonum est ex integrâ causâ, malum ex singulis defectibus.* Sumitur ex D. Dionysio c. 4. de Diuinis nom. & ex 2. Ethic. c. 6] Intelligitur autem de omni bono integrali & accidentali, siue naturale illud sit, siue morale, siue artificiale: illud enim omne bonum dicitur bonitate integrali & accidentali, quod habet totam perfectionem in eo genere sibi debitam: malum verò, quod caret aliqua huiusmodi perfectione; sic in moralibus, omnis ille actus est malus, quo desideratur finis bonus per medium malum, vel medium bonum ob malum finem: vt si quis furetur ad dandam eleemosynam, vel si eleemosynam det ad alliciendum alium ad peccatum: simili modo in naturalibus & artificialibus equus mutilatus, domus sine fenestra, vinum acidum aut impurum, dicuntur mala; illa quidem, quia carent parte integrali; hoc verò, quia destitutum est qualitate sibi debitâ, quæ est bonum ipsius accidentale. Prior huius axiomatis pars consonat verbis illis, Prouerb. 3. *Viæ omnes eius viæ pulchræ*: posteriorem accommodant quidam illis, quæ habentur Iacobi 2. *Quicunque totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus.* Congruè ad sensum totius axiomatis

D. Thomas 1. 2. q. 18. a. 4. & alibi, inquit, *Bonum difficilius constituitur quàm malum*; Et alius quidam: *Compendiaria res est improbitas; facile namque ac procliue est improbum euadere: at virtutes magno sudore parantur.*

2. *Defectu essentiæ nullum ens est malum.*] Elicitur ex 1. Ethic. c. 6. ex D. Augustino l. 83. qq. quæst. 24. vbi ait, *omne quod est, in quantum est, bonum est.* Ratio, quia nihil est in rerum naturâ, quod careat aut carere possit suâ essentiâ; alioquin enim esset & non esset, quod implicat contradictionem; item esset bonum in essentiâ, & simul esset malum, quod etiam dici nequit. Sic v. c. pomum putridum, si ita sit corruptum, vt desierit esse pomum, non erit pomum in essentiâ malum: quia non erit pomum; erit autem substantia aliqua in suâ specie bona, sicuti lutum, cadauer, &c: Si tamen nondum sit omninò corruptum, erit pomum in essentiâ bonum, malum verò malitiâ accidentali, propter noxias, quas habet, qualitates. Atque hinc patet, cur præcedens axioma dixerim intelligendum esse de bono & malo integrali & accidentali; non verò de essentiali; quia sc. non datur malum in essentiâ: Bonum autem essentiale datur quidem, sed quatenus tale est non potest suscipere magis & minus, cum consistat in indiuisibili, vt explicatum est supra Titulo 2. dist. 4. num. 7. & seqq.

3. *Tantò res quæpiam est melior, quantò peius est eius contrarium*; sumitur ex 8. Ethic. c. 10.] Vis huius pronunciati consistit in naturâ contrariorum, quorum secũdum Philosophos eadem est ratio. Et patet exemplorum inductione. Quantò enim v. c. iniustitia summa, siue vt 8. peior est & grauiori pœnâ digna, quam iniustitia vt duo, tantò melior est iustitia vt 8, quàm vt 2. tantum. Contra etiam;

4. *Tantò res quæpiam est peior, quantò melius est eius*

Digitized by Google

contrarium, ſic tantò peius eſt odium Dei; quantò nobilior eſt vera in Deum caritas.] Eadem eſt ratio in aliis. Intelligitur ergo vtrumque propoſitum axioma de bono accidentali, quod propriè in qualitatibus reperitur, & in quibus mutua ſit in gradibus ſimilibus ſecundum intenſionem & remiſſionem oppoſitio, vt fuſiùs explicabitur, Titulo *de Oppoſitis.* Simili modo

5. *Tanto res quæpiam eſt melior, quanto peior eſt eius priuatio.*] Colligitur ex eodem capite: ideo autem priuatio cenſetur magis aut minus mala, quia eſt rei magis aut minus bonæ priuatio; proinde ſi priuatio cenſeatur eximiè mala, ſignum eſt magnæ excellentiæ illius boni, cuius illa eſt priuatio: ſic v. c. peior eſt priuatio rationis quam viſionis, quis enim non malit cœcus eſſe, quàm inſanus? quia nimirum nobilior eſt ratio, quàm potentia viſiua. Contra etiam,

6. *Tantò res eſt deterior, quantò melior eius priuatio.*] Ratio & vis vtriuſque huius pronunciati, eadem eſt, quæ duorum ſuperiorum: dicitur autem priuatio melior, non quia in ſe bonitatem maiorem contineat (omnis namque priuatio, vt ſic, tollit rationem Entis, & per conſequens, etiam boni, ſed reſpectiuè ad bonum oppoſitum, vel ad aliam etiam priuationem grauiorem, vt pluribus dicetur infra, Tit. *de Oppoſitis.*

6. *Malum ſuperadditum malo facit ipſum deterius.*] Intelligitur de malo integrali & accidentali in comparatione ad aliud eiuſdem generis, & in ſenſu formali, prout vtrumque conſideratur ſub ratione mali: omne enim eiuſmodi malum additum alteri, auget malitiam, vel intenſiuè, vel extenſiuè, eodem ſenſu, quo ſupra diximus: *Bonum connumeratum bono facit ipſum melius*, diſt. ſecundâ huius Tituli. Quod verò aliqui objiciunt, paſſionem v. c. vel ignorãtiam coniunctam peccato, non augere illud; ſed extenuare,

Digitized by Google

nihil ad propositam rem pertinet; quia in istis non fit comparatio rerum eiusdem generis, neque etiam passio & ignorantia malitiam peccati minuunt, quatenus mala sunt integrantia, aut accidentaria, sed quatenus impediunt rationem liberi, & voluntarij.

7. *Nullum malum est summum malum.* Refertur ab Alberto 1. Eth. tract. 2. c. 5] Ratio assignatur ibidem, quia: *nihil adeo est malum, quin possit fieri deterius*: Vnde non datur summum malum simpliciter, sicuti datur summum bonum, qui est Deus glorioſus. Ratio distinctionis est, quia summum bonum est in essentiâ tale: malum autem in essentiâ non datur, iuxta huius distinctionis axioma secundum; sed in accidentibus duntaxat, quæ possunt suscipere magis & minus intensiuè vel extensiuè, vt patet per explicationem proximè superioris axiomatis.

8. *Nihil adeo noxium est, quod non aliquando prosit.*] Serpens, quem videtur genuisse natura hominibus occi ēdis; vt non immeritò dæmon serpentis effigie iam ab initio mundi primos illos omnium mortalium parentes deceperit: tamen nonnunquam est pharmacum hominibus, & ordinariè qui à scorpionibus læsi sunt, ab ijsdem remedium quærunt. Sed & ipse dæmon, qui humano generi maximè inimicus est, & tanquam leo rugiens, semper quærit, quem deuoret, prodest sæpè nobis ad meritorum incrementum. Verum est dictum hoc; sed & τὸ ἀπέρχον.

9. *Nihil tam innoxium est, quod non interdum obsit.*] Intelligein rebus humanis: Nam in diuinis locum non habet, vt ex fide certum est. Ita homines hominibus vtilissimi sunt; &, iuxta illud vetus Prouerbium; *Homo homini Deus.* Nihilominus tamen sibi inuicem sæpe maximè sunt noxij, vt est in alio

Digitized by Google

Prouerbio: *Homo homini lupus.* Pulchrè rem hanc Ouidius explicat l.2. de Triſtibus ad Auguſtum.

Non tamen idcirco crimen liber omnis habebit:
Nil prodeſt, quod non lædere poſſit idem.
Igne quid vtilius? ſi quis tamen vrere tecta
Cœperit, audaces inſtruit igne manus.
Eripit interdum, modo dat medicina ſalutem:
Quæque iuuet monſtrat, quæque ſit herba nocens.
Et latro, & cautus præcingitur enſe viator;
Ille ſed inſidias, hic ſibi portat opem.

DISTINCTIO V.

De Bono in ordine ad appetitum.

1. *Bonum eſt, quod omnia appetunt.*] Veterum iſtud axioma Philoſophorum refert Ariſtoteles & approbat 1. Ethic. c. 1. cuius initium more ſuo nobilitat hac ſententiâ doctrinali: *Omnis ars, omniſq; doctrina, atque actus, itidem, & electio, bonum quod-dã appetere videntur: quapropter bene veteres Bonum ipſum id eſſe dixerunt, quod omnia appetunt.* Deſcribitur itaque hiſce verbis Bonum per appetibilitatem, quæ ſe habet per modum proprietatis, conſequentis rationẽ boni propriè & formaliter ſumpti, & conuertibilis cum illo. Quare non eſt definitio propriè dicta, per genus & differentiã; ſed deſcriptio à poſteriori; ſiquidem ratio appetibilis eſt poſterior, quàm ratio boni, cum hæc cauſalis vera ſit à priori: quia res eſt bona, ideo appetibilis: Eſt autem intelligenda definitio eo modo, quo 1. Phyſ. c. 5. t. 4. Philoſophus ait: *ex principijs eſſe omnia*; quemadmodum enim nõ ex quouis principio fiunt omnia, ſed ſingula ex ſuis principijs, ſic non quoduis bonũ à quouis appetitur;

sed singula bona particulatim sumpta appetuntur ab ijs, quibus conueniunt, sub eâ ratione, quâ ipsis bona sunt, vel reuerà, siue quoad rem, vel certè apparenter tantum, & quoad ipsorum existimationem; Et hoc sensu verum est etiam illud:

2. *Amabile bonum: cuique autem proprium.* 5. Eth. cap. 8.] Ratio est, quia id, in quod præcipuè & per modum desiderij fertur appetitus, est bonum ipsi conueniens & proportionatum, vt docent Ethici. Præsens axioma refertur à Leonardo Lessio, de iustitiâ & iure l. 2. c. 5. qui probat ex eo, diuisionem Dominiorum iure gentium introductam, vtilem esse & commodam generi humano, quia scilicet homines facilè negligunt communia, tanquam parum ad se pertinentia: Etenim, *quod commune est, nullius est*, vt loquuntur Iureconsulti: maximè autem curant propria, iuxta dictum citatum Aristotelis, cui consonat id, quod 2. Politic. c. 2. idem habet: *De propriis maxime curant homines, de communibus autem minus.* Videri potest S. Thomas 1. p. q. 5. a. 1. in corp. & q. 6. a. 1. & q. 59. a. 1.

3. *Omne bonum est appetibile.* 1. Eth. c. 7.] Ideo nimirum, quia proxima ratio, ob quam res potest mouere appetitum, est bonitas rei, id est, perfectio & entitas rei, prout habet aliquam conuenientiam cum appetente, proinde tantundem res habet de appetibilitate ac de bonitate & contra, vt patet ex communi vtriusque conceptu: Vnde etiam

4. *Bonum & appetibile sunt idem*, sumitur ex eodem cap. & refertur à Suarez, disp. 10. metap. sect. 1. n. 2.] Fundamentaliter nimirum & à parte rei, vt rectè notat Caietanus 1. p. q. 5. a. 1. Etenim appetibile fundamẽtaliter significat principium & causam siue rationem formalem, à quâ vnumquodque habet, vt appetatur; hoc autem nihil aliud est, quàm

Digitized by Google

ipſa bonitas rei: in quem ſenſum S. Thomas 1. p. q. 5. a. 1. ait: *Ratio boni in hoc conſiſtit, quod aliquid ſit appetibile.* Differunt tamen iſta duo formaliter; quia appetibile, vt ſic, dicit reſpectum ad appetitum, & denominationem extrinſecam ſumptam ex proportione ſeu conuenientiâ inter bonum & appetitum: bonum verò vt ſic, non dicit explicitè talem reſpectum & denominationem.

5. *Bonum & finis ſunt idem.* 2. Phy. c. 3. & 1. Eth. c. 2. & alibi.] Intelligendum eſt axioma 1° de bono honeſto & delectabili; qnia hæc duo, quà talia, poſſunt ſortiri rationem finis: non autem de bono vtili; hoc etenim, quatenus tale eſt, non appetitur finaliter, ſed tanquam medium vtile ad finem. 2° intelligi debet, non de fine in actu ſecundo, ſeu finalizante, vt aiunt; quia non omne bonum honeſtum aut delectabile de facto deſideratur, mouendo appetitum ſub ratione finis: ſed de Fine in actu primo, ſeu in potentiâ, & hoc ſenſu bonum & finis ſunt idem fundamentaliter, ſicuti bonum, & appetibile, quia finis per ſui deſiderium mouet appetitum; ergo debet eſſe conueniens, ergo à parte rei eſt bonus: differunt tamen formaliter; nam bonum dicit ſolam rationem conuenientis: Finis verò dicit rationem cauſæ in ordine ad media, vel ad aliquam actionem quæ fiat propter finem.

6. *Id, quod per ſe bonum eſt, per ſe eſt expetibile;* ſumitur ex 1. Ethic. c. 7.] Ratio eius clara eſt ex dictis, quia ſcilicet appetibilitas ſequitur bonitatem rei, & conuenientiam quam habet in ordine ad alterum, eſtque illi proportionata: Eâ de cauſa capite citato dicitur, *Beatitudo eſſe bonum perfectum, & per ſe ſufficiens*, ac proinde, *per ſe ac propter ſe optabile & expetibile.*

7. *Bonum nobilius præferendum eſt bono minus no-*

bili. 3. Top. c. 1. & refertur ab Alberto M. 1. Ethic. Tract. 6. c. 2.] Verum est manendo in eodem genere; nam omne bonum nobilius, in eodem ordine nobilitatis magis eligendum est, quã bonum minus nobile, cæteris nimirum paribus, & in sensu formali: vti enim omne bonum est appetibile, ita maius bonum magis est appetibile. Cæterum præsens axioma traditur ab Aristotele, loco citato, veluti generale de elegibilibus principium, ex quo plurima alia pronunciata deducit, vt

8. *Bona sine tristitiâ eligibiliora sunt bonis cum tristitiâ.* 3. Topic. c. 2.] Verum est, cæteris paribus, iuxta explicationem præcedentis, manendo in eodem genere & gradu bonitatis; possunt etiam, per bona sine tristitiâ, intelligi *purè* bona, per bona cum tristitiâ *impurè* & *imperfectè* bona, quo sensu haud dubiè illa sunt his præferenda. Plura eiusmodi dicta possunt desumi ex eodem l. 3. Top. habet enim Aristoteles ibi bonorum eligendorum locos 70. & amplius.

9. *Id est expetibilius, quo priuari grauius dolemus.*] Traditur etiam hoc pronunciatum 3. Top. c. 2. & verum est absolutè, quoties è duobus appetibilibus, quæ inter se conferuntur, neutrum in altero includitur, quo pacto se habent E. c. visus & odoratus: quod si verò alterum in altero includatur, vel ab altero supponatur, fieri potest, vt illud sit nobis carius. cuius priuatio non sit molestior; quo pacto se habent viuere, & iucundè viuere: siquidem iucundè viuere carius est, quàm viuere simpliciter, & tamen acerbius est, priuari vitâ simpliciter, quàm priuari vitâ iucundâ, seu vitæ iucunditate, quod ex eo accidit, quia vita includitur in vitâ iucundâ. Verum hoc posteriore modo non fit recta & propria vnius ad vnum comparatio. Itaque propriè & absolutè lo-

quendo; verum eſt vniuerſaliter axioma in comparatione qualibet duorum vel plurium expetibilium, quotieſcumque fit comparatio, prout oportet: nam etiam priuari vitâ ſimpliciter, minus eſt, quàm & vitâ priuari, & ſimul iucunditate quam adiunctam habet, quemadmodum vita iucunda propter ſuperadditam iucunditatem pluris eſt, quàm vita ſimpliciter. Vide Suar. diſp. 1. metaph. ſect. 6. n. 10.

10. *Nihil appetitur niſi ſub ſpecie alicuius boni.* Sumitur ex Moral. Eudem. lib. 2. cap. 8. vbi ait Philoſophus, *neminem velle ea, quæ arbitratur mala.*] Ratio, quia nihil poteſt appeti, niſi quod poteſt mouere appetitum motione metaphoricâ, & allicere eum ad ſui deſiderium, hoc autem poteſt ſola bonitas rei, iuxta illud, *Bonum eſt, quod omnia appetunt*, & illud: *Bonum & appetibile ſunt idem*, vt explicatum eſt. Licet autem homo appetat ſæpe aliquid, tanquam vtile, honeſtum, vel delectabile, quod in re tale non eſt: ſemper tamen mouetur à verâ bonitate, i. à verâ delectatione, honeſtate, vel conuenientiâ, quam exiſtimat eſſe in re, quæ appetitur. Procedit ergo etiam tunc appetitus eius ſub ratione formali & proxima boni, quia rationem boni applicat ad aliquod particulare, in quo apparet eſſe, cum reuerà non ſit. Dixi rationem formalem proximam; quia in bono & malo tria diſtingui poſſunt, nimirum materiale, formale remotum, & formale proximum, v. c. in viſione Dei, quæ dicitur homini bona, materiale eſt ipſa entitas præcisè conſiderata, formale remotum eſt tendentia ipſius actûs in Deum, formale proximum eſt conuenientia viſionis cum homine: Cum ergo dicitur, nihil poſſe appeti, niſi quâ ratione bonum, eſt, τὸ *quâ* repetit formale proximum, & æquiualet illi propoſitioni: Nihil appetitur, niſi quatenus aliquo modo conueniens.

Digitized by Google

DISTINCTIO VI.

De malo in ordine ad appetitum.

1. *NVllus ad malum intendens operatur.* Sumitur ex 2. Moral. Eudem. c. 7. & refertur à D. Dionysio de Diuin. nom. c. 4. & 6.] Sensus verus est, nullum ens in suo opere finaliter intendere, aut appetere malum, vt sic, siue vt disconueniens: Possumus quidem alicui velle malum, quatenus illi malum est; tamen ratio volendi non potest esse, nisi bonum, quatenus bonum est: sic qui hosti imprecatur mortem, vult illi, vt malum ipsius est; hoc tamen ideo vult, quia putat sibi esse bonum, nocere hosti. Similiter potest aliquis sibi ipsi velle malum; non tamen, nisi sub ratione boni, quoad formale proximum vt explicuimus, distinct. 5. num. 10. & 11. sic homo appetit sibi ipse mortem, vt euadat aliud malũ, quod putat esse grauius morte, in quem sensum Aristoteles 2. Mag. Mor. c. 13. ait, *homines nequam appetere non esse; quia improbo magnum supplicium est aeternitas.* Vide, si libet, D. Thom. 1. 2. q. 72. a. 1. in corp. & 5. Metaph. lect. 2. tex. 2. hinc sequuntur duo alia pronunciata:

2. *Malum sub ratione mali nunquam amatur*, &

3. *Bonum sub ratione boni nunquam odio habetur.*]

Patet vtrumque ex doctrinâ, tum D. Dionysij c. 4. de Diuin. nom. dicentis: *malum esse praeter intentionem in rebus*; tum Aristotelis, locis citatis, & 1. Ethi. c. 1. vbi ait, *omnem actum intentionemque ferri in bonum*, quod tàm de appetitu naturali, quàm de animali & rationali intelligendum esse, ostendit S. Thomas 1. p. q. 19. a. 9. Et ratio vtriusque est, quia malum

lum vt ſic eſt obiectum odij : bonum verò eſt obiectum amoris : proinde amor non poteſt ferri, niſi in id quod participat rationem boni ; odium verò non niſi in id, quod participat rationem mali ; quia nulla potentia ferri poteſt extra ſuum obiectum. Atque hinc deducunt Theologi, ne quidem Deum poſſe velle malum, vt malum eſt ; cum hoc ſit extra rationem obiecti voluntatis : Et quidem malum culpæ, nec per ſe velle poſſe, nec per accidens ; ſed tantum velle id permittere : per accidens tamen poſſe Deum velle malum pœnæ, & naturæ, non per ſe quatenus malum eſt ; ſed ratione admixti boni, quod plus appetibilitatis admixtum habeat, quàm bonum illud cui repugnat : ſic Deus punire ſolet peccatores, non præcisè, vt illis noceat ; ſed vt officium iuſtitiæ vindicatiuæ exerceat, & cæteri à peccando auocentur.

4. *Nemo volens miſer eſt, aut inuitus beatus* Sumitur ex 3. Ethic. c. 5.] Vbi poſteriorem pronunciati partem in terminis habet Philoſophus, intelligitur & verum eſt hoc ſenſu, quod nemo ſibi velit aut deſideret malum quâ malum eſt, quo habito dici poſſit miſer ; nemo item odio habeat id, quod ſibi bonum eſt, quatenus tale, & quo poſſeſſo dici poſſit beatus. Ratio patet ex dictis. Lege, ſi libet, D. Thomam 1. p. q. 19. a. 10. in Corp. vbi docet, *omnes homines naturaliter appetere beatitudinem.* Simile huic effato Græcanicum circumfertur prouerbium, *οὐδὶς ἑκὼν πονηρὸς, οὐδὲ ἄκων Μάκαρ.* Quod vt verum ſit, intelligi & reſtringi debet, iuxta explicationem modo datam : *Dicere enim abſolutè* (verba ſunt Ariſtotelis loco cit.) *neminem ſuâ ſponte prauum, nec inuitum quemque beatum eſſe : alterum falſo eſt ſimile, alterum vero. Nam beatus quidem nemo eſt inuitus : ſponte autem noſtra prauitas comparatur.* Eadem reſtrictione verum eſt illud

5. *Nemo Vspiam adeo à naturæ lege discedit, vt animi causâ malus sit.* Seneca l. de Beneficiis c. 17.] quia nimirum malum ex se fugat appetitum, & quatenus tale est, nihil habet cur appetatur. Idcirco omnia naturaliter vitant malum, sub ratione mali. Eâdem de causa nemo potest appetere, non esse beatus, quia videlicet malum est, beatum non esse.

6. *Ex duobus malis minus est eligendum* : nempe si vtrumque vitari non possit.] Est commune Philosophorum ac Theologorum axioma, desumptum ex 5. Ethic. c 3. Vtitur illo S. Thomas 2. 2. q. 10. a. 11. & ex eo probat, ritus gentilium & hereticorum maioris mali euitandi causâ tolerari posse. Eodem vtitur Caietanus ibidem. Valentia tomo 3. d. 1. q. 10. p. 7. Molina Tract. 1. de iure & iusti. d. 335. & alibi passim. Ratio axiomatis est, quia in tali casu non permittitur & eligitur minus malum, quatenus malum est; sed quatenus conducit ad euitandum maius malum, quod aliter euitari non potest: ac perinde eligitur sub ratione boni vtilis seu conducibilis. Et hoc ipsa natura dictat, nam qui timet, ne capiti vulnus infligatur, solet ex instinctu naturæ brachium objicere; quia mauult brachium, quàm caput sauciari: illud enim minus malum est, quam istud. Hinc etiam excusantur Principes & Magistratus, qui aliquando permittunt vsuras, tanquam minus malum, vt notat Caietanus & alij: rationem assignant; quia si non permitterentur vsuræ, multa fierent furta, rapinæ, oppressiones pauperum. & his similia incommoda.

7. *Minus malum respectu maioris habet rationem boni.* 5. Eth. c. 3.] Verum est iuxta explicationem præcedentis, eiusque principiū est & fundamentum. Propterea enim ex duobus malis, quando vtrumque declinare, in nostrâ non est potestate, minus eligendum est; quia tum non eligitur, vt malum absolutè

Digitized by Google

(in illud enim non fertur prudens electio; ſed vt minus malum, atque adeo vt bonum,) Neque huic repugnat Apoſtoli ſententia, quâ monet: *non eſſe facienda mala vt eueniant bona*: quia aliud eſt, malum facere, vel peccare, aliud eligere, vel permittere minus malum potius, quàm maius, fieri ab alijs, quando vtrumque vitari non poteſt: ſiue illud contingat in malis culpæ, ſiue pœnæ. Nam penſatis omnibus in tali caſu nihil facere poteſt vir prudens, quod melius ſit, & ſemper poterit ſub aliquâ determinatâ ratione boni honeſti operari, quæ pro qualitate & materiâ circumſtantiarum nunquam deficiet. Vide, ſi libet, fuſiùs auctores citatos, & Henricum Henriquez in ſummâ Theologiæ l. 2. de Matrimonio c. 6.

DISTINCTIO VII.

De Bono & malo in ordine ad leges.

1. *OMne bonum eſt proſequendum, & omne malum fugiendum.*] Sunt hæc prima principia practica in rebus moralibus, quæ omnibus aliis pronunciatis Ethicis præſupponuntur; & ſunt primaria ac generalia legis naturalis præcepta, ex quibus omnia reliqua depẽdent, vt docet D. Thomas 1. 2. q. 94. a. 2. Ratio eſt; quia ſicut primũ obiectum intellectûs eſt Ens, ita primũ volũtatis obiectum eſt Bonũ: quidquid enim ab intellectu percipitur, habet rationem Entis, & quidquid à voluntate appetitur habet rationem Boni: Ergo ſicut primũ principiũ ſpeculatiuum, quo intellectus dirigitur, debet fũdari in Ente, ſic primũ principiũ practicum, quo volũtas dirigitur, debet fundari in Bono: primũ autẽ principiũ ſpeculatiuum, quod fũdatur in Ente, eſt iſtud: *Idẽ nõ poteſt ſimul eſſe,*

& nõ esse, ergo etiam primũ principiũ, quod fundatur in bono, est istud: *Bonum est prosequendũ, & malum fugiendum*: quoniã veræ scientiæ practicæ omne suum robur accipiunt à speculatiuis; proinde absolutè loquendo, primum in omnibus scientijs principium, est illud, quod fundatur in ente, vt dixi, Tit. 2. dist. 2. Cæterum ex proposito axiomata deducuntur, alia principia moralia, & præcepta legis naturalia, vt: Deum esse colendum, Parentes honorandos, nemini faciendam iniuriam, &c: Nam recta ratio ex instinctu naturæ docet, bonum esse, Deum colere, Parentes honorare, cum alijs iustè agere, &c: Et similiter indicat malum esse, Deum odisse, Parentes contemnere, furari, &c.

2. *Prohibitio malorum Vniuersalior est, quam præceptio bonorum.*] Est commune pronunciatum Philosophorum, ac Theologorum moralium. Ratio eius patet ex duplici discrimine, quod est inter præcepta negatiua, quibus malum prohibetur, & affirmatiua, quibus bonum præcipitur. Nam primo præcepta negatiua obligant semper & pro semper, vt loquuntur in Scholis: affirmatiua autem non pro semper; sed ijs solum temporibus, quæ vel recta ratio ex circunstantiarum consideratione, vel superioris voluntas legitimè præscripserit. 2° præcepta negatiua prohibent omnes malas actiones: affirmatiua autem non præcipiunt omnes bonas actiones; quia multæ actiones sunt consilij. Vnde etiam ad conseruãdum amorem Dei super omnia non est necessaria voluntas, etiam implicita, faciendi omnia opera bona, quando non sunt præcepta in specie: Cum tamen amor Dei super omnia haberi non possit, nisi simul saltem implicitè voluntas detestetur omnia peccata mortalia: implicat enim, vt amem Deum super omnia, & simul velim peccare mortaliter. Possum

Digitized by Go

tamen amare Deum ſuper omnia, & ſimul nolle hîc & nunc hoc vel illud bonum opus facere. Atque hinc patet, minus commodè proponi à quibuſdam primum axioma, his verbis: *omne bonum eſt faciẽdum, & omne malum fugiendum*: Licet enim omne bonum amore complectendum ſit, ſaltem in vniuerſali; non tamen neceſſariò eſt faciendum, quemadmodum omne malum omittendum. Videri poteſt Suarez, tomo 4. in 3. p. diſt. 4. ſect. 8. n. 7. &c.

3. *Melius eſt facere bonum, quàm omittere malum*, &
4. *Deterius eſt facere malum, quàm omittere bonum.*] Intelligitur vtrumque & verum eſt, manendo in eâdem materiâ, & cæteris paribus: ſic grauius eſt, omnium ſententiâ, odio habere, quàm non amare, errare in fide, quàm non credere, contumeliam exhibere parentibus, quàm non exhibere honorem. Ratio, quia illud peius eſt, & grauius peccatum, quod magis diſtat à virtute; ſed odium Dei, v. c. magis diſtat ab amore Dei, quàm ſola carentia amoris, ſicut nigrum plus diſtat ab albo, quàm ſimpliciter non album, quia ſcilicet contrarium magis diſtat à ſuo contrario, quam ſimplex eius negatio, vt explicabitur infra, Titulo *de Oppoſitis*, diſt. 7. n. 4. His accedit, quod commiſſio habitum generet, multáque damna afferat ſi mala ſit; & commoda ſi ſit bona: hæc autem non conſequuntur ex purâ omiſſione. Hiſce pronunciatis conſonat id, quod dixit Ariſtoteles 7. Ethic. c. 7. *Vincere melius eſt, quàm non ſuperari.* Videatur, ſi libet, S. Thomas 2. 2. qu. 79. art. 4.

5. *Nemo meretur præmium, niſi per actum bonum.* Traditur à D. Thoma. 1. 2. qu. 71. a. 5. ad 1. & 2. 2. q. 79. a. 3. ad 4.] Facit hoc axioma morale ad clariorem explicationem præcedentium. Senſus eius eſt, neminem dignum cenſeri aliquo præmio, vt ſic,

nisi positiuè operetur bonum propter ipsum, id est, nisi bonum voluntarium sit, propter honestatem: nihil autem potest esse voluntarium propter ipsam, sine expressè actione voluntatis. Vnde Caietanus docet, quando quis aliquid facit voluntariè, ex quo credit secuturum aliquod bonum, si non habet expressam voluntatem illius boni, ratione illius nihil meretur; quia scilicet non agit propter honestatem illius boni. Loquimur autem hîc de merito propriè dicto, quale datur in actibus hominis iusti. Vide Becanum c. 5. de Merito. q. 1.

6. *Nemo puniendus est sine causâ.*] Pronunciatum hoc, quoad sensum refertur Regulâ 23. iuris in 6. hisce verbis: *Sine culpâ, nisi subsit causa, nemo est puniendus.* Quasi dicatur, puniri quidem quis potest sine culpâ, etiam præsumptâ: non tamen sine omni causâ; debet enim subesse aliqua ratio vel causâ, vt iustè puniatur. Sic effractores carcerum puniuntur aliquando sine culpâ: non tamen sine causâ: vt nimirum maior sit custodia carceris. Quare ex pœnâ non semper licet inferre culpam; sufficit enim ad illam infligendam, vt vel culpa præcesserit, vel certè non sine causâ infligatur. Vide Becanum *de Legibus*, c. 7. q. 8. n. 3. Vasq. 1. 2. d. 174. n. 21.

7. *Carere bono habet rationem mali.* 5. Ethic. c. 1. & c. 2. sub finem.] Ratio huius manifesta est, quia malum propriè dicit carentiam bonitatis, hoc sensu verum est istud vulgare: *Nil boni agere est facere aliquid mali*: sic malus habetur agricola. Et vulgò malè agere dicitur, qui non serit, nec metit, nec manibus suis laborat, sed domi desidet otiosus; etsi cæteroquin mores distortos non habeat: sic etiam seruus censetur dignus esse plagis, qui licet non contumax sit aut rapax, otio tamen & torpore dissoluitur.

Digitized by Google

8. *Non sunt facienda mala, vt eueniant bona.*] Sacrum istud axioma vsurpat Suarez tomo 4. in 3. p. dist. 3. sect. 10. n. 10. & ex eo probat, potius permittendum esse quodcunque peccatum alienum etiam grauissimum, quàm proprium peccatum, etiam leuissimum committendum. Id quod communiter docent Theologi in 4. dist. 17. Et ratio est; quia si secundum rectam rationem peccandum mihi foret, ne alius peccaret, illud non esset in me peccatum; repugnat enim, esse secundum rectam rationem faciendum, & esse peccatum: Si autem secundum rectam rationem faciendum non est; ergo secundum rectam rationem potius permittendum est alienum peccatum, quàm proprium committendum.

9. *Non licet se defendere cum damno innocentis.*] Vtitur hoc pronunciato Maior in 4. dist. 15. quod vt vniuersaliter verum sit, intelligendum est, quando defensio ipsa est causa inferens damnum: Si verò ex defensione, tanquam ex occasione per accidens sequatur damnum, & aliàs quis vtitur iure suo, poterit se nihilominus defendere. Quare non liceret v. c. defendere propriam vitam fugiendo in equo, si rursus equi futurus esset nocumento proximo innocēti, iacenti in itinere, quia iam assumeretur, vt medium, cursus equi, qui per se causa est mortis innocentis, ex hypothesi: at verò alio modo, esse occasionem damni innocentis, vtendo iure proprio, absque vllâ cooperatione tendente ad nocumentum: non videtur illicitum. Ita Vasquez, Tom. 2. in 1. 2. disp. 74. num. 13.

DISTINCTIO VIII.

De Bono & malo Hominis.

1. BOnum *hominis est, secundum rationem esse*, & contra

2. *Malum hominis est, quod est præter rationem.* D. Dionysius c. 4. de Diuinis nom. part. 4. & ex illo D. Thomas 1. 2. q. 18. a. 5. in corp.] Vbi inde probat, in actibus humanis bonum & malum dici per ordinem ad rationem. Ratio axiomatum est, quia, vt ibidem S. Thomas ait: *Vnicuique rei est bonum, quod conuenit ei secundum suam formam; & malum, quod est præter ordinem suæ formæ*: quo modo frigus respectu aquæ bonum est, quia conuenit ei, secundum suam speciem; calor autem respectu aquæ dicitur malus; quia accidit ei præter ordinem suæ formæ. At verò homo, quatenus homo est, siue secundum formam suam, est ens rationale; itaque quod est secundum rationem, id illi est bonum: quod verò præter vel contra rationem, malum est hominis. Vide etiam, si libet, S. Thomam 1. p. q. 49. a. 3. ad 5.

3. *Bonum animæ est optimum bonum.* Sumitur ex 1. mag. Moral. c. 5. & 2. Moral. Eudem. c. 1. & ex 7. Politic. c. 1.] Intelligitur axioma, & verum est comparatiuè, inter bona corporis, animi, & fortunæ collatione factâ, horum enim omnium ex genere suo optima sunt bona animæ, vt perspicuum est ex distinctione prima huius Tituli. Sic virtus, quæ animæ ornamentum est, nobilior est pulchritudine, quæ corpus ornat, & diuitijs, quæ externa sunt bona, vt pluribus explicabitur infra, Tit. *de Virtute in genere.* Videri potest D. Thomas 1. 2. q. 2. a. 5. ad 1. eodem

Digitized by Google

ſenſu intelligendum eſt iſtud:

4. *Omnium humanorum bonorum libertas eſt maximum.*] Dionyſij Halicarnaſſ. lib. 11. idem dixiſſe Diogenem ſcribit Laërtius lib. 6. eodem ſenſu regulâ 106. iuris antiqui libertas dicitur, *Res inæſtimabilis*, contra verò, *ſeruitus mortalitati ferè comparatur*, vt habet Regula 209. Sumitur autem libertas hîc latè, pro generali poteſtate viuendi, vt velis, non in exterioribus modo, ſed etiam cum pleno dominio affectuum & paſſionum; Nam vt rectè dixit Pythagoras: teſte Stobæo ſerm. 6. *Nemo liber eſt, niſi qui ſibi imperat*, id eſt, qui nulli ſeruit inordinatæ cupiditati, nihil dolens agit, nihil coactus, aut iniurius: hoc autem contingit ſoli ſapiẽti, qui in omnibus id, quod rectum eſt, ſequitur; ſiue talis quoad fortunæ conditionem diues ſit, ſiue pauper, ſeu dominus aut ſeruus, &c: in quem ſenſum rectè Bion, *Boni famuli libertate fruuntur, at mali liberi multarum cupiditatum ſerui exiſtunt.* Ita refert Stobæus ſerm. 2.

5. *Bona inferioris ordinis non æquiparantur bonis ordinis ſuperioris.*] Eſt commune dictum Theologorum & Iuriſtarum; ſenſus illius eſt, quantâcunque intenſione, magnitudine, aut multitudine augeatur, res quæpiam ordinis aut generis inferioris, nunquam tamen ita creſcet, vt eius inæqualitas, & improportio, cum al â re ſuperioris ordinis ad perfectam æqualitatem redigatur. Patet hoc in ſcientiâ humanâ acquiſitâ, quæ licet in infinitum perficiatur in ſuâ ſpecie, nunquam tamẽ par erit viſioni beatificæ. Eodem modo Theologi & Iureconſulti docent, iniuriam factam in bonis ſuperioris ordinis, non poſſe per bona inferioris rationis ad æqualitatem compenſari, vt iniuriam in vitâ, vel famâ per pecunias: Et in rebus naturalibus multæ ſpecies inferioris gradus non æquiualent vni altiori: Simili modo multa peccata

Digitized by Google

venialia, quamuis multiplicentur, per se non æquiualent vni mortali. Videri potest Suarez tomo 1. in 3. p. d. 4. sect. 7. sub finem. Lessius de Iure & Iustitiâ l. 2. c. 11. dubit. 15. & seqq.

6. *Quilibet præsumitur bonus, quandiu non conuincitur malus.*] Nempe de iure, licet non semper obseruetur de facto: ratio huius fundatur in corruptâ hominum naturâ: ratio illius est, quia hoc ipso, quod re discussâ, non constat de contrario, id est, de malitia alicuius, indubitanter præsumendum est de bonitate ipsius, nec aliter licet sine fundamento suspicari: Cum etiam dubia in meliorem partem sint interpretanda, vt explicabitur infra, Titulo *de Iustitiâ & iure in genere.* Ea tamen hîc cautela adhibenda est, vt notat D. Thomas 2. 2. q. 70. a. 3. ad secundum, ne ea præsumptio fiat in periculum alterius, & ne de facili vnicuique credatur; præsertim si agatur de quopiam ad Prælaturam vel dignitatem aliquam promouendo. Tum enim requiritur aliqualis informatio, vt bene notat Andræas Alciat. in Tract. de Præsumpt. in 3. Reg. Præsumpt. 2.

7. *Bonus non est, qui bonis actibus non delectatur.* 1. Ethic. c. 8. explicat ibidem Philosophus & probat:] Nam neque iustum eum quispiam dixerit, qui iustis non gaudet; neque liberalem, qui liberalibus actionibus non delectatur; & in cæteris eodem modo: *id enim cuique est voluptati, cuius cultor & amator est,* vt inquit Aristoteles ibidem.

8. *Aliud est, bonum esse hominem, aliud, bonum ciuem.* 3. Polit. c. 3.] Ratio est; quia ad illud sufficit sibi soli bene viuere: ad hoc verò requiritur, etiam nosse cum alijs bene agere, quirsunt eiusdem communitatis membra. Propterea interroganti cuidam: in quâ re posset melius Reipub. inseruire, prudenter respondit Philosophus, *si studeas bonus esse ciuis.*

igitized by Google

Nemo siquidem boni domini, aut famuli, aut ciuis titulum, meretur, eò quod sit pius, & frequenter oret, & sibi absolutè bonus; si interim incurius sit in suâ gubernatione, aut in obsequio, quod debet, aut si inurbanis sit moribus, & cum proximis viuere honestè non possit.

9. *Semel malus semper præsumitur malus.*] Est hæc regula 8. iuris in 6. quæ locum habet, nisi de emendatione secutâ aliquid constare possit. Procedit autem hæc præsumptio partim ex præsumentis naturâ corruptâ, partim ex corruptâ naturâ eius, de quo præsumitur. Sic ille, qui semel perfidus extitit, notam perfidiæ non facilè obliterat & illi, qui semel mentitus est, etsi deinceps vera dicat, difficulter creditur.

10. *Nemo repentè fit peßimus.*] Effatum hoc & in naturalibus locum habet, & in moralibus: nam & terra paulatim alluuione consumitur, & mala semina sensim pullulant atque adolescunt in culmum, & infirmitates siue corporis, siue animi humani, qui ante leue aliquod medicamentum satisfuissent, postquam adauctæ & inueteratæ sunt, etiam ferrum ignesque exigunt: non tamen vniuersaliter verum est, quia Lucifer ex Angelo pulcherrimo, turpissimus repente factus est diabolus: nihilominus verificatur absolutè, si consideretur cursus ordinarius, quo res humanæ, & omnia peritura in deterius ruere solent; atque hoc sensu intelligi debet pronunciatum.

Digitized by Google

TITVLVS SEXTVS.

De Perfectione & perfecto.

DISTINCTIO PRIMA.

Diuisiones Perfectionis.

1. PErfectio est triplex, essentialis, integralis, accidentalis. Patet hæc diuisio, ex diuisione boni in tria hæc eadem membra, quam vide Tit. 5. d. 1.

2. Alia est perfectio simpliciter, alia secũdum quid: Perfectio simpliciter, siue vt alij dicunt, perfectio simpliciter simplex dicitur illa, quæ in vnoquoque melior est ipsa, quàm non ipsa, id est, quæ in genere entis talem perfectiorem dicit, vt nullam maiorem vel æqualem excludat: ita sumitur ex D. Anselmo, in Monolog. c. 14. Perfectio secundum quid, seu in certo genere est, quæ licet bonitatem aliquam afferat; tamen cum aliâ maiori, vel æquali pugnat, vel imperfectionem aliquam admixtam habet: tales sunt omnes perfectiones creaturarum, prout in eis sunt. De hac videri potest Scotus in 1. dist. 8. qu. 1. ad 1. Suarez disp. 10. metaph. sect. 2. num. 35.

3. Alia est perfectio naturalis, alia moralis, alia artificialis; item alia est perfectio vera, alia apparens tantùm: & sic deinceps. Vide diuisiones Boni; nam Perfecti diuisiones coincidũt cum illis. Videri etiam potest Aristoteles 5. Metaph. c. 16. vbi varias tradit Perfecti acceptiones.

Digitized by Google

DISTINCTIO II.

De Ente Perfecto generatim.

1. *Perfectum est, cui nihil deest.* 3. Physic. t. 63. & 5. Phys. t. 21. & 5. Metaph. c. 16.] Vbi fusè agitur de perfectione & perfecto. Verum est axioma, manendo in eodem genere, in quo dicitur quidpiam perfectum. Ita vt si fuerit perfectum in essentiâ, nihil ei desit, quoad essētiam; si sit perfectum integraliter, nullâ destituatur parte sui integrante; si perfectum accidentaliter, nullum ab illo absit perfectiuum accidens: Communissimè tamen perfectum dicitur, quod est nobile in suo genere; quo modo in creaturis maximè sumitur pro perfecto perfectione integrali vel accidentali.

2. *Bonum & perfectum conuertuntur.*] Sumitur ex textibus citatis: & verum est seruatâ proportione inter bonum & perfectum; ita vt id dicatur bonum essentialiter quod est perfectum essentialiter, & contra, perfectum essentialiter, quod bonum est essentialiter: item vt id dicatur bonum integraliter, quod perfectum est integraliter, & contra, perfectum integraliter, quod bonum integraliter, & ita in cæteris pro variâ, ac proportionatâ inter se boni & perfecti acceptione.

3. *Omne Ens est perfectum.*] Sumitur ex locis citatis, & verum est ac intelligi debet de perfectione essentiali siue transcendentali, quo modo supra diximus, Tit. 5. dist. 2. omne Ens esse bonum, & inter se ista duo reciprocari: non autem intelligi potest de perfectione integrali, aut accidentali, vt clarum est ex ijs, quæ ibidem & hîc paulò ante sunt dicta; Pro

Digitized by Google

quorum maiore explicatione notandum est, Deum à creaturis omnibus nec formaliter, nec effectiuè excludere omnem imperfectionē: non formaliter; quia infinita perfectio Dei, non perficit formaliter omnia entia, nec effectiuè; quia etsi omne malū culpæ destruere possit: non tamē potest destruere omne malū naturæ; quia non potest tollere omnem carentiam perfectionis: cum non possit dare creaturis infinitam suam perfectionem; vt proinde semper in ijs maneat carentia alicuius bonitatis & perfectionis. De quâ re vide, si libet, Theologos in 1. p. vbi disputant, an infinitas Dei communicari possit alicui creaturæ, Suarez. Tract. 2. in 1. p. l. 2. c. 1. n. 7.

4. *Perfectum est quod habet omnia.* l. 1. de Cælo c. 1.] Patet hoc axioma, ex huius distinctionis numero 1°, vbi dicitur; Perfectum esse id, cui nihil deest; id enim, cui nihil deest, habet omnia in eo genere perfectionis, in quo ipsi nihil deest: sic omne id, cui nihil deest quoad sua essentialia, habet omnia, ex quibus eius essentia constituitur, item id, cui nullum accidens deest, habet omnes accidentales perfectiones, & ita consequenter in alijs perfectionum generibus.

5. *Ens simplicius est perfectius.*] Istud vulgare dictum referri solet à Theologis in materiâ de simplicitate Dei: Non autem est vniuersaliter verum, si intelligatur absolutè prout verba sonant, alioqui quodlibet elementum esset nobilius quolibet mixto, v. c. ignis homine, terra leone, &c: & pleraque accidentia digniora essent substantijs, quibus inhærēt: Est ergo verum, si comparentur inter se duo entia simplicia & indiuisibilia; falsum, si diuisibilia & capacia intensionis; quia calor v. c. vt vnum, est simplicior, quam calor vt 8. hic tamen est illo perfectior, non quidem essentialiter, cum *essentiæ consi-*

Sant in indiuisibili, vt dictum est supra, Tit. 2. dist. 4. sed integraliter seu entitatiuè : quod si per terminum *Simplicius* intelligatur id, quod magis realiter, sincere, & γνησίως est tale, absolutè & vniuersaliter verum est axioma : omne enim id, quod tali sensu est simplicius, cæteris paribus etiam est perfectius. Vide, si libet Theologos in materiâ citatâ.

DISTINCTIO III.

De Imperfecto generatim, & eius ad Perfectum ordine.

1. *Omnia nascuntur imperfecta.* Sumitur ex l. 4. de animalium part. c. 5. & ex 3. Metap. t. 3.] Verus pronunciati sensus est, omnes naturæ fœtus oriri imperfectos, eo modo, quo infra dicetur : *Natura procedit ab imperfectioribus ad perfectiora*, Titulo *de Naturâ*. Dixi *naturæ fœtus*, produci imperfectos : quia propositum axioma locum non habet in generatione æternâ Filij in diuinis, & alijs productionibus supernaturalibus : Veritas autem eius patet inductione : Nam & plantæ à paruo ortæ germine in altitudinem assurgunt, & leo nullus vnquam annosus euasit, qui prius catulus non fuerit, & vrsus informem fœtum ni lambat, vrsi figuram non videbit ; sed neque vllus vir natus est ; prius enim in pueritiam migret oportet, deinde adolescat, & à iuuentute in virum euadat : denique mineralia & in subterraneis venis aluntur, & sensim perficiuntur. Voluit autem Deus, auctor naturæ omnia oriri imperfecta, vt ipsæ creaturæ suum creatorem agnoscerent, & perfici ab eo postularent. Eodem sensu verum est illud vulgare :

Digitized by Google

2. *Imperfecta sunt priora perfectis.*] Sumitur ex eodem textu ordine nimirum generationis aut temporis, iuxta explicationem præcedentis: Sic, *Primum*, inquit præclarè Somnius, *est semen, deinde gramen, tertio seges, denique panis ad vescendum, vitæ commodus.* Item: *Primum fœtus humanus, deinde infans, postea puer, exinde adolescens, tandem vir ad omnem functionem idoneus*: & ita similiter accidit in omnibus ijs, quæ secundum ordinarium naturæ processum à statu imperfecto sensim progrediuntur ad perfectiorem, & de hisce propriè intelligitur axioma: Non verò imperfecta sunt priora perfectis ordine dignitatis ac naturæ, vt fusè explicabitur infra, Titulo *de Naturâ.*

3. *Imperfectum est inchoatio Perfecti.*] Est commune dictum Philosophorum, quod non in naturalibus modo & moralibus; sed in artificialibus etiam locum habet, sumitúrque ex 8. Phys. t. 75. & alijs: sic virtus moralis, aut scientia imperfecta inchoatio est virtutis ac scientiæ perfectæ: sic habitus scribendi aut pingendi imperfectus, disponit ad habitum in eodem genere perfectum: semper enim inchoatio alicuius ad perfectionem eiusdem ordinatur, iuxta explicationem præcedentium, & iuxta illud: *Nunquam bene, qui nunquam malè*: id est, nunquam perfectus euadet in aliqua scientiâ, virtute, aut alio quouis habitu naturali, & humano modo, per certas dispositiones acquirendo, qui nunquam incipit imperfectè.

4. *Ardua sunt rerum magnarum auspicia.* Elicitur ex 2. Elench. c. 8.] Vbi non magnarum modo; sed omnium etiam omninò rerum initia dicuntur esse maxima & difficillima; ac proinde primi artium inuentores, etsi rudem & imperfectam cognitionem tradiderint, maiori æstimantur laude digni, quàm illi,

Digitized by Google

illi, quorum operâ deinceps magis magíſque res ſunt perfectæ: Etenim, *facile eſt inuentis aliquid addere*, & vt 1. Ethic. cap. 7. Philoſophus inquit: *Cuiuſlibet eſſe videtur, ea quæ bene ſunt circunſcripta, producere, & explicare, atque exponere, tempuſque talium inuentor eſſe, & adiutor bonus: vnde & artium facta ſunt incrementa. Eſt enim cuiuslibet, id, quod deeſt, ſupplere*; quaſi dicat, ſi quis intueatur ea, quæ ab alijs ſunt primò inuenta, facilè aliquid ſucceſſu temporis videre & experiri poſſe, quod initio non fuerat animaduerſum, & ita quemlibet facilè aliquid ſuperaddere poſſe rebus inuentis: at verò prima inuentio & omnia rerum magnarum auſpicia longè difficillima ſunt, vt docet Philoſophus locis citatis; cuius ratio vel ex eo patet, quod conueniat initia eſſe rerum ſuarum ſimilia, vt idem docet in Problem. ſect. 10. iuxta illud Vulgare: *Magnorum fluminum ſunt etiam fontes mobiles*, Vide ſup. Tit. 2. diſt. 3.

5. *Omne imperfectum eſt propter perfectius.* Sumitur ex 3. Phyſ. t. 65. & 8. Phyſ. t. 75.] Simpliciter nimirum & abſolutè, quo modo partes ſunt propter totum, & creaturæ irrationales, propter rationales, & omnes hæ propter creatorem tanquam finem vltimum rerum omnium: Sic etiam materia prima, poteſt dici ſimpliciter eſſe propter formam, & compoſitum, non item forma propter materiam; quia illa eſt imperfectior: Dixi ſimpliciter & abſolutè; quia per accidens fieri poteſt, vt id quod perfectius eſt, ordinetur ad imperfectius; quo modo ſcientia humana v. c. à multis ordinatur ad obtinendas diuitias. Vide, ſi libet, Suarez tomo 1. in 3. par. diſp. 17. ſect. 4 in fine.

Digitized by Google

DISTINCTIO IV.

De Naturali studio Perfectionis.

1. *Omne imperfectum appetit sui Perfectionem.*] Indicatur à S. Thomâ in librum 1. Metaph. lect 1. eo nimirum modo, quo à naturâ aptũ est eam appetere, idque appetitu vel innato, vel elicito, vel vtroque simul: appetitu innato res omnes non cognoscitiuæ propendent in bonum & perfectionem suam; quo pacto lapis, v. c. etiam dum immotus iacet in superficie terræ appetit centrũ siue mediũ vniuersi per inclinationem naturalem ad illud. Appetitus elicitiuus duplex est, prior sensitiuus siue irrationalis: posterior rationalis; illo omnia animalia; hoc verò homines, Angeli, &c. in suam perfectionem siue bonum suum naturali propensione feruntur. Nam

2. *Id cuique bonum est, vnde perficitur.* Sumitur ex 1. Ethic. c. 7.] Veritas eius perspicua est, ex huius Tituli distinctione secunda, vbi dicitur Bonum & Perfectum conuerti siue reciprocari. Hinc quia omne Ens naturaliter tendit in suum bonum, etiam naturaliter appetit suam perfectionem. Sic materia prima appetit formam, tanquam quidditatem perfectiuam sui, iuxta Aristotelem 1. Phys. t. 81. vbi ait, Formam expeti à materiâ, sicuti pulchrum à turpi: Est enim materia non modo Ens incompletum; sed nuda etiam & informis potentia ac proinde formam appetit, cuius officium est perficere materiam, ac determinare ad certam speciem & substantiam completam. Eadem est ratio in aliis; sicuti enim, omne Ens intendit finaliter suum bonum, siue verum id sit, siue apparens tantùm, vt dictum

eſt, Tit. 5. diſt. 5. ſic etiam intendit finaliter & appetit ſuam perfectionem ; quia hæc duo inter ſe conuertuntur.

3. *Omne Ens prius in hoc propendet vt ſeipſum perficiat , quam vt aliud.*] Intelligitur de propenſione ſeu inclinatione naturali rerum omnium creatarum, quæ vt Enti cuilibet naturali ingenita eſt ad ſeſe tuẽdum & conſeruandum ante omnia alia, ita nihilominus ad ſeipſum perficiendum: Perfectio n. cuiuſcunque rei, ad conſeruationem eiuſdem, & melius eſſe naturaliter ordinatur. Hoc ſenſu rectè Tullius inquit : *Proximus egomet mihi.* Licet verò lege Chriſtianâ, Proximum æquè ac nos ipſos diligere , & conſequenter perfectionem ipſius non minus ac noſtram promouere iubeamur ; non tamen id dicto repugnat axiomati; quia nemo nobis proximior eſt nobis ipſis , nec vllus tam propinquus nobis , quam ipſi ſimus.

4. *Tum vnumquodque perfectum eſt , cum attingit propriam virtutem.*] Indicatur ab Alexandro de Ales in 5. Meta. 12. D. Thomâ in 8. Phyſ. lect. 19. & aliis; ſenſus eſt, rem quãlibet, tunc cenſeri perfectã, quãdo adepta eſt virtutẽ ſuæ naturæ conuenientẽ in ſpecie & gradu ſibi debitis : ſic homo tũ maximè perfectus eſt perfectione morali, cum perfectam acquiſiuit virtutum moraliũ poſſeſſionem; in quem ſenſũ 7. Phy. c. 3. t. 19. virtutes *perfectiones* eſſe dicũtur, quę poſſeſſorẽ ſuum in omnibus rectè diſponãt. Vnde ex eodẽ textu virtus definitur : *Diſpoſitio perfecti ad optimum.* De quâ definitione infra, Tit. *de Virtute in genere.*

5. *Quo res eſt futura perfectior eò plurium egentior.*] Effatum iſtud à D. Thomâ in 7. Metaph. lect. 6. t. 23. & in 7. Politic. lect. 12. proponitur his verbis: *Quo aliquid eſt perfectius, eò pluribus ad ſui perfectionẽ eget,* sẽſus verus eſt, plura requiri ad hoc vt perfectius

Digitized by Google

quidpiam euadat, quàm vt minus perfectum; patet in naturali generatione rerum, & immutatione, siue secundum mores illa consideretur, siue secundum naturam, aut artem; Nam & animalia, quæ dicuntur perfecta, non duratione modo, sed & intensione magis perfici solent, quàm imperfecta, & ex vtrisque illorum, pluribus perfectionibus egent ea, quæ futura sunt nobiliora. Sic inter homines, vir longiori tempore ad sui perfectionem indiget, quam mulier, & inter vtrosque, qui religiosi futuri sunt, non ita facilè pro suo statu perficiuntur, ac seculares, eadem est ratio in alijs; quia nimirum, cæteris paribus, facilius est ad inferiorem dignitatis gradum ascendere, quàm pertingere ad alium longè sublimiorem. Intelligitur ergo propriè & verum est pronunciatum de rebus mutationi & corruptioni subiectis: eæ enim quo perfectiores sunt, eò pluribus indigent ad finem suum consequendũ: secus autem se habẽt res æternæ & incorruptibiles, vt docetur l. de causis c. 10.

6. *Perfectio cuiusque rei est difficillima.*] Intelligitur pronunciatum de perfectione integrali & accidentali. Eius veritas experientiâ & vsu quotidiano comprobatur: pauciſſimi namque omnimodam perfectionem etiam earum rerum, quibus maximè ſtudent, consequuntur: At verò dare aliquod initium rei est facile. Etenim non admodum difficile est acquirere, v. c. habitum aliquem moralem vel intellectualem in qualicunque gradu; at acquirere habitum scientiæ aut virtutis in gradu excellenti & absolutè perfectum; id demum est longè difficillimum.

Digitized by Google

DISTINCTIO V.

De Perfecto in ordine ad operationem.

1. [*Perfectum eſt, quod ſibi ſimile poteſt procreare.*] Refertur à S. Thomâ in 1. Metaph. lect. 1. ab Alexandro de Ales in 9. Metaph. t. 17. & aliis, ſumiturque ex 2. de animâ t. 34. Locum autem habet in plantis & animalibus perfectis; de illis enim loquitur ibi Ariſtoteles, vt perſpicuum fit intuenti verba textûs: agit namque de ijs, quæ generant ex ſemine, quæque nec mutila ſunt, aut aliis imperfectionibus impedita, aitque: *Naturaliſſimum opus viuentium eſſe, quæcunque perfecta, & non orbata, aut generationem ſpontaneam habentia ſimile ſibi procreare; animal quidem animal; plantam verò plantam, vt ſint ſemper hoc pacto, conditionemque ſubeant, quoad poſſunt, diuinam*: itaque ex mente Ariſtotelis locum habet in animalibus, & plantis; non verò in Deo, aut aliis ſubſtantiis ſeparatis: Vt tamen his etiam accommodari poſſit, D. Thomas loco citato, 1. p. diſtinctionem adhibet ac duplex ſimile conſtituit, vnum ſecundum ſubſtantiam; alterum ſecundum perfectionem ſuperadditam: Itaque ſi pronunciatum intelligatur de productione ſimilis priore modo, verum erit de viuentibus tantum ſublunaribus, vt dictum eſt ſecundum mentem Ariſtotelis; Si autem intelligatur de modo poſteriore, verum erit in ſubſtantiis etiam ſeparatis: hoc etenim ſenſu: *Superior Angelus illuminat inferiorē*, vt inquit D. Dionyſ. c. 4. & 10. Cæleſt. Hierar.: & vt inquit D. Thomas; *in cæleſtibus etiam eſt paternitas*, vt ex verbis Apoſtoli patet Epheſ. 3. *ex quo omnis paternitas in cælo & in*

Digitized by Google

terra nominatur. Porrò, quo modo in diuinis etiam processionibus locum habeat, explicabitur Tit. 11°. d. 8. n. 3. & 4.

2. *Agere multa rectè, & sæpe, difficile est.* l. 2. de Cælo c. 5. t. 63.] Vbi docet Philosophus, in agentibus naturalibus, ea cæteris paribus excellentiora haberi, quæ multa, eaque bene agere possunt; eò quod hoc perquam difficile sit. Ea enim rerum naturalium conditio est; vt quēadmodum essentiam; ita potentiam quoque siue vim agendi limitatam habeant, quæ plurimis simul æquè perficiendis minus sufficiat. Vnde non incongruè dictum est istud:

3. *Impar invenitur ad singula, qui confusâ mente dividitur ad multa.* S. Gregorius 1. Pastoral. c. 4.] Quam improuidè sibi consulant, qui in occupationibus, siue indifferentibus, siue etiam per se honestis nimij sunt, pulchrè ostendit Christus exemplo S. Marthæ, quam zelus hospitandi Christum Dominum nostrum adeo reddebat inquietam, vt ipsemet ei Christus dixerit: *Martha Martha sollicita es, & turbaris erga plurima*; quasi diceret: quamuis opus, quod præstas, sit bonum; & zelus, qui te impellit, sit honestissimus: nimia tamen sollicitudo & turbatio ista, improbabilis est; quia effundis te ad multa, non reducens illa ad *vnum* illud, quod *est necessarium*, ad exequendum scilicet in omnibus voluntatem meam. Eodem spectat consilium Ecclesiastici dicentis: *Fili ne in multis sint actus tui.* Eccl. 11. 10. id est, ne multis rebus nimiè impliceris; multa autem intelliguntur, quæ vires excedunt, & impediunt exercitium sapientiæ, quæ non obtinetur (vt idem Ecclesiasticus ait) nisi: *In tempore vacuitatis, & qui minoratur actu, sapientiam percipiet*, cap. 38. 25. Monet itaque effatum propositum, discretè suscipiendas esse occupationes, & ita moderandas, vt ne

Digitized by Google

spiritum, & animi vigorem turbent & impediant; in quam etiam sententiam est illud: *Totum spiritum suum profert stultus: sapiens differt, & reservat in posterum.* Prouerb. 29. 11.

4. *Perfectissimo Enti debetur perfectissimus modus agendi.*] Ratio est, quia ex communi Philosophorum sensu: *Modus agendi sequitur modum essendi*, Et: *sicut se res habet ad esse, ita etiam ad operari.* Patet inductione per omnes gradus Entium: Nam viuentia tantùm perfectiorem habent modum agendi, quam ea, quibus est esse tantum; & sensitiua perfectiorem habent, quàm viuentia tantum; & homo animal rationale perfectiorem habet brutis sensitiuis, & adhuc perfectiorem intelligentiæ seu substantiæ separatæ; ac denique omnium perfectissimũ habet glorioſus Deus, qui est Ens Entium infinitum, &, *operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ*, Ephes. 1. Hoc axioma in moralibus magnam cum primis vim obtinere debet; decet enim eos, qui perfectæ virtutis opinione aut dignitate præcellunt, perfectis virtutum actionibus, quod tales reuera sint, demonstrare.

Digitized by Google

PARS TERTIA.

De Ente increato.

TITVLVS SEPTIMVS.

De Deo, qui eſt Ens Entium infinitum.

DISTINCTIO PRIMA.

Prima diuiſio Entis realis, & per ſe.

ENS primò diuiditur in Ens finitum & infinitum, cui diuiſioni æquiualent iſta: in Ens creatum & increatum, in Ens à ſe & Ens ab alio, Ens dependens & independens, Ens per eſſentiam & per participationem; Ens ſimpliciter neceſſarium, & non ſimpliciter neceſſarium; Ens purè actuale, & potentiale. De quibus videri poteſt Suarez diſp. 4. Metaph. ſect. 8. & diſ. 18. ſect. 1. & 2.

Explicatis igitur axiomatis de naturâ & proprietatibus Entis in communi, proximum videtur, vt de glorioſo Deo, qui eſt, per antonomaſiam & per eſſentiam Ens, pronunciata colligamus. Ipſum namque Entium particularium numero includere viſum non fuit, cum ab eo velut infinito quodam pelago, omnia Entium creatorum genera dimanent: referemus autem breuiter hîc ea duntaxat axiomata, quæ dicuntur de Deo, vt Ens eſt, déque communionibus

Digitized by Google

attributis: Nam de Deo, vt Creator & Gubernator est, & de similibus aliò spectantibus, explicabuntur effata suis locis.

DISTINCTIO II.

Axiomata de Deo & esse Dei in genere.

1. DEVS *est.*] Hæc propositio per se immediatè, seu ex terminis nota est, secundum se quoad rem significatam; quia prædicatum est de essentiâ subiecti: Etenim Deus essentialiter est suum esse, vt mox fusiùs explicabitur, ac proinde immediatè, seu sine medio conuenit Deo suum esse: vt docet S. Th. 1.p.q.13. a.11. & alij Theologi ibidẽ. Hurtado dis.1. Metaph. n. 47. & Philosophi communiter, quia illud dicitur per se & in se notum, quod nullam habet sui causam & rationem à priori: Esse autem siue existere, tam essentiale Deo est, quam homini esse animal rationale. Non est autem dicta propositio per se immediatè nota, quoad nos, qui per discursum cognoscimus Deum esse, quo modo Rom.1. & Sap. 13. dicitur Deùs cognosci ex creaturis.

2. *Deus est ipsum esse.*] Notat Eugubinus 3. perẽnis Philosophiæ, cap. 7. ita Deum appellari non à Patribus modo; sed à priscis etiam Philosophis, ad significandum, Deum non habere esse limitatum ac determinatum ad certam perfectionem; sed vindicare sibi omnem plenitudiuem Entis, quæ non possit melius exprimi, quàm per vocem *essendi*, absolutè & absque restrictione prolatam: in eâ enim sic sumptâ omnis perfectio instauratur vt docet D. Thomas q. 7. de Potentiâ, a. 2. ad 9. vbi ait:

3. *Esse est actualitas omnium actuum.*] Addit ibidẽ:

Digitized by Google

Et propter hoc etiam eſt perfectio omnium perfectionum; ita nimirum vt nihil addi ei poſſit, quod ſit ipſo formalius (eſſet enim non Ens) nec ex ſe diſtinguatur in plura eſſe; ſed tantùm quatenus eſt talis vel talis naturæ; ex quo fit, vt abſolutè prolatum, omne Eſſe, & omnem perfectionem contineat: Hoc ſenſu Auctor Theologię ſecundum Ægyptios rectè protulit iſtud:

4. *Deus eſt ipſum quod eſt, extra quod nihil omninò eſt.* l. 4. c. 1.] Poteſt etiam tam hoc, quam priore effato ſignificari, actualitatem ſiue exiſtentiam eſſe Deo eſſentialem, & longè illi nobiliore gradu, quàm cæteris Entibus conuenire; quo ſenſu Patres interdum negant, alia eſſe: quia ſcilicet, cum ſint potentialia, ſunt obnoxia mutationi, ideoque non ſunt dicenda eſſe ſimpliciter. Pro maiore autem axiomatum propoſitorum intelligentiâ notandum eſt ex D. Thomâ p. 1. q. 13. a. 11. Ὤν, ſiue, Qui eſt, quod eſt nomen Dei, triplici ratione Deo maximè proprium eſſe. Primo ex ratione ſignificandi, cum non formam aliquam, ſed ipſum eſſe ſignificet: proprium autem ſit ſolius Dei, vt ipſum Eſſe ſit ipſius eſſentia. 2° ex amplitudine ſignificationis, quæ omnem eſſendi modum ambiat, & comprehendat, velut, *quoddam ſubſtantiæ pelagus infinitum*, vt eſt apud D. Damaſcenum l. 1. de Fide cap. 12. 3° denique ex circunſtantiâ ſignificati temporis: Nam, *Qui eſt*, ſignificat eſſe præſens, quod diuino maximè conuenit, cuius eſſe non nouit præteritum aut futurum, vt diſputat S. Auguſtin. l. 83. qq. q. 17. & l. 5. de Trin. c. 2. & alibi.

5. *Deus eſt Ens per eſſentiam.*] Duplici ſenſu poteſt aliquid dici tale per eſſentiam, vt notat Sylu. q. 6. conflati. a. 3. & q. 11. a. 4. prior eſt, quo res dicitur eſſe talis, non per aliquid ſuperadditum; ſed per ſuammet eſſentiam, quo pacto, ait, per eſſentiã,

Digitized by Google

ſumi in vi duarum dictionum : ſecundus, quo illud, per eſſentiam, ſumitur in vi vniùs dictionis, ita ſcilicet, vt idem ſit, atque eſſentialiter : priore modo nihil vetat, res creatas dici entia per eſſentiam : poſteriore modo ſolus Deus dicitur, & eſt Ens per eſſentiam. i. ſolus Deus eſt eſſentialiter exiſtens. Lege Hurtado diſp. Metaph. 2. ſect. 1. n. 1.

6. *Deus eminenter continet omne Ens per participationem.*] Senſus eſt : Deus nobiliore modo continet in ſe omne eſſe, & omnem perfectionem rerum creatarum, quàm res ipſæ ; Earum ſiquidem eſſe nihil aliud eſt, quam imperfecta quædam participatio diuini eſſe. Hinc etiam Deus in manu ſuâ habet omnes actiones cauſarum ſecundarum, ſicut habet eſſe omnium, vt fuſiùs explicabitur infra, Titulo *de Cauſâ*. 1. diſt. 4. Vide D. Thomam 1. p. q. 3. a. 8. & q. 105. a. 2.

DISTINCTIO III.

De Vnitate Dei & Perſonarum Trinitate.

1. DEVS *ſi non eſt vnus, Deus non eſt.*] Celebre iſtud pronunciatũ intelligitur & verum eſt de vnitate eſſentiæ ſiue naturæ ; non a. perſonarũ, vt ex fide clarum eſt. Eſſe autem Deum vnũ in eſſentiâ, demonſtrãt Theologi & Philoſophi tum aliis rationibus, tũ hoc diſcurſu naturali : ſi eſſent duo vel plures Dij, illi vel eſſent æquè perfecti ac potẽtes ; vel vnus eſſet altero perfectior & potẽtior: ſi prius, ergo vnus poſſet alterum impedire, cum ſtatuuntur æquè potẽtes; & per cõſequens, nullus eorum eſſet Deus, quia nullus poſſet exequi aut perficere, quæ pro ſuo arbitrio vellet: ſi poſterius, ergo imperfectior nõ eſſet Deus; quia non contineret infinitã & omnimodã

perfectionem. Item Deus eſt ens per ſe neceſſarium, ergo repugnat illi multiplicari, conſequentia probatur, quia id dicitur Ens neceſſarium, quod eſſe ſuum non habet ab alio, ſed ex vi ſuæ eſſentiæ, ergo eſſentialiter includit actualem exiſtentiam, ergo etiam ſingularitatem, ergo multiplicari non poteſt. Vide Gillium in 1. p. l. 2. Tract. 3° toto, Suarez Tract. 1. l. 1. c. 6. vbi probat, Deum non tantum eſſe vnum affirmatiuè; quia ſc. eſt indiuiſus in ſe; ſed etiam negatiuè & excluſiuè, quia excludit conſortium aliorum ſimilium.

2. *In diuinis omnia ſunt vnum, vbi non obuiat relationum oppoſitio.* S. Anſelmus lib. de proceſſione Spiritûs ſancti. c. 2.] Celebre iſtud axioma Theologicum à Conciliis & Patribus, ac Scholaſticis Theologis, intelligitur & explicatur de verâ & reali oppoſitione in diuinis, vt quæ eſt inter correlationes, ſiue ea directa, explicita & immediata ſit, ſiue indirecta, implicita, aut mediata; item de verâ vnitate ſingulari & identitate reali, in eâdem re ſingulari & ſimpliciſſima, qualis eſt Deus: Sic enim interpretantur illud Ioann. 1. Canon. c. 5. *Et hi tres vnum ſunt*, & illa verba Chriſti: *Ego & Pater vnum ſumus*: Non verò intelligi debet de ſolâ vnitate rationis, ſiue vniuerſali aut quaſi collectiuâ; alioqui non haberemus ex illo principio, tres relationes in diuinis realiter quidem inter ſe diſtingui: eſſe tamen vnam rem ſimpliciſſimam abſolutam, quæ eſt diuina eſſentia; quod tamen communiter ex hoc pronunciato probant Theologi: docent ſiquidem eſſentiam & relationes non diſtingui inter ſe realiter, eò quod inter has & illam nulla obuiet oppoſitio: item ſpirationẽ actiuã Patris & Filij eſſe vnam relationem, non tantùm vnitate rationis, nec per ſolam collectionem plurium; ſed per ſimplicem vnitatem in Entitate re-

Digitized by Google

latiuâ, quæ ſit communis Paternitati & Filiationi; per identitatem etiam realem cum illis, eò quod nulla interueniat oppoſitio, iuxta propoſitum axioma lege Suarez de Trin. l. 5. c. 6. n. 6. & Becanum de Trin. c. 6. q. 3. n. 6. vbi dicit, omnes Theologos in hoc conuenire, quod in diuinis non detur de facto realis diſtinctio, niſi inter ea, quæ relatiuè opponuntur: de poſſibili verò aliter ſentiunt Scotus, Ocham, Gabriel, & Aureolus in 1. d. 11; ſed contra communem aliorum ſententiam. Iuxta hunc ſenſum facilis eſt explicatio iſtius:

3. *Sola relatio multiplicat Trinitatem.* Boëtius l. 1. de Trin. c. 12.] Dicitur ſola relatio in diuinis multiplicare Trinitatem, non quod quælibet, aut quouis modo ſumpta, conſtituat vel multiplicet Perſonas; ſed quod Perſonæ in diuinis non multiplicentur, niſi per relationis oppoſitionem, ſiue in quantum relatio cauſat oppoſitionem in diuinis. Pro quo, Notandum eſt, relationes creatas duobus modis poſſe inter ſe diſtingui realiter, primo quia opponuntur relatiuè, vt paternitas & filiatio, 2° quia diuerſæ ſunt aut diſparatæ, vt paternitas & ſimilitudo: Prior diſtinctionis modus eſt proprius relatiuis, quatenus relatiua ſunt: poſterior communis eſt relatiuis & abſolutis. Cum ergo in diuinis omnia abſoluta ſint idem à parte rei, & vnum ex natura ſuâ non ſit diuerſum, ſeu diſparatum ab alio; ſequitur in diuinis non relinqui alium modum diſtinctionis & multiplicationis, niſi per oppoſitionem relationum. Et hoc patet exemplo; quia paternitas & ſpiratio actiua ſunt relationes reales, & tamen, quia non opponuntur, realiter ſunt idem; paternitas verò & filiatio realiter differunt, quia opponuntur formaliter, directè, & explicitè. Sic etiam realiter differunt paternitas & ſpiratio paſsiua; licet enim non opponantur, vt correlatio-

es formales: opponuntur tamen oppositione mediatâ & indirectâ, quia paternitas ratione spirationis activæ, cum quâ identificata est, indirectè & implicitè opponitur spirationi passivæ. Videri potest Suarez, l. 7. de Trin. c. 3. n. 7. vbi & hoc dictum Boëtij, & alias similes Patrum locutiones adducit.

DISTINCTIO IV.

De simplicitate Dei & cæteris attributis negativis.

1. *DEVS est actus purus.* 12 Metaph. c. 3. & 6.] Est Deus purissimus actus, in quo nulla datur potentialitas obiectiua; cum sit Ens essentialiter existens: nec potentia passiua seu receptiua, aut compositio actualis ex naturâ rei; quia incapax est Deus recipere aliquã perfectionẽ; cum ipse sit essentialiter omnis perfectio, simpliciter dicta, vt vox ipsa puri actus importat, & talis compositio requirat partes componentes ex naturâ rei actu distinctas inter se; ita vt id, quod tali modo componitur; habeat partes se priores, à quibus dependeat, in esse suo totali, ac requirat insuper aliquod aliud agens, naturâ & dignitate prius, quod vniat illas partes & totum constituat: Atqui in Deo non dantur huiusmodi partes, nec dari potest aliquid Deo prius; cum ille solus sit æternus & essentialiter immortalis: iuxta hanc explicationem verum est cõmune Philosophorũ axioma.

2. *In Deum non cadit vlla compositio.* Refertur à Becano Theologiæ schol. p. 1. Tract. 1. c. 2. nu. 3. à Suarez in 1. p. tr. 1. c. 5. & alijs passim.] Datur tamẽ in Deo compositio virtualis ex naturâ rei, quæ fit actualis per rationem; Nam essentia, existentia, &

Digitized by Google

attributa virtute seu eminenter distinguuntur inter se; actu per rationem seu attributionem nostri intellectus, & hæc compositio nihil officit perfectæ simplicitati & perfectioni diuinæ, vti neque repugnat illi ratio potentiæ actiuæ, vtpote quæ bene cohæret cum actu principali, & cum actu puro; imò vt cõmuniter loquũtur Philosophi ex l.3. Phys. c.3.

3. *Vnumquodque agit secundum quod est actu.*] Itaque cum triplex soleat assignari potentia, obiectiua, actiua, passiua, prima duntaxat, & tertia pugnat cum actu puro; illa quidem, quatenus excludit perfectionem essendi actu; hæc verò, quatenus excludit perfectionem formæ recipiendi. Legi potest de hoc pronunciato, c. Firmiter, & c. Damnamus, de Summâ Trin. & Fide Catholicâ.

4. *In Deo non distinguitur Quo est, & Quod est.*] Est hoc commune principium Patrum, Theologorum, ac Philosophorum, de quo D. Gregorius l. 9. Mor. c. 2. & l. 18. c. 34. August. l. 6 de Trin. c. 6. & seqq. Boëtius l. 1. de Trin. & l. de Hebdomad. & alij: intelligitur autem & verum est, de distinctione reali actuali; talis enim summæ Dei simplicitati repugnat, vt cum D. Thomâ, docẽt Theologi in 1. p. & clarum est ex paulò ante dictis. Non verò intelligi debet de distinctione virtuali & rationis. Ex communi enim Doctorũ sentẽtiâ dantur in diuinis, proprietates virtute & ratione distinctæ à personis, quas constituunt & distinguunt, iuxta illud Concilij Lateranensis in c. Firmiter: *Hæc sancta Trinitas secundum communem essentiam vna, & secundum personales proprietates discreta.* Vide, si placet, Suarez l. 7. de Trin. c. 1. n. 3. & seqq. Hurtado disp. 20. Metaph. n. 22.

5. *Solus Deus stat in essẽtiâ.* Philo in libro, quod deterius insidietur potiori, ad illud: *Ecce ejecis me.*] Significatur hoc dicto immutabilitas, soli Deo glorioso ita

propria & essentialis, vt cætera entia sint, quasi non essent, & tanquam nihilum in conspectu illius, vt supra fusiùs explicui: *quàm ob causam* (verba sunt Philonis ibidem) *necessariò de seipso dicit: Ego sum, qui sum; ac si, quidquid post ipsum est, non per essentiam sit: sed solâ opinione hominum.*

DISTINCTIO V.

De Bonitate Dei, & cæteris attributis positiuis.

1. *Deus est Ens, quo melius excogitari non potest.* Sumitur ex c. 3. & 7. libri 12. Metaph. & refertur à B. Anselmo c. 4. Prosologij.] Ratio est, quia Deus est summè & infinitè bonus ac perfectus, & continet omnes perfectiones, tam creatas, quàm increatas; increatas quidem quia hæ non possunt esse extra Deum: creatas verò, quia Deus est causa efficiens illarum omnium, ac proinde necessariò continet illas: nam quidquid perfectionis est in effectu, debet esse in causâ efficiente vel formaliter, vel eminenter. Hinc rectè dixit Aristoteles:

2. *In Deo sunt omnia.* 12. Metaph. c. 12°.] Quia enim Deus habet infinitam perfectionem in totâ latitudine Entis, omnes omninò perfectiones, tàm eæ, quæ simpliciter, quam quæ secundum quid tales sunt, aliquo modo sunt in Deo: Et quidem perfectiones secundum quid ob adiunctam imperfectionem, contineri dicuntur eminenter in Deo, id est perfectiori modo quàm in seipsis: quo sensu rectè dixit S. Ioannes, *omnia in ipso vita erant*, vt ostenderet creaturas, & perfectiones secundum quid, quatenus sunt in Deo, habere esse nobilius, quàm in seipsis;

ipſis; ſeu habere eſſe diuinum, adcóque eſſe Deum: perfectiones verò ſimpliciter continentur in Deo formaliter; cum enim nullam in ſuo conceptu includant imperfectionem; ſed capaces ſint perfectionis infinitæ, & nullam habeãt incompoſſibilitatem cum aliâ æquali, non poſſunt perfectiori modo poſſideri, quàm formaliter; & niſi ita à Deo poſſiderentur, non conſtaret ipſius infinitudo perfectionis; quia careret aliquo, quod meliùs eſſet habere. Addunt aliqui, tribus modis eſſe creaturas in Deo, primo in potentiâ Dei, vt in cauſa efficiente, 2° in ideâ, vt in exemplari, 3° in ſcientiâ, vt in causâ cognoſcente; vnde triplex quaſi eſſe habent in Deo, Eminens, Ideale, Intelligibile.

3. *Quidquid eſt in Deo, eſt ipſe Deus.*] Eſt hoc commune axioma Theologorum omnium, vt ait Suarez l. 4. de Trin. c 7. n. 7. Sumitur ex 12. Metaph. t. 51. & aliis. Ratio eſt, quia eſſentia diuina in omni genere Entis eſt perfectiſſima, ergo à parte rei continet omnem perfectionem, vel eminenter, ſi habeat imperfectionem admixtam, vel formaliter, ſi nullam adiunctam habeat; ſequela probatur; tum quia aliàs entitas eſſentiæ non eſſet formaliter omnino perfecta; ſed indigeret alijs entitatibus, quibus perficeretur; tum etiam, quia perfectior eſt illa res, quæ in ſuâ entitate, independenter ab aliâ diſtinctâ, habet omnem perfectionem poſſibilem; tum denique quia (vt rectè notat D. Bern. ſerm. 8. in Cantica, & l. 5. de conſideratione, agens contra Gilbertum) alioqui ſequeretur, Deum non eſſe ſimplicem; ſed compoſitum ex rebus inter ſe realiter diſtinctis, quod eſt contra fidem. Videri poteſt Suarez l. 4. de Trin. c. 2. Vaſquez 1. p. diſp. 120. c. 1. n. 6. & alij. Intelligitur itaque, & verum eſt axioma de omni eo, quod eſt in Deo, ſiue formaliter, vt ſunt attributa & perfectio-

nes Dei, ſiue eminenter, vt ſunt omnes creaturæ; omnes ſiquidem habent eſſe eminentiale in Deo, quod nihil aliud eſt, quàm ipſa Dei eſſentia potens ex nihilo producere omnes creaturas poſſibiles; quo ſenſu diximus in Deo eſſe omnia : duplex enim eſſe (ſecundum Theologos) conuenit creaturis, alterum increatum, quod habent in Deo, & ſecundum quod non ſunt creaturæ; ſed eſſentia creatrix, vt ait D. Auguſtinus: alterum creatum, ſiue formale, quod habent, vel habere poſſunt creaturæ in ſeipſis, extra eſſentiam diuinam.

4. *In Deum non cadit perfectio accidentalis.*] Eſt & hoc commune axioma; quod aliqui ad certum accidentis genus determinant, & enunciãt hoc modo : *Deus qualitatis eſt expers*; citatur à S. Damaſceno, lib. de Fide : vbi verba illius ſunt iſta, ποιότητος τὸ θεῖον ἐλεύθερον. Ratio patet ex dictis; quia nimirum quidquid eſt in Deo, Deus eſt, &, vt inquit S. Auguſtinus : *Quidquid ibi intelligi poteſt, ſubſtantia eſt*, ergo non eſt qualitas propriè dicta, vel aliud accidens; in quem ſenſum pulchrè idem S. Doctor in Meditationibus cap. 12. inquit, *Deum eſſe, ſine quantitate magnum, ſine qualitate bonum, ſine tempore ſempiternum, ſine mendacio verum, ſine ſitu vbique præſentem, ſine extenſione omnia implentem.* Et poſt pauca, *quem nec ſpatia dilatant, nec breuitas locorum anguſtat, nec receptacula vlla coarctant, nec voluntas variat, nec mœſta perturbant, nec læta demulcent*, &c. Vide Suarez loco citato, Becanum Theologiæ Scholaſt. par. 1. tract. 1. c. 2. n. 3. D. Auguſt l. 5. de Trin. c. 4. 5. & 16. D. Thomam 1. p. q. 3. a. 6. & alios ibidem.

DISTINCTIO VI.

De operatione Dei.

1. *Operatio Dei eſt immortalitas.*
2. *Operatio Dei eſt vita perpetua.*
3. *Diuinitati ineſt motus perpetuus.*] Tria hæc celebria pronũciata ſumũtur ex vno textu 17. l. 2. de Cęlo; & quoad rem idem ſunt ac ſignificant. Verba Textûs ſunt: *Operatio Dei eſt immortalitas: hoc autem eſt vita perpetua, vt neceſſe ſit, diuinitati motum perpetuum ineſſe*: vbi hoc poſtremum accipi debet pro vitâ & actione æternâ, vt idem ſit, cum duobus prioribus; nam de alio motu manifeſtò falſum eſt, vt demonſtrant Philoſophi & Theologi.

4. *Deus eſt ſua intellectio*: colligitur ex 12. Metaph. c. 9. t. 51.] Vbi Ariſtoteles ait, Deum ſemper actu intelligere, non intellectione additâ ſuæ ſubſtantiæ; alioqui ſubſtantia Dei non eſſet nobiliſſima; ſiquidem haberet nobilitatem ſuam ab actu intelligendi, realiter à ſe diſtincto; ſed per ſuammet ſubſtantiam nobiliſſimam, & per omnem modum, (vt ait S. Auguſtinus in Meditationibus c. 12.) ſine deformitate perfectiſſimam. Et quidem eodem modo Ariſtoteles voluit, Angelorum intellectionem non diſtingui ab ipſorum eſſentia; ſed leui omninò fundamento. Quia (inquit) intelligere non eſt ijs laborioſum. Quaſi verò laboraturi eſſent, intelligentes per accidentia ſpiritalia, labor igitur & fatigatio paſſiones ſunt à materialibus ortæ qualitatibus; à quibus Angeli omninò immunes ſunt: animus autem in corpore ijs obnoxius eſt, pro-

Digitized by Google

pter vſum phantaſmatum , & ſpirituum animalium defatigationem. Hũc Ariſtotelis errorem multis impugnat D. Thomas 1. p. q. 54. a. 1. Molina, Vaſquez, & alij ibidem. Videri etiam poteſt Suarez l. 12. Metaph. c. 9. in indice copioſo. Simili modo abſolutè, quoad actiones immanentes,

5. *Deus eſt ſua operatio.*] Sumitur ex eodem textu, in hoc diſtinguuntur omnes creaturæ à Deo, vt notant Auctores citati, & Philoſophi Chriſtiani communiter: nulla ſiquidem ex ſubſtantiis aut agentibus creatis ſua eſt operatio; quia identificari cum ſuâ actione eſt actualitas maxima, conueniens ſoli ſubſtantiæ increatæ, id eſt, Deo : at ratio potentiæ in creaturis multum habet potentialitatis & imperfectionis. Hoc etiam ſenſu dixit S. Thomas 1. p. q. 10. c. 1. & ſeqq. *Deum eſſe ſuam æternitatem* : Eodem ſenſu Theologi docent veras eſſe haſce propoſitiones : *Deus eſt ſua ſapientia* : *Eſſentia Dei eſt iuſtitia* : *Sapientia eſt iuſtitia*, & ita de cæteris : Poſſunt autem perfectiones Dei ſpectari dupliciter, 1° ſecundum ſe & à parte rei, vel, vt dicitur, in ſenſu identico. 2° vt virtute diſtinctæ diuerſis conceptibus ſubiacent, vel, vt dici ſolet, in ſenſu formali: priore modo poſſunt de ſe mutuò verè prædicari, & ita ſunt veræ propoſitæ enunciationes: ſi ſecundo modo ſpectentur, non poſſunt de ſe mutuò verè prædicari, falſum enim eſt, iuſtitiam ſub hoc præciſo conceptu, vel ſub hac ratione, virtute diſtinctâ, eſſe miſericordiam, item eſſentiam ſub præciſo conceptu perfectionis ſubſtantialis eſſe iuſtitiam, aut Deum eſſe ſuam operationem, &c in eodem ſenſu vera eſt illa propoſitio : *voluntas Dei non eſt intellectus* ; falſa, *voluntas eſt intellectus*, vt rectè notârunt Scotus, & alij.

6. *Deus ſemper intelligit ſeipſum.* 12. Metaph. c. 9. t. 51.] Quærit hoc loco Ariſtoteles, poſito quod

Digitized by Google

Deus ſẽper actu intelligat, an intelligat ſe, vel aliud; & aliud, & aliud ſemper, vel ſemper idem? & reſpondet: *Manifeſtum eſt, illud intelligere, quod diuiniſſimum honorabiliſſimumque eſt; quo fit, vt ſeipſum intelligat*: virtute ergo facit hunc diſcurſum: Diuina mens eſt ſuprema & nobiliſſima intelligentia, ſeu intellectio ipſa; ſed ad nobilitatem intellectionis multum refert nobilitas rei intellectæ: propter quod melius eſt, quædam non videre, quàm videre ſi viliſſima ſint: non ergo quælibet intelligentia eſt optima; ſed illa, quæ eſt optimæ rei intellectæ, ergo diuina mens intelligit id, quod optimum eſt, ergo intelligit ſeipſum. Vide Suarez loco citato.

7. *Deus nihil intelligit extra ſe.*] Colligunt Philoſophi hoc pronunciatum ex diſcurſu, quem Ariſtoteles habet loco citato, vbi expreſſis quidem verbis non legitur: videtur tamen Ariſtoteles ita ibi de Deo ſentire; vt ſcilicet nihil præter ſeipſum, vel certè minus clarè & in particulari cognoſcat, & ita eum explicat Gregorius in 5. ſent. diſt. 35. q. 1. ſed rectiùs exponitur à S. Thomâ, in hunc ſenſum: Deus non cognoſcit aliud à ſe, per ſe primò; aut ita, vt ab eo perficiatur; vel ita, vt à nobiliſſimo obiecto cognoſcendo impediatur, vel diſtrahatur: hoc etenim modo rerum quarumq; creatarum conſideratione detineri, vile eſſet, & à Deo alienum, atque ita etiam verum eſt iſtud:

8. *Intellectus Dei vileſceret, ſi aliquid extra ſe cognoſceret.*] Citatur ex eodem textu, & ſatis perſpicuè ex diſcurſu paulò ante ex Ariſtotele allato colligitur: At verò cognoſcere hæc inferiora, quamuis vilia ſint, ſuperiori, & independente cognitione, & ſolum vt ſecundaria obiecta, (vti loquuntur Theologi) id non modo non indignum eſt maieſtate diuinâ; ſed oritur ex infinitâ perfectionis eius abun-

dantiâ : Dicitur ergo Deus nihil cognoſcere extra ſe, non quod cætera omninò neſciat ; ſed quia nil, niſi per ſeipſum, & ex ſui cognitione ſcit ; Cum enim omnis creatura eſſentialiter pendeat à Deo, tanquam à causâ, & ſit quædam participatio ipſius cauſæ; propterea Deus, dum ſeipſum perfectiſſimè intelligit, & comprehendit ; in ſeipſo, tanquam in causâ, cognoſcit & comprehendit omnes creaturas: ita D. Thomas 1. p. q. 14. a. 5. Suarez, Vaſquez, & alij, & hic eſt verus ſenſus huius effati, ſecundum quem illud vſurpat & explicat S. Auguſtinus l. 83. Quæſtion. quæſt. 46.

9. *Oculus Dei eſt fortiſſimus.*] Pronunciatum iſtud à Græcis deſumptum indicat, Deum omnia videre & ſcire, ſiue, vt loquuntur ipſi, eſſe παντερκὲς ὄμμα θεοῦ. Iuxta illùd, Heb. 4. 13. *Non eſt vlla creatura inuiſibilis in conſpectu eius : omnia autem nuda & aperta ſunt oculis eius.* Meminerint huius dicti omnes illi, qui vt eò ſecuriùs peccent, ab hominibus latibula quærunt. *Etenim*, vt rectè inquit Seneca Epiſt. 83. *quid prodeſt ab homine aliquid eſſe ſecretum, nihil Deo clauſum eſt : intereſt animis noſtris, & cogitationibus medijs interuenit, ſic interuenit dico, tanquam aliquando diſcedat ? nempe ſemper adeſt, & ſemper inſpicit.* Quare equidem:

10. *Magna nobis eſt neceſsitas probitatis, Deus omnia videns.* Boëtius l. 5. de Conſol. in fine] Nam ſi inſtitutore præſente peccare non poteſt is, qui inſtituitur, & cùm prope adeſt Præceptor, diſcipulum adiuuat; itemque ſi ſenior interſit, adoleſcens decore & modeſtiâ ornatur : & pater & mater prohibent filium ab iniuriâ inferendâ, cum ab ipſo tantùm conſpiciuntur : quantò excellentioribus frui bonis putamus illum, qui ſe à Deo ſemper videri exiſtimat ? Etenim præſentis maieſtatem veritus, eum ſuſpicit

Digitized by Google

& contremiſcens, iniuriam inferre planè cauebit. Ita ferè Philo l. de Nominum Mutatione, ad *illud*: *Coram Deo viuat.* Vide Leſſium lib. 4. de Summo Bono, cap. 10.

DISTINCTIO VII.

Reuerenter eſſe de Deo loquendum.

1. *NVsquam verecundiores eſſe nos oportet, quam cum de Deo agitur.*] Egregiè id ab Ariſtotele dictum eſſe, teſtatur Seneca l. 7. Naturalium quęſt. c. 30. initio, vbi: *Si intramus*, ait, *templa, compoſiti, ſi ad ſacrificium acceſſuri, vultum ſubmittimus, togam adducimus. Si in omne argumentum modeſtiæ fingimur, quantum hoc magis facere debemus, cum de Dei naturâ diſputamus?* Hactenus Seneca non minus piè, quam doctè & verè. Etenim ſi vnquam aliàs, certè in diſputationis feruore.

2. *De Deo etiam vera loqui periculoſum eſt.*] Cyprianus in Symbol. quippe, *cuius nec virtus æſtimari poſſit* (verba ſunt S. Lactantij 1. inſtit. c. 7.) *nec magnitudo perſpici, nec principium comprehendi*; ac proinde cauendum, ne quid temerè, ne quid imprudenter, ne quid ignorantes affirmemus, aut ſcientes mentiamur, vt ait Seneca, loco citato. Quare ſilentio potius, & profundâ animi demiſſione venerandum eſt Ens illud ſimpliciſſimum, incorporeum, æternum, immenſum, infinitum, omnia ſciens, omnia potens, incomprehenſibile, immutabile, ineffabile, &c. quàm longâ, & contentioſa dictione explicandum.

3. *Deum cogitare difficile eſt, eloqui impoſſibile.*] Dictum iſtud Hermetis allegat Stobæus, ſermo. 80.

Digitized by Google

& Cyrillus 1. in Iulianum. Rationem addunt ex eodem : quia res incorporea non poteſt corpore ſignificari, & quod æternum eſt, cum temporaneo ægrè coniungitur. Indicatur itaque hoc dicto incomprehenſibilitas & ineffabilitas Dei, vtpote qui etiam planè inuiſibilis ſit, & in ordine ad conceptus ſeu verba mentalia propriè & perfectè exprimi non poſſit : quâ etiam ratione ineffabilitatem Dei rectè probat Suarez 1. p. l. 2. c. 31. & 32.

4. *Multa Deo conueniunt, quæ nulli competunt creaturæ.*] Iſtud vulgare dictum valet in illos, qui indiſcretè de Deo loquuntur, vt de rebus creatis : & temerè argumentantur ex analogiâ creaturæ ad Creatorem, cum ea vel nulla ſit, vel certè omninò limitata, vt fuſiùs explicabitur in illo : *Finiti ad infinitum nulla eſt proportio ;* Titulo *de Quantitate* : Sic Deo conuenit generare filium eiuſdem numero naturæ, ſine actione modaliter à ſe diſtinctâ : ſic Deo nec obliuio tollit quicquam, nec memoria reddit, nec præterita tranſeunt, nec futura ſuccedunt: item, ſic Deo nec origo initium, nec tempora incrementum, nec caſus finem dabit. Hæc autem & infinita alia de creaturis dici minimè poſſunt. Vide, ſi libet, S. Auguſtinum cap. 12. Meditationum, & alibi paſſim.

Digitized by Google

PARS QVARTA.

De cauſis Entis creati.

RAtio cauſæ ſeu cauſalitas (vt vocant) participat aliquem gradum Entis, & eſt veluti proprietas quædam Entis, vt ſic: Nullum enim Ens eſt, quod aliquam rationem cauſæ non participet. Itaque poſteaquam dictum eſt de eſſentiali ratione Entis, & proprietatibus eius, vt Ens eſt; de cauſis illius eſt agendum: Huic autem tractatui præmittere viſum fuit Axiomata de Ente per Eſſentiam vno, vero, bono, perfecto, ſiue de glorioſo Deo; tum quia, licet ſit cauſa cauſarum, producens & conſeruans omnia: nullam tamen ipſe habet, aut habere potuit cauſam; tum quia numero Entium particularium includi non debet, cum ad ipſum, tanquam ad immenſum quoddam pelagus, omnia Entium genera, veluti flumina recurrant.

TITVLVS OCTAVVS.

De cauſis Entis creati in genere.

DISTINCTIO PRIMA.

Varia cauſarum diuiſio.

1. CAVSA eſt quadruplex: Finalis, efficiens, materialis, & formalis. Ita Ariſtoteles 5. Me-

taph. c. 2. & 2. Phyſ. c. 2. & 7. vbi id probat hoc modo : Tot ſunt genera cauſarum , quot ſunt, quæ reſpondentur ad quæſtionem, propter quam res eſt, latè videlicet acceptam; ſed hæc ſunt 4. Ergo : Vel enim quæritur, cuius gratiâ res ſit, & eſt cauſa finalis, vel quæritur, à quo res ſit, & eſt cauſa efficiens, ad quam reuocatur inſtrumentalis, dirigens, &c. vel, ex quo res ſit, & eſt cauſa materialis , ad quam pertinent partes integrantes, &c: vel denique per quid ſit, & eſt cauſa formalis.

2. Immediatius cauſa diuidi poteſt, in realem ſtrictè, id eſt propriè & phyſicè influentem ; & in intentionalem , id eſt intentionaliter & metaphoricè cauſantem. Realis ſtrictè ſubdiuiditur in internas, quæ ſunt materia & forma , & externam , id eſt efficientem; intentionalis cauſa eſt finis. Præter has tradit Philoſophus l. 2. Phyſ. c. 3. alias quatuor cauſarum diuiſiones, nempe iſtas ſequentes :

3. Cauſarũ alia eſt vniuerſalis, quo modo ſol eſt cauſa hominis: alia eſt particularis, vt homo generans.

4. Alia cauſa eſt per ſe , à qua per ſe pendet effectus, vt ſtatuarius reſpectu ſtatuæ : alia per accidens, quia per ſe, & quatenus talis, nõ influit in effectum : coniungitur tamen cauſæ per ſe , vt ſtatuarius muſicus, reſpectu ſtatuæ.

5. Alia eſt cauſa actu , ſeu in actu ſecundo , quæ actualiter cauſat, vt pictor actu pingens : alia in potentiâ , ſeu in actu primo , quæ potens eſt cauſare ; actu tamen non cauſat, vt pictor dormiens.

6. Alia eſt cauſa ſimplex, vt ſtatuarius : alia coniuncta, vt ſtatuarius muſicus. Harum diuiſionum prima, ſecunda & quarta, per tertiam diuidi poſſunt hoc modo : cauſa vniuerſalis alia eſt in actu , alia in potẽtiâ, cauſa particularis alia eſt actû, alia potentia. Et ita deinceps, vt loco citato oſtendit Ariſtoteles.

Digitized by Google

Possunt etiam assignari aliæ causarum diuisiones, quæ in singularum tractatu clariùs innotescent.

DISTINCTIO II.

Axiomata de causis generatim.

1. *Causa est principium per se influens esse in aliud.* Traditur à Suarez in Metaphysicâ disp. 12. sect. 2. nu. 4.] Principium ponitur loco generis: per se excludit primo causas per accidens, 2° circunstantias actionis, locum, tempus, modum, &c. 3° conditiones sine quibus non. Influens esse, id est, communicans seu dans esse, quod conuenit omnibus 4 causis: singulæ enim in suo genere dant esse effectui. Excluditur priuatio, quia non influit esse: In aliud, id est, in effectum essentiâ diuersum, quo indicatur, ad causam propriè dictam requiri, vt in effectũ influat esse distinctum ab eo, quod ipsa habet in se, & vt effectus percipiat à causâ participatum ac dependens esse: per hoc excluduntur personæ diuinæ; quia Pater non influit esse in Filium, tanquam in aliud; idem enim numero esse, quod est in Patre, est etiam in Filio, proinde Filius non potest vocari effectus Patris, nec Pater causa Filij propriè. Cum hac definitione ferè coincidit, quam tradunt Conimbricenses, & alij quidam Moderni:

2. *Causa est id, à quo aliquid per se pendet.*] Id est, à quo effectus accipit esse caũsatum & distinctum ab esse causæ; id enim propriè significat verbum pendere. Hoc modo nec generatio pendet à priuatione, nec vnum relatiuum ab altero, nec humanitas Christi à Verbo specialiter; quia generatio non accipit esse à priuatione, nec vnum

Digitized by Google

relatiuum ab altero, nec humanitas Chriſti à Verbo, ſed pendent ab ijs vt à termino. Pro quo Nota: Duplex eſt dependentia vnius ab altero, vna propriè dicta, quæ vocatur dependentia à cauſâ, altera impropriè dicta, quæ vocatur dependentia à puro termino. Dicitur autem Humanitas Chriſti non dependere ſpecialiter à Verbo, niſi præcisè, vt à termino terminante vnionem cum ipſa humanitate; quia nullus effectus ſpecialiter cauſatur ab aliqua perſona diuina; ſed omnes ſunt toti Trinitati communes. Vide, ſi libet, Suarez loco citato.

3. *Primum in vnoquoque genere eſt cauſa reliquorum.*] Vtitur hoc axiomate S. Thomas 3. p. q. 56. a. 1. & probat ex illo reſurrectionem Chriſti cauſam eſſe reſurrectionis noſtræ: In explicationem autem & defenſionem huius pronunciati multa docet Caietanus 1. p. q. 2. a. 3. Conradus 1. 2. q. 1. a. 1. & alij. Breuiter reſpondeo, & dico verum eſſe: tali ſenſu: id quod eſt primum in aliquo genere cauſalitatis, eſt cauſa cæterorum, quæ ſunt in eodem genere; quo modo primum efficiens eſt cauſa omnium efficientium, & vltimus finis, qui principalis eſt in genere finium, & cauſa finalis aliorum: Sic protoplaſtus Adam pater eſt omnium humani generis parentum, & Eua ſimiliter mater. Citant nonnulli propoſitum Theorema ex 2. Metaph. t. 4. vbi Ariſtoteles, ait: *Vnumquodque verò idipſum maximè aliorum eſt, ſecundum quod alijs vninocatio ineſt: vt puta ignis caliditſimum: Etenim cæteris hic eſt caliditatis cauſa: quare veriſsimum eſt id, quod poſterioribus, vt vera ſint, cauſa eſt;* ex quibus proximè infert, *propter quod principia ſemper exiſtentium, eſſe veriſsima.* Ex quibus perſpicuum fit, aliud ab Ariſtotele intendi, quàm iſto pronunciato, iuxta communem interpretationem ſignificetur; non enim dixit, primum in vno-

quoque genere esse causam cæterorum ; sed solum ait, illud, quod est causa, vt cætera eodem nomine dicantur vniuocè (nempe ratione eiusdem formæ : quia cætera ab eo formam, ac proinde nomen etiam participant) esse maximè tale, sicut in exemplis allatis manifestò apparet. Quare ex illo textu potiori iure citari possunt effata sequentia, quam præsens axioma, vt ex dicendis perspicuum fiet.

4. *Primum in vnoquoque genere est mensura cæterorum.* 4. Phys. t. 133. & 8. Phys. c. 9. tex. 76. & 10. Metaph. c. 2. t. 2.] Vbi Philosophus ait : *Maximè mensuram esse cuiusque generis primum* ; quæ propositio sic est intelligenda, vt primum in vnoquoque genere, ideo sit mensura perfectionis cæterorum ; quia cætera eò dicuntur perfectiora, quo magis Primo assimilantur. S. Thomas 1. p. q. 2. a. 3. per mensuram intelligit causam, quo sensu non discrepat hoc pronunciatum à præcedenti. Moralis illius explicatio optima est huiusmodi : Primus cuiusque Religionis vel Ordinis auctor & fundator, vt v. c. S. Ignarius, aut S. Dominicus, mensura est cæterorũ, id est, idea seu exemplar, secundum quod omnes alij eiusdem instituti ordinare debent vitam ac mores formare : Sic Abraham genti fuit Indaïcæ, & Christus seruator noster, omnibus Christianis rectè viuendi norma est, & mensura ; quomodo intelligi potest illud Ioan. 14. *Ego sum via, veritas, & vita*; quo etiam sensu verum est istud :

5. *Bonus hoc ipso, quod talis est, omnium est mensura.*] Porrò vt vniuersale sit propositum axioma, & differat à præcedente intelligi debet, de mensurâ extrinsecâ, nostro modo concipiendi accommodatâ, & siue causa sit, siue non, & siue sit à priori, siue solum ex quâdam debitâ & necessariâ proportione : sic enim rectè colligitur id esse perfectius in aliquo genere,

quod magis accedit ad id, quod eſt perfectiſſimum in eodem genere: ſubintelligendum eſt autem cæteris paribus, ac ſimpliciter, & non tantum ſecundum quid, vt legitimè accommodetur menſura.

6. *Propter quod vnumquodque tale eſt, illud magis eſt tale.* 1. Poſt. c. 2.] Vbi addit Philoſophus: *Veluti magis id eſt dilectum atque amatum, ob quod amamus atque diligimus: quare ob prima ſcimus ac credimus: & illa ſanè ſcimus ac credimus magis, quoniam ob illa etiam ſcimus poſteriora*: in propoſito Theoremate, τὸ *Magis* intelligi poteſt dupliciter, primò vt idem ſit quod excellentiùs, ſeu nobiliore modo, in ſenſu cauſali. Secundò vt idem ſignificet, quod intenſiùs, in ſenſu formali: priore ſenſu veritatem obtinet axioma in omnibus 4. cauſarum generibus; nulla etenim cauſa eſt, quæ non habeat cauſaliter perfectionem ſui effectûs, id eſt, quæ non habeat vim & virtutem producendi effectum, cui dat eſſe, in ſuo genere: hoc autem nobilius eſt, quàm accipere. Vide, ſi libet, S. Thomam 1. p. q. 4. a. 2. in corp. & q. 87. a. 2. ad 3. Vaſquez in 1. 2. q 1. a. 1. in Commentario: Poſteriore ſenſu, vt verum ſit, requiruntur 5. potiſſimùm conditiones, quæ continentur his verſibus:

Dictio ſuſcipiat magis & minus, inſit vtrique
Vni nocè, diuerſa ſiet, æquatáque cauſa,
Effectus collatus erit poſitinus vterque.

Defectu primæ conditionis, quod nimirum dictio, ſeu prædicatum debeat ſuſcipere magis & minus, non ſequitur: propter patrem filius eſt homo, ergo pater magis eſt homo. Defectu ſecundæ non valet ſequela: propter vinum homo eſt ebrius, ergo vinū magis eſt ebrium: propter morbum homo affligitur, ergo morbus magis affligitur: deambulo propter ſanitatem, ergo ſanitas magis deambulat; quia vino

Digitized by Google

non ineſt formaliter, aut conuenit vniuocè ebrietas, nec afflictio morbo, nec deambulatio ſanitati; ſed tantùm cauſaliter, & analogicè. Defectu tertiæ non valet: video propter oculos, ergo oculi magis vident; quia meum videre & oculorum eſt idem. Defectu quartæ non ſequitur: Diligo Petrum propter Paulum, ergo magis diligo Paulum; quia nimirum diligi poteſt Petrus propter Paulum, non adæquatè, ſed magis ob aliã cauſam, v. c. ob commodum, quod ab illo ſperatur. Defectu quintæ non valet: propter Deum non diligo peccatum, ergo magis non diligo Deum. Vide, ſi libet, fuſiùs Franciſci Albertini ſextum principium Philoſoph.

7. *Quod cæteris eſt cauſa, vt talia ſint, ipſum maximè eſt tale.*] Sumitur ex 2. Metaph. c. 1. vt patet ex verbis Philoſophi citatis axiomate 3°. Explicatio huius eadem eſt, quæ præcedentis, & par vtriuſque vis ac ratio: ſicut autem ex illo probat Philoſophus, præmiſſas eſſe notiores concluſione; quia propter illas nota eſt concluſio; ſic ex hoc concluditur, ſcientiam Metaphyſicæ eſſe de rebus maximè veris; quia differit de primis cauſis, & principiis veritatis cæterarum rerum: quod autem eſt cauſa veritatis in alijs rebus, eſt in ſe maximè verum; quia vnumquodque maximè tale eſt, quod cæteris eſt cauſa, vt talia ſint. Vide Suarez in indice Metaph. copioſo l. 2. c. 1. Ex hoc pronunciato alio modo elicitur iſtud:

8. *Quod eſt maximè tale, cæteris eſt cauſa, vt ſint talia.*] Ita refert hoc principium D. Thomas 1. p. q. 2. a. 3. rat. 4. & quæſt. 44. a. 1. & lib. contra gent. cap. 13. quibus locis Caietanus & Ferrarienſis illud defendunt: porrò in rigore ex præcedenti non ſequitur; quia propoſitio vniuerſalis affirmatiuę non conuertitur ſimpliciter: verum nihilominus eſt tali ſenſu, quali diximus, *Primum in vnoquoque genere*

Digitized by Google

eſſe cauſam caterorum, neque ab illo differt, niſi in modo loquendi. In moralibus autem pulchrè accommodari poteſt: qui enim maximè verbi causâ, perfectus eſt, maximè deſiderat & laborat, vt alij, similiter tales euadant: ſic S. Paulus, deſiderabat omnes eſſe, qualis ipſe erat, &c.

9. *Quod eſt cauſa cauſæ, eſt cauſa cauſati.*] Verum eſt axioma de omni causâ cauſati eiuſdem generis ſiue ordinis, connáturaliter & phyſicè, ſiue realiter & poſitiuè cauſantis: vt, quia Sol eſt cauſa lucis, & lux caloris, ideo etiam Sol eſt cauſa caloris; & quia auus eſt cauſa patris, etiam eſt cauſa filij, ac neporis, & ſi quis plantet arborem, non ſolum eſt cauſa arboris; ſed omnium etiam fructuum, qui ex illâ proueniunt. Dixi phyſicè realiter, & cõnaturaliter cauſantis; quia non ſemper veritatem obtinet in cauſis & effectibus negatiuis ac priuatiuis, aliiſque per accidens contingentibus, vnde licet motus tibiæ, v. c. fiat à virtute progreſſiuâ animalis; claudicatio tamẽ per accidens adiuncta, non reducitur ad virtutem progreſſiuam tanquam ad cauſam; quia non cauſatur à tibiâ, prout mouetur à virtute progreſſiua; ſed prout incapax eſt, ſuſcipere influxum motiuæ virtutis ob ſuam obliquitatem. Simili modo, licet Deus ſit cauſa hominis, & humanæ voluntatis; non tamen eſt cauſa peccati; quod ab humanâ voluntate committitur: quia peccatum eſt priuatio quædam æternæ legi repugnans, & defectus potius, quàm effectus, in quem proinde Deus nec immediatè, nec mediatè influere poteſt. Quamuis & in huiuſmodi priuatiuo ac morali genere cauſandi, ſæpenumerò cauſa cauſæ verè eſſe ac dici poſſit cauſa cauſati; Nam abſentia v. c. vel negligentia gubernatoris nauis, eſt cauſa moralis cauſati naufragij, & eiuſdem nihilo minus cauſa eſt is, qui vi vel arte gubernatorem

rem detinuit. Simile contingit in ijs parentibus & malorum anteſignanis, quorum vitia non degeneres nepotes, ac ſocij, non ſegniter imitantur. Itaque in quouis cauſandi genere abſolutè & vniuerſaliter verum eſt Axioma hoc ſenſu; quidquid eſt cauſa cauſæ, *vt cauſæ*, eſt etiam vel in eodem, vel in diuerſo cauſandi genere, cauſa cauſati, ſi non proxima, ſaltem remota. Vide D. Thomam 1. p. q. 49. a. 2. ad 3. & alibi.

10. *Cauſæ ſunt ſibi mutuò cauſæ.* 2. Phyſ. t. 30. & 6. Metaph. t. 2.] Intelligi debet hoc axioma non vniuersè de omnibus cauſis; ſed indefinitè de aliquibus, vt ſenſus ſit: non repugnat aliquas cauſas eſſe ſibi inuicem cauſas, ſiue, quod idem eſt, cauſam vnam poſſe eſſe effectum alterius; idque in diuerſo genere cauſæ: quo modo medicina eſt cauſa efficiens ſanitatis; & contra, ſanitas eſt cauſa finalis medicinæ, cuius ratio eſt, quia, vt rectè notat Hurtado, vtraque eſt ſimpliciter prior aliâ, in exiſtentia, ſecundum quam cauſat, & poſterior in eâ, ſecũdum quam cauſatur: vbi autem non reperiuntur huiuſmodi exiſtentiæ realiter diſtinctæ, non reperitur mutua cauſalitas. Quare intra idem genus cauſæ, duæ res non poſſunt eſſe ſibi mutuò cauſæ ſimpliciter, & ſecundum idem, vt v. c. in genere cauſę formalis duę formæ, &c: alias idem eſſet cauſa ſui ipſius, & eſſet, antequam eſſet, quod implicat, ſequela patet; quia quod eſt cauſa cauſæ, eſt etiam cauſa cauſati, ergo ſi vnum efficiens, v. c. eſſet cauſa alterius, à quo viciſſim cauſaretur, eſſet cauſa ſui cauſati ipſius. Vide D. Thomam 1. p. q. 33. a. 4. ad 2. Dixi ſecundum idem; quia reſpectu diuerſorum cauſæ poſſunt eſſe ſibi mutuò cauſæ, v. c. in genere cauſæ materialis vapor eſt materia pluuiæ, & pluuia eſt materia vaporis non huius, cuius effectus fuit; ſed alterius tertij.

Lege Suarez diſp. 27. Metaph. ſect. 2. Ægidium de Coninck de Sacramento Pœnitentiæ diſp. 2. nu. 16. Vbi copiosè diſputant, quænam cauſæ exerceant inter ſe hanc mutuam cauſalitatem, vel ſimpliciter, vel ſecundum quid, vel ſecundum idem, vel ſecundum diuerſa; Cuius rei fuſior explicatio Philoſophicis concertationibus eſt relinquenda.

DISTINCTIO III.

De ordine temporis & naturæ inter cauſas & effectus.

1. *OMnis cauſa prior eſt ſuo effectu.*] Sumitur ex poſtprædicamentis c. de modis prioris, vbi Philoſophus ait: *Videbitur autem & vltra iam dictos alius quidam eſſe Prioris modus: Eorum enim, quæ eſſendi conſequentiâ non conuertuntur, alterum quod eſt cauſa quouis modo, vt alterum ſit, prius naturâ non incongruè dici poteſt.* Intelligitur itaque pronunciatum de prioritate naturę, vt rectè notat Hurtado. Omnis enim cauſa tali prioritate antecedit effectum propriè dictū; quã vltimã particulã addo propterea, quia aliqui volunt, cauſam in actu non eſſe priorem ſuâ cauſalitate, qui eſt quidam effectus impropriè dictus, eò quod per cauſalitatem formaliter conſtituatur cauſa in actu, vt agens actu per actionem, ſed reſponderi poteſt, cauſalitatem dupliciter conſiderari, primo vt formam per quam conſtituitur & denominatur cauſa actu cauſans, & hoc ſenſu cauſa eſt poſterior, ſicuti paries albus poſterior eſt ſuâ albedine, & omne totum poſterius ſuis partibus conſtitutiuis, ſecundo vt effectum impropriè dictum, & ſatenus cauſa eſt naturâ prior, iuxta veram explica-

tionem præsentis effati. Cæterum hæc prioritas naturæ, quâ omnis causa dicitur esse prior suo effectu, nihil est aliud, quàm *dependentia effectûs à causâ, & independentiâ causæ ab effectu*, vt inquit Suarez d. 26. Metaph. sect. 2. n. 18. Requiritur enim vt id quod est prius prioritate naturæ, possit esse sine posteriore, & posterius non sine priore vt etiam docuit Aristoteles 5. Metaph. c. 11. vbi: *Quædam verò*, ait, *secundum naturam & substantiam priora dicuntur, quæcunque contingit absque aliis esse: ista verò sine illis minimè.* Atque hæc prioritas suo modo locum habet in omnibus omninò causarum generibus, tam physicis, quàm moralibus; Nam quod objicit non nemo. Causam meritoriam posteriorem esse suo effectu in rebus moralibus, quo modo Theologi docent, Deum contulisse gratiam Patribus veteris Testamenti, habito respectu ad merita Christi in mundum venturi, id huius veritatem effati minimè infringit: licet enim, quoad executionem & existentiam realem fuerint posteriora; tamen quoad præuisionem absolutè sunt dicenda priora. Quo modo etiam causa finalis dicitur, *primum in intentione vltimum in executione.* Ita explicat Suarez l. 2. de Prædestinatione cap. 21. & 23. & tomo 1. in 3. p. d. 10. sect. 4. Vbi docet, etiam valde probabile esse, Incarnationem potuisse fieri in reipsâ, propter merita præuisa ipsius Christi iam prædestinati. Sed de hac re fusiùs infra, in explicatione illius: *Principium meriti non cadit sub meritum.* Dixi initio Pronunciatum, si generatim sumatur, intelligendum esse de prioritate naturæ, nam quoad prioritatem, siue durationem temporis:

2. *Causa in actu & effectus in actu sunt simul.* Celebre istud axioma sumitur ex 5. Metaph. c. 2.] Sensus illius est causa actu causans,

& effectus actu profluens à causâ ſunt ſimul, duratione ſiue temporariâ, ſiue momentaneâ : ita vt exiſtente causâ in actu dicto modo, etiam effectus ſit in actu, & contra, ſaltem ſecundum illud eſſe, quod requiritur ad cauſandum : quod addo propter cauſam finalem, quæ ſæpe cauſat, realiter non exiſtens; ſemper tamen neceſſariò in actu eſt ſimul cum effectu, ſaltem quoad eſſe apprehenſum, ſiue quoad intentionem. Porro quãdo effectus fit in inſtanti, tunc totus ſimul eſt in actu cum causâ : quando autem fit ſucceſſiuè, & in tempore, tunc ſolum ſecundum aliquid ſui, eſt ſimul cum causâ in actu : quo modo, qui emiſit ſagittam, licet non maneat ſimul cum illius motu, ſecundum ſe; exiſtit tamen ſimul cum illo, ſecundum aliquam ſuam virtutem ; nempe vim impulſiuam. Quòd ſi cauſam & effectum in actu ſumere libeat, quoad relationes, quibus ſe mutuò reſpiciunt, erunt ſimul non ſolum duratione inſtantaneâ ſiue momentaneâ; ſed etiam ſimul naturâ : hęc enim ſimultas propria eſt relationum, vt rectè obſeruat Hurtado. Ratio pronunciati eſt; quia fieri non poteſt, vt vlla res conſtituatur formaliter in eſſe cauſæ, ſiue vt cauſet actu, quin id, quod ab eâ cauſatur, ſiue quod actu promanat ab illo, pariter exiſtat eo modo quo explicatum eſt.

3. *Poſitâ causâ ponitur effectus.* Sumitur ex cap. citato.] Verum eſt eodem ſenſu, quo axioma præcedens, de cauſa actu cauſante; tali enim poſitâ, ſemper abſolutè, & neceſſariò ponitur effectus, ſi non omnis, aut totus, ſaltem aliquis. Huic verò non obſtat exemplum, quod habet D. Thomas in 4. ſent. diſt. 43. a. 2. ad 1. vbi *Reſurrectio*, ait, *Chriſti cauſa eſt noſtræ reſurrectionis : Chriſto tamen reſurgente, reſurrectio noſtra non eſt ſecuta, ſed eo tantum tempore ſequetur, quo Deus ordinauit;* quia aliud eſt, cauſam exi-

Digitized by Google

ſtere, aliud cauſare actu, vt patet in omni causâ finali : aliud itẽ eſt, cauſam habere eſſe ſuum, in ſenſu diuiſo, aliud habere rationem cauſandi in ſenſu compoſito : per hoc enim formaliter conſtituitur in eſſe cauſæ, non autem per illud : 2° etiam verum eſt pronunciatum de cauſa in potentiâ, & effectu ſimiliter in potentiâ, vt mox clariùs explicabitur. Quod verò poſitâ causâ in potentiâ non remotâ ſolùm, ſed etiam propinquâ, non ſemper ſubſequatur effectus, actu, oritur vel ex inſufficientiâ, vel indiſpoſitione ſubiecti & circunſtantiarum, ſi cauſa naturalis ſit; vel etiam ex arbitrio operantis, vt contingit in cauſis liberis.

4. *Sublatâ causâ in actu, tollitur effectus in actu.*] Sumitur tum ex loco citato, tum clariùs ex 2. Phyſ. c. 3. t. 38. vbi Philoſophus ait : *Cauſæ actu, & ſingulares, & ea, quorum ſunt cauſæ, ſimul ſunt, & non ſunt : vt hic qui qui medetur, cum hoc, qui ſanatur, & hic qui ædificat, cum hoc, quod ædificatur* : quemadmodum enim poſitâ causâ in actu, etiam ponitur effectus, vt explicatum eſt ; ita ſimiliter. Si cauſa actu non cauſet, effectus quoque non manat actu, neque dependet à causâ : cum oppoſitorum eadem ſit ratio ; ac proinde ſublatâ causâ in actu, tollitur ſpecialis & actualis dependentia effectûs ab illâ causâ : Poteſt autem fieri, vt aliunde ſuccurrat alia cauſa, quæ continuet effectum & conſeruet in ſuo eſſe, vt ſi calor producatur à ſole in aqua, & ab igne conſeruetur. Ex eodem textu citatur à quibuſdam etiam iſtud :

5. *Sublatâ causâ tollitur effectus.*] Intelligitur & verum eſt primo de qualibet causâ, à quâ continuò dependet effectus, quoad ſuum eſſe, quales ſunt præcipuè cauſæ intrinſecæ, materia ſcilicet & forma : Etenim ſublatâ materiâ, aut ſublatâ formâ, neceſ-

sariò tollitur compositum Physicum, quod intrinsecè ab illis causis constituitur: Non autem intelligi debet de causis, quæ ad fieri quidem effectuum suorum necessariæ sunt, non verò ad conseruari: quales v. c. sunt pleræque causæ secundæ efficientes; non enim sublato patre, v. c. necessariò tollitur filius, nec igne remoto, perit continuò calor, durities, &c: qualitates introductæ ab illo in varia subiecta, &, vt vtar verbis Aristotelis loco citato: *non simul domus & ædificator corrumpitur*: atque hoc sensu intelligendum est id, quod dicit Philosophus ibidem: *Quæ sunt potentiâ, non semper simul sunt & non sunt.* Veruntamen in his quoque & vniuersaliter in omnibus causarum generibus locum habet axioma, si intelligatur de effectu, *in fieri*, non verò de effectu, *in facto esse*: Sublato enim ædificatore, domus non ædificabitur ab illo, & cessante quolibet calefaciente cessabit omnis passiua calefactio, vt perspicuum est, per explicationem præcedentis. 2° etiam verum est axioma de causâ in potentiâ, & de effectu similiter in potentiâ, vt iam videbitur.

6. *Causa in potentiâ, & effectus in potentiâ sunt simul.* Elicitur ex 2. Phys. c. 5. t. 38. & ex 5. Metaph. cap. 2.] Veritas eius clara est ex dictis: si enim causa potens est causare, haud dubiè effectus causari poterit. Ac proinde, sicuti positâ causâ in actu, etiam effectus ponitur: sic etiam, causâ in potentiâ positâ, effectus similiter in potentiâ constituitur: vt quia nubes est, pluuia existere potest, & quia sylua est, nauis aut ignis extrui potest. Contra verò, si causa non possit esse apta ad causandum, siue per se, siue propter alia impedimenta, effectus quoque eodem sensu non potest à tali causâ dependere, iuxta illud:

7. *Sublatâ causâ in potentia, tollitur effectus in potentiâ.* Sumitur ex eodem textu.] Ratio est, quia

Digitized by Google

ſicuti ſe habet cauſa in actu ſecundo, ad effectum in actu ſecundo, ita ſeſe habet cauſa in actu primo, ſeu in potentiâ, ad effectum in actu primo ſeu in potentiâ : proinde ſicuti ſublatâ causâ in actu ſecundo, tollitur effectus in actu ſecundo; ita ſimiliter, ſublatâ causâ in potentiâ, tollitur effectus in potentiâ, vt patet ex dictis.

DISTINCTIO IV.

De ordine dignitatis inter cauſas & effectus.

1. *Omnis cauſa eſt nobilior ſuo effectu.*] Eſt commune axioma Philoſophorum, & refertur à D. Thomâ in 4. ſent. diſt. 1. q. 1. art. 4. quæſtiũcula 1. ad 3. Intelligitur & verum eſt primo generatim de omni causâ & effectu, ſi conſideretur in ſenſu formali, ſiue in eſſe cauſæ & cauſati; quia nobilius eſt, dare eſſe quàm accipere, & non dependere ab alio, vt inquit Suarez, quàm dependere : quo modo diximus ſupra, vniuerſaliter verum eſſe iſtud : *Propter quod vnumquodque tale eſt, hoc ipſum magis eſt tale*; Et hoc ſenſu vſurpari ſolet paſſim à Philoſophis & Theologis propoſitum axioma : Non autem abſolutè veritatem obtinet, ſi cauſa & effectus inter ſe comparentur in cauſa materiali, id eſt, in ratione naturæ vel Entis; quædam enim cauſæ ignobiliores ſunt ſuis effectibus entitatiuè, vt perſpicuum fit ex ſingularum conſideratione. Secundo etiam verum eſt abſolutè de causâ totali, ſiue de omnibus cauſis ſimul ſumptis reſpectu alicuius effectus ; non autem de cauſa particulari : Nam omne compoſitum Phyſicum nobilius eſt ſingulis ſuis cauſis intrinſecis, id eſt materiâ, & formâ, cum ſit ens perfectum, completè per ſeſe ſubſiſtens, & continens in ſe omnes

perfectiones ſuarum partium : imperfectius tamen eſt omnibus ſuis cauſis ſimul ſumptis tam intrinſecis, quàm extrinſecis, quippe cum ab ijs quoad totum eſſe dependeat, & nihil in ſe perfectionis contineat, quod non illæ, vel formaliter , vel eminenter includant ; cumque inſuper in numerum cauſarum referendus ſit glorioſus Deus, vtpote primum efficiens, & vltimus finis rerum omnium, vt infra explicabitur.

2. *Nullus effectus nobilior eſt ſuis cauſis.*] Simul nimirum ſumptis. Ratio patet ex dictis, quia tota perfectio, quæ eſt in effectis, profluit, à cauſis, ergo eſt in cauſis, vel æquali modo, ſiue formaliter , vt in cauſis vniuocis, vel nobiliore modo , ſiue eminenter vt in cauſis æquiuocis. Vide , ſi libet, Scaligerum Exerc. 5. ſect. 1.

3. *Nulla cauſa vi ſuâ poteſt edere effectum nobiliorem ſe.* Refertur à D. Thomâ 1. 2. q. 112. à. 1. in corp] Intelligitur autem de cauſâ, à quâ per ſe & non per accidens tantum dependet effectus, & quæ non ſolum inſtrumentaria ſit; ſed principalis, iuxta explicationem præcedentium. Ratio eſt; quia cum tota perfectio natiua cuiuſlibet effectus dimanet à cauſâ, fieri non poteſt, vt aliquam illa perfectionem tribuat ſuo effectui, quam ipſa nullo modo poſſideat: quia, quod quis non habet, non poteſt dare: & propter quod vnumquodque tale eſt , idipſum magis eſt tale ; & nihil agit vltra ſuam ſpeciem aut gradum, vt explicabitur ſuo loco. Hinc etiam verum eſt iſtud :

4. *Subſtantia non fit ex non ſubſtantijs.* 1. Phy. t. 52.] Nimirum, tanquam à cauſâ per ſe & primariâ: quidquid enim non eſt ſubſtantia, & poteſt eſſe cauſa, neceſſariò eſt accidens ; at verò quodlibet accidens ignobilius eſt entitatiuè qualibet ſubſtantiâ, vt explicabitur infra, Titulo *de Subſtantiâ* , ergo non poteſt

Digitized by Google

esse causa illius primaria aut principalis, licet ad illius productionem concurrere possit per modum instrumenti, vti contingit in generatione compositi naturalis. Dixi substantiam non fieri ex non substantiis, tanquam à causis per se; quia impropriè loquendo, fieri potest, ex priuatione, quæ est principium generationis, tanquam à termino à quo, qui non sortitur rationem causæ.

5. *Causa æquiuoca producit effectum ignobilioris naturæ, quàm sit ipsa.* Traditur à D. Thoma, in 4. d. 1. q. 1. a. 4. ad 4. à Suarez d. 17. Meraph. sect. 2. n. 21. & aliis passim.] Sensus est, causa æquiuoca, intellige primaria, & principalis, semper in entitate suâ, & naturâ, nobilior est suo effectu. Ratio est, quia illa dicitur causa æquiuoca, quæ producit effectum diuersæ speciei; quare cum ob specificam diuersitatem effectûs à causâ, æquale sibi causa æquiuoca, vt sic, producere non possit. & multò minus aliquid nobilius, quàm ipsa sit, vt constat ex dictis; necessariò aliquid producit se ignobilius. Videri potest Iulius Scaliger. Exercit. 5. sect. 1.

6. *Effectus sequitur debiliorem partem suæ causæ.*] Dictum hoc dupliciter potest intelligi, primo vt solum dicat, effectum semper esse minus perfectum, quàm si causa ex omni parte esset æqualiter perfecta, v. c. quando duo leuant aliquod pondus, quorum vnus habet vim agendi vt 8, alter vt 2, sequitur minor effectus, quàm si vterque haberet vim agendi, vt 8, & hoc sensu generatim verum est axioma. 2° potest intelligi, vt dicat, eiusmodi effectum nunquam esse perfectiorem, quàm sit virtus agendi partis debilioris ipsius causæ, siue semper esse eiusdem ordinis cum parte causæ debiliore, & hoc sensu fallit, quoties duæ causæ vnam integram constituunt, perfectiorem, quàm sit altera earum per se

Digitized by Google

ſola : tum enim effectus ſemper eſt perfectior, quàm ſit virtus agendi, non ſolum partis inferioris, ſed etiam ſuperioris, vt patet in exemplo leuantium illud pondus; non enim tantum leuant pondus vt 8, ſed vt 10. Quare ſecundum hunc poſteriorem ſenſum tantum verum eſt, quando vna cauſa non adiuuat, nec intendit, modo iam dicto, vim agendi alterius, vt fit in ſyllogiſmis, in quibus præmiſſæ non intendunt, nec augent mutuam certitudinẽ; ſed ſolum ſe mutuò iuuant, ad conſtituendam ipſam conſequentiam, quæ per vnam ſolam propoſitionem conſtitui formaliter non poteſt: proinde in his ſolis, ſecundum poſteriorem acceptionem axioma propriè locum habet, & efferri ſolet his terminis: *Concluſio ſequitur debiliorem partem antecedentis*. De quo fuſiùs ſuo loco.

DISTINCTIO V.

De ſimilitudine inter cauſas & effectus.

1. *Effectus gerit ſimilitudinem ſuæ cauſæ*. Sumitur ex l. 1. de Gen. & Cor. t. 31.] Verum eſt hoc proloquium generatim de omnibus cauſis, ſiue vniuocis, ſiue æquiuocis: de his quidem, loquendo de ſimilitudine virtutis, quâ omnis cauſa æquiuoca continet eminenter ſuum effectum; quo modo animalia imperfecta, plantæ item, & metalla, cauſis ſuis æquiuocis aſſimilantur: quia eorum formæ virtute & eminenter in ipſis continentur: De illis verò loquendo de ſimilitudine ſpecificâ; quo ſenſu certum eſt, quod omnis effectus vniuocus eiuſdem eſſentiæ ſit, ſiue naturæ ſpecificæ cum ſuâ cauſâ; vti v. c. in natura humanâ omnis filius ſimilis eſt proprio ſuo

Digitized by Google

parenti : Neque verò in vnitate ſpecificâ modo conuenientia huiuſmodi conſiſtit ; ſed in proprietatibus etiam, & accidentariâ, ac propriè dictâ ſimilitudine aliquarum, ſaltem corporis & animi affectuum, & diſpoſitionum ; tum natiuarum omninò, tum etiam à cuiuſque complexione, decurſu temporis prouenientium, iuxta illud, non inſcitè à Poëta dictum :

Qui vivet in foliis, venit à radicibus humor,
Et Patrum in natos abeunt cum ſemine mores:

Sicuti enim in plantis qualitates latiſſimè diffunduntur; ita in hominibus etiam, poſterorum mores, vitam ſæpe maiorum exprimunt: Cum hiſce tamen non pugnat, quod, per accidens, cauſæ & effectus perſæpe etiam immutentur, & ſibi diſſimiles euadant, interueniente ſcilicet aliquo impedimento, vel ex parte materiæ, vel ex parte diſpoſitionum, &c. vt contingit in pleriſque monſtris; vel etiam naturali mutabilitate rerum omnium ſublunarium, & temporum varietate, iuxta illud Vulgare : *Tempora mutantur, & nos mutamur in illis.*

2. *Quidquid eſt in effectu, eſt in cauſâ.*] Vulgare iſtud intelligitur hoc modo : quidquid entitatis realis & perfectionis eſt in effectu, vt effectus eſt, eſt etiã, vel fuit in cauſâ, vel formaliter, vel certè virtualiter & reductiuè ; omnis enim perfectio vltimatè ordinatur ad cauſam primam : non autem quidquid imperfectionis in effectu ſecundum ſe materialiter ſpectato reperitur, id etiam neceſſariò eſt in cauſâ; quia alioqui ſequeretur, quod omnis imperfectio eſſet in Deo, qui eſt cauſa creaturarum omnium.

3. *Quorum cauſæ bonæ ſunt, ipſa ſunt bona.*] Verum eſt pronunciatum in ſenſu formali, reſpectu cauſæ & effectûs, hoc modo : omnis effectus procedens à cauſâ, quatenus ea bona eſt, ipſe quoq; in ſe

eſt bonus, in quantum videlicet per ſe ab illâ procedit. Dixi primo quatenus cauſa bona eſt, in ſenſu formali; quia à bonis cauſis mala quędam naſcuntur (vt à viris iuſtis leuia peccata) non tamen ab illis proueniunt, quâ ex parte cauſæ bonæ ſunt : item à malis cauſis bona ſubinde oriuntur ; ſed in ſenſu materiali, & non prout cauſæ ſunt malæ. Dixi ſecundo, effectus in ſe bonus eſt, quatenus à tali causâ procedit; quia tametſi omnia per ſe concurrentia ad productionem alicuius effectus, bona ſint, poteſt tamen aliquando effectus aliunde per aliquam circunſtantiam vitiari : quamuis in tali caſu cauſa abſolutè non ſit cenſęnda bona; illud ęnim vitians effectum, infert rationem cauſæ malæ. Videri poteſt ſupra, Titulo *de Bono*, ęxplicatio illius : *Bonum eſt ex integrâ causâ; malum ex ſingulis defectibus.*

4. *Quorum cauſæ ſunt vtiles, ipſa vtilia ſunt.*
5. *Quorum cauſæ ſunt honeſtæ, ipſa honeſta ſunt.*
6. *Quorum cauſę delectabiles, ipſa ſunt delectabilia.*]

Tria hæc pronunciata in illo priore continentur, & ex eodem vim ſuam habent, ſuntque eodem ſenſu vera, quo illud. His ſimilia tradit Ariſtoteles 2. Top. c. 3. l. 31. ſed ſpecialia magis & cauſis efficientibus duntaxat accommodata, videlicet

7. *Quorum efficientia bona ſunt, ipſa ſunt bona.*
8. *Quorum efficientia mala ſunt, ipſa ſunt mala.*
9. *Quorum interimentia bona ſunt, ipſa ſunt mala.*
10. *Quorum interimentia mala ſunt, ipſa ſunt bona.*]

Horum idem eſt ſenſus, qui ſuperiorum, eademque ad argumentandum vis & ratio. Duo priora cæteris etiam tribus cauſarum generibus accommodari poſſunt ; latè tamen acceptis nominibus boni & mali; vt nimirum non tantum bona & mala in moribus, hoc eſt laudanda, & vituperanda comprehendant; ſed etiam bona & mala, tum naturæ, tum artis. Plu-

Digitized by Google

ia alia Proloquia philoſophica, ex his colligi & duci poſſunt, & deducuntur à Philoſophis, vt iere eſt apud Boëtium, de Differ. 1. Top. l. 3. Alexandrum, & alios, quæ omnia hoc generali axiomate ntinentur.

11. *Cuius conditionis eſt cauſa, eiuſdem quodam odo eſt effectus.*] Alij ita breuius enuntiant: *qualis t cauſa, talis effectus.* Verum eſt axioma de cauſis & ffectibus vt tales ſunt, in ſenſu formali, vt conſtat x dictis: ſemper enim effectus gerit aliquam ſimiliudinem ſuæ cauſæ, ſiue vniuoca illa ſit, ſiue æquioca, ſiue propinqua, ſiue remota, ſiue vniuerſalis, iue particularis, iuxta explicationem præcedentium: ignanter tamen, & iuxta ordinarium Philoſophorum vſum, intelligitur de cauſis, per ſe, immediatè cauſantibus, iiſque propriis: non autem de cauſis per accidens & impropriè dictis; quo modo ſternutatio, v. c. dicitur impropriè, bonus effectus malæ cauſæ. Vera enim, & propinqua, ac propria ſternutationis cauſa, eiuſdem aliquo modo conditionis eſt cum ſuo effectu: Neque etiam de cauſis communibus & vniuerſalibus, quales ſunt Deus, Sol, & reliqua aſtra, quia effectus denominari non ſolet, à causâ vniuerſali, ſed particulari; ab hoc ſiquidem accipit ſpeciem, proprietates, & alia accidentia quibus illius refert ſimilitudinem; Et licet in cauſis remotis & mediatis ſæpe etiam locum habeat, vt cum ſimilitudo parentum per varias generationes in nepotes & pronepotes deriuatur, vt docet Ariſtoteles l. 1. de Gen. animal. c. 18. id tamen ex eo ferè prouenit, quod vis efformatiua, quæ eſt in auis & proauis, omninò ſimilis tranſmittatur in poſteros: quãquam & hîc multum valere poteſt vehemens parentum imaginatio, vt patet experientiâ quotidianâ.

DISTINCTIO VI.

De cauſis in ordine ad effectus diuerſos, &c.

1. *Dempoteſt eſſe cauſa contrariorum effectuum.* 2. Phyſ. c. 3. t. 30.] Explicat ibidem & probat: *Quod enim præſens cauſa cuiuſpiam eſt, id & abſens cauſam nonnunquam contrarii eſſe dicimus: vt gubernatoris abſentiam, ſubuerſionis nauis, cuius præſentia erat cauſa ſalutis*: Senſus itaq; pronunciati eſt, vnam eamdemque cauſam producere poſſe, diuerſos & oppoſitos effectus, ſi vel ipſa diuerſo modo ſe habeat, vel ſi ex pluribus effectibus, vnus ſit per ſe, alius verò per accidens. Sic in moralibus, idem homo bene ſe habens, cauſa eſſe poteſt effectûs ſtudioſi; malè autem operans, effectus vitioſi, ſic idem Medicus eundem ægrum ſanare poteſt & interficere; ſed hoc faciet veneno; illud verò remedio: ſic diuturna niuis contrectatio & frigidam efficit manũ & calidam; ſed alterum quidem per ſe & ſuâ naturâ, alterum per motum & antiperiſtaſim: vinum idem & humectat & exſiccat; ſed alterum per ſe, alterum per accidens: ſenectus adueniens & ſicciores efficit mortales & humidiores, &c.

2. *Eiuſdem effectus plures ſunt cauſæ.*] Sumitur ex 2. Phyſ. c. 3. Metaph. t. 3. vbi dicitur vna res plures habere cauſas, & 5. Metap. c. 2. vbi dicuntur cauſæ multæ concurrere poſſe ad vnum numero effectum non ſolum per accidens; ſed etiam per ſe. Ex hoc axiomate perſpicua fit ratio, cur ſæpe Medici ægrotos ab infirmitate liberare non poſſint, quia nimirum ſæpe illos latet cauſa morbi; quæ multiplex eſſe poteſt, & non à quolibet facilè dignoſci-

Digitized by Google

tur. Intelligitur autem axioma primo de cauſis per ſe & diuerſi generis: ſic cauſa efficiens ſtatuæ eſt ſtatuarius, materialis eſt, lignum, metallum, aurum, &c. Secundo de cauſis particularibus eiuſdem generis, quarum ſcilicet ſingulæ & per ſe ſolæ non exhibent ſufficientem & totum concurſum neceſſarium ad effectum, ſic 4. elementa concurrunt ad compoſitionem mixti in genere cauſæ materialis, ſic vnus currus trahitur à 6 equis, &c. Tertio etiam verum eſt, de cauſis totalibus, & per ſe, eiuſdem generis; ſed non eiuſdem ordinis: quia in eodem genere cauſæ, v. c. efficientis, alius eſt ordo cauſarum vniuerſalium, quales ſunt Deus, cælum, &c: alius particularium: ſic omnes effectus cauſarum ſecundarum pendent à Deo, vt à primâ & vniuerſali cauſâ, ab aliâ verò vt à cauſâ particulari, totaliter tamen concurrente, pro ratione cauſæ ſecundæ. An autem idem numero effectus poſſit produci à duabus cauſis ſecundis, eiuſdem ordinis & generis, ita vt à ſingulis producatur totus, diſputant Philoſophi, quos vide, ſi libet. 4° denique intelligitur etiam & verũ eſt de cauſis per accidens, ſiue totalibus, ſiue partialibus, ſiue eiuſdẽ, ſiue diuerſi ordinis, hæ enim in infinitum variari poſſunt, iuxta illud.

3. *Cauſæ per accidens ſunt infinitæ.* 2. Phyſ. c. 6.] Id eſt nullo certo termino aut fine comprehendũtur, cum tot eſſe poſſint, quot accidentariæ mutationes, & varietates circumſtantiarũ accidere ſolẽt in cauſis & effectis per ſeſe; hæ autem multiplicari poſſunt in infinitum, vt patet experientiâ quotidianâ. Sic aliquando contingit, vt ægrotis, capitis ſanitas reſtituatur, ex ratione capillorum, aut ex eo, quod ventus Fauonius aut Septentrionalis leniter ſpirare incipiat, vt docet Ariſtoteles in Problematis ſec. 26. quæſt. 30. quia nimirum ſublatis capillis ſuperflui

capitis vapores facilius exhalant, & à talibus ventis ſuauiter aërem perflantibus capitis fuligines eliciuntur & abducuntur, vt docet Ariſtoteles loco citato.

4. *Quantò altior eſt cauſa, tantò vniuerſalior*: refertur à S. Thomâ in 6. Metaph. lect. 3. t. 7.] Senſus eſt, cauſam eò ſe magis extendere ad plura in cauſando, quo ſuperiorem obtinet gradum in ratione cauſæ; ſicuti enim vniuerſale in prædicando, quo ſublimius eſt in ſerie vniuerſalium, eò de pluribus prædicari poteſt, ita vniuerſale in cauſando, quantò eſt altius, tanto exercet ſuam cauſalitatem generalius: vnde Deus, qui eſt cauſa prima & ſuprema etiam eſt cauſa vniuerſaliſſima, & generaliſſima, cõcurrens ad productionem omniũ omninò effectuum: Vide D Thom. 1. p. q. 65. a. 3. in Corp.

5. *Diuerſorum effectuum diuerſæ ſunt cauſæ.* Sumitur ex 12. Metaph. c. 3. & refertur ab Auerroë 1. de Cælo t. 24. & 2. de Cæ. t. 93.] Eſt autem intelligendum non de cauſis vniuerſalibus aut remotis; ſed immediatis & proprijs: hæ enim aliquo modo diuerſæ ſunt, ſiue diuerſimodè ſe habent, vel quoad ſe, vel quoad alias etiam circunſtantias, pro variâ diuerſitate effectuum, vt rectè docet S. Thomas in 2. Phyſ. lect. 12. & patet ex huius diſtinctionis num. 1. ſiquidem modus operandi diuerſus, ſiue à cauſis ipſis, ſiue à circunſtantiis oriatur, conſtituit cauſam in ratione cauſæ formaliter diuerſam: Sic v. c. Sol cenſetur eſſe cauſa generationis rerum, ex eo quod propiùs ad nos accedit, circa æquinoctium vernum: per abſceſſum autem ſuum conſtituitur cauſa interitus & corruptionis, vt docet Ariitoteles, 2. de Gen. c. 10. & ſecundum hanc explicationem non ſolum verum eſt axioma in cauſis propriis; ſed etiam locum habere poteſt in cauſis vniuerſalibus & remotis.

6. *Vni-*

Digitized by Google

. *Vnicuique effectui debet assignari causa connes.*] Proponit hoc Theorema Philosophus 2. ys. c. 3. explicandis causis omnino accommodum, o monet, reddendas esse effectibus idoneas causas congruas, vt puta, effectui singulari singularem usam, vniuersali communem; effectui actu, cau- n actu; effectui per se causam per se, atque ita in teris. Vide, si libet, quæ dicemus infra ad illud : *mnis effectus gerit similitudinem sui efficientis*, Titulo : *Causa efficiente*, dist. 8.

TITVLVS NONVS.

De Causâ Materiali.

DISTINCTIO PRIMA.

Variæ diuisiones Materiæ.

MAteria generatim alia dicitur *obiectiua* : alia *subiectiua*; obiectiua nihil est aliud, quàm obiectum, circa quod versatur agens actione immanente; quæ significatio metaphorica est, & parum ad præsens institutum pertinet : quia illa, vt sic non exercet causalitatem materialem. Materia subiectiua, de qua hîc agimus, variè diuiditur. Nam

1° Materia alia est *prima*, alia *secunda* : materia prima dicitur, vel quia non habet priorem, vel in ordine ad secundam, estque illa substantialis materia, quam Aristoteles 1. Phys. c. 9. definit, *Primum subiectum, ex quo fit aliud.* Materia secunda dicitur, quæ supponit primam, hæc est duplex, prior est compositum substantiale, quod dicitur materia secunda, respectu sensibilium accidentium : posterior

eſt ipſa materia prima, prout eſt affecta diſpoſitionibus accidentalibus, ad recipiendam formam ſubſtantialem : hæc tamen magis propriè vocatur, *Materia proxima.*

2° Materia diuiditur in materiam, *ex quâ*, *in quâ*, &, *circa quam*, quæ diuiſio non tàm continet diuerſas materias, quàm vnius & eiuſdem materiæ diuerſa officia diſtinguit (ſicut illa diuiſio Differentiæ apud Porphyrium in diuiſiuam & conſtitutiuam) Eadem enim materia dicitur, *Ex quâ*, vel reſpectu formæ, quæ ex illâ educitur, vel reſpectu compoſiti, quod ex illâ conſtat ; Et dicitur, *In quâ*, reſpectu formæ, quæ inducitur, aut recipitur, vel ineſt in eâ ; Et dicitur, *circa quam*, reſpectu agentis, quod operatur, circa eam.

3° Materia ex quâ ſubdiuiditur in *Tranſeuntem*, & *Manentem*. Tranſiens dicitur compoſitum præcedens, quod tranſit, ſeu corrumpitur, & ex quo fit ſubſequens : ſic lignum dicitur materia tranſiens, ex quâ fit ignis; non enim manet lignum : materia manens dicitur materia prima, quæ nunquam interit, vtpote ingenerabilis & incorruptibilis ; ſed manet in compoſito, ſeu termino generationis.

4° Diuiditur materia in *Metaphyſicam* & *Phyſicam* : Materia metaphyſica dicitur genus, reſpectu differentiæ ; quia genus concipitur per modum perfectibilis, differentia per modum formæ perficientis : Materia phyſica eſt ipſa materia prima, quæ eſt primum ſubiectum Tranſmutationis, &, vt inquit Auerroës, *Fundamentum rerum omnium naturalium.*

Digitized by Google

DISTINCTIO II.
Quid sit Materia.

1. *Materia est primum, ex quo res constituitur, & vltimum in quod resoluitur.*] Est commune pronunciatum Philosophorum, desumptum ex l. 1. Phys t. 82. vbi Aristoteles materiam ita definit: *Materia est subiectum primum vniuscuiusque rei, ex quo aliquid eo fit pacto, vt per se, & non per accidens insit, & in quod vltimò resoluitur id, quod interit*: id est, materia est id, ex quo vnumquodque compositum naturale fit, non per accidens; sed per se, tanquã ex subiecto primo, siue causâ materiali, quæ est pars essentialis, & non accidentaria compositi: Dicitur autem materia, *primum ex quo res componitur*, vt excludatur subiectum omne secundum, quale est 1° compositum substantiale, respectu formarum artificialium, 2° elementa, quæ sunt secundaria materia mixtorum, 3° quantitas, quæ est immediatum subiectum materialium accidentiũ: Et dicitur, *vltimum in quod resoluitur*, quia eadem est, ac permanet materia compositionis & resolutionis: Sicuti nãque ex nihilo res nulla potest generari, ita neque in nihilũ potest naturaliter resolui. Vide Aristotelẽ 5. Metaph. c. 2.

2. *Materia non est quid, nec quantum, nec aliud quicquam eorum, quibus Ens determinatur.*] Sensus est, materia prima secundum se, siue, vt loquitur Aristoteles, *per seipsam*, nec est substãtia aliqua physicè cõpleta & perfecta (talis enim perfectio fit per formã physicam substantialem, quæ solet dici, *quid rei*, siue *quidditas*; vt explicabitur infra, Tit. *de Causâ formali*) nec habet ex se quantitatem aliquam determinatam, nec est aliquod aliud Ens prædicamentale

completum, ex ijs quibus Ens communiter diuidi-tur. Plures ab aliis interpretationes afferuntur, parum ad rem facientes, quarum pleraſque doctè refutat Zimara in ſuis Theorematis, propoſitione ſextâ. Eſt autem hoc Proloquium Ariſtotelis 7. Metaph. c. 3. t. 8. quo materiam per negationem appoſitè definit. Nam

3. *Materia negatione cognoſcitur.* 10. Metap. t. 24.] Ratio huius eſt, quia materia eſt pura potentia paſſiua, ex ſe carens omni actu, ſeu formâ phyſicâ, ad quam tantò propius cognitione accedimus, quantò plures actus, ſeu perfectiones ab eâ remouemus; pro quo, Notandum eſt: res ſummè perfectæ, vt eſt glorioſus Deus, & ſummè imperfectæ, vt materia prima, difficulter à nobis cognoſcuntur vero conceptu poſitiuo; illæ ob ſuam perfectionem; hæ verò ob imperfectionem, ideo vtræque ſolent à nobis circumſcribi per negationem: hoc tamen diſcrimine, vt notat Simplicius 1. Phyſ. t. 66. quod Deum explicemus per negationem, quâ aſcendimus ſuper omnes res creatas; dicimus enim, Deum non eſſe Ens aliquod limitatum, nec eſſe ſubſtantiam talem, quales ſunt ſubſtantiæ creatæ, id eſt, cum ijs imperfectionibus; ſed eſſe aliquid ſupra omnes illas ſubſtantias; item Deum non eſſe quantitatem, & aliquid multò excellentius, quod eminenter contineat omnes omnium rerum particularium perfectiones, &c: Contra verò materiam inueſtigamus per negationem, quâ deſcendimus: dicimus enim, materiam non eſſe Quid, i. ſubſtantiam per ſe completam & perfectam, perficitur namque materia per formam; nec eſſe quantam per ſe, ſed per quantitatem; nec qualem per ſe; ſed per qualitatem, &c.

4. *Materia eſt magnum & parvum.*] Effatum iſtud nonnulli inter dogmata Platonis ἄγραφα, id eſt, non

ſcripta, ſed viuâ voce diſcipulis inculcata recēſent: alij verò, licet in illis libris, quæ nunc exiſtant, non inueniatur; aiunt tamen à Platone mandatum fuiſſe litteris. Cur autem Plato dixerit, materiam eſſe, τὸ μέγα καὶ μικρὸν, non planè conſtat; quis enim omnia ſenſa Platonis nobis referat? probabiliſſimum eſt, vocari, magnum, quod omnia formarum naturalium genera velit & poſſit recipere: Omnes namque ſuo gremio potis ipſa fouere: paruum verò, quod ex ſe nihil formalis perfectionis actu poſſideat, ſiue breuius, quia *Eſt maximum potentia, minimum actu*, vt pluribus explicatum eſt, Titulo 1. diſt. 3. Simili ferè ſenſu dicitur materia eſſe medium inter Ens & non Ens, vt paulo poſt explicabitur. Vide D. Auguſtinum l. 12. Confeſſ. c. 4. 5. 6. 8.

DISTINCTIO III.

Quid ſit materiæ Entitas.

1. *Materia eſt non Ens.*] Ita eam appellat Plato in Timæo, cum ait: *Quid eſt, quod ſemper eſt, generationem autem non habet? & quid eſt, quod gignitur quidem, nunquam autem eſt?* quo loco per id, quod ſemper eſt, ſignificat ideam, vt notat Simplicius ad textum 30. l. 1. Phyſ. ex Porphyrio, & alijs: per id autem, quod nunquam eſt, materiam primam. Poteſt verò materia dici non Ens, eo ſenſu, quo 9. Metaph. t. 8 dicitur ab Ariſtotele, nec eſſe quid, nec quantum, &c. vt explicatum eſt; quia nimirum non eſt Ens actuatum & completum per aliquam formalem perfectionem: Abſolutè tamen & ſimpliciter materiam non habere vllum eſſe, nec diſtingui à Priuatione, malè cenſuerunt Platonici, decepti ſophiſ-

matoillo Parmenidis: quidquid eſt præter Ens, eſt non Ens; Materia eſt præter Ens, cum non ſit Ens actu, ergo materia ſimpliciter eſt non Ens. Hunc Platonicorum errorem coarguit Ariſtoteles, & contra eos pronunciat:

2. *Priuatio eſt non Ens per ſe: Materia autem ſecundũ accidens.* 1. Phyſ. c. 9. t. 79.] Dicitur materia nõ Ens per accidẽs, ratione priuationis, quæ eſt non Ens per ſe, & accidit materiæ, ita vt materia & priuatio ſint vnũ ſubiecto: Per ſe autẽ materia verè eſt Ens reale, & ſecundũ multos ac graues auctores, etiam actus Entitatiuus, vt vocant; cum ſit realis & actualis Entitas, intrinſecè & eſſentialiter cum formâ conſtituẽs Ens completum reale: & ſubſtantiale, i. compoſitum phyſicum. Vnde loco citato inquit Ariſtoteles:

3. *Materia eſt aliquo modo ſubſtantia.*] Aſſignat diſcrimen inter materiã & priuationem, docétque illam ad ſubſtantiæ rationem propius accedere; hanc verò in ſubſtantijs, nullo pacto numerari poſſe. Cæterum dictam modo entitatem realem materia intrinſecè non accipit à formâ; ſed habet ex ſe; alioqui toties mutaretur intrinſecè Entitas materiæ, quoties amittit vnam & accipit aliam formã; imò toties abſolutè corrũperetur materia, quoties deſtituitur ſuâ formâ, & totiẽs denuò produceretur, quoties accipit nouam formam; tãm enim res corrumpitur, cum perdit ſuam entitatẽ; & tum producitur cum eam accipit. Quod ſi nomen ſubſtantiæ non ita ſtrictè ſumatur, pro ſolis completis; ſed latiùs pro qualibet ſubſtantiâ reali, ſiue completa illa ſit, ſiue incompleta, abſolutè & ſimpliciter.

4. *Materia eſt ſubſtantia.*] Ita expreſsè pronunciat Ariſtot. 7. Metaph. c. 3. t. 8. & l. 8. Meta. c. 2. t. 4. idq; apertũ eſſe docet ex eo, quod in omnibus mutationibus ſit aliquod tertium, in quo ſubiectentur illæ

Digitized by Google

zationes: ſicuti enim probatur & cõuincitur, dari erum naturâ ſubiecta mutationum accidẽtalium; ia ſc. neceſſarium eſt, vt aliquid eiuſmodi muta-nibus ſubjiciatur, quod, vno accidente abiecto, positum eius vel poſitiuum, vel priuatiuum reci-at; Eodem pacto concluditur, materiam primam eceſſariò eſſe dandam, in quâ vnâ formâ abiectâ; lia, cum priuatione illius, ſuccedat; quod officium nateriæ non poteſt non eſſe munus ſubſtantiæ.

5. *Materia eſt ſubſtantia poſtremæ notæ.*] Commune ſtud pronunciatum Philoſophicum, deſumptum eſt ex 2. Phyſ. t. 9. & ex 9. Metaph. t. 16. & aliis. Eſt matèria verè & eſſentialiter ſubſtantia partialis, quia intrinſecè & eſſentialiter componit ſubſtantiam totalem, ideſt compoſitum phyſicum: ſubſtantia enim non poteſt componi, ex non ſubſtantiis, vt docetur 1 Phyſ. t. 52: Eſt tamen ſubſtantia imperfectiſſima & poſtremæ notæ; quia eſt pura potentia paſſiua, remotiſſima ab omni formâ, ſiue actu phyſico, qui eſt, & dici ſolet rei cuiuſlibet naturalis perfectio: vnde Ægyptij materiam vocabant fæcem primę vitæ, i. Dei, eò quod omnium ſubſtantiarum à Deo creatarum infima ſit & viliſſima.

6. *Materia eſt medium inter Ens & non Ens.* 1. Phyſ. t. 77.] Etſi inter duo contradictoria nihil detur medium; rectè tamen materia medium quid dicitur inter Ens & non Ens; nimirum inter non Ens ſimpliciter ſeu purum nihil, & inter Ens actuatum, ſiue perfectum actu ſubſtantiali phyſico, quæ duo nullam contradictionem inuoluunt. Etenim materia eſt ſubſtantia poſtremæ notæ, vt iam explicuimus, & ita medium quoddam eſt inter Ens ſimpliciter, & non Ens ſimpliciter: neque enim eſt Ens omnibus modis, id eſt perfectum omninò, & ſpecificatũ, neque eſt omninò nihil; ſed eſt Ens imperfectum

& potentiale; non quidem eo ſenſu, quo Ens poſſibile, quod actu nullum habet eſſe aut exiſtere; ſed eſt pura potentia paſſiua, exiſtens in rerum naturâ, & nullum actum ſubſtantialem determinatiuum intrinſecè includens in ſuâ eſſentiâ. Eſt nihilominus materia perfecta aliquo modo in ſuo genere, id eſt, in ratione potentiæ paſſiuæ.

7. *Materia eſt de genere relatiuorum.* 2. Phyſ. t. 26.] Etſi materia habeat in ſe & ex ſe propriam aliquam entitatem realem & non accipiat eam intrinſecè à formâ, vt dictum eſt: habet tamen entitas materiæ intrinſecam & tranſcendentalem habitudinem ad formam, cum eſſentialiter ſit potentia paſſiua reſpiciens actum ſeu formam, cumque *aly formæ alia materia ſubijciatur*, vt inquit Ariſtoteles loco citato: ſicuti namque forma cuiuſque compoſiti naturalis, non quamlibet materiam ſine diſcrimine; ſed certam & determinatam expoſcit: pari modo materia non cuiusvis formæ, ſed certæ, & proportione ſibi reſpondentis eſt capax. Atque hinc docent Philoſophi materiam non poſſe cognoſci, ſine formâ; quia ſicuti ſe res habet ad eſſe, ita ad cognoſci: atqui materia dicit eſſentialem & tranſcendentalem reſpectum ad formam, ergo eſſe materiæ non poteſt cognoſci, niſi per reſpectum, vel in ordine ad formam.

DISTINCTIO IV.

De Appetitu, & cæteris materiæ attributis.

1. *Materia appetit formam.* 1. Phyſ. t. 81.] Ratio huius eſt; quia omne imperfectum appetit eo modo, quo poteſt ſuam perfectionem: materia eſt quid imperfectum, vtpote nuda & informis poten-

& Ens incompletum : Forma autem eius perfe-
eſt, extrinſeca videlicet & completiua; determi-
nim materiam ad certam ſpeciem, & ſubſtan-
in ſuo genere completam; ergo materia appe-
rmam, & quidem ad eum modum, quo *Fœmina*
m, & turpe appetit pulchrum, vt inquit Ariſtote-
oco citato; pulchritudo ſiquidem eſt perfectio
urpis, & vir gloria eſt mulieris, quippe animalis
rfecti, & maſculam integritatem æmulantis;
tit autem eam appetitu purè innato, qui com-
is eſt vniuerſæ naturæ, & nihil eſt aliud, quam
enſio quædam naturalis, ſeu pondus materiæ
um, ad quamlibet formam ſibi proportionatam,
uam ad ſuam perfectionem.

Materia nunquam eſt ſine paſſione. 1. de Gen. &
c. 5. t. 29.] Ratio eſt; quia nunquam caret in-
atione paſſiuâ, cum nũquam non ſuſtineat qua-
s, &c. accidentia ſibi naturalia, ac formam ſub-
alem, ſine quâ neutiquam in rerum naturâ co-
e valet, vt docet Philoſophus ibidem. Sic ho-
s imperfecti nunquam omni prorſus afflictio-
ent, & vt ab aliis nihil ſuſtineant, à ſeipſis ſatis
que moleſtiæ patiuntur, iuxta illud D. Auguſti-
*ſiſti Domine, & ita eſt, vt pœna ſua ſit omnis in-
itus animus*: Hoc autem formæ conſortium ma-
x ſuâ naturâ poſtulare videtur, tum propter
atem ſuæ exiſtentiæ, tum propter imperfectio-
æ entitatis, vt inquit Suarez diſp. 43. ſect. 8.
9.

Materia nullius eſt actuitatis. Sumitur ex 1. de
55. & 2. de Gen. t. 53.] Etiamſi materia, iux-
rmorum ſententiam rectè dicatur actus enti-
, cum ſit realis & actualis entitas, exiſtẽs actu
n naturâ, vt inquit Suarez diſ. 23. Metap. ſec. 5.
illius tamen ex communi omnium iudicio eſt

actiuitatis: nec vllam exercere poteſt actionem propriè dictam; cum ſit pura potentia paſſiua, & primum vniuſcuiuſque rei ſubiectum: ſubiectum enim qua tale, non eſt actiuum, ſed paſſiuũ. Atque hac de causâ materia & forma in hoc præcipuè diſcriminari ſolẽt, quod cum vtraque rationem *Naturæ* habeat, quæ, *principium eſt motus & quietis*, illa principium paſſiuum ſit, in quo fit motus, ſeu operatio: hæc verò ſit principium actiuum, à quo procedit motus, vt fuſiùs explicabitur in illo: *Formæ eſt agere, materiæ pati.* Dixi à materia nullam produci poſſe actionem propriè dictam, qualis videlicet procedit à principio actiuo, ſiue à causâ efficiente; quia ſi ſermo ſit de qualicumque officio, ad quod res vnaquæque eſt inſtituta, ſiue illud ſit officium agendi ſiue patiendi, dubium non eſt, quin materia dici poſſit impropriè alicuius eſſe actiuitatis, iuxta illud 1. Phyſ. c. 7. *Vnumquodque eſt propter ſuam operationem*, de quo infra, Titulo *de Causâ efficiente.* [Suarez quoque diſp. 13. ſect 4. num. 57. non improbabile putat, quod quãtitas à materia dimanet per aliquam efficientiam, quemadmodum aliæ proprietates dicuntur efficienter emanare à ſuis ſubiectis, vt calor ab igne, intellectus ab anima, &c. ſed rectius & magis conformiter naturæ materiæ primæ, id negat Vaſquez tom. 2. in primam partem diſp. 196. num. 13. cum quo dicendum videtur quantitatem, vti eſt coæua materiæ, ita à mundi primordio fuiſſe materiæ concreatam.]

4. *Materia eſt ingenerabilis & incorruptibilis.* 1. Phyſ. t. 81.] Verum eſt pronunciatũ, loquendo propriè & phyſicè, id eſt, ſi generabile ſumatur pro eo, quod fieri poteſt, ex præexiſtente ſubiecto, & corruptibile pro eo, quod deſtrui poteſt per corruptionem naturalẽ: ſin autẽ ſumantur latiùs, pro eo, quod quocũque modo incipit, ſiue per generationem, ſiue per

creationē,& quocūque modo dēsinit,siue per corruptionē physicā, siue per annihilationē;sic materia est ac dici potest generabilis & corruptibilis : non tamē respectu agentis naturalis; sed supernaturalis, id est, Dei; qui solus sicuti creauit materiam ex nihilo, ita eam in nihilū potest redigere. Cęterū cum hoc pronūciato non pugnat Aristot. 8. Metaph. c. 1.t. 4. vbi docet,esse duplicem materiā alterā Cæli ingenerabilem & incorruptibilē, alterā rerū sublunarū generationi & corruptioni subiectā:licet enim hæc materia sit subiectū generationis & corruptionis;nō tamē est terminus,neq; est id,quod generatur & corrūpitur.

5. *Materia est causa conseruationis rerum.* 2. de Gen. c.9.t.51.& 1.Oeconom.c.3.] Verum est hoc dictum Philosophi,quatenus inductione recentiū formarū, quas recipit & sustētat materia,sublunariū rerū vniuersitas continuatā perenniq; serie subsistit, & quatenus res naturales hoc modo immortalitatē diuinā æmulātur,& ad imaginē creatoris sui immortalis, sese cōponūt,quoad possūt. Hinc à Platone in Timęo dicitur materia πανδεχὲς;quia est gremiū,sinus,& cōceptaculū omniū formarū. Hinc etiā vocatur *Mater* & nutrix; quia sicuti ex matre filij,sic ex materiā formæ omnes substātiales,præter animā rationalem, & pleræq; etiam accidentales educuntur, quas illa suo gremio excipit ac fouet: alio vero respectu eadem

6. *Materia est radix corruptionis.* 9.Meta.c.9.t.17.] Ratio est,quia appetit formas, quibus est priuata,& per consequens,appetit secūdariò, seu per accidens (nam per se nulla res naturalis appetit corruptionē alterius; cum hæc sit malū quoddā naturæ)interitum & dissolutionē eius compositi, quod ipsa constituit cum eâ formâ, quam actu habet:non enim potest recipere nouam formam,& cōstituere nouum cum eâ compositum,nisi corrumpatur prius. Hinc etiam

7. *Materia ſemper machinatur maleficium formæ.* Sumitur ex 1. Phyſ. t. 81.] Ratio huius & explicatio perſpicua eſt ex ratione & explicatione præcedentis: idcirco enim materia formis, quas habet, exitium moliri, ac malefica eſſe dicitur; quia recipit continuò qualitates expulſiuas priorum formarum, & diſpoſitiones ad nouas quas appetit. Vnde 7. Metaph. c. 7. t. 22. Ariſtoteles eam appellat: *Principium non eſſendi*; quia nimirum dum diſpoſitiones priorum formarum expultrices admittit, priori compoſito non eſſe, ſiue interitum machinatur. Cæterum hæc & ſimilia pronunciata intelligenda ſunt de materiâ rerum ſublunarium, ad quam etiam reſtringitur iſtud:

8. *Quia materiâ conſtant, poſſunt eſſe & non eſſe.* 1. de Cæl. c. 2.] Id eſt, omnia compoſita materialia ſunt generationi & corruptioni obnoxia: non verò etiam intelligitur aut hoc, aut præcedentia effata de materiâ cælorum, ſaltem ex mente Ariſtotelis; quia iſta ſecundum illum abſolutè ingenerabilis & incorruptibilis eſt, non terminatiuè modo, quaſi ipſa ſit id, quod generatur & corrumpitur, ſed etiam ſubiectiuè, cum ne quidem ſit ſubiectum generationis & corruptionis, vti eſt materia ſublunaris. Eâdem reſtrictione verum eſt iſtud:

9. *Omnis potentia eſt contradictionis.* 9. Metaph. t. 17.] Ad eſſe nimirum & non eſſe: vnde infert, in ſempiternis non eſſe potentiam; quia non poſſunt eſſe, & non eſſe, cum, vt talia, ſemper neceſſariò exiſtant. Quanquam & propoſitum modo, & præcedens axioma etiam ſecundum Ariſtotelem, qui cælos ſtatuit incorruptibiles, omni omninò materiæ, ſiue cæleſti, ſiue ſublunari accommodari poſſit, hoc ſenſu: Omne id, quod habet materiam, habet etiam potentiam contradictionis ad eſſe & non eſſe;

vel ſimpliciter, vt ſublunaria, quæ generantur & corrumpuntur ſimpliciter & ſubſtantialiter; vel ſecundum quid, vt corpora cæleſtia, quæ ſecundum partes acquirunt & perdunt partialia Vbi, & ſunt in potentiâ ad lumen, & tenebras, &c.

10. *Eorum tantum eſt materia, quorum eſt ad inuicem generatio & tranſmutatio.* 8. Metaph. tex. 14.] Iſtud quoque dictum Philoſophi, reſtringunt plerique ad materiam, quæ imbuta eſt qualitatibus repugnantibus & contrariis, nempe ad materiam rerum ſublunarium: alij verò, vt Durandus, Gabriel, Zabarella, &c. ex eo probant, cælos non conſtare materiâ & formâ, eò quod non generentur, nec tranſmutentur ſubſtantialiter; ſed imprimis Ariſtoteles ſententia aliena videtur ab hoc propoſito, vt rectè obſeruat Suarez: non enim loquitur ibi de rebus incorruptibilibus; ſed de ijs, quæ poſſunt eſſe & non eſſe abſque generatione & corruptione per ſe primò terminatâ ad illas, id eſt, de formis ſubſtantialibus, vt perſpicuum eſt ex ſententiâ, quam ſubdit immediatè:

11. *Quæcunque abſque eo, quod tranſmutentur ſunt, aut non: horum materia non eſt.*] Ait ergo, illa, quæ propriè & per ſe tranſmutantur per generationem & corruptionem ſubſtantialem, id eſt, ſola compoſita ſubſtantialia, conſtare materiâ: Formas autem ſubſtantiales non conſtare; quia per ſe primò non generantur & corrumpuntur, ſed abſque huiuſmodi tranſmutatione eſſe incipiũt & deſinunt. Etenim terminus principalis, qui per ſe ac propriè producitur, in omni generatione, ſiue productione ſubſtantiali ac propriè dictâ, eſt totum compoſitum; quia hoc principaliter intenditur à generante, & eſt per ſe, vt *Quod*: Forma autem eſt id, *Quo* conſtituitur & eſt compoſitum. Lege, ſi placet, Suarez, in caput 5. libri 8. Metaph.

12. *Impoßibile eſt, habenti materiam non exiſtere contrarium*, libro de longitudine & breuit. vitæ c. 2.] Hoc quoq; pronunciatũ reſtringi ſolet ad materiam rerum ſublunarium : poteſt nihilominus de cæleſti etiã rectè intelligi: neque enim neceſſe eſt, vt quælibet res materialis poſſit ſuſcipere, quęcũq; cõtraria; ſatis eſt ſi aliqua poſſit, & latè ſumpta ſuſcipere, vt docetur in capite de Subſtãtiâ: ſic ignis ſuſcipit motum ſurſum & deorſum, etſi cõcedatur non eſſe ſuſceptiuus frigoris : Sic Angeli poſſunt ſuſcipere veritatem & falſitatem in intellectu, in voluntate bonitatem & malitiam, virtutem & vitium, amorem & odiũm, &c. Similiter cæli, etſi concedantur non ſuſcipere corruptiua contraria, poſſunt tamen perfectius ſuſcipere, & ſecundum eandem ſui partem nunc illuminari, mox lumine deſtitui, nunc moueri in orientem, mox in occidentem, &c.

13. *In materiam diſpoſitam facilè introducitur forma.*] Veritas huius quotidianâ patet experientiâ; nam & ſtupa & ſtipula ſicca facilè ignem concipiũt, & molli ceræ non ægrè figura imprimitur, & bonæ indolis adoleſcens ad omnem honeſtatẽ mediocri labore informatur. Ratio eſt; quia omne agens naturale operatur iuxta diſpoſitionem ſubiecti, & actus actiuorum recipiuntur in ſubiecto, pro illius capacitate ad formam recipiendam, vt fuſiùs explicabitur, Titulo *de Causâ efficiente.*

Digitized by Google

TITVLVS DECIMVS.

De Cauſa Formali.

DISTINCTIO PRIMA.

Variæ diuiſiones Formæ.

1. FOrma communiſſimè ſumpta diuiditur in naturalem, in ſupernaturalem, qualis eſt, gratia, & cęteri habitus infuſi, & in artificialem, vt eſt forma calicis, forma domus, &c.

2° Forma naturalis diuiditur in Metaphyſicam, Mathematicam & Phyſicam. Forma metaphyſica propriè eſt differentia eſſentialis, vt rationale, hinnibile, &c. Mathematicæ ſunt triangulus, circuculus, &c.

3° Forma phyſica diuiditur in ſubſtantialem & accidentalem.

4° Forma ſubſtantialis, alia eſt informans & incompleta, vt forma equi, alia aſſiſtens & completa, vt Angelus.

5° Informans, alia eſt ſuâ naturâ ſeparabilis à materiâ, vt anima rationalis, alia inſeparabilis; cuiusmodi tres ſunt gradus: primi gradus forma dat eſſe tantum, vt ſunt formæ elementorum & mixtorum non viuentium; ſecundi gradus dat eſſe & viuere, vt ſunt formæ ſtirpium & plantarum. Forma tertij generis dat eſſe, viuere, & ſentire, vt ſunt formæ animalium.

6. Forma accidentalis phyſica alia dicitur realis, vt color, alia intentionalis, vt ſpecies coloris, ſic dicta, quia per illam tendimus in obiecta. Nos hoc præſenti Titulo agemus præcipuè *de Formâ phyſicâ*

Digitized by Google

informante. Cætera formarum genera proprium ſibi quæque locum vindicant.

DISTINCTIO II.

Quid ſit Forma phyſica ſubſtantialis.

1. *Forma eſt actus ſubſtantialis vnum per ſe conſtituens cum materia.*] Eſt hoc receptum communiter & approbatum ab omnibus Proloquium philoſophicum, quo explicatur natura illius formæ, quæ eſt principium tum generationis, tum rei genitæ, & cauſa formalis compoſiti phyſici ſubſtantialis. Dicitur *Actus*, ad excludendam primo materiam, quæ eſt potentia, ſecundo compoſitum, quod non eſt actus; ſed conſtat ex potentiâ & actu. Dicitur *Subſtantialis*, ad excludendos actus accidentales. Dicitur denique, *vnum per ſe conſtituens*, &c. aptitudine ſcilicet, non actu neceſſariò; cum anima ſeparata vera ſit forma corporis, etiam quando actu non informat; ſatis enim eſt, quod forma ex naturâ ſuâ apta ſit, & inſtituta ad informandum. Per hanc particulam excluduntur primo Formæ aſſiſtentes & completæ, vt Angeli, qui non informant, ſed tantum per extrinſecam aſſiſtentiam mouent corpora, ſecundo modi ſubſtantiales, qualis eſt vnio formæ cum materiâ, ſubſiſtentia, &c: qui propriè non conſtituunt; ſed modificant ſubſtantiam.

2. *Forma eſt ratio quidditatis.* 2. Phyſ. c. 3.] Senſus eſt: Forma ſubſtantialis phyſica (de hac enim loquitur Ariſtoteles) eſt præcipua pars eſſentialis compoſiti phyſici, & definitionis eiuſdem, tribuens compoſito ſpeciem & diſtinctionem ab alijs; cum per materiam res conueniant in ſpecie: materia enim eſt vna

Digitized by Google

eſt vna & eiuſdem ſpeciei in omnibus rebus ſublunaribus. Porrò *quidditas rei*, ſecundum D. Thomam & Scotum, eſt id, quo reſpondetur ad quæſtionem, *Quid eſt res?* hoc autem eſt compoſitum conſtans materiâ & formâ: Quærenti enim, quid eſt homo? Reſpondetur eſſe compoſitum conſtans ex animâ rationali & corpore: eſt verò forma principalis, & præcipua pars quidditatis; materia minus principalis, vt conſtat ex dictis, & amplius explicabitur in illo: *omne eſſe eſt à Formâ.*

3. *Forma eſt magis ſubſtantia, quàm materia.*] Celebre iſtud pronunciatum ſumitur ex 7. Metaph. c. 3. t. 8. in fine, vbi Philoſophus conferens inter ſe materiam, formam, & compoſitum; *Etenim ſeparabile*, inquit, *& quod quid, videtur maximè ineſſe ſubſtantiæ: propter quod forma, & quod ex ambobus, ſubſtantia eſſe magis videtur, quàm materia.* Itaque non intelligitur axioma, prout τὸ *magis* dicit intenſionem in eſſentiali ratione ſubſtantiæ; quia ſubſtantia in hac ſuâ intrinſecâ ratione non ſuſcipit magis & minus, nec magis minúsve participatur ab vno, quàm ab alio: ſicuti vir quadragenarius, v.c. non eſt magis eſſentialiter ſubſtantia, quàm infans vnius diei: ſed verum eſt, prout τὸ *magis* dicit perfectionem ipſius entitatis; Etenim forma eſt perfectior ſubſtantia, quàm materia, tum quia nobiliorem habet eſſendi gradum, vt docetur hoc eodem capite, textu 7, vbi etiam eodem ſenſu dicitur, *Forma eſt magis ens, quam materia;* tum quia forma eſt actus, materia verò potentia, vt dictum eſt ſupra, atqui:

4. *Actus eſt nobilior quam potentia.* 9. Metaph. c. 10. t. 19.] Ille enim perficit & determinat: hæc verò perficitur & determinatur. Vide, ſi libet, infra Titulum *de Potentiâ naturali in genere*, & Tit. *de Habitu in genere.* Eodem ſenſu 7. Metaph. c. 3. t. 7. iam

Digitized by Google

citato dicitur: *Forma eſt prior materia*, prioritate videlicet dignitatis ſeu nobilitatis; non verò temporis aut naturæ; cum Materia à primordio mundi in ſuo eſſe perſeuerauerit ingenerabilis & incorruptibilis, ac preſupponatur omni generationi & inductioni, aut reductioni formarum naturalium. In eundem ſenſum l 1. Phy. c.9. t.81. appellatur, *Forma pulchrũ quid & diuinum*: pulchrum quidem, quia omnis venuſtas ac pulchritudo compoſiti à formâ dimanat: diuinum verò, non quod forma eſſentialiter ſit ipſemet Deus, qui eſt actus omninò purus, vt impius putauit Auerroës; ſed quod ſit quædam puriſsimi illius actûs imago, vt rectiùs ſenſit Anaxagoras. At verò Materia ibidem docetur eſſe, quid turpe, & quaſi fæx quædam naturalibus rebus ſubſidens, ac prope nihil; quorum omnium ratio conſtat ex dictis Titulo præcedente.

5. *Forma eſt rei perfectio.* Refertur ab Alberto M. in 3. Phyſ. tract. 1. c. 4. ſumiturque ex 2. Poſter. 1°. Phyſ. & aliis.] Verum eſt commune iſtud axioma Philoſophorum de omni formâ, ſiue naturalis illa ſit, ſiue ſupernaturalis, aut artefacta; ſiue etiam accidẽtalis, ſiue ſubſtãtialis, &c. omnis enim forma verè format, & formando in ſuo genere perficit eam rem, cuius eſt forma, proindeque rectè eius perfectio dicitur: ſignanter autem & per antonomaſiã, vt aiunt, intelligitur pronunciatum de formâ phyſicâ ſubſtantiali informante; hæc etenim compoſito tribuit omnem gradum perfectionis ſpecificæ & eſſentialis, omneſque virtutes & potentias rei eſſentiam conſequentes, quo ſenſu verum eſt iſtud:

6. *Forma eſt, quæ dat eſſe rei.* 2. de Animâ t. 2.] Eſſe videlicet quidditatiuum & ſpecificum, ſiue, vt loquitur Pererius, *eſſe diſtinctiuum, determinatiuum, & denominatiuum*: Siquidem denominatio

Digitized by Google

ſumitur à principaliori parte, id eſt à Formâ, quæ rem perficit, & conſtituit in certâ ſpecie, & diſtinguit ab aliis rebus, vt fuſiùs explicabitur in illo: *omne eſſe eſt à formâ.* Atque hinc perſpicuum euadit, cur forma ſubſtantialis phyſica dicatur ἐντελέχεια, id eſt, perfectus habitus, vel perfectihabea', vt explicat Hermolaus: cum enim res eſſentialem, ac debitam ſibi formam poſſidet, tunc eſt perfecta & completa in genere ſubſtantiæ. Vnde illud vulgare:

Forma dat eſſe rei, totum dat forma decorem,
Forma eſt cuiuſuis entelechia rei.

DISTINCTIO III.

Quomodo Forma actuet materiam & compoſitum ſpecificet.

1. *Omne eſſe eſt à Formâ.* Boëtius l. 3. de Trinitate.] Malè Auerroës & Auerroïſtæ, omne omninò eſſe volunt prouenire à ſolâ formâ, nullum autem à materiâ; cum certum ſit materiam vtpote alteram compoſiti partem eſſentialem, diſtinctámque cauſam ac principium, diuerſum eſſe à formâ adferre ipſi compoſito. Verus itaque pronunciati ſenſus eſt, omne eſſe ſpecificum, diſtinctiuum, & determinatiuum procedere à formâ: Hæc enim cum materiâ primâ, quæ eſt ens indeterminatum & informe, completam ſpeciem conſtituit. Vnde à Philoſophis appellatur *terminus*, quia materiam ex ſe indifferentem ſub certo genere contrahit & determinat ad certam ſpeciem Entis naturalis. Hinc etiam verè dicitur iſtud:

2. *Actus ſeparat & diſtinguit.*] Sumitur ex 7.

Metaph. t. 49. vbi *ſeparare* ab Ariſtotele dicitur : *diſtinguere* claritatis causâ à Philoſophis additur. Dicitur Forma *Actus*, & ſecundo de animâ definitur, *actus corporis phyſici*, quia actuat materiam, quæ ex ſe eſt pura potentia paſſiua, vt explicuimus Titulo ſuperiore. Senſus itaque pronunciati eſt, per formam diſtingui compoſitum ab aliis rebus, cùm per materiam res conueniant in ſpecie : eâ de causâ à Pythagora Forma vocatur *Vnum* ; quia vagam potentiam materiæ, ad vnam aliquam ſpeciem contrahit, & rebus tribuit vnitatem ; non quod materia in ſe omni prorſus vnitate careat; Eſt enim vnum quid, eo modo, quo omne Ens eſt vnum : ſed eſt vna vnitate incompleta, ſicut eſt ens incompletum: à formâ autem accipit vnitatem & diſtinctionem ſpecificam & numericam completam, conſtituendo cum eâ compoſitum Phyſicum in certâ ſpecie & indiuiduo.

3. *Omnis ſpecies eſt à Formâ.*] Duplex eſt acceptio ſpeciei, vt notat Porphyrius c. de Specie; in priore ſpecies ſignificat formam ſeu pulchritudinem cuiuſque rei, vnde Latinè dicitur ſpecioſus, qui pulcher eſt, & decorus : poſteriore acceptione ſpecies eſt id, quod ſub genere collocatur, vt ibidem Porphyrius inquit. Vtroque ſenſu verum eſt pronunciatum; priore quidem hoc modo : omnis pulchritudo materiæ procedit à formâ, ſubſtantialis à formâ ſubſtantiali, accidentalis ab accidentali. Vnde Ariſtoteles 1. Phyſ. t. 81. dixit ; Formam expeti à materiâ, vt pulchrum à turpi : Etenim forma pulchritudo eſt, & ornamentum materiæ, quam proinde aliqui appellarunt *mentem*, alij *lucem*, alij *effigiem* & *characterem* : poſteriore verò acceptione hoc ſenſu: omnis ſpecies phyſica ſubſtantialis conſtituitur in eſſe tali, à formâ phyſicâ ſubſtantiali; ſic homo eſt in

Digitized by Google

tali ſpecie per animam rationalem: item, omnis ſpecies metaphyſicè ſpectata eſt talis per formam metaphyſicam, quæ eſt differentia: quia ſicuti materia prima eſt potentia phyſica ex ſe indifferens ad formas phyſicas, & perfectibilis ſeu actuabilis per eas; ita genus eſt potentia metaphyſica ex ſe indifferens ad differentias ſpecificas, per quas actuatur, perficitur, & ſpecificatur, vt v. c. animal per rationale in homine, & per irrationale in beſtiâ, & ita de cæteris.

4. *Quo res eſt remotior ab actu, eò imperfectior.*] Indicatur ab Alberto Magno in 3. Phyſic. tract. 1. c. 4. & deſumitur ex 2. de animâ t. 2. Ratio eius perſpicua eſt ex dictis: Sicuti enim omnis ſpecies dicitur eſſe à formâ, & ſicuti forma eſt, ac dicitur rei cuiuſlibet perfectio: ita è contra id, quod caret formâ ſibi conueniente aut debitâ, cenſetur imperfectum; & eò conſequenter eſt imperfectius, quò à formâ, ſiue ab actu eſt remotius: Sic v. c. materia prima ſecundum ſe eſt ſubſtantia imperfectiſſima, quia remotiſſima eſt ab omni ratione formæ, vt explicatum eſt Titulo *de Causâ Materiali.* Præſens effatum præclarè applicari poteſt in moralibus: Eò enim homo meritò cenſetur moraliter imperfectior, quò remotior eſt ab actu ſiue formâ virtutis, quæ mores eius & geſtus formare debet ac perficere.

5. *Omnis forma communicat totum ſuum eſſe compoſito.* Sumitur ex l. 2. de Animâ t. 2.] Senſus eſt, quidquid perfectionis habet forma, hoc ipſa tribuit compoſito cuius eſt forma. Ratio eſt: quia forma phyſica ſubſtantialis, de quâ propriè intelligitur propoſitum axioma, eſſentialiter ad hoc ordinata eſt, vt informando materiam, conſtituat compoſitum, cuius ipſa eſt pars eſſentialis intrinſeca: proinde quidquid habet forma, id omne, continet etiam compoſitum:

cum omne Totum actuale actu includat ſuas partes. Sic quia omnis anima rationalis eſt intellectiua, omnis etiam homo neceſſariò intellectiuus eſt, & ita de cæteris.

6. *Omnis forma phyſica ſubſtantialis dat eſſe completum à primo gradu ſubſtantiæ vſque ad vltimum.* Traditur à Suarez d. 13. Metaph. ſect. 3. num. 16.] Senſus eſt, omnis forma conſtituens cum materiâ compoſitum ſubſtantiale phyſicum, dat eidem compoſito, non tantum aliquod eſſe, ſeu gradum genericum, ſed eſſe ſpecificum, per quod idem compoſitum conſtituitur in ſpecie infimâ completum in genere ſubſtantiæ, phyſicè & à parte rei. Ratio eſt, quia omnis forma cõmunicat cum cõpoſito totum ſuum eſſe quod habet, vt iam explicatum eſt: atqui

7. *Omnis forma ſubſtantialis phyſica à parte rei eſt ſpecifica*, ſiue vt alij hoc pronunciatum vſurpant, *omnis forma ſubſtantialis phyſica informans neceſſariò eſt conſtituta in ſpecie vltima formæ ſubſtantialis.* Traditur à Suarez ibid.] Ratio eſt, quia omnis forma talis à parte rei habet entitatem eſſentialiter diſtinctam, tum à materiâ, in quâ eſt, tum ab aliis formis; in quâ proinde entitate neceſſario continetur aliqua ratio, ſeu differentia vltima, per quam hoc modo ſit diſtincta eſſentialiter ab aliis formis habentibus diuerſam eſſentiam, non numericam duntaxat; ſed etiam qualemcunque ſpecificam, cum quibus tamen illa conuenit in communi & generică ratione formæ ſubſtantialis. Atque hæc etiam ratio eſt, cur omnis forma ſubſtantialis informans conſtituat cõpoſitum in aliqua ſpecie vltimâ ſubſtantiæ compoſitæ, iuxta ſuperius pronunciatum.

8. *Nulla forma eſt individuum genericum tantum.* Elicitur ex 2. Meta. c. 4.] Alij ita proponunt: Nulla exiſtit forma, quæ in re habeat eſſe genericum dum-

Digitized by Google

taxat,& non aliquod etiam ſpecificum,ſiue quæ non contineatur ſub ſpecie aliquâ illius generis. Verum eſt pronunciatum de qualibet formâ,ſiue ſubſtantialis illa ſit,ſiue accidentalis, ſiue materialis,ſiue ſpiritualis,&c. Ratio eadem eſt,quæ proximè ſuperioris, cum quo ferè quoad ſenſum coincidit, & patet inductione omniũ formarum: Nam primo non datur forma accidentalis,quæ præcisè ſit generica tantum, v. c. non exiſtit coloratũ,quod neque ſit albũ,neque nigrum,&c. 2° non datur forma ſpiritalis,v.c. Angelica & ſeparata, quæ reipsâ ſiſtat in præcisâ ratione generis, 3° neque etiã dari poteſt forma ſubſtantialis informãs,quæ in re præcisè det gradum genericum: eodem eſt ratio in omnibus alijs. Vide Suarez diſ.13. Metaph. ſect.3. n. 16.

DISTINCTIO IV.

De ſubiecto Formæ inhæſionis & denominationis.

1. *ILlud eſt ſubiectum Formæ,quod per formam actuatur.* Sumitur ex l.de ſomno & vig. c. 1.] Verum eſt vniuerſaliter; ſed cum diſtinctione,quæ eſt huiuſmodi: illud eſt ſubiectum *inhæſionis* formæ,quod per formam intrinſecè actuatur, ſiue de potentiâ per informationem reducitur ad actum: quod autẽ extrinſecum tantũ actuatur, non eſt ſubiectum inhæſionis, ſed *denominationis* extrinſecæ. Sic actio trãſiens v. c. eſt actus extrinſecus, ſeu forma extrinſecè actuans, id eſt denominans ipſum agens: ad quem modum denominationis, & quaſi extrinſecæ informationis ſufficit habitudo, quam habet actio v.c. ad agens,vt ad principium à quo emanat.

2. *Omnis forma denominans debet eſſe in ſubiecto, quod denominat.* Sumitur ex eodẽ capite.] Verum eſt

ſub diſtinctione hoc modo : Forma intrinſecè denominans debet eſſe in eo, quod denominat, tanquam in ſubiecto inhæſionis, quo modo albedo eſt in pariete, viſio in vidente, &c. Sumitur autem hîc inhæſio latè, prout complectitur quamlibet informationem, & inexiſtentiam formalem : Forma extrinſecè denominans, vt ſic, eſt in eo ſubiecto, quod denominat, ſeu potius reſpicit illud tanquam ſubiectum denominationis extrinſecæ : ſic viſio, à quâ paries denominatur viſus, dicit reſpectum ad parietem, tanquam ad ſubiectum denominationis : ipſa tamen viſio eſt in oculo, tanquam in ſubiecto inhæſionis.

3. *Omnis Forma denominat ſubiectum in quo eſt.*] Sumitur ex eodem capite, ex hoc pronunciato ſequi videretur, quod omne patiens ſit agens ; Nam actio tranſiens eſt in patiente, tanquam in ſubiecto inhæſionis : Ergo patiens denominari poterit agens ab actione, quam recipit; tanquam à formâ, quam recipit : Sed reſpondetur, & explicatur proloquium. Forma, quæ eſt in ſubiecto, denominat ſubiectum; non ſecundum omnem rationem, quæ in ipsâ conſiderari poteſt; verum ſecundum eum modum, quo eſt in ſubiecto, v. c. locus, ſeu ſuperficies aëris ambiens Petrum, inhæret in aëre; cum ſit illius terminus ; Et tamen aërem non denominat locatum; ſed locãtem: quia non illo, ſed hoc modo eſt in aëre: Petrum verò denominat locatum : Sic etiam actio tranſiens eſt in patiente, non quatenus actio eſt (nam vt ſic non habet ſubiectum inhæſionis ; ſed tantum denominationis extrinſecæ, vt docent Philoſophi) ſed quatenus eſt idem, quod paſſio, quæ eſt in ſubiecto inhæſionis; ac proinde denominat etiam illud, quatenus paſſio eſt, nempe patiens, non autem agens. Vide infra explicationem illius : *Eius eſt actus, cuius eſt potentia.*

Digitized by Google

4. *Plures formæ eandem simul non informant materiam.*] Depromitur ex 9. Metaph. c. 3. t. 4. & intelligitur de formis physicis totalibus, ac constitutiuis compositi naturalis, in esse substantiali completo (de formis autem partialibus variæ sunt Philosophorum sententiæ, quas copiosè recensere non pertinet ad hunc locum. Ratio pronunciati est; quia excludunt se mutuò secundum differentias suas specificas, & sunt incompossibiles in eodem subiecto, vtpote cuius capacitas limitata est, ita vt expleatur per vnam huiusmodi formam. Atque hac de causâ, *Vnius generatio, est corruptio alterius*, vt docet Philosophus 1. de Gen. t. 17. & 20; quia nimirum eadem materia incapax est naturaliter plurium simul formarum. Dixi naturaliter, siue secundum cursum ordinarium; quoniam supernaturaliter, & de potentiâ Dei absolutâ plures simul formæ sustentari possunt ab eâdem materiâ, non partiales modo, quas multi etiam naturaliter admittunt; sed perfectæ, adæquatæ, & vltimæ, vt v. c. forma ignis & aquæ, leonis & equi, &c. cuius ratio est, quia nulla apparet contradictio, si dicamus materiam, quæ naturaliter recipit plures formas succeßiuè, recipere supernaturaliter plures simul. Potest enim Deus materiam naturaliter receptiuam vnius duntaxat formæ, eleuare & extendere ad plures simul formas recipiendas, idque in infinitum. Lege Suarez, disp. 15. Metaph. sect. 10. n. 60. Fonsecam, & alios.

5. *Forma adueniens Enti in actu non facit vnum per se, sed per accidens.* Sumitur ex 2. de animâ t. 7. & 7. Metaph. t. 49.] Per Ens in actu intelligitur hoc loco materia seu subiectum actuatum per suam formã, sensus itaque huius maximæ est: Si Enti actuato & in esse completo constituto per vnam formam, superadueniat alia, erit hoc totum compositum non

vnum per ſe; ſed aggregatum per accidens, eo ſenſu, quo ſupra explicatum eſt, ex duobus Entibus in actu non fieri vnum per ſe, Titulo *de Ente vno.*

DISTINCTIO V.

Quo modo res ſit in potentiâ & actu.

1. *Nihil poteſt eſſe in potentia ſimul & actu.* 8. Phy. t. 40.] Verum eſt, de potentiâ formali, & actu formali, reſpectu eiuſdem formæ vel actus. V. c. idem non poteſt eſſe in potentiâ formali ad calorem, & in actu formali eſſe calidum, aliàs haberet & non haberet formam eandem, v. c. calorem, quod implicat: poteſt nihilominus idem ſimul eſſe in potentiâ formali, & actu virtuali, reſpectu eiuſdem formæ ſiue actûs, i. poteſt habere eminentem vim efficiendi talem formam, & potentiam formalem recipiendi illam formam; vt patet in aquâ calefacta, quæ eſt in potentiâ ad frigus ſibi naturale, & ſimul virtualiter eſt frigida, i. habet in ſe virtutem, quâ naturaliter ſeſe reducit ad natiuum frigus. Ita Suarez, diſp. 18. Metaph. ſect. 7. n. 19.

2. *Actus non tollit potentiam, ſed perficit.*] Eſt commune axioma Philoſophorum, pro cuius explicatione ſciendum, duplices eſſe actus, alios ſeparabiles, inſeparabiles alios: Actus ſeparabiles non tollunt potentiam; ſed tantum tollunt ſiue impediunt alios actus incompoſſibiles in eodem ſubiecto; & de his potiſſimum intelligitur & verum eſt pronunciatum: talis v. g. actus eſt albedo parietis, quæ non tollit potentiam parietis quâ poſſit eſſe niger, aut ruber, aut deinceps iterum albus; ſed perficit ſeu actuat parietem (quo modo omnis forma, ſiue ſubſtantia,

Digitized by Google

lis, siue accidentalis actuat & perficit suum subiectum) tollit nihilominus, siue impedit actum incompossibilem, id est, ipsam nigredinem; facit enim albedo, vt paries, quamdiu est albus, non sit naturaliter simul niger: non tamen facit, vt non possit fieri niger. Simili modo per risum Petri non perit potentia ridendi in Petro, & vas vinarium siue dolium non amittit capacitatem, licèt actu impleatur; sed potentia illa, & capacitas tamdiu impeditur, quod est ipsi extrinsecum, iuxta hanc explicationem verum etiam est istud:

3. *Intus existens prohibet extraneum.* 3. de Animâ, tex. 4.] Intelligitur enim de formis & alijs quibuscumque rebus incompossibilibus in eodem subiecto, vel ab alio qualicumque corpore continente se mutuò excludentibus. In quem sensum docent Perspectiui, oculos nullo colore tinctos esse posse: alioquin enim impediretur visio, & omnia eodem colore respersa viderentur; vt animaduertere licet in Ictericis, quibus omnia flaua apparent propter bilis flauedinem, quâ oculi eorum perfunduntur, vt fusiùs explicabitur in illo: *Amor, odium, & proprium commodum sæpe faciunt iudicem non cernere verum.* Lege, si placet, Aquilonium l. 1. Opticæ Prop. decima tertiâ. Quòd si verò formæ siue actus non tantum incompossibiles sint cum alijs; sed etiam omninò inseparabiles à subiecto, tollunt illi non solum actus alios incompossibiles: sed etiam potentiam seu aptitudinem vlteriorem subiecti ad recipiendos actus, iuxta illud:

4. *Quando aduenit potentiæ actus inseparabilis, non remanet potentia ad actum incompossibilem.*] Ratio huius est, clara ex terminis; cum enim nunquam tales actus separari possint à suo subiecto, etiam

Digitized by Google

ſubiectum nunquam poterit accipere actum aliquèm incompoſſibilem, ac proinde dici non poteſt eſſe in potentia ad eiuſmodi actum, alioqui ſimul eſſet in potentiâ & actu, contra huius diſtinctionis axioma primum, aut ſimul habere poſſet plures actus incompoſſibiles, quod fieri non poteſt.

5. *Potentia debet eſſe denudata ab eo quod recipit.*] Citari ſolet ex eodem tex. 4. l. 3. de Animâ, vbi quidem in terminis non habetur; ſatis tamen commodè per veram conſequentiam inde deducitur. Docet enim eo loci Philoſophus, *Intellectum humanum non eſſe alicui corpori mixtum*, ſiue non eſſe alicui rei materiali, tanquam organo congenitum, alioquin omnia rectè percipere non poſſet: quia cum alienum quid eſt in potentiâ, ſinceram aliorum perceptionem impedit: ſicuti patet in guſtu, cuius ſi organum bilioſo humore affectum ſit, aliarum rerum ſapores, non dignoſcit. Veritas huius axiomatis perſpicua eſt ex dictis; Eadem namque huius & præcedentium ratio eſt, & explicatio.

DISTINCTIO VI.

De Formâ in ordine ad actionem.

1. *Forma eſt agere, materiæ pati.* Sumitur ex l. 1. de Gen. c. 5. t. 55.] Vbi docet Philoſophus, cauſam illam, vnde principium motûs exiſtit, actiuã eſſe, & huiuſmodi cauſæ formam annumerat: materiam autem, vt materiam, eſſe paſſionem: & ex l. 2. de Gen. & Corr. t. 53. vbi ait: *Materiæ eſſe pati, agere verò alterius.* Alij ſic pronunciatum vſurpant: *omnis actio eſt à Formâ*, & *Nulla actio eſt à Materiâ.* Sic v.c. magnes trahit ferrũ, & ignis calefacit, aqua

Digitized by Google

frigefacit ratione formæ, non verò ratione materiæ. Etenim forma eſt actus primus, à quâ omnis actus ſecundus, ſiue actio proficiſcitur: at verò materia ex ſe nullius eſt actiuitatis, & indifferens ad frigus, calorem & cætera accidentia materialia, vti indifferens eſt, & indiſcriminatim fertur, appetitu purè naturali ad formas quaſcunque ſubſtantiales ſibi proportionatas. Licet autem forma ſit in compoſito ſubſtantiali phyſico, ratio ſeu principiũ principale *Quo* actionum naturalium; ſicuti potentiæ naturales & proprietates, quæ formam, eſſentiámque conſequuntur, principia ſunt inſtrumentaria, vt docent Philoſophi: Ipſum tamen compoſitum denominatur principium principale *Quod*, iuxta illud commune pronunciatum: *Actiones ſunt ſuppoſitorum*, de quo infra, Titulo *de Causâ Efficiente*: Sic v.c. non forma magnetis; ſed magnes denominatur trahere ferrum: rectè nihilominus omnis actio dicitur eſſe à formâ; quia ſuppoſita non agunt, niſi ſecũdum ſuam formam; ad quam proinde, veluti ad actum primum, omnis actus ſecundus, ſiue actualis operatio reducitur.

2. *Formæ, quæ conſtituunt rem in actu primo ad operandum effectiuè concurrunt ad opus.*] Actus primus eſt duplex ſubſtantialis, qui eſt primus ſimpliciter, nec ſupponit illum priorem, vt ſunt omnes formæ ſubſtantiales in compoſito phyſico. Et accidentalis; vt ſunt potentiæ naturales; quæ etſi ſint actus primi, reſpectu ſuorum actuum, qui ſunt ſecundi: non tamen ſimpliciter; quia ſupponunt formam ſubſtantialem compoſiti, à quâ emanant. De vtroque actu verum eſt pronunciatum. Solet tamen præcipuè intelligi de actu accidentali, ſiue de potentijs naturalibus: hæ enim ſunt formæ, per quas agentia conſtituuntur formaliter apta ad operandum, & quæ acti-

uè concurrunt ad opus.

3. *Qui dat formam, dat conſequentia ad formam.* Refertur ab Auèrroë in l. 3. de Cælo, t. 28. Alberto M. in 1. Ethic. tract. 3. c. 7. & alijs.] Intelligitur autem & verum eſt, nõ vniuerſim de omnibus omninò, quæ caſu & fortuitò ſubiecto cuipiam accidunt, aut quæ pro libertate ſua, ſi intellectuale ſit, eligit vel admittit, vt bene notat Hurtado, diſp. 12. Metaph. n. 33: Sed de ijs duntaxat, quæ per modum naturalis ſequelæ neceſſariò comitantur eiuſmodi formam, vt ſunt perfectiones, & proprietates connaturaliter debitæ cuique formæ ad exequendum munus ſuum. Hinc omnia illa, quæ per reſultantiam (vt aiunt) procedunt, ſeu dimanant, à formis ſubſtantialibus rerum, fieri & cauſari dicuntur à generante, tanquam à principio primo & principali: ſpectat enim ad generantem, conſtituere rem genitam in ſtatu perfecto, cum debitis circumſtantiis & connaturalibus proprietatibus: Sic Pater v. c. dans eſſe filio: dat etiam proprietates, potentias, & accidentia ex vi generationis debita filio: Eadem eſt ratio in omnibus alijs attributis, ad ſubiecti cuiuſcunque productionem naturaliter conſequentibus. Lege, ſi placet, Suarez diſp. 18. Metaph. ſect. 7. num. 23: & ſeqq. vbi ait, eos, qui contrarium ſentiunt, non tàm de re litigare, quam de modo loquendi.

4. *Diſpoſitio ad formam eiuſdem ordinis eſt cum ipsâ Forma.*] Vulgare iſtud vſurpari præcipue ſolet; ad diſtinguendas diſpoſitiones, tam actiuas, quam paſſiuas formarum naturales à ſupernaturalibus, in quibus ea cernitur proportio, vt ſi forma naturalis ſit, diſpoſitio ad eam ſit quoque naturalis: ſi forma ſupernaturalis, diſpoſitiones illius propriæ ſint nihilominus ſupernaturales. Lege, ſi placet, D. Thomam 1. 2. q. 78. a. 2. ad 3. & 1. p. q. 89. a. 6. ad 3. Salaſ. 1. 2.

d by Google

Tract. 10. dis. 3. sect. 6.

5. *Formæ artificiales non sunt actiuæ.* Elicitur ex 12. Metaph t. 15. & alijs.] In hoc forma naturalis contradistinguitur artefactæ, quod illa sit actiua, & principium intrinsecum motûs & quietis, &c. vt fusiùs explicabitur, Titulo *de Natura*, dist. 1. num. 1. hæc verò non sit actuosa; sed iners & quasi mortua; nihil enim aliud est, quàm figura seu modus quidam, ac determinatio quantitatis, vt constat ex ijs, quæ docuit Aristoteles 1. Phys. c. 5. t. 46. Ac proinde, vti quantitas ex suâ naturâ non est actiua; sed est quasi altera materia ad sustinenda accidentia sibi propria, ita formæ per artem propriè inductæ, nullam ex se ad agendum efficaciam obtinent. Hinc res naturalis potest producere aliam similem sibi, secundum formam, vt ignis ignem, leo leonem, artificialis non potest: neque enim domus producit aliam domum, aut thorax thoracem, &c.

6. *Omnis Forma artificialis est accidentaria.* Elicitur ex 1. Physic. t. 46. iam citato.] Ratio non obscurè colligitur ex dictis; quia nimirum formæ artificiales, solum sunt modi quidam accidentales rerum artefactarum, siue figuræ quædam, quæ non fiunt per propriam actionem physicam; sed incipiunt esse per resultantiam ad motum localem: vel enim resultant ad incisionem & diuisionem partium, vel ad compositionem, aut ordinatam dispositionem earum, vel denique ad aliam earundem situationem: Terminus autem proprius & immediatus illius motionis localis, siue actionis, qui per se producitur, est *Vbi*, siue *situs* illius subiecti, quod diuiditur, inciditur, aut alio modo disponitur. De quo videri potest fusius Suarez disp. 15. Metaph. sect. 1. n. 17.

Digitized by Google

DISTINCTIO VII.

De Formis viuentium.

1. *Corpus totum animæ gratiâ conditum est.* Depromitur ex l. 1. de partibus Animal. c. 5.] Vbi id probat Aristoteles in hunc modũ: cum enim omne instrumentum alicuius rei gratiâ sit, & partes corporis omnes alicuius esse gratiâ videamus; id autem ipsum, esse alicuius rei gratiâ, non nisi pro aliquâ actione sit (eo videlicet sensu, quo vnumquodque dicitur esse propter operationem vt explicabitur, Titulo *de causâ Efficiente*) patet iam, totũ etiam corporis esse constare alicuius gratiâ actionis pleniorıs: non enim sectio serræ gratiâ facta est; sed serra sectionis gratiâ, cum sectio quædam vsui sit: *Quapropter corpus etiam totum animæ gratiâ conditum est, vti & membra officiorum gratiâ constant, ad quæ accommodantur.* Sensus moralis, huius pronunciati efficax est in illos mortales, qui ita viuunt, ac si nec maiores essent, nec ad maiora geniti, quàm vt mancipia sint sui corporis.

2. *Anima vegetativa est animarum prima.* l. 2. de Animâ t. 31. & l. 1. de Gen animal, c. 3.] Vbi dicitur fœtus in vtero, primò viuere vitam plantæ, secundo animalis, tertio hominis. Intelligitur itaque & verum est pronunciatum, de prioritate naturæ, procedendo ab imperfectioribus ad perfectiora, vel quoad formas ipsas, vt sentit D. Thomas 1. p. q. 118. vel certè quoad diuersos eiusdem formæ gradus operandi, ita vt eadem anima tribuat primò corpori gradum vegetatiuum, deinde, crescentibus dispositionibus, sensitiuum; ac denique rationalem. Item verum est prioritate

Digitized by Go

prioritate communitatis, quia anima vegetatiua in pluribus reperitur, quam ſenſitiua aut intellectiua; vbicunque enim harum alterutra, vel vtraque eſt, ibi eſt & vegetatiua, non è conuerſo : non autem intelligitur pronunciatum, de prioritate dignitatis, vt per ſe eſt manifeſtum.

5. *Animæ viuificantis principium in corde eſt.* Sumitur ex l. de ſenect. & iuuēt. c. 2. ſecundū alios 4.] Etſi anima in toto ſit corpore per ſubſtantialem præſentiam; & non per virtutem tantum, aut operationem : ſedem tamen primariam in corde obtinet, & ex illo in reliqua membra partiales influit vires & poteſtates; in alia quidem principaliores, quæ dicuntur membra principalia ; in alia verò minus principales. Ita ferè Albertus M. *De principijs motûs progreſſiui*, Tract. 2. c. 11. Tametſi verò operationes animales præcipuè & proximè à cerebro depēdeant, nihilominus à corde etiam pendent remotè & mediatè, tanquam à causâ vniuerſali & neceſſariâ omnibus corporis functionibus. Vnde inter omnia mēbra cor cenſetur nobiliſſimum, ſi dignitas eius & præſtantia conſideretur ex influxu generali, & maximè omnibus membris neceſſario : omnia ſiquidem membra vitalem à corde accipiunt calorem, ſine quo nec viuens perdurare, nec anima poteſt corpori manere coniuncta. Lege, ſi placet, Conimb. 1. de Gen. q. 1. ar. 6.

5. *Anima rationalis eſt nobiliſſima formarum.*] Elicitur ex l. 1. de Animâ c. 82, vbi ait, nihil poſſe melius eſſe & præſtantiûs animâ intellectuali, vtpote, *quæ omnium maximè dominetur* ; in comparatione ſcilicet formarum naturalium. Tantò etenim forma quælibet nobilior eſt, quantò magis dominatur materiæ corporali, & minus eidem immergitur, magiſque operatione ſuâ, & virtute illam excedit : Atqui verò

rationalis anima, quaſdam habet operationes & virtutes, in quibus nullo modo communicat materia corporea, & maximè eidem materiæ dominatur, nec in eſſe ſuo à materiâ dependet, cum ſola inter alias viuentium formas incorruptibilis ſit, & immortalis, iuxta illud:

6. *Si Deus iuſtus eſt, anima hominis immortalis eſt.*] Effatum iſtud, teſte D. Chryſoſtomo, Hom. 4. de Prouidentiâ, S. Clemens, diſcipulus S. Petri, l. 3. Recognitionum ſcribit ſe accepiſſe, ex ore S. Petri Apoſtoli. Ratio pronunciati eſt; quia ſi anima ſit mortalis, Deus vel non eſt Deus, vel eſt iniuſtus; quia nec pijs præmia, nec impijs merita perſoluit ſupplicia, hoc enim non facit ordinariè in hac vitâ, cum impij ſæpe maximè hic dominentur; pij verò ærumnis & calamitatibus premantur, & ad mortem vſque opprimantur; Ergo ſi Deus iuſtus eſt, datur altera hominis vita, nec anima cum corpore, iumentorum more, extinguitur. Lege, ſi placet, interpretes S. paginæ, ad illud 1. Corinthiacæ c. 10. *Si in hac vitâ tantum in Chriſto ſperantes ſumus, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus.* Addo, etiam omnibus creaturis, quæ non affliguntur tot curis, ærumnis, timoribus, ſuſpicionibus, quot homo.

7. *Anima perfectior continet imperfectiorem.* Depromitur ex 2. de Animâ c. 3. t. 31.] Quemadmodum vna figura, v. c. triangularis, imperfectior eſt, quam alia, v. c. quadrangularis, & prior ſeu imperfectior, continetur in poſteriore, ſeu perfectiore: quadrangulum enim includit triangulum & aliquid amplius, ſcilicet vnum angulum, & quinquangulum includit quadrangulum, & vnum angulum, & ita conſequenter, vt circulus omnium figurarum iſoperimetrarum capaciſſima ſit, & perfectiſſima, vt fuſiùs dicetur, Titulo *de Quantitate*: Simili ratione anima ve-

Digitized by Google

getans, quæ est prima & imperfectissima, includitur in sentiente, sentiens in intelligente; siue quod idem est; anima sensitiua includit vegetatiuam, & aliquid amplius, rationalis vtramque & aliquid amplius, gradum videlicet intellectiuum, secundum quem omnibus formarum generibus supereminet, vt constat ex dictis.

TITVLVS VNDECIMVS.

De causa Efficiente in genere.

DISTINCTIO PRIMA.

Variæ diuisiones causæ Efficientis.

1ª CAusa efficiens alia est per se, à quâ directè pendet effectus, vt à statuario statua; alia per accidens, quæ est duplex, vna ex parte causæ, vt statuarius musicus: Est enim per accidens statuario respectu statuæ, quod sit musicus; altera ex parte effectus, sic inuentio thesauri est effectus per accidens respectu egestionis terræ, quæ est effectus per se intentus à fodiente.

2. Causa efficiens alia est physica, quæ propriè per realem influxum causat, & subdiuiditur in necessariam ac liberam; alia moralis, quæ tantum causat moraliter: sic qui consulit, mandat, rogat, &c: censetur causa moralis facti.

3. Alia rursus est principalis, alia instrumentalis: causa principalis subdiuiditur 4 modis: primo in causam primam, & est Deus, & secundam, vt creaturæ, 2° in vniuersalem, vt Deus, cælum, sol, &c. & particularem, vt hic ignis. 3° in proximam, & remotã.

4° in æquiuocam, quæ eſt nobilior effectu, & vniuocam, quæ eſt æquè nobilis.

4. Inſtrumentalis etiam ſumitur dupliciter, primo propriè, & eſt omne id, quod à causâ principali eleuatur ad effectum nobiliorem ſe, vt v. c. calor naturalis eleuatur ab animâ ad producendam ſubſtantiam. 2° impropriè, & eſt triplex, primo omne id, quod in operando dependet ab aliâ causâ ſuperiore: ſic omnis cauſa ſecunda eſt inſtrumentum cauſæ primæ. 2° omnis virtus, vel potentia naturalis agendi, vt intellectus animæ, 3° omne id, quod loco alterius agentis ſubſtituitur, vt vis impreſſa.

5. Rurſus cauſa inſtrumentalis alia eſt ſeparata, vt telum, emiſſum à ſagittario: alia coniuncta, idque dupliciter, 1° ſecundum eſſe, vt calor igni, 2° ſecundum operationem, vt penicillus pictori.

6. Denique alia cauſa efficiens eſt totalis, alia partialis, ad has diuiſiones poſſunt reuocari aliæ.

DISTINCTIO II.

De Efficiente & eius cauſalitate in genere.

1. *CAuſa efficiens eſt id vnde eſt primum principium mutationis, aut quietis.* 2. Phyſ. c. 3. & 5. Metaph. c. 2.] Eſt hæc definitio Ariſtotelica cauſæ efficientis, conueniens omni efficiēti creato; ſemper enim illud agit per mutationem, quæ ſupponit ſubiectum: non autem conuenit agenti increato. i. Deo, quatenus hic agit per creationem; hæc namque licet actio ſit, non tamen mutatio eſt, niſi nomen mutationis ſumere libeat impropriè & latè, pro quauis actione, ſiue ea fiat ex præſuppoſito ſubiecto, ſiue non; & ita hic ſenſus erit: *Efficiens eſt id, à quo, tan-*

Digitized by Google

quam primo principio extrinseco per se effectus procedit. Dicitur primo *Vnde*, seu, *à quo*, ad excludendam primo materiam, ex quâ est effectus, secundo formam per quam est effectus, tertio finem, propter quem est. Dicitur secundo *primum principium*; quia influxus causæ efficientis est prior secundum rationem, quàm causæ materialis & formalis, imò etiam finalis, quoad executionem. Dicitur tertio, *per se*; quo excluduntur causæ per accidens, & circunstantię actionis, vt locus, tempus, &c. Dicitur quarto, *effectus procedit*, id est, accipit esse per realem influxum; ad excludendam priuationem.

2. *Actio est perfectio agentis.* Sumitur ex Commentatore 12. Metaph. com. 36. & refertur à D. Thomâ q. 7. de potētiâ, ar. 10. ad 1. & alibi.] Duplex in genere est actio, immanens, & transiens. Immanens est perfectio intrinseca agentis; physica nimirum siue naturalis, quia de morali perfectione nec debet, nec potest semper intelligi pronunciatum: Transiens verò non tàm est perfectio agentis, quàm patientis, vt docet Alexander de Ales 9. Metap. t. 19. Est nihilominus indicium perfectionis intrinsecæ, id est, potentiæ actiuæ, seu virtutis internæ: ac rectè dici potest perfectio extrinseca agentis creati, quatenus eius perfectio ad alia quodammodo extenditur; quod in rebus habentibus limitatam virtutem pertinere censetur ad quandam earum perfectiorem, quia

3. *Maximum creaturæ ornamentum est Creatorem imitari.*] Præstant hoc omnes res creatæ per actionem, dum agendo sese cum alijs communicant, & suæ perfectionis effecta in alia diffundunt, imitantes hoc ipso suum Creatorem, qui vti infinitè & per essentiam bonus est, ita suæ bonitatis quàm maximè est diffusiuus, iuxta ea, quæ diximus, Titulo 5. *De*

Bonitate & Bono, diſt. 3. Sumptum autem videtur præſens effatum, ex D. Dionyſio l. 3. Cæleſtis Hierarchiæ, vbi ait, *Omnium diuiniſsimum eſſe, Dei cooperatorem fieri*, quod fit in qualibet actione ſiue immanente, ſiue tranſeunte cauſarum ſecundarum, quibuscum Deus, qui cauſa prima eſt, ſemper neceſſariò concurrit & cooperatur, vt fuſius dicetur infra. Lege, ſi placet, D. Thomam l. 3. contra Gent. c. 19.

4. *Omne agens nobilius eſt patiente.* 3. de Animâ t. 19. & refertur ab Auguſtino. l. 12. ſuper Geneſin ad litteram c. 16.] Ad veritatem huiuſce Theorematis tres conditiones requirit Scotus, in l. 4. ſentẽt. diſt. 44. q. 2. Vna eſt, vt effectus agentis ſit forma patientis, altera, vt forma ſit nobilior paſſo, tertia vt agens præſtantius ſit ipsâ formâ, quam producit. Zimara Propoſitione 126. docet, non quodlibet agens nobilius eſſe quolibet patiente; ſed confert agens cum *ſuo* patiente: in quem ſenſum D. Thomas 1. p. q. 79. a. 2. ad 3. ait, agens eſſe nobilius patiente, *Si ad idem actio referatur.* Cęterum omnes hæ reſtrictiones videntur conferre inter ſe agens & patiens, non præcisè, quatenus talia ſunt; ſed in ſenſu diuiſo, ſiue materiali, quò modo, *nihil prohibet ſæpe paſsiuum eſſe nobilius actiuo*, vt verè inquit D. Thomas loco citato. At verò in ſenſu compoſito ſiue formali abſolutè & vniuerſaliter dici poteſt, omne agens, quatenus agens, præſtabilius eſſe quolibet patiente, quatenus præcisè patiens eſt, ſicuti abſolutè & vniuerſaliter, *Agere*, vt ſic, *melius eſt, quàm pati*, &, *mouere ſe quàm moueri.* Ratio eſt: quia vnũquodque agit, ſecundum quod eſt actu, & vnumquodque patitur, ſecundum quod eſt in potentiâ, vt pluribus explicabitur Titulo *de Actione, & Paſſione.* Conſule, ſi placet, Auerroëm, Epitom. Metaph. Tract. 4°.

Digitized by Google

5. *Nullus effectus est de essentiâ suæ causæ efficientis.*] Est commune Axioma, cuius veritas patet ex eo, quia omnis causa & nobilior est, & prioritate naturæ prior suo effectu [redacted] parte rei effectus dependeat à causa, & existere non possit, nisi per causam; hæc verò quod esse suum & existere minimè ab illo dependeat. Vt item docet Aristoteles in Postprædicamentis, Capite de Modis Prioris.

6. *Omnis causa realiter distinguitur à suo effectu.*] Patet hoc verò ex ipsa notatione nominis; quia, vt inquit D. Thomas, 1. p. q. 33. a. 1. ad 1. *Hoc nomen, causa, videtur importare diuersitatem substantiæ, & dependentiam alicuius ab altero. In omnibus enim causarum generibus, semper inuenitur distantia inter causam, & id cuius est causa, secundum aliquam perfectionem aut virtutem*: Clarissimè autem locum id habere cernitur in causâ efficiente, vtpote quæ tanquam principium extrinsecum per veram causalitatem, ac propriè realem influxum causat, siue influit esse in effectum. Atque hinc etiam perspicuum euadit istud:

7. *Omne quod fit, necesse est ab alio fieri;*] Tam id necesse est, quam impossibile idem fieri à seipso. Ratio est, quia alioquin idem esset seipso prius & posterius, nobilius & ignobilius, dependens à se, & independens, principium sui & principiatum: hoc autem inuoluit contradictionem, & repugnat ijs quæ docet Aristoteles 1. Physic. c. 4. Vide, quæ diximus supra Titulo, *de Causis in genere*, distinctione tertiâ.

DISTINCTIO III.

De modo operandi cuiuis Agenti proprio.

1. VNumquodque eſt propter operationem. 2. de Cælo c. 3. t. 17. & refertur à Suarez in Metaphyſicâ diſp. 48. ſect. 4. num. 5.] Senſus eſt: omnis res eſt propter ſuum officium à materiâ ſibi præſcriptum, & inſtitutum; ſiue illud ſit officium patiendi, ſeu recipiendi tantum, quale eſt materiæ primæ & quantitatis, ſiue diſponendi, agendi, informandi, ornandi, modificandi, &c. Vide, ſi lubet, ſuprà, explanationem illius: *Materia nullius eſt actualitatis.*

2. *Omne Ens habet aliquam propriam actionem.*] Sumitur ex loco proximè citato, & ex 1. Phyſ. c. 7. ac verum eſt de omni Ente reali actu exiſtente, eodem ſenſu, quo axioma proximè antecedens; nempe, omne Ens habet certum aliquod munus, cuius exequendi gratiâ, à natura eſt inſtitutum. Sic materia prima, quæ eſt ſubſtantia poſtremæ notæ, per veram & realem cauſalitatem concurrit ad conſtitutionem compoſiti phyſici, eſtque compars formæ, ac relationem habet ad vtrumque. Eadem eſt ratio in omnibus rebus aliis. Etenim, Deus & Natura nihil faciunt fruſtra, nec quicquam patiuntur otioſum, vt explicabitur ſuo loco. Quod ſi de operatione, ſiue actione propriè dictâ, in genere cauſæ efficientis intelligere lubeat, verum erit tum hoc, tum præcedens axioma de Entibus in actu formali exiſtentibus, & completis: hæc enim propriè ſunt actiua, vnaquæque iuxta ſpeciem ſuam. Nam

3. *Sicut ſe res habet ad eſſe ita ad operari.* Sumi-

tur ex 4. Ethic. c. 7.] Ratio illius est, quia virtus operandi connaturalis proximè ex naturâ cuiusque rei procedit; nec ipsa solum, sed etiam modus operandi est proprietas quædam connaturalis ipsius modi essendi virtutis, quæ necessariò debet esse proportionata suo principio; alioqui non esset connaturalis, nec per se connaturaliter ab illo flueret: ac proinde qualis est essentia rei, talis etiam est potentia, ac consequenter talis operatio connaturalis: hinc agens materiale, v. c. nihil efficere aut operari potest extra materiam; quia ipsum materiale cum sit requirit modum agendi materialem: Hinc etiam, iuxta vulgare prouerbium: *Optimi est optimum agere*; quia congruum est, vt dignitas actionis dignitati agentis suo modo respondeat. Sed de hoc plura suo loco, ad Titulum, qualiter Deus operetur ad Extra. Axioma propositum alij proponunt hoc modo:

4. *Modus operandi sequitur modum essendi.*] Ita refert D. Thomas 1. p. q. 89. a. 1. in corpore. Vbi ex eo probat, animam separatam à corpore, intelligere, non per conuersionem ad phantasmata, quæ sunt in organis corporeis; sed per conuersionem ad ea, quæ sunt intelligibilia simpliciter: Eodem modo proponitur à Francisco Albertino, principio primo Philosophico, vbi id verum esse ostendit in omni operationum genere; siue transeuntium, de quibus hîc præcipuè; siue immanentium, vt sunt cognitiones, volitiones, &c. de quibus infra; siue denique moralium, vt est, exempli causa, satisfactio. Nam etiam,

5. *Modus satisfaciendi sequitur modum essendi:* personæ videlicet satisfacientis.] Elicitur ex lib. 1. Ethic. cap. 5. & perspicuum fit exemplo, quod affert Aristoteles ibidem: *Si plebeius*, inquiens,

percutiat magiſtratum, non ſatisfacit, ſi repercutiatur, ſed vltimo ſupplicio eſt afficiendus. Quia ex vilitate perſonæ, ſecundum moralem æſtimationem, decreſcit ſatisfactio. Atque hinc docent Theologi, nullam creaturam poſſe ad æqualitatem ſatisfacere Deo pro peccato mortali; eò quod ſatisfactio creſcat ex dignitate perſonæ ſatisfacientis, ſicuti iniuria creſcit ex offendentis indignitate, & contra, ex dignitate perſonæ offenſæ. Vnde vt ſatisfactio habeat æqualitatem cum iniuriâ, oportet vt dignitas perſonæ ſatisfacientis habeat eandem proportionem cum dignitate perſonæ offenſæ: hanc verò habere non poteſt perſona creata, quamuis ſancta ſit, & Deo grata, Ita fere Suarez Tomo 1. in 3. part. diſp. 4. ſect. 7. quem conſule, ſi placet.

6. *Modus eſſendi colligitur ex modo operandi.*] Nimirum à poſteriore, eo modo, quo omnes cauſæ intelligi poſſunt ex ſuis effectibus: ſicuti enim ex eſſe poſſe, & ex poſſe operari colligitur à priore; ita è conuerſo, ex operatione potentia, & ex hac ipſa inueſtigatur eſſentia à poſteriore: Eſt ſiquidē hæc propoſitio, conuerſa præcedentis, & ex citato iam capite ſeptimo, libri quarti Ethic. deſumitur. Pleraque hæc Axiomata efficaciter vibrari poſſunt in homines pigros & vecordes. Etenim ſi omne Ens inſtitutum eſt à naturâ, ad aliquam operationem, cur illi, diuinæ ac naturali diſpoſitioni repugnant, & nihil operantur? Si ita ſeſe res habet ad eſſe, quomodo ad operari, quis illos non rectè fucos, & ignaua naturæ mouſtra appellari poſſe exiſtimet, qui nihil præclari agunt aut agere moliuntur?

DISTINCTIO IV.

De agente in ordine ad ſui efficientiam.

1. *Omnis actio eſt à proportione maioris inæqualitatis.* l. 1. de Gen. c. 7.] Celebre iſtud pronunciatum duplicem ſenſum habet, preſſiorem alterum, alterum minus preſſum: prior ſenſus eſt talis. Omnis actio fundatur in abſoluto & finali exceſſu victoriáque agentis, & ita verum eſt de omni actione quæ eſt ſimpliciter cum victoriâ; qualis eſt, ſi quis virtute motiuâ, vt 8, moueat ſubiectum reſiſtens vt 4; procedet enim ſimpliciter hîc actio à proportione maioris inæqualitatis, & fundabitur in finali victoriâ Agentis ſuper patiens, reſpectu totius pugnæ, ſeu certaminis. Siquidem proportio maioris inæqualitatis eſt, cum maius refertur ad id, quod eſt minus, vt 4 ad 2, 6 ad 4, &c. quæ proportio non ſolum reperitur in quantitate molis, vt v. c. inter cubum pedalem, & bipedalem; ſed etiam in qualibet quantitate virtutis, vt in comparatione duplicis aut triplicis potentiæ actiuę, &c. Poſterior ſenſus eſt huiuſmodi: omne agens debet eſſe potentius ad agendũ, quàm patiens ad reſiſtendum, ſiue ad impediendam actionem; licet patiens poſſit eſſe potentius ad reagendum, quam agens ad reſiſtendum. Et hoc ſenſu verum eſt vniuerſaliter axioma de omni omninò actione, ſiue agens potentius ſit patiente, ſiue minus potens. Omne enim agens, vt agens eſt, vincit & præualet reſpectu eius quod patitur, idque vel ſimpliciter, ſi omninò victoriam reportet; vel certè ſecundum quid, ſi patiens maiorum virium ſit ad reagendum. Sic v. c. adoleſcens luctans cum viro, &

agens in illum vincit ſecundum quid; quatenus ſcilicet actiuè reluctatur: vincitur autem ſimpliciter, quia plus in ipſum reagitur.

2. *Ab inſufficiente nihil fit.*] Vulgare iſtud elicitur ex citato iam cap. 7. & verum eſt, iuxta explicationem præcedentis, in ſenſu compoſito ſiue formali; non verò diuiſo ſiue materiali. Sic v. c. non poteſt homo conuerti ad Deum, aut credere rebus fidei, aut diligere Deum vt oportet ad ſalutem, ſine adiutorio gratiæ Dei, ſuperaddito naturæ, & diuerſo à beneficio creationis aut auxilij generalis, iuxta illud 1. Ioan. 6. 44. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit illum.* Quia, vt inquit Apoſtolus 2. ad Corinth. c. 3. *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis, tanquam ex nobis; ſed omnis noſtra ſufficientia ex Deo eſt.* De qua re conſuli poſſunt Suarez, & alij Theologi in materiâ de Gratia, vbi diſputant contra Pelagianos hæreticos.

3. *Agrum oportet imbecilliorem eſſe, quam agricolam.*] Commune iſtud adagium fundatur in veritate præcedentium axiomatum: quia nimirum actio procedere debet à proportione maioris inæqualitatis, & nihil fit niſi à ſufficiente. Conuenit in illos, qui temerè munus ſuſcipiunt, cui gerendo minimè ſunt pares.

4. *Satius eſt vnum facere inſigniter, quàm multa mediocriter.*] Elicitur ex l. 2. de Cælo, c. 5. t. 63. vbi dicitur, *Agere multa recte & ſæpe difficile eſt*, & l. 4. Ethic. c. 3. vbi inter officia viri magnanimi numeratur; *Paucas quidem agendas res aggredi, magnas autem & præclaras*, & ex l. 9. Ethic. c. 8. vt Philoſophus, ait, *Virum probum magis eligere, breui tempore latari vehementer, quàm longo leuiter, & viuere honeſtè vno anno, quàm multis quomodolibet, & vnam actionẽ exercere honeſtam & magnam, quàm multas & parvas.* Nam

5. *Facinus vnum eximium multis præualet exiguis.*] Desumitur è locis modò citatis, & non obscurè ex dictis intelligitur. Quare cum nemo omnibus muniorum generibus sufficiat, & omninò nihil ab omni parte beatum sit in rebus creatis; minus prouidè consulere sibi videntur illi, qui in officiis, ac propositis suis instabiles sunt, vt qui vagam tantummodo rerum diuersarum scientiam, v. c. vel perfectiorem desiderant; nec in certum aliquem scopum, viâ certâ, studiosè collimant. Verè enim dicitur istud vulgare:

6. *Pluribus intentus minor est ad singula sensus.*] Refertur, & in materia Theologica dicto sensu vsurpatur à Suarez l. 7. de Angelis c. 6. n. 36. Arbor vt feliciter in altum assurgat; luxuriantes rami, qui ad latera protuberant, præscindantur oportet; alioqui vegetatiua vis omnis dissipatur, & ad rectam arboris protensionem tota minimè conuertitur. Sic Tullius in solutâ oratione, Maro in ligatâ plurimum operæ posuit. Sic Venator feram iaculaturus, alterum claudit oculum, ne radij & axes multiplicentur visuales. Baptista Mantuanus, vt de illo referunt P. Iouius & alij, nimium Hebraicæ linguæ studio deditus fuit, maioremque laudem consecutus fuisset, si certâ laude contentus fuisset. *Quilibet in suo* (non in quolibet) *sensu abundat*, ad Rom. c. 15. Huc quoque pertinet illud Philosophi:

7. *Mille talos coënses iacere impossibile est.* l. 2. de Cælo c. 12. t. 63.] Monet, difficillimum esse, rectè agere, & multa, & sæpe eadem; licet semel atque iterum, aut pauca rectè agere non sit difficile. Vt in ludo talario, facili negotio quis vnum aut duo coos iaciet, at mille continuato ordine coos iacere, adeo difficile videtur, vt nullo modo

Digitized by Google

accidere poſſe videatur. Idem confirmat exemplo earùm rerum, quę ob alium & alium finem, veluti catenâ quadam perficiuntur: qui finis, ſi paucioribus ac definitis mediis quęrendus ſit, facilius obtinebitur, quàm ſi multis, atque incertis: *In uno quidem*, inquit, *duobusue facilius quiſpiam finem attinget. At quò per plura procedit, eò illum difficiliùs aſſequetur.* Hiſce non abſimile eſt, quod docent Theologi, fieri moraliter non poſſe, vt homo etiam iuſtus, cum auxilio gratię ordinario, euitet omnia peccata venialia ad longum tempus, quamuis phyſicè id fieri poſſit. Licet enim non careat poteſtate intrinſecâ, quæ ſecundum ſe ſufficiens eſt ad hoc pręſtandum: hæc tamen poteſtas, quia tot difficultatibus & mutationibus eſt obnoxia, vt ſpectatâ fragilitatis humanę conditione, nunquam poſſit reduci in actum; ideo dicitur moraliter eſſe impoſſibile, vt multis locis docet S. Auguſtinus contra Pelagianos.

DISTINCTIO V.

De agente in ordine ad materiam ſubiectam.

1. EX *nihilo nihil fit.* l. 1. Phyſ. c. 4.] Verum eſt, quoad vires naturales & creatas non quoad ſupernaturales & diuinas. Senſus itaque huius axiomatis eſt; virtute agentis naturalis & finiti nihil fieri poſſe, niſi ex pręſuppoſito ſubiecto: omne ſiquidem agens naturale, quatenus tale eſt, omnibus ſuis actionibus neceſſariò pręſupponit ſubiectum: quo modo in omni generatione naturali prærequiritur materia prima, quæ per ſe neceſſariò concurrit ad conſtitutionem compoſiti producendi: Et in hoc diſtinguitur agens naturale à ſupernaturali, quod il-

Google

lud non possit efficere quicquam ex nihilo, v. c. producere formam substantialem, vel accidentalem, nisi concurrente subiectiuè materiâ; hoc verò id possit; quod cum facit, dicitur creare.

2. *In nihilum nil potest resolui.* ibidem.] Verum est eodem sensu, quo axioma præcedens: nihil enim annihilari potest virtute naturali, licet id virtute diuinâ fieri minimè repugnet. Vtrumque pronunciatum veteres Philosophi, vt Cleanthes libro de Atomis, Chrysippus 1. Phys. in fine, & alij, quos refert Laërtius lib. 7, ita indubitatum statuerunt, vt nullâ prorsus potentiâ, vel ex nihilo aliquid produci, vel in nihilum aliquid resolui posse iudicârint: quâ de causâ materiam Deo coæternam fecerunt, ex quâ ille cuncta produxerit, & in quam vltimò resoluantur omnia quæ intereunt; quippe ingenerabilem naturâ suâ & incorruptibilem respectu cuiuslibet agentis. Sed errarunt miseri, infinitam omnipotentis Dei potentiam ignorantes.

3. *Natura operatur ex præiacente materiâ.* 7. Metaph. t. 22.] Ita quidem, vt materia semper incorruptibilis in suo esse naturaliter perseueret: Formæ verò continuâ successione producantur & pereant. Intelligitur & verum est, iuxta explicationem vtriusq; præcedentis. Sumitur itaque hic natura pro collectione causarum naturaliter agentium, ita vt excludatur Deus glorioſus, qui supra naturam est, & operari, ac producere rem potest ex nihilo.

4. *Agens & patiens communicare debent in materiâ.* 1. de Gen. c. 7.] Intelligitur axioma de ijs agentibus, quæ vicissim reactione repatiuntur, siue in quibus mutua datur actio & passio, vt sunt omnia quæ constant quatuor primis qualitatibus: talibus namque debet communis esse materia. Vnde tamet si cælum & astra verè agant in hæc inferiora; quia tamen er

Digitized by Google

reactionem inferiorum non repatiuntur, eò quod cælum non ſuſcipiat peregrinas impreſſiones, vt explicabitur infra, Titulo *de Subſtantijs in ſpecie*; non eſt neceſſarium, neque ſequitur ex hoc effato, corpora cæleſtia communem habere cum ſublunaribus materiam. Vtrum autem reipsâ eadem ſpecie materia ſit corporum elementarium & ſuperlunarium, non leuis eſt controuerſia inter Philoſophos & S. Paginæ Interpretes, cuius determinatio non pertinet ad hunc locum. Conſule, ſi libet, Pererium l. 2. in Geneſin q. 1. Suarez diſp. 13. Metaph. ſect. 11. nu. 13. & alios.

5. *Omne patiens debet eſſe in potentiâ reſpectu Agentis.* ibidem, & l. 1. de Gen. c. 9.] Senſus verus eſt, omne patiens debere eſſe capax actionis & formæ, quam agens ſuâ actione conatur introducere in patiens ſiue in ſubiectum: implicat enim eſſe patiens, & non eſſe in potentiâ agentis, ſiue incapax eſſe ad recipiendam actionem ab agente fluentem. Hinc cælum lunæ, v. c. non patitur ab igne, vel alio quolibet elemento, quia ex ſuâ naturâ ineptum eſt ad recipiendam actionem, ſeu formam agentis elementaris, ſaltem ex communiori Philoſophorum ſentẽtiâ, quam hic exempli & claritatis, non veritatis determinandæ gratiâ adferimus.

DISTINCTIO VI.

De eodem in ordine ad Diſpoſitiones.

1 *Quidquid recipitur, ad modum recipientis recipitur.*] Eſt commune axioma Philoſophorum, ex l. 2. de Animâ citari ſolitum. Senſus illius eſt, omnem actionem, aut formam, aut aliam rem quamlibet

libet, recipi à ſubiecto, aut alio quocumque recipiente, iuxta capacitatem & conditionem ipſius ſubiecti aut rei recipientis, vt quo melior eſt ſubiecti diſpoſitio, verbi causâ, eò facilior ſit agentis operatio; & è conuerſo, quo minùs diſpoſitum eſt ſubiectum, eò difficilius cauſa efficiens ſuum conſequatur effectum. Eadem eſt ratio de maiore vel minore capacitate, vel aliâ qualicunque recipientis qualificatione.

2. *Actus actiuorum recipiuntur in ſubiecto pro ratione diſpoſitionum.*] Sic ignis potentiùs agit & celerius in ſtupam, v. c. ac ſtipulam aridam, quàm in ferrum aut lignum humidum: Sic cibus alioqui ſapidus & delicatus, ægrotis inſipidus fit & amarus, ob palatum ipſorum noxijs humoribus infectum: Sic verbum ſuaue ac familiare, homini iracundo aſperum videtur & inhumanum. Sic denique, quamuis fœtus humanus, primo ſtatim animationis ſuæ momento receperit in ſe animam vegetatiuam, ſenſitiuam, & rationalem, quæ eſt vna & eadem ſubſtantia; non tamen hæc ſtatim illi communicat omnes potentias, neque exercet omnes operationes, propter defectum organorum & diſpoſitionum; ſicut etiam, poſtquam iam homo eſt natus, etſi habet animam rationalẽ, nõ tamẽ ratiocinatur: item, quãuis oſſa habeant animam ſenſitiuã, non tamen ſentiunt, propter defectũ diſpoſitionũ. Atq; hoc ſenſu B. Albert. M. & alij intelligũt Ariſtotelem l. 2. de Gen. animalium cap. 3. cum ait, Fœtum in vtero primo viuere vitam plantæ, ſecundo animalis, tertio hominis. Præſens axioma in ſpecie proponit, quod præcedens ſignificat in genere; quoad ſenſum autem cum illo planè coincidit, & eadem vtriuſque eſt ratio, quæ patet diſcurſu per omnes actiones & paſſiones naturales, de quibus vtrumque intelligitur, ſiquidem

3. *Omne agens naturale operatur iuxta diſpoſitionem ſubiecti.*] Sic ignis lutum indurat, ac ceram liquefacit: ſic cælum & ſol in terræ viſceribus ex eâdem ſpecie materiâ, pro varietate diſpoſitionum, varias producit mineralium ſeu foſſidiorum ſpecies. Eadem eſt ratio in alijs agentium naturalium effectibus. Sicuti enim, *ex nihilo nihil fit*, vt docetur l.1. Phyſ.c.4. ſic, *neque ex qualibet fit quodlibet*, vt ait Philoſophus eodem lib. c.5. ſed, *determinatum ex determinato*, vt aſſeritur ibidem. Cęterum præſens & duo ſuperiora pronunciata, commodè deduci poſſunt ex citato paulò ante cap. 3. lib.2. de generatione Animalium.

4. *Omne recipiens debet eſſe denudatum à naturâ recepti.*] Dictum iſtud, licet non expreſsè habeatur apud Philoſophum, non incongruè colligunt illud Peripatetici ex l. 3. de Animâ, t. 4. & 6. Nam Ariſtoteles ex eo, quod intellectus noſter intelligat omnia materialia, iuxta illud: *Intellectus eſt potentiâ omnia*, de quo infra, Titulo *de potentiâ cognoſcitiuâ*: infert, eum immixtum eſſe & immaterialem. Quod ſi quis negaret conſequentiam, probaret ille expreſsâ maiori in hunc modum: omne recipiens debet eſſe denudatum à naturâ recepti; ſed intellectus intelligit omnia materialia; ergo debet eſſe denudatus à materialitate. Intelligitur itaque, & verum eſt primò de quouis recipiente, ſiue illud ſit materiale reale, ſiue intentionale; ſeu denique ſpirituale: neque enim materia prima eſt forma aut coniuncta formæ, nec viſus eſt coloratus, cum recipiat omnem colorem; aut ſi colore aliquo ſit imbutus, impedietur à recto iudicio de coloribus ferendo, vt experientia docet in Ictericis: nec denique intellectus eſt materialis, cum rectè iudicet de omnibus materialibus, 2° intelligi debet de naturâ recepti ſubiectiuè, eâque non qualibet; ſed impeditiuâ duntaxat, qualis nõ eſt natura immaterialis (vt patet in intellectu ſeipſum,

& alia ſpiritualia intelligente) ſed ſola natura materialis: hæc namque variè impedire poteſt, ad rectè iudicium ferēdum de recepto, pro recipientium, & eorum, quæ recipiūtur, variâ diſpoſitione, vt pluribus explicat Franciſcus Albertinus q. 14. Theologicâ, in 14. corollarium, ex 1° Principio Philoſophico, quem conſule, ſi placet.

5. *Iuxta diſpoſitionem cauſæ ſequitur effectus.*] Depromitur ex l. 2. Top. c. 3. l. 31. & intelligitur tum de cauſâ materiali ſiue ſubiectiuâ, iuxta cuius diſpoſitionē agens naturale operatur, & conſequenter effectus ſimiliter diſpoſitus ſubſequitur, vt conſtat, ex ante dictis : Tùm verò de cauſâ efficiente, (de quâ loco citato loquitur Ariſtoteles) & omnibus illis, quæ ad hanc reuocantur. Imò abſolutè verum eſt de omnibus omninò cauſarum generibus : ex omnium enim & ſingularum variâ diſpoſitione, qualificatur diuerſimodè & diſponitur effectus, vt fuſiùs declarauimus Titulo *de Cauſis in genere*, diſt. 5 ad illud axioma: *Cuius conditionis eſt cauſa, eiuſdem quodam modo eſt effectus.* Hinc etiam facilè intelligitur illud :

6. *Conueniens fit à conuenient.* Commentator in l. 12. Metap. t. 28.] Senſus eſt, talem eſſe proportionem inter efficiens & effectum, vt quale eſt efficiens in virtute & potentiâ, talis ſit effectus illius in actu; vt ſi effectus v. c. bonus ſit & conueniens, bona etiam & conueniens cenſeatur cauſa. Alij varias huius propoſitionis limitationes conſeruant ; ſed eæ ſuperuacaneæ ſunt, ſi cauſa & effectus, vti par eſt, ſumantur in ſenſu formali.

7. *Opus quod à melioribus perficitur, ſemper eſt melius.* l. 1. Politic. c. 3.] Intelligitur & verum eſt, iuxta explicationem præcedentis, in ſenſu formali & compoſito : non autem in materiali & diuiſo, vt per ſe eſt manifeſtum. Vide, quæ diximus ſupra,

Titulo 8. diſt. 5. ad illud axioma: *Quorum cauſæ bonæ ſunt, ipſa ſunt bona.*

DISTINCTIO VII.

De diſtinctione inter agens & patiens.

1. *OMne quod mouetur, ab alio mouetur.* 7. Phyſ. c. 1.] Senſus eſt hic: omne quod mouetur per ſe, motu phyſico, tanquam mobile completum, mouetur ab alio. Dicitur primo, *per ſe*: quia idem poteſt moueri à ſeipſo per accidens, vt nauta mouendo nauim, & anima mouendo corpus, mouent ſeipſos. Dicitur ſecundo, *motu phyſico*, quo excluduntur mobilia ſpiritualia, vt anima rationalis & Angeli, qui licet à primo rerum omnium motore & creatore ex nihilo producti ſint; poſt hanc tamen ſui productionem, mouere poſſunt ſeipſos, per ſe, & ſecundum ſe totos, cum in ijs non diſtinguatur pars mouens & mota, nec poſſit in illis diſtingui agens & patiens, vt *Quod*; ſed tantum principium *Quo*, quod vel eſt voluntas Angeli, vel volitio, vel vis motiua. Dicitur tertio, *tanquam mobile completum*, id eſt, ſecundum ſe totum; quia idem poteſt ſeipſum mouere ratione partis, quo modo animal mouere ſolet ſeipſum: anima enim eſt pars per ſe mouens, corpus pars mota. Et hoc ſenſu dixit Ariſtoteles, *Sola viuentia moueri à ſeipſis.* 8. Phyſ. t. 27. Negat ergo Ariſtoteles hoc dicto, aliquod mobile corporeũ completum, ſeu aliquod compoſitum phyſicum, poſſe primò & per ſe mouere ſeipſum, ſecundum omnes ſui partes. Hoc axioma ita receptum eſt, vt habeatur, tanquam fundamentum demonſtrationis, quâ oſtenditur Deum eſſe, ſiue, vt inquit Ariſtoteles, dari

Digitized by Google

primum aliquem motorem, à quo omnium rerum creatarum motus dependeat, & cui proprium ſit, *mouere non motum*, vt infra explanabitur, Titulo *de Motu*. Cęterùm vt vniuerſaliſſimũ ſit, & ad nullũ motuum genus reſtringatur, intelligi poteſt, ex mente Ariſtot. hoc modo: Omne quod mouetur, neceſſariò debet pendere ab aliâ ſuperiore causâ, à quâ vel accipiat eſſe, vel virtutem & potentiam mouendi, vel motum ipſum: ſi enim mouetur; ergo habet potentiam paſſiuam; ergo imperfectum eſt: omne autem Ens potentiale & imperfectum neceſſariò habet cauſam ſuperiorem, cui eſt ſubordinatum eſſentialiter: Atqui in cauſis eſſentialiter ſubordinatis non datur proceſſus in infinitum; ergo neceſſariò concedenda eſt aliqua prima cauſa mouens, omninò immobilis, independens, æterna & infinita in omni perfectionum genere; Et hæc eſt illa, quam cum Gentiles, per ea, quæ facta ſunt, cognouiſſent, *Non ſicut Deum glorificauerunt; ſed euanuerunt in cogitationibus ſuis*, vt ait, Apoſtolus ad Rom. c. 1. priorem huius effati explicationem tenet Suarez in Metaph. d. 18. ſect. 7. n. 11. & ſeqq. & plerique alij: poſteriorem, quæ planior & expeditior eſt, ſequitur Hieronymus Faſolus in 1. 1. p. q. 2. a. 3. dub. 7.

2. *Potentia actiua eſt principium tranſmutandi aliud, in quantũ aliud. 9.* Metaph. t. 2.] Senſus eſt omnem potentiam naturalem agendi, ordinatam eſſe ad agẽdum in aliud, & nullum agens agere in ſeipſum, niſi quatenus aliquo modo eſt diſſimile ſibi ipſi. Atque ideo poteſt dici agere in aliud, ſaltem formaliter diſtinctum: ita enim diſtinguitur, prout eſt actu agẽs, à ſe prout non eſt agens actu, vel prout eſt in termino actionis. Et hunc explicationis modum ſatis declarat Ariſtoteles 8. Phyſ. t. 40. Vbi, *Impoßibile eſt*, inquit, *ipſum mouens penitus ipſum, mouere ſeipſum*:

Feretur enim totum, & feret ſecundum eandem lationem, vnum exiſtens & indiuiduum ſpecie, & ſanabit & ſanabitur ſecundum eandem ſanitatem. Id eſt, mouebitur ad recipiendam lationem, per quam ſe ferat, & mouebitur ad recipiendã ſanitatem, per quam ſe actu ſanet, & ita de cæteris: hoc autem manifeſtam inuoluit contradictionẽ de eſſe in actu, & eſſe in potentiâ reſpectu eiuſdẽ; idem enim haberet & nõ haberet eandẽ numero formã ſanitatis, caloris, &c. nõ haberet, quia ponitur moueri ad illam; haberet, quia idem ponitur ſe mouere ſecundum illam, ſiue per illam.

3. *Potentia paſſiua eſt principium mutationis ab alio, in quantum aliud*, ibidem, & 5. Metaph. c. 11. t. 17.] Verum eſt, eodem ſenſu, quo axioma præcedens. Vel, ſi libeat cum Suarez diſp. 18. Metaph. ſect. 7 n. 56. vtrũque intellige de permutationibus phyſicis, quæ per actionem tranſeuntem fiunt: in his enim patiens ſemper aliud eſt ab agente, & diſtinguitur ab illo, ſi non ſuppoſito, ſaltem diſtinctione partiali reali. Et de his loquitur Ariſtoteles l. 1. de Gen. c. 7. vbi magnum abſurdum exiſtimat, quod idem à ſeipſo patiatur. *Nihil enim*, inquit, t. 48. *aut incorruptibile erit, aut immobile, ſi ſimile, ſecundum quod ſimile, actiuum; ipſum enim ſeipſum mouebit omne.* Dixi intelligẽdum eſſe de ijs, quæ fiunt per actionem tranſeuntem; quia in actionibus immanẽtibus idem eſt principium actiuum & paſſiuum. Lege, ſi placet, S. Thomam 1. p. q. 25. art. 1. in Corpore.

4. *Id quod ſubijcitur, ſui ipſius mutationem non efficit.* l. 1. Metaph. c. 3.] Intelligitur eodem ſenſu, quo præcedens, de actionibus tranſeuntibus. Diſputat enim hoc loco Philoſophus de principijs naturalibus, & loquitur de mutatione, quæ ad generationem & corruptionem tendit, ac in vniuerſali oſtendit, quomodo euidens ſit, materiam & efficiens in gene-

Digitized by Google

rationibus & mutationibus phyſicis non concurrere ad idem genus cauſandi.

5. *Idem non poteſt efficere ſeipſum.*] Elicitur ex eodem capite, & ita verum eſt, vt nemo ſanæ mentis inficiari id poſſit, niſi terminos ignoret: Nam cauſa non poteſt concipi realiter operans, niſi præintelligatur, ſaltem naturâ prius habere exiſtentiam actualem, per quam formaliter ſit extra ſuas cauſas: operari enim eſſentialiter in ſuo conceptu præſupponit eſſe; quia in eſſentialiter ſubordinatis non poteſt tertium eſſe ſine ſecundo, nec ſecundum abſque primo: in rebus verò producibilibus hæc tria ſunt eſſentialiter ſubordinata, *eſſe, poſſe, operari.* Si ergo cauſa aliqua produceret ſeipſam, eadem poneretur eſſe ſimul in potentiâ & actu, ſiue actu habere ſuum eſſe, & non habere, quod implicat contradictionem. Vide, ſi placet, quæ diximus ſupra, ad illud axioma: *Omnis cauſa prior eſt ſuo effectu*, Titulo 8. diſtinct. 3. num. 1.

6. *Nihil agit in corruptionem ſui.*] Deſumitur ex lib. 1, de Gen. cap. 7. & verum eſt ac intelligi debet de actione primariâ, & per ſe vltimatò directâ ad ſui ipſius interitum. Poteſt tamen per accidens, idem agere in ſui corruptionem, actione videlicet per ſe vltimò tendente in alium finem. Sic, verbi cauſa, Baſiliſcus proprijs oculorum radiis ſeipſum interimere dicitur, dum ſeſe in ſpeculo contemplatur: id enim, ſi verum eſt, non fit per ſe ſecundum intentionem naturæ; ſed per accidens, ob venenoſam habitûs ipſius reflexionem. Ratio pronunciati eſt, quia nullum agens operatur reſpiciens malum finem, vt malus eſt, vel per ſe primò intendens malum, quatenus malum eſt, præcipuè ſui ipſius. Corruptio autem eſt malũ naturæ, cum per ſe tendat ad non eſſe, ac proinde, *omne Ens naturaliter ſe*

corrumpentibus reſiſtit, vt explicuimus ſupra Tit. 2. diſt. 3. habet autem præcipuè locum axioma, ſaltem ex mente Ariſtotelis, in agentibus naturalibus, ſiue operantibus ex inſtinctu & inclinatione naturæ, quæ *diuinæ immortalitatis eſt æmula*, vt docuimus ibidem ex l. 2. de Animâ, t. 34. Poteſt nihilominùs agentibus etiam liberis accommodari; Nam licet homines impij appetant ſibi & conſciſcant aliquando mortem; ratio tamen volendi formalis proxima non eſt ipſa mors, ſed bonum aliquod, quatenus bonum eſt, videlicet vt euadant aliud malum, quod putant eſſe morte grauius, vt pluribus explicuimus Tit. 5. diſt. 6. ad illud axioma: *Nihil ad malum intendens operatur.*

DISTINCTIO VIII.

De ſimilitudine inter agens & patiens.

1. *OMne agens intendit aſſimilare ſibi paſſum.*] Propoſitum Theorema colligit Ariſtoteles ex ijs, quæ diſputat c. 7. libri primi de Gen. & Corr. t. 50. dum docet, *Agens & patiens debere partim eſſe ſibi ſimilia*, quoad materiam nempe; & *partim diſſimilia*, ſcilicet quoad formam, eò quod inter ſe contraria ſint, vt inquit ibidem. Intelligitur itaque propriè de agentibus naturaliter actione tranſmutatiuâ, & productiuâ, vt ſic: Hæc ſiquidem agunt eo fine, vt alteri naturam ſuam communicent, & per conſequens, vt illud ſibi quodammodo aſſimilent. Hoc modo ignis calefaciendo frigidam, ſibi illam aſſimilare nititur, frigida contra agens in ſubiectum calidum, ſuas in illud qualitates, eâ quâ poteſt perfectionis ſimilitudine producit. In alijs non eſt vſque-

Digitized by Google

quaque verum: non enim, qui lapidem v. c. in altum proijcit, eum hoc ipso ſibi aſſimilare conatur: niſi dicere velimus, illum conceptui mentis, quo lapidem iacere cogitauit, actum aſſimilare. Conſule, ſi placet, Zimaram in Theorematis, propoſitione 91.

2. *Omne agens producit ſibi ſimile.* l. 1. de Gen. & Corr. t. 31. in quem ſenſum Albertus M. de Animâ l. 16. Tract. 1. c. 8. definit, *Generans eſſe id, quod ſibi ſimile producit.*] Verum eſt axioma eodem ſenſu quo præcedens, idque cum hac diſtinctione, quæ ſuperiori etiam inſeruit: Agens vniuocum producit ſimile ſecundum ſpeciem, æquiuocum ſecundum virtutem, quâ eminenter continet ſuos effectus: Sic cælum eſt agens æquiuocum reſpectu rerum elemẽtarium, eminenter continens perfectionem ſuorum effectuum, ſecundum quam inter ipſum, & effectus intercedit quædam ſimilitudo virtutis. Nam *vnumquodque agit, ſecundum quod eſt actu*, vt refertur l. 1. contra Gentes, c. 1. id eſt, vt ibidem explicat Ferrarienſis, *ſecundum quod actu habet, quod cauſat in effectu.* Porrò agens vniuocum non tantum producit ſimile ſecundũ ſpeciem (quod ſemper fit neceſſario) ſed ordinariè etiam genita aſſimilantur gignentibus, ſecundum omnes proprietates, & accidentia ferè omnia, quæ ſequuntur naturam. Quo ſenſu vera eſt illa ſententia Flacci.

Fortes creantur fortibus, & bonis
Eſt in iuuencis, eſt in equis, patrum
Virtus; nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

3. *Omne quod fit, fit à ſibi ſimili.* Sumitur ex textu citato, & ex l. 1. Rhetoricorum.] Vbi de deliberatione agens Philoſophus, quæ eſt circa pacem vel bellum, ita à naturâ comparatum eſſe docet, vt, *ſimilia oriantur à ſimilibus.* Verum eſt ſub diſtinctione,

eodem ſenſu, quo effatum præcedens: nimirum, omne quod fit ab efficiente vniuoco, fit à ſibi ſimili ſecundum ſpeciem, & ſecundum proprietates ſpeciem comitantes: omne autẽ, quod fit ab agente æquiuoco, fit à ſibi ſimili ſecundum virtutem. Æque hæc diſtinctio vniuerſaliter vera eſt, in omnibus productionibus creatis: At verò in proceſſionibus diuinis, generans producit genitum, non tantum ſecundum ſimilitudinem naturæ in eâdem ſpecie; ſed planè eiuſdem numero eſſentiæ: quia nimirum generatio eò eſt perfectior, cæteris paribus, quò ſimilior eſt natura geniti naturæ generantis: Atqui generatio æterna filij Dei eſt perfectiſſima, cum eadem numero ſit natura geniti & generantis. Et hoc ſenſu Generatio diuina rectè vocatur à Theologis, *Exemplar generationis humanæ & omnium aliarum generationum*. Lege, ſi placet S. Thomam 1. p. q. 33. a. 2. ad 4.

4. *Omne agens producit effectum ſibi proportionatũ.*] Elicitur ex textu ante citato, & refertur à Granado in diſputatione, an Spiritus ſanctus ex vi proceſſionis ſimilis euadat Patri & Filio. Ex omnibus omninò, quæ de ſimilitudine inter agens & paſſum retulimus, pronunciatum iſtud vniuerſaliſſimum eſt, & plano ſenſu patet latiſſimè, vt ex eorum explanatione fit manifeſtum: illa enim reſtrictionibus indigent; hoc verò in cuiuſcũque agentis operatione locum habere poteſt. Pro illorum tamen pleniore notitiâ obſeruandũ eſt, ſimilitudinem & ſimile hîc non ita preſsè accipi, ſed latè, & extenſo nominis ſignificato: propriè enim, *ſimilia ſecundum qualitates dicuntur*, vt explicabitur, Titulo *de Relatione*: Similitudo autem reſpectu cauſæ & effectus, non in qualitatibus modo cernitur; ſed etiam in quantitate, & in ſubſtantiâ, & abſolutè in qualicunque vel eſſentiali, vel accidentali conuenientiâ, ſiue formalis illa ſit, ſiue virtualis aut emi-

nentialis. Lege, ſi placet, Granadum loco citato.

5. *Omnis effectus gerit ſimilitudinem ſui efficientis.* Author de cauſis.] Verum eſt ſub diſtinctione effectûs vniuoci & æquiuoci; ille enim gerit ſimilitudinem ſui efficientis, quoad ſpeciem, hic verò quoad virtutem ſolùm, vt patet ex dictis, & fuſiùs explicatum eſt, Titulo *de Cauſis in genere*, diſt. 5. Hinc eſt, quod vnicuique effectui debeat aſſignari cauſa conueniens, vt docetur 2. Phyſic. c. 3. & explicatum eſt ſupra, Tit. 8. diſt. 6. quia nimirum ex naturâ rei ſemper neceſſariò intercedit aliqua conuenientia ſeu ſimilitudo inter cauſam & effectum. Quare qui non aſſignat cauſam conuenientem, is veram cauſam minimè aſſignârit. Cęterum pro hoc & precedentibus axiomatis notãdum denique eſt, ex D. Thomâ, q. 23. de Veritate, art. 7. ad 11. in cauſis & effectis æquiuocis, effectum ordinis inferioris, dici ſimilem cauſæ ordinis ſuperioris, non contra; quia ille habet huius formã, nimirũ imperfectè, & vt loquitur D. Thomas lib. 1. contra Gent. c. 29. *per quandam deficientem participationem*: hæc verò nullo modo, neque perfectè, neque imperfectè habet formam illius, v. c. Cæſar nullâ ratione habet formam ſtatuæ: ſtatua verò imperfectè habet formam Cæſaris; nimirum ſecundum externam figuram, quæ non eſt propria lapidis, v. c. cui per accidens ineſt, ſed Cæſaris, cui per ſe conuenit, ex principiis ſuis intrinſecis. Idem proportionaliter dicendum eſt de Deo, reſpectu creaturarum, aliiſque eiuſdem comparationis, vt docet idem D. Thomas 1. p. q. 4. art. 3. vbi ait, Creaturam aliquâ ratione poſſe dici ſimilem Deo: Deum verò nullâ ratione dici debere ſimilem creaturæ. Idem ſentit Vaſquez d. 166. c. 5. Molina, Valentia, & alij.

6. *Simile non agit in ſimile.* 1. de Gen. cap. 7. tex. 51.] Loquitur hic Ariſtoteles, de actione phyſicâ

propriè dictâ, eáque potissimum, quæ est inter primas qualitates, & quæ per se diriguntur ad generationem & corruptionem physicam rerum. Sensus itaque pronunciati est, *Simile omninò*, id est simile in gradu, specie, magnitudine, densitate, &c. non agit in aliud simile actione physicâ proprie dictâ. Rationem addit Aristoteles loco citato; quia si essent omnino similia, non esset ratio, cur hoc potius ageret, quàm illud. 2° sequeretur, *idem agere in seipsum*; quia nihil est similius, quàm idem sibiipsi, atque ita omnia corrumperent semetipsa, quod est contra communem sensum, iuxta istud:

7. *Nihil patitur à seipso.* 9. Metaph. t. 2.] Verum est, eâdem ratione, quâ diximus, dist. 7. nihil agere in corruptionem sui. Vnde rectè Hippocrates, libro de vitâ humanâ: *Si homo esset vna res, ipse doleret nunquam*; dolor enim in contrarietate fundatur; ibi autem contrarietas existere nequaquam potest, vbi perfecta identitas est.

DISTINCTIO IX.

De contrarietate inter agens & patiens.

1. *Omnis actio fundatur in contrarietate.*] Desumitur ex 1. Physic. c. 5. & intelligitur de qualibet actione naturali, quæ in generatione & corruptione rerum physicarum cernitur, quæque præcipuè exercetur inter primarias qualitates, ita, vt vbi maior est contrarietas intensiuè vel extensiuè, ibi maior vis sit ad agendum physicè. Ratio pronunciati est, quia finis huiusmodi actionis est similitudo; cum *omne agens naturale intendat assimilare sibi passum*, vt explicatum est distinct. 8. ergo non agit

Digitized by Google

in aliud, nisi in quantum aliquo modo dissimile est, & contrarium: Frustra siquidem ageret, si omninò esset simile; cum finis actionis huiusmodi sit similitudo. Sensus huius dicti moralis est eiusmodi: omnis actio humana, viro sapiente ac laude digna, *Fundatur in contrarietate*, id est, vires ac robur accipit per hostium & inuidorum maleuolos conatus: Quemadmodum enim arbor, quæ edito plantata loco, crebros ventorum impetus sustinet, altiores idcircò radices agit, ad agitationes inimicas constantiùs perferendas; ita similiter vir fortis, dum ab maleuolis inuidiosè impetitur, ad maiora audenda generosior incitatur; quo sensu verè Poëta dixit:

Hectora quis nosset, felix si Troia fuisset.

2. *Quidlibet non agit per se in quodlibet, sed in suum contrarium.*] Traditur hoc & sequentia pronunciata 1. Physic. c. 5. à textu 47. ad 50. Intelligitur autem de eâdem actione transmutatiuâ, & eodem modo, quo axioma præcedens. Additur primo in axiomate *per se*; quia per accidens, *quidlibet agit in quodlibet*. Vt calidum per se agit in frigidum: per accidens autem in musicum; quia nempe contingit, subiectum illud esse musicum. Additur secundo, *suum contrarium*: non enim absolutè quiduis agit in quoduis contrarium, aut dissimile, vt album in dulce, calidum in amarum, &c; sed in certum aliquod & determinatum, ac *sibi* oppositum. Sic neque ignis agit in cælum, licet cælum sit ipsi dissimile, nec magnes in lignum agit, sed in ferrum, nec piper aptum est per se proximè calefacere cubitum, sed ventriculum; & ita res habet in aliis.

3. *Quidlibet non patitur per se à quolibet, sed à suo contrario*, ibidem.] Verum est eodem sensu, quo effatum superius. Sic frigus non patitur per se à candido, nec aurum à putredine, nec lautus à fulmine, nec Sa-

Digitized by Google

lamandra ab igne, vt quidam volunt: Sic neque albedo per ſe, patitur à dulcedine, nec venenum tollitur ab alio veneno ſibi per omnia ſimili; ſed ab antidoto: Sic denique in moralibus bonus à malo patitur, iuſtus ab iniuſto, pius ab impio. Quo fit, vt ſapientum iudicio in laude reponatur, perſecutionem pati ab hominibus improbis & ſceleratis. Etenim ſignum probitatis eſt in illo, in quem impij per antipathiam contumeliosè agunt.

4. *Quidlibet non fit per ſe ex quolibet, ſed ex ſuo contrario*, ibidem.] Intellige non tanquam ex parte componente, nec tanquam ex materiâ ſubiectâ permanente: neque enim contrarium per ſe poteſt recipere aliud contrarium, aut mutari in illud; cum omninò ſui inuicem ſint corruptiua; ſed tanquam ex termino à quo: quare contrariũ hîc ſumitur pro termino priuatiuè oppoſito. Obtinet autem locum axioma propoſitum in omnibus tam ſimplicibus, quàm non ſimplicibus, & ordine ac harmoniâ conſtantibus. Omnia enim iſta fiunt ex priuatiuè oppoſitis, vt muſicum à non muſico, habente tamen priuationem calidi; ſimiliterque exercitus ex non exercitu, & ex inordinato, apto tamen, vt redigatur in ordinem: *Neque* enim, *ex omni ligno fit Mercurius*, vt eſt in communi diuerbio; ſed *determinatum ex determinato*, vt loquuntur Philoſophi. Itaque cum dicitur in rerum productione album fieri ex non albo, muſicum ex non muſico: termini iſti non ſumuntur merè negatiuè: nihil enim naturaliter producitur ex puro non Ente, ſed accipiuntur priuatiuè, ita vt per non muſicum, v. c. intelligatur ſubiectum aliquod reale habens priuationem muſicæ, per non illuminatum, ſubiectum carens lumine, & ita de cæteris. Quo fit, vt ipſa priuatio terminus per ſe immediatus ſit, à quo productionis; Forma autem con-

Digitized by Google

traria ſeu oppoſita in ſubiecto, ſi detur, terminus eſt mediatus : quo ſenſu dici ſolet, ex albo fieri nigrum, ex calido frigidum, ex aëre ignis, & ita de cæteris. Lege, ſi placet, D. Thomam 1. p. q. 46 ar. 1. ad 3.

5. *Quidlibet non corrumpitur per ſe in quodlibet, ſed in ſuum contrarium.*] Id eſt in priuatiuè oppoſitum. Sumitur ex eodem capite, & clarum eſt ex dictis. Sic muſicum corrumpitur in non muſicum, homo in non hominem, calidum in non calidum, &c. Agitur autem in his pronunciatis primò quidem & præcipuè de termino à quo & ad quem immediato, qui opponuntur priuatiuè, deinde etiam de proximè mediato, vt cum album dicitur fieri ex nigro, vbi alia oppoſitionis ſpecies cernitur : non autem intelligi poſſunt de qualicunque termino remoto. Nam ratione materiæ primæ, *quidlibet fit ex quolibet, & reſolvitur in quodlibet.* Vide, ſi placet, D. Thomam 1. p. q. 75. art. 6. in Corrup. vbi docet, corruptionem eſſe non poſſe, niſi vbi eſt contrarietas; quia omnis generatio & corruptio eſt ex contrario in contrarium.

DISTINCTIO X.

De ſingularitate Agentis & Patientis.

1. *Actiones omnes verſantur circa ſingularia. 1. Metaph. c. 1.*] Actio triplicem dicit habitudinem ad rem ſingularem; prima eſt vt ad principiū, ſecunda vt ad terminum, tertia vt ad ſubiectū: loquitur autem Philoſophus hoc loco præcipuè de tertiâ habitudine, & per ſingulare intelligit rem indiuiduā per ſe exiſtentem. Patet ex ratione, quam ſtatim

Aristoteles subiungit in contextu: *Non enim hominem, nisi per accidens sanat, qui medetur; sed Calliam,* inquit, *aut Socratem, aut alium quempiam illorum, qui sic dicuntur.* Omnis siquidem actio per se tendit ad aliquod esse; Esse autem per se primò conuenit rei singulari; nam vniuersalia non sunt, nisi in singularibus. Quamobrem sicuti per se dicuntur agere singularia; vniuersalia autem non nisi per accidens: Neq; enim homo per se sanatur; sed Socrates v. c. cũ vniuersalia non existant, nisi beneficio singularium. Ita subiectum per se omnium actionum est res aliqua singularis; siue illæ procedant ab agentibus particularibus, siue ab vniuersalibus, qualia sunt Sol, Luna, Cælum, &c. Item siue actiones corporeæ sint & transeuntes, siue spirituales & immanentes. Quemadmodum enim repugnat, vniuersalia existere per se extra omnia singularia, quod fertur voluisse Plato; ita fieri non potest, vt subiectum alicuius actionis sit aliquid vniuersale, & non singulare. Agimus autem hîc de subiecto denominationis, vt mox pluribus explicabitur. Alia est ratio de obiecto actionum, saltem intellectualium, vt videbimus Titulo 37. d. 2. n. 6. Idem effatum habetur 2. Ethic c. 6. & alibi.

2. *Actiones sunt singularium per se existentium.*] Sumitur tum ex loco citato, tum clarius ex 1. de Animâ t. 64. vt patebit ex paraphrasi sequentis. Vti præcedens axioma intelligitur de actione prout dicit habitudinem ad rem singularem, tanquam ad subiectum, ita præsens de eâdem est, prout dicit habitudinem ad rem singularem tanquam ad principium. Dicuntur autem procedere actiones à re singulari per se existente, siue ab indiuiduo substantiali, quia licet forma physica sit principium principale *Quo* actionum, & accidentia principium instrumentale *Quo* saltem ordinariè, secundum communiorem sententiam;

Digitized by Google

tiam; quo ſenſu dicitur aliquando, anima vegetare, ſentire, &c. intellectus intelligere, calor calefacere, eſſentia Dei creare, &c. ipſum tamen indiuiduum ſubſtantiale, ſiue ipſum ſuppoſitum, ſimpliciter & abſolutè denominatur principium actionum; quia eſt principale *Quod*, & propriè incommunicabiliter, ſine dependentiâ ab alio ſuſtentante vel componente, per ſeſe ſubſiſtit: partes autem inſunt compoſito, & accidentia inhærent vel afficiunt; quo fit, vt actio propriè tribuatur tali compoſito, vel indiuiduo ſingulari per ſe exiſtenti à quo habeat ſuum eſſe. Quod ſi verò actio procedat à ſingulari re non ſubſiſtente; ſed adiacente, vel quaſi inhærente alteri, tunc ſicuti res illa nõ eſt ſimpliciter ſua, ſed alterius; ita non cenſetur operari, vt ſua; ſed vt alterius: Et ad hoc ſignificandum non propriè dici ſolet ipſa, ſed alterum per ipſam operari. Atque ad hunc ſenſum explicanda eſt illa locutio S. Auguſtini, de quâ Suarez t. 1. in 3. p. diſp. 4. ſect. 5. §. *Neque ſecundum:*

3. *Non proprie humanitas Chriſti orat, ſed Chriſtus orat.*] Et hinc etiam fit, quod, ſi per Dei potentiam accidens ſine ſubiecto conſeruetur, prius intelligatur eſſe ipſum per ſe ſuo modo exiſtens, quam operans; quia cum inhærentia ſit magis intrinſeca accidenti, quam actio, & ex naturâ rei prius illi conueniat, eâ impeditâ per alium modum per ſe exiſtendi; neceſſe eſt, vt talis etiam modus actionem antecedat; atque vniuerſaliter, vt forma in re prius habeat vnum vel alium determinatum modũm eſſẽdi, quàm agat. Ita Suarez t. 1. in 3. p. diſp. 10. ſect. 3. in *dicto* 2. Alij propoſitum axioma ex eodem Ariſtotelis textu ſic efferunt:

4. *Actiones ſunt ſuppoſitorum.*] Ita D. Thomas 1. p. q. 39. ar. 5. ad 1. & alibi. Alexander de Ales 7. Metaph. t. 28. Suarez diſp. 24. Metap. ſect. 7. n. 10.

& alibi: & cõmuniter omnes Philoſophi, ac Theologi in 1. diſp. 5. q.1. a. 1 & aliàs ſæpe. Actio enim propriè & per ſe tribuitur ſuppoſito, vt ei, *Quod* operatur, ſicuti patet ex dictis. Hinc Ariſtoteles 1. de Animâ t. 64. ait, *Melius dici, non animam miſereri, aut diſcere, aut ratiocinari; ſed hominem animâ: ſiue per animam*: Et libro de ſenſu & ſenſili c. 6. in eundem ſenſum de accidentibus loquens:

5. *Non hic calor calefacit, ſed hoc calidum.*] Significat hoc dicto, nullum accidens abſolutè denominandum eſſe principium actionum, ſicuti priore loco negat partes ſubſtantiales per ſe ac ſimpliciter operari. Ratio pronunciati eſt; quia ſubſiſtentia ſiue ſuppoſitalitas eſt conditio requiſita connaturaliter ex parte agentis. Quemadmodum enim, eſſe ſiue exiſtere prærequiritur & præſupponitur ante operari, quia *modus operandi ſequitur modum eſſendi*, ita omne agens naturaliter prærequirit completum modum eſſendi, priuſquam agat: illum autem habet per ſubſiſtentiam, quæ eſt complementum, ſiue vltimus actus indiuidui ſubſtantialis, quo ſubſiſtit per ſe incommunicabiliter. Porrò hoc complementũ propterea requirit, quia eſt ſubſtantiale quid & intrinſecum, & quaſi eſſentialiter debitum naturæ, vt per conſequens debeat præſupponi actionibus ab illâ procedentibus. Lege, ſi placet, Suarez t. 1. in 3. p. diſp. 10. ſect. 3. in fine. Dixi eſſe conditionem connaturaliter prærequiſitam; quia datâ illâ hypotheſi, quod ſupernaturaliter natura conſeruaretur ſine vllâ ſubſiſtentiâ, poſſet actio procedere ab illâ naturâ ſingulari non ſubſiſtente: Sicuti etiam quantitas in Euchariſtiâ patitur, quamuis non ſit ſuppoſitum. An autem talis hypotheſis poſſibilis ſit, controuerſum eſt inter Suarez & alios, qui negant, & inter Becanum, Vaſques ac alios qui affirmant.

Digitized by Google

6. *Id ſimpliciter fit, quod ſimpliciter exiſtit.* Sumitur ex 1. Phyſic. t. 63.] Eſt hoc pronunciatum de habitudine actionis, quam dicit ad aliud, tanquam ad ſuum terminum; qui propriè eſt res per ſe ſimpliciter exiſtens, id eſt ſubſtantia ſingularis, quemadmodum enim principium actionum eſt ſingulare per ſe exiſtens, iuxta ea quæ dicta ſunt, ita etiam terminus illarum, iuxta iſtud:

7. *Omnis effectio terminatur ad rem exiſtentem, vt exiſtens eſt*: refertur à Suarez lib. 3. de Trinit. c. 5.] Senſus eſt, ipſam fieri rerum terminari propriè & ſimpliciter ad rem per ſe vltimò & individualiter exiſtentem. Ratio eſt, quia eius eſt fieri, cuius eſt eſſe: Eſſe autem per ſe primò conuenit rei ſingulari, cum vniuerſalia non ſint niſi in ſingularibus; Ex hoc pronunciato Suarez, Suniga, Fonſeca, Florauantius, & alij probant, etiam in diuinis, eſſe exiſtentias relatiuas, præter abſolutam eſſentialem; nam (vt arguũt contra Vaſquez 1.p. diſp. 126. c.2.) omnis productio realis terminatur ad rem exiſtentem, vt exiſtens eſt; ſed relatio filiationis & ſpiratibnis paſſiuæ realiter producuntur: Ergo habent exiſtentias relatiuas ſibi proprias, ratione quarum terminare poſſint productiones diuinas. Lege, ſi placet, Suarez l. 3. de Trin. cap. citato, & Tomo 1. in 3. p. Diſp. 11. ſect. 2.

DISTINCTIO XI.

De agente in ordine ad ſpatium.

1. *Actio non datur in diſtans.* 7. Phyſ. cap. 2.] Vbi Ariſtoteles id probat, à textu 10. vſque ad 13. & 1° Meteor. initio, & 1. de Gen. c. 6. Alij ſic

proponunt: *Mouens & motum debent eſſe ſimul.* Alij ita: *Agens & patiens debent eſſe ſimul.* Senſus pronunciati verus eſt iſte: Agens naturale debet neceſſariò eſſe præſens paſſo, per contactum vel formalem, vel virtualem, id eſt, vel per ſeipſum, vel per aliquid aliud; nempe per virtutem, ſeu qualitatem à ſe diffuſam, vel etiam per occultam ſympathiam aut antipathiam. Lege, ſi placet, D. Thomam 1. p. q. 8. a. 1. vbi ex hoc axiomate probat, Deum intimè adeſſe rebus omnibus per ſuam eſſentiam; cum *operetur omnia in omnibus*, & nobilius ſit agere immediatione virtutis ac ſuppoſiti ſimul, quàm virtutis tantum. Nota autem, aliud eſſe, inter agens & patiens requiri contactum aliquem, aliud, neceſſariam eſſe vnionem, ſiue adiunctionem, vt loquitur Ariſtoteles 1. de Gen. t. 78: Nam ille quidem neceſſarius eſt, tanquam conditio ſine quâ non; hæc verò minimè, vt docet Philoſophus ibidem; quia agens debet eſſe diſtinctũ à patiente, iuxta illud: *Quidquid mouetur ab alio mouetur*, de quo ſupra, diſt. 7. Contactus verò fit tatione alterius, non autem ſuiipſius.

2. *Omne agens creatum determinatam habet ſphæram actiuitatis.*] Inſinuatur à D. Thomâ l. 1. de Gen. lect. 23. t. 78. vbi ait, *Agentia omnia naturalia determinatam habere virtutem, quæ ſi vltra virtutis ſuæ proportionem elongantur à patientibus, nullum effectum habere poterunt.* Senſus itaque pronunciati eſt, omne agens naturale certum habere terminũ, intra quem virtute naturali poteſt agere, & extra quem actionem ſeu vim actiuitatis ſuæ non poteſt protendere. Eſt communis ſententia Philoſophorum, quam viſioni accommodat Ariſtoteles l. de ſenſu & ſen. c. 8 vbi inquit.

3. *Viſio in tali fit diſtantiâ, vt in ipsâ ſit aliquod primum & vltimum.*] Videlicet, *vltra quod nihil vi-*

deatur, vt addit Philoſophus ibidem. Et ratio eſt, quia ſi non haberet determinatam ſphæram actiuitatis, poſſet agere in quamcunque diſtantiam, & per conſequens in infinitum, quod eſt abſurdum.

4. *Effectus denominatur à causâ proximâ.*] Nempe ſecundum ordinarium & proprium loquendi modum, ſecundum quem res quæpiam dicitur eſſe aliqualis ex eo, quod competit illi ſecundum cauſas proprias, non autem ex eo, quod conuenit illi ſecundum cauſas remotas & vniuerſales: quo modo dicitur morbus aliquis eſſe incurabilis, non quia non poteſt curari à Deo, quæ eſt cauſa vniuerſaliſſima; ſed quia per propria ſubiecti principia curari non poteſt. Item Alexander dicitur filius Philippi, non aui, aut proaui ſui. Quando autem omnes dicimur filij Adæ & Euæ, &c. impropria eſt locutio, & nomen filij pro poſteris accipitur. Hac etiam de causâ effectus non trahit neceſſitatem aut contingentiam à causâ primâ, vel ab aliâ qualibet remotâ, ſed à causâ proximâ & propria. Vide, ſi placet, D. Thomã 1. p. q. 14. a. 13. ad 1. & q. 25. a. 3. ad 4. & 3. p. q. 4. a. 1. ad 1. Vide etiam, quæ diximus ad illud: Cuius conditionis eſt cauſa, eiuſdem ſuo modo eſt effectus, Titulo *de Cauſis in genere*, diſtinctione quintâ.

5. *Omnis cauſa primo operatur in ſibi propinquius, & per illud in alia.*] Sic ignis primò calefacit aërem ſibi propinquum, & per illum deinceps corpora diſtantia. Sic & amicus prius & potius beneuolentiam exhibet amico ſibi, vinculo neceſſitudinis arctiore coniuncto, quàm illi, cui non tantopere eſt obligatus. Elicitur hoc proloquium ex D. Dionyſio, c. 13. de Cæleſti Hierarchiâ, vbi ait inter alia, Deum ipſum primò illuminare ſubſtantias ſibi vicinas, & per eas deinde remotiores. Vide, ſi placet, D. Thomam 3. p. q. 56. a. 1. in Corp.

6. *Omne agens naturale agit actione uniformiter difformi.*] Agit enim intenſiùs in partes propinquas, remiſſius in remotas, donec pertingat ad extimum terminum ſuæ actiuitatis, vltra quem nihil amplius agit. Sic ignis intenſiùs calefacit ſubiecta propinquiora, remotiora remiſſius; nimium diſtantia ſuâ virtute & actione non attingit. Sic & viſus, quo vlterius protenditur, eò debilior fit & minor, donec tandem omninò deficiat, vt docet Ariſtoteles loco ante citato, & 3. Meteor. ſum. 2. c. 3.

DISTINCTIO XII.

De Agente libero & neceſſario.

1. *Cauſa libera, poſitis omnibus ad agendum requiſitis poteſt agere & non agere.* Sumitur ex 9. Metaph. c. 5.] Vbi Philoſophus, *Quoniam verò poteſt*, inquit, *aliquid poteſt, & aliquando, & aliquomodo, & quæcunque alia neceſſe eſt adeſſe in definitione*: quibus verbis, ſignificatur idem, quod iſtâ particulâ definitionis allatæ: *poſitis omnibus requiſitis ad agendum.* Illa enim omnia, ait Ariſtoteles, & optimè exponit D. Thomas, ſumenda eſſe, ſeu ſupponenda, vt aliquid dicatur poſſe, ſeu eſſe poſſibile ſimpliciter. De potentiâ autem ſic ſumptâ ſubdit Ariſtoteles, hanc eſſe differentiã inter potẽtias naturales & liberas, ſeu quod idẽ eſt, irrationales & rationales, vt ipſe loquitur, *quod in prioribus neceſſe eſt, vt cum, quoad poſſint, paſſinum & actiuum approximent, hoc quidem faciat, illud verò patiatur.* De aliis verò ait; *Illas verò non eſt neceſſe.* Quod perinde eſt, ac ſi diceret, potentiã liberã talem eſſe, vt approximata ad agendũ, cum omnibus requiſitis, non neceſſariò agat; ſed poſſit agere & non agere; & ſubdit optimam rationem: quia cum

Digitized by Google

potentia libera ſit per ſe, & ex ſe potens ad cõtraria, ſi approximata ad generãdum, ex neceſſitate ageret, ſimul ageret contraria, quod eſt impoſſibile.

2. *Cauſa libera ſeipſam ad opus determinat.* Sumitur ex capite ac verbis citatis.] Ratio illius eſt; quia libertas cauſæ in hoc conſiſtit, vt poſitis omnibus ad agendum neceſſarijs, poſſit agere & non agere, vt iam dictum eſt: hoc autem fieri non poteſt, niſi ſeipſam poſſit applicare ad operationem, vel non applicare, pro ſuo libitu. Non quod ſeipſam determinet ſine concurſu Dei (illius enim determinatio non eſt aliud, quam illius volitio, quam conſtat fieri nõ poſſe ſine concurſu Dei) ſed quia voluntas & potẽtia Dei, vt ſic, applicata ad concurrendũ, eſt quaſi indifferẽs, & expectans, vt iuxta vſum liberę voluntatis creaturæ cooperetur, ita vt per Deum non ſtet, quò minus fiat actio, aut eadem omittatur, vt fuſiùs explicabitur, Titulo *de Causâ primâ cooperante.* Lege, ſi placet, Suarez diſp. metaph. 22. ſect. 4. n. 34.

3. *Cauſæ naturales determinatæ ſunt ad vnum.* Sumitur ex 2. Phyſ. c. 8. & 9. Metaph. t. 3.] Intelligitur de cauſis neceſſariis, quæ poſitis omnibus ad agẽdum requiſitis non poſſunt non agere. Hæ etenim nõ tantum determinatæ ſunt, ad vnũ ſpecie effectũ producendũ, per ſe primò & vltimatò, vt ignis, e. g. ad generandũ ignem; ſed etiam in particulari applicatæ ad hoc paſſum, v. c. & poſitis omnibus ad agendũ requiſitis, determinatæ ſunt ad hãc formã in indiuiduo efficiendã. Licet verò cõtrarij effectus videãtur ſubinde ab eâdem causâ naturali prouenire; hi tamẽ vel non fiũt circa idem, & eodẽ modo diſpoſitũ; ſed circa diuerſa diuerſimodè affecta, & ita non fiunt propriè, vt cõtrarij ſunt, quo modo ſol indurat lutum, & cerã liquefacit: vel vnus per ſe fit, alius per accidens, vt aliquando contingit per antiperiſtaſin: vel certè talis

cauſa non efficit ſe ſolâ vtrumque contrariorum; ſed concurrentibus alijs cauſis; quo modo ſol ad repugnantes effectus in his inferioribus concurrit, quantum autem in ſe eſt, omnes cauſæ naturales determinatæ ſunt, ad vnum & eundem agendi modum, & non valent in oppoſita, vti agens voluntariũ. Lege, ſi placet, Suarez d. 18. ſect. 7. n. 30. 31. & ſeqq.

4. *Cauſa naturalis non impedita producit effectum nobiliſsimum, quem poteſt.* Sumitur ex eodem textu.] Senſus illius eſt, omne agens naturale, niſi fuerit impeditum, ſemper agere, ſecundum vltimum ſuæ potentiæ, & toto conatu, totaque contentione ſuæ virtutis exire in effectum; cum è contrario agens liberum tantam vim ad agendum conferat, quantam libet; non autem quantam conferre potens eſt, ac proinde effectum proferat modò altioris perfectionis, modo inferioris. Ratio pronunciati eſt; quia cauſæ naturales ex neceſſitate naturæ agunt, teſte Ariſtotele 2. Phyſic. c. 8. & ideo totam vim ſuam in agendo expromunt, &, vt aiunt Philoſophi, operantur ſecundum extremum potentiæ. Iuxta hanc explicationem verum etiam eſt iſtud: *Natura ſemper facit optimum, quod poteſt*, de quo infra, Titulo *de Naturâ*.

5. *Nihil vltra ſuum gradum aut ſpeciem agit.* Sumitur ex l. 4. Ethic. c. 7.] Ratio eſt; quia omnes cauſæ creatæ determinatæ ſunt, ad certa effecta edẽda, & limitatam habent potentiam ac virtutem agendi, quam naturaliter tranſcendere non poſſunt. Refert hoc dictum D. Thomas 1. 2. q. 114. a. 8, vbi pro explicatione illius notat, nihil agere quidem vltra ſuam ſpeciem in virtute: poſſe tamen aliquid producere, quod excedat in quantitate: *Sicuti arbor*, inquit, *etſi ſit ſupra quantitatem ſeminis, non eſt tamen ſupra virtutem ipſius.* Cæterum hæc virtus vel eſt

Digitized by Google

propria agentium, vel aliunde communicata, vt cum à causâ altiore res quæpiam veluti instrumentum assumitur ad producendum effectum, quem ipsa per se attingere, vel producere non posset; aut etiam, cum plura agentia particularia ad eiusdem effectus productionem concurrunt; priore sensu intelligitur præcipuè & verum est pronunciatum, posteriori etiam potest accommodari, sicuti enim, si agens operetur virtute propriâ, effectus non excedit virtutem agentis propriam; ita, si agat virtute sibi communicatâ, effectus similis erit, ac proportionatus tali virtuti. Sensus moralis huius pronunciati valet in illos, qui ambulant in mirabilibus super se, immemores status ac conditionis propriæ.

6. *Defectus actionis causatur ex defectu agentis.*] Ratio huius ex eo petitur; quia aliter causatur malum in actione, & aliter in effectu: in actione quidem causatur propter defectum alicuius principiorum actionis vel principalis agentis: vel instrumentalis; sicuti defectus in motu animalis potest contingere, vel propter debilitatem virtutis motiuæ, vt in pueris; vel propter solam ineptitudinem instrumenti, vt accidit hominibus claudis. At verò in re, siue effectu ipso, malum causatur non modo ex defectu agentis; sed etiam materiæ & aliarum circunstantiarum. Ita D. Thomas 1. p. q. 49. art. 1. in Corp.

7. *Idem manens idem aptum est semper facere idem.* 8. Physic. t. 53. & 2. de Gen. & Corr. t. 56. D. Thomas ibidem, lect. 9. t. 52.] Sensus pronunciati est, idem eodem modo se habens, semper retinere potentiam, seu aptitudinem eodem modo operandi; alioqui non maneret idem: nimirum quantum in se est, siue respectu sui; nam aliunde, vt respectu materiæ ac dispositionum, vel aliarum causarum concur-

rentium, poteſt oriri impedimentum. Aptum eſt autem facere idem, ſeu producere eundem effectum, non numero, ſed ſpecie: quo modo lumen ſolis, quod producitur quotidie in aëre, eſt idē ſpecie cum prioris diei lumine, à quo tamen numero diſtinguitur. Atque hoc modo expoſitum axioma intelligi poteſt tantum de agente naturali & neceſſario; ſed etiam de voluntario & libero. Lege, ſi placet, Zimaram in Theorematis, Propoſ. 12.

8. *Ad agens vniforme ſequitur effectus vniformis.*] Elicitur ex loco citato, & verum eſt in ſenſu formali, in quantum ſcilicet agens operatur vniformiter, reſpectu huius vel illius determinati effectûs; tūc enim effectus, prout ab illo depēdet, manet certâ proportione vniformis, iuxta explicationē præcedentis; quia *Cuius conditionis eſt cauſa, eiuſdem ſuo modo eſt effectus*, vt explicatum eſt, Titulo *de cauſis in genere.*

9. *Omnis creatura rationalis de ſe eſt vertibilis ſecundum electionem.*] Eſt communis Philoſophorum ac Theologorum ſententia, quam multis Patrum & Scripturæ teſtimonijs ac rationibus cōfirmat Suarez l. 7. de Angelis c. 3. Senſus eſt, omnem hominem & Angelum poſſe ſe liberè determinare, nunc ad vnū, nunc ad alterum oppoſitorum, vt v. c. primò ad bonum deinde ad malum, & pro libertate ſuâ, eodem tempore circumſtantijs ijſdem, vel hoc, vel illud agere; quia *potentiæ rationales ſunt oppoſitorum*, vt docetur 9. Metaph. t. 10. Eodem ſenſu 4. Topic. c. 5. dicitur, *ſtudioſum*, id eſt, virtuoſus, *poſſe prava agere*; non quidem, quâ talis eſt: hoc enim implicat; ſed quia poteſt ſe liberè vertere ad malum, & ex ſtudioſo fieri vitioſus. Dicitur autem homo & Angelus eſſe vertibilis, *de ſe*, ſiue ſpectatus ſecundum naturā ſuā; quia aliunde poteſt interuenire impedimentum: quo modo Beati neceſſariò bene agūt, & non poſſunt nō

Digitized by Google

amare Deum, ac viatores etiã ſimili modo, in bono confirmari poſſunt, vt de Beatiſſimâ Virgine Mariâ creditur. Sed pluribus de hac materiâ agetur, Titulo *de Potentiâ volitiuâ.*

DISTINCTIO XIII.

De causâ inſtrumentali in genere & ſpecie.

1. *OMne inſtrumentum eſt alicuius rei gratiâ.* 1. De partibus Animalium c. 5.] Sic ſerra eſt ſectionis gratiâ, malleus tunſionis, membra ſeu partes corporis officiorum gratiâ conſtant, ac munerũ, ad quæ ſingula accommodantur, vt docet Philoſophus ibidem, eadem eſt ratio in alio quolibet inſtrumentorum genere, quatenus tale eſt.

2. *Inſtrumentum operatur in virtute agentis principalis.* 7. Metaph. t. com. 22. & 31. & refertur à S. Thomâ l. 1. de Gen. & Corr. lect. 13. tex. 30.] Etſi omni inſtrumẽtorum generi accõmodari poſſit; præcipuè tamen intelligitur de causâ inſtrumentali preſsè ac propriè dictâ, quæ concurrit cum causâ principali, ab eâque eleuatur ad producendum effectũ nobiliorẽ ſe, quã propriâ virtute poſſet attingere: vnde dicitur egere in virtute agentis principalis; non quod ipſa nullã vim habeat & conferat ad producendum effectum; ſed quia vis, quam habet in ſe, & quã confert eſt inſufficiens & improportionata ad effectum (eò quod ſit inferioris perfectionis, quam effectus) quo ſenſu intelligitur & verum eſt iſtud Vulgare:

3. *Inſtrumenti vtilitas nulla eſt, niſi in vſu agentis.*] Nempe in ſenſu formali, quatenus inſtrumentum eſt; quia, vt ſic, tantum eſt operatiuũ iuxta virtutis & operationis menſuram agentis principalis,

hoc modo calor naturalis eſt inſtrumentum animæ in producendâ carne, v. c. Eadem eſt ratio in aliis accidentibus ad productionem ſubſtantiæ concurrere ſolitis. Itaque inſtrumenta non ſemper neceſſariò recipiunt in ſe virtutem aliquam aut qualitatem impreſſam à cauſa principali; (Vti contingit in proiectis) ſed dicuntur operari in virtute agentis principalis; quia agunt adiuta per actualem illius concurſum. Vt pluribus explicat Suarez d. 18. Metaph. ſect. 2. n. 9. & ſeqq. Lege, ſi placet, Franciſcum Albertinum, Corollariorum tomo 1°, Principio ſecundo.

4. *Ad omnem officij functionem opus eſt inſtrumento.* lib. 1. de Gen. animal. c. 2.] Vbi ex illo probat Ariſtoteles, diuerſis animalium generibus, diuerſa competere inſtrumẽta naturalia, quibus functiones ſuas, commodè obire queant. Probat id inductione ibidem per varias animalium ſpecies. Et ratio eſſe poteſt; quia ſubſtantia creata ſecundum ſe præcisè ſpectata, eſt principium quoddam vniuerſale omnium ſuarum actionum & indeterminatum ac improportionatum ſecundum ſe, ad quoſlibet effectus producendos; idcircò determinari debet & adaptari per potentias & alia inſtrumenta ſuperaddita, quæ ſunt magis particularia principia ad certas actiones & effectus. Sola ſubſtantia increata & infinita Deus, qui eſt omnia in omnibus, quique excedit omnem proportionem, ac vincere poteſt omnem improportionem, eſt per ſeipſum ſufficiens ad ſuos effectus procreandos, nec vllis illi opus abſolutè eſt inſtrumentis; niſi fortè ex hypotheſi & per accidens. Intelligitur itaque & verum eſt pronunciatum, quoad ordinarias cauſarum naturalium functiones; nec aliud voluit Ariſtoteles. Eodem ſenſu intelligitur iſtud:

5. *Accidentia ſunt inſtrumenta ſubſtantiæ.* Refer-

Digitized by Google

tur ab Alexandro de Ales 7. Metaph. t. 5. & patet inductione.] Nam elementa mouentur medijs qualitatibus, leuitate ſurſum, grauitate deorſum, &c. Cælum agit in hæc inferiora per lumen & influentias: mixta inanimata, vt gemmæ, metalla; item animata, vt herbæ, plantæ, &c. agunt per virtutes accidentales, quod vel ex eo colligitur; quia virtutes iſtæ ſenſim remittuntur & imminuuntur, vt virtus attractiua in magnete, ſuccino, &c. Cum tamen tota ſubſtantia maneat eadem, nec magis ſuſcipiat aut minus, nec intendi queat, vel remitti. Idem videre licet in homine, in quo vires vegetatiuæ attrahendi, digerendi, retinendi, appetendi alimentum, &c. paulatim deficiunt. Myſterium etiam Euchariſtiæ hoc nobis euidenter confirmat. Videmus enim, ſeclusâ ſubſtantiâ, conſeruari totam vim agendi, quæ erat, in accidentibus. Lege, ſi placet, Suarez diſp. 18. Metaph. ſect. 3. n. 13. & ſeq.

6. *Seruus eſt inſtrumentum animatum.* 8. Eth. c. 11 &

7. *Inſtrumentum eſt ſeruus inanimatus:* ibidem.] Vbi ex vtroque Philoſophus probat, non intercedere veram amicitiam inter Dominum & ſeruum, hoc ipſo, quo ſeruus eſt; *quia*, inquit, *amicitia non eſt artifici ad inſtrumentum*, vt e. g. ſcribæ ad calamum, pictori ad penicillũ, agricolæ ad bouem, vel equum, ac proinde neque Domino ad ſeruum eâ ratione, quâ ſeruus eſt: non enim intercedit vlla inter ipſos communio vel æqualitas ad veram amicitiam requiſita, quia, vt inquit D. Thomas in hunc locum, *totum bonum ſerui eſt Domini, ſicuti totum bonum inſtrumenti eſt artificis.*

8. *Qui facit per alium, perinde eſt, ac ſi faciat per ſeipſum.* Eſt hæc regula 72. iuris in 6.] Sic, v. c. ſi Dominus iubeat famulo, vt verberet clericum; quod ille

facit ad mandatum ſui Domini & nomine illius ; excommunicabitur Dominus ipſo facto, non minus, ac ſi ipſe clericum verberaſſet. Ratio huius patet ex ijs, quæ dicta ſunt; quia videlicet famulus operatur ex voluntate ſui Domini, velut *inſtrumentum in virtute agentis principalis.*

9 *Clauis non ideo repudianda eſt , quod lignea ſit, modo ſuo fungatur officio.* S. Proſper ſententiâ 266.] Nimirum ſi fores reſerare poſſit, quando nihil quærimus aliud, niſi patere, quod clauſum eſt. Valet hæc ſententia pro quouis ſeruitiorum , ſeu inſtrumentorum genere.

10. *Manus eſt inſtrumentum inſtrumentorum.* l. 3. de animâ t. 38. & 4. de part. Animal. c. 10.] Ratio eſt, tum quia facit omnia ferè reliqua inſtrumenta; tum etiam, quia eſt loco plurium inſtrumentorum, vt fuſiûs explicat Philoſophus, loco de partibus animalium citato, & Galenus initio libri primi de vſu partium. Vnde etiam omnia opera ſolent attribui manibus, vt docet D. Thomas 3. p. q. 83. a. 5. ad 1. iuxta illud : *Manus tuæ Domine fecerunt me* : & per opus manuale in lege veteri intelliguntur omnia officia humana , quibus homines licitè ſibi victum comparant, ſiue manibus, ſiue pedibus , ſiue linguâ aut alio quolibet inſtrumento adminiſtrantur. Conſule etiam, ſi placet, S. Thomam 2. 2. q. 187. art. 3. in Corp.

Digitized by Google

TITVLVS XII.

De Deo Opt. Max. prout eſt cauſa prima.

DISTINCTIO PRIMA.

De cauſâ primâ ſiue Deo, vt eſt Creator.

1. *SIne Deo nec fuit aliquid, nec eſt, nec erit.* NAm

2. *Ab ipſo, & in ipſo & per ipſum ſunt omnia.*] Eſt hoc perilluſtre elogium Hermetis, quo Deum rerum omnium auctorem & conſeruatorem eſſe teſtatur, conformiter ſcientiæ & fidei Chriſtianæ; alienæ autem à mente priſcorum Philoſophorum, quibus illud receptiſſimum erat: *Ex nihilo nihil fieri*, de quo titulo ſuperiore. Illum Tullius ait in numero Deorum apud Ægyptios haberi, & ob virtutẽ multarumque rerum ſcientiam, Triſmegiſtũ eſſe nominatũ. Fuit is non modo Ariſtotele & Platone verum etiã Pythagorâ, ſeptẽque Græciæ Sapientibus lõgè antiquior, vt auctor eſt Lactantius c. 11. de irâ Dei. Eundem S. Cyrillus l. 1. in Iulianum circa finem, & l. 2. ad textum 4. teſtatur de rerum à Deo productione, Moyſi conſenſiſſe. Certè multa præclarè de Deo ſcripſit, tum alibi paſſim, tum præcipuè in Pimandro vbi ſub finem libri ait:

3. *Niſi faciat omnia Deus, aut ſuperbus eſt, aut imbecillis.*] Atqui vtrumque nefarium eſt, vt inquit ibidẽ. Agnouit itaque rerum omnium productionẽ ex nihilo à ſanctiſſimo Moyſe aſſertã, quam tantoperè impugnarũt plerique Gentiles Philoſophi, vt Zeno libro de Eſſentiâ, & alij, quos refert Laërtius lib. 7.

aſſerentes duo eſſe rerum omnium principia, agens ſcilicet, & patiens, ſiue Deum & materiam, ſine quâ nihil à Deo fieri poſſit; ſed falsè & imperitè: Nam

4. *Deus creaturam ſuam fecit ex nihilo.*] Eſt commune Patrum, ac Theologorum principium, ſumiturque ex S. Auguſtino l. ad Oroſium c. 2. (qui habetur Tomo 6. operum illius) Vbi, *Dum quæritur*, ait, *vnde creaturam ſuam fecerit Deus, quædam materies quæritur; ſicuti eſt fabro lignum, vel quodlibet corpus quod niſi habuerit, ea facere, quæ ab eius arte expetuntur, omninò non poterit: cum autem reſpondetur, ex nihilo, quid aliud reſpondetur, niſi nullam ei ſubiectam fuiſſe materiam, quam ipſe non fecerat, vt haberet, vnde faceret, ſi quid vellet, & quam niſi haberet, facere non valeret?* Rationem aſſignat paulò poſt: *Propterea creari aliquid de nihilo poteſt; quia voluntas creantis etiam ſine materiâ ſibi ſufficit.*

5. *Si ex aliquo Deus fecit omnia, non fecit omnia.*] S. Bernardus l. 5. de Conſid. c. 6. vbi, *Fruſtra*, ait, *Philoſophi materiam quærunt: non eguit materiâ Deus; non enim officinam quæſiuit, non artificem. Ipſe per ſe, & in ſe omnia fecit, vnde? de nihilo: Nam ſi ex aliquo fecit, illud non fecit, ac per hoc nec omnia.* Subtiliter ſanè & potenter. Nam ſi, vt lumine naturæ conſtat, Deus eſt effector omnium; Ergo etiam materiæ; ergo in quacunque effectione à ſe prodeunte non eguit materiâ; ergo materia non præiacuit diuinæ cuiuis operationi. Multos id fusè probantes refert Euſebius 7. præpar. c. 8. & alij.

6. *Quod eſt maximè Ens, cauſa eſt omnis Entis*, citari ſolet ex 2. Metaph. t. 4.] Vbi quidem in terminis nō habetur; ſatis tamen perſpicuè inde colligitur, vt animaduertit D. Thomas & Fonſeca in illum locum. Senſus itaque pronunciati eſt, Deum, qui maximè & per eſſentiam Ens eſt, eſſe cauſam omnū aliorum Entium,

Ente, non finalem modo, (quod Ariſtotelem ſenſiſſe manifeſtum eſt ex 12. Metaph. t. 28. & 52.) ſed etiam efficientem. Siquidem ex mente Ariſtotelis.

7. *Quæ habent cauſam finalem, habent etiam efficientem.* 2. Phyſ. t. 29. & 30.] Vnde etiam 2. Phyſ. t. 45. ridet antiquos, qui dicebant, animalia & plantas habere cauſam efficientem; cælum verò & alia diuiniora non habere: cum omnium eorum cauſa finalis ſit Deus. Neque verò his repugnat, quod ex mente Ariſtotelis mundus fuit ab æterno; quia etiam

8. *Deus eſt cauſa finalis rerum æternarum.* 12. Metaph. t. 28. & 52.] Cum autem ea, quæ cauſam finalem habent, etiam habeant efficientem, mundus quoque ſecundum Ariſtotelem à Deo productus eſſe (licet ſine nouitate eſſendi) cenſendus eſt. Id quod præclarè aſſeritur in libro de Mundo, ad Alexandrũ c. 7. initio, his verbis: *Vetus ſermo eſt, à maioribuſque proditus, inter omnes homines, vniuerſa tum ex Deo, tum per Deum conſtituta fuiſſe, atque coagmentata*: & paulò poſt; *Cunctorum, quæ rerum natura complectitur, cum ſeruator eſt Deus, tum verò quæcunque in hoc mundo quoquo modo perficiuntur, eorum omnium conditor eſt.* Hæc ibi vel Ariſtoteles, veliquiuis alius libri iſtius auctor. Idem eſt ſenſus illius:

9, *Ab hoc Ente omnibus deriuatum eſt eſſe & viuere.* Refert id Carthuſianus l. 2. de lumine Chriſtianæ Theoriæ c. 27. ex l. 1. de Cælo t. 100.] Sed non niſi obſcurè admodum & remotè inde colligi poteſt: Quinimò clarius contrarium doceri videtur eiuſdem libri t. 102. & 103. vbi abſolutè negat, mundum genitum eſſe, aitque fieri non poſſe, vt res etiam genita ſit, & nihilominus ſempiterna dicatur. Verum enimverò licet videatur Ariſtoteles, tum hoc loco, tum etiam alibi, certam de mundi productione, veritatem, vehementer labefactare conatus, aſſertâ,

omnique ſtudio comprobatâ, vt putauit, eius æternitate: in allegatis tamen modò de Deo rerum omnium auctore ſententijs, itemque in alijs quamplurimis, quæ paſſim à Philoſophis adduci ſolent, non obſcurè ſignificare videtur, ſe agnouiſſe Deum, tanquam mundi conditorem, ipſumque ſine nouitate eſſendi, vt loquũtur, ex neceſſitate naturæ eſſe productum. Itaque dicendum videtur, eum in hac re hæſiſſe dubium & perplexum.

10. *Deus eſt primum efficiens & vltimus finis rerum omnium.*] Eſt cõmune dictũ Philoſophorũ & Theologorum, deſumptũ ex locis Ariſtotelis citatis. Ratio eſt, quia per ipſum, tanquã primam & vniuerſalem cauſam efficientẽ; & propter ipſum tanquã cauſum finalẽ vltimatã facta ſunt & fiũt omnia. Vnde Apoc. c. 21. v. 6. & alibi de ſemetipſo pronũciat Dominus: *Ego ſum α & ω, initium & finis.* Quibus verbis declarat, ſe eſſe, qui omnibus rebus, per creationem, initiũ dedit, ijſdem & finem imponet, terminãdo curſũ huius ſæculi, & omnia inſtorum & electorum pia deſideria cõplendo & conſummando, vt ſit *Deus omnia in omnibus.* Eodem ſenſu à Platone dictum eſt:

11. *Deus complectitur principium, medium & finem omnium Entium.* l. 4. de legibus.] Vti enim de actione Demoſthenes, eam eloquẽtiæ primũ, ſecundũ, & tertium eſſe dixit, & D. Antonius eadem omnia diſcretioni tribuit inter virtutes ſpirituales; quia nimirũ in eo genere præſtantiſſima ſunt, ſine priori aut æquali: Et vti Theocritus in Encomio Ptolomæi, eũ, hominũ in numero primũ, vltimũ, & mediũ ponit, ſignificare volẽs, eum vnũ eſſe inſtar omnũ, & omnia prẽſtantẽ, quæ cæteri homines vniuerſi; ita abſolutè & quoad omnia abſque comparatione Deus principium dicitur, medium, & finis totius vniuerſi. Atque hinc deducunt Theologi, in 1. p. voluntatẽ diuinam,

vtpote, quæ ordinatiſſima eſt, ferri ſuâ naturâ in ipsũ Deum, tanquã in finẽ; in creaturas verò tanquam in media: *Vniuerſa* enim, *propter ſemetipſum operatus eſt Dominus.* Prouerb. 16. 14. de quo pluribus infra, Titulo *de Cauſa finali.*

12. *Omne Ens præter Deum eſt creatum à Deo.*] Iſtud vulgare dictum manifeſtum eſt ex dictis: quidquid eſt enim in hac rerum vniuerſitate, id vel Deus eſt æternus & infinitus, vel creaturæ Dei. Sumitur autem hic creandi ratio latè, pro quauis productione rei, vt patet ex terminis. Vide D. Auguſt. l. 12. Cõfeſſ. c. 8.

13. *Quidquid à Deo factum non eſt, vel eſt Deus, vel nihil.*] Eſt commune dictum Theologorum ac SS. Patrum, Iuſtini in expoſitione fidei. Cyrilli l. 1. in Ioan. c. 6. Auguſtini l. 1. de Trin. c. 6. *Fundatur* in hiſce verbis, Ioan. c. 1. *ſine ipſo factum eſt nihil.* Ex illo Suarez probat, Vniuerſalia & eſſentias rerum ante creationem nihil fuiſſe extra. De quo fuſiùs Titulo *de Eſſentiâ, & Vniuerſalibus.*

DISTINCTIO II.

De causâ primâ, vt eſt Gubernator in genere.

1. *Vnus eſt princeps ac gubernator Vniuerſi.*] Celebre iſtud axioma ponit Ariſtoteles 12. Metaph. c. 10. vbi id probat & demonſtrat huiuſmodi diſcurſu: Bonum Vniuerſi conſiſtit in debito ordine ſuarum partium, ita vt hoc bonum ſit quaſi intrinſecum, & inhærens ipſi Vniuerſo: atqui non poteſt poſſidere huiuſmodi bonum, niſi in eo ſit vnus aliquis Princeps ſupremus, & gubernator illius; quoniam, *Principatuum pluralitas non eſt bona.* Neque enim confert ad bonum regimen; ſed ad confuſionem

potius & ſeditionem, vt fuſiùs explicabitur, Titulo *de Prudentiâ gubernatrice.* Vnde etiam apes duces plures occidunt, ne principum multitudo ſeditionem excitet, vt habetur l. 9. de hiſtoriâ Animal. c. 4. At verò, *Entia nolunt malè gubernari*: Ergo neceſſarius eſt in vniuerſo vnus ſupremus Princeps & Gubernator. Ita ferè Suarez in locum Ariſtotelis citatum. Vide Hurtado diſ. 20. Metaph. n. 14.

2. *Deus eſt Princeps & Gubernator vniuerſi.*] Sumitur ex eodem capite, patetque per explicationem antecedentis. Idem pulchrè docetur lib. de Mundo c. 7. vbi dicitur, *Deus eſſe in mundo quod in naui gubernator, quod in curru agitator, quod in choro præcantor, quod in ciuitate lex, quod in exercitu Dux*, &c. Simili argumento veteres Patres, S. Cyprianus in Tract. de Idolorum vanitate, S. Iuſtinus in oratione Exhortat. S. Athanaſius in oratione aduerſus idola, quibus & Philo Iudæus adiungi poteſt, in libro de confuſione linguarum, probant vnum eſſe Deum, qui res omnes creatas regit & moderatur. Lege, ſi placet, Bellarminum l. 1. de Pontifice, cap. 2. 3. 4. Cæterum licet quædam Entia malè in hoc mundo videantur eſſe diſpoſita, vt ſunt, v. c. pleraque monſtra, & aliæ res à ſuâ ſpecie notabiliter degenerantes: id tamen non generali rerum omnium gubernatori Deo; ſed particulari cauſarum ſecundarum defectui adſcribēdum eſt. Quinimò abſolutè dici non debet, huiuſmodi entia malè eſſe diſpoſita: quamuis enim exorbitent à rectâ partium ſuarum conſtitutione, vel ſecundum locum, vel ſecundum virtutem, vel etiam ſecundum formam (quæ tria neceſſaria ſunt ad rectam partium inter ſe diſpoſitionem & ordinē, vt docet Ariſtoteles 5. Metaph. t. 19.) eorum tamen defectus facit ad pulchritudicem vniuerſi; quemadmodum vmbræ & atri colores augent venuſtatem

picturæ,& obſcuritas noctis amœnitatem lucis commendat. Lege, ſi placet, S. Auguſtinum l. 3. de Geneſi ad litteram c. 17.

3. *Deus eſt nobis Lex æterna.*] Deſumitur ex libri Mundo c. 7. iam citato, vbi dicitur Deus eſſe nobis, *Lex in omnem partem ad æquilibrium vergens, nullam correctionem admittens nullamque varietatem; cuius auſpicijs vniuerſus hic cæli* (& terræ) *ordo regitur & gubernatur.* Pro huius maiore explicatione Notandum eſt, Legem æternam ſumi dupliciter, 1° pro quauis regula practica neceſſariæ & æternæ veritatis, ad quam naturaliter obligamur; vt Deum eſſe colendum, Parentes honorandos, &c. 2° pro actu diuinæ mentis, quo iudicat, illas regulas ſeruandas eſſe à creatura, cum volũtate eam obligandi. Priore ſenſu dici poteſt, multas eſſe leges æternas: poſteriore verò ſolus Deus eſt nobis lex æterna, quæ nihil aliud eſt, quam *Ratio diuinæ mentis, ſecundũ quam dirigit omnium creaturarum motus & actiones in ſuum finem.* Vide D. Thomam 1.2. q. 93. a. 1.

4. *Mundus eſt liber & imago Dei.*] Vti ex quouis opere artificem, ex libro auctorem, ex picturâ Apellem, & ex vngue Leonem deprehendere licet, ita etiam ſupremus ille rerum omnium Opifex ac gubernator Deus ex hac rerum vniuerſitate agnoſci poteſt. Nam ex pulchritudine, magnitudine, & multitudine earum, & nihilominus ex mirâ varietate, perpetuâque ſtabilitate motuum cæleſtium ac ſublunarium mirum in modum Dei potentia, ſapientia, ac bonitas eluceſcit. Vnde, vt dicitur ad Rom. c. 1. *Inuiſibilia Dei à creatura mundi per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur*: Et, *Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum*, Pſal. 18. Quinimò nulla res creata, tàm apparet exigua, vt nõ ex eâ Creatoris magnitudinem liceat cognoſcere:

Mirabilis eſt moles cælorum, ſed non minus admirabilis eſt formatio & induſtria apum, aranearum, formicarum.

5. *Deus eſt anima mundi.* Sumitur ex 1. Metaph. c. 3. & ex l. de cauſis Prop. 18. & ex libro de Cælo.] Vbi ſimiliter omnes intelligentiæ vocantur animæ, nimirum per quãdam analogiam ſiue ſimilitudinem. Quemadmodum enim anima viuentis mouet & regit corpus; ſic intelligentiæ ſecundum Ariſtotelem mouẽt ac regunt ſuos orbes cæleſtes. Sic item Deus, vtpote primus & generaliſſimus motor, mouet, regit, & viuificat totum Vniuerſum, in quo per ipſum omnia ſunt ita compoſita & ordinata, vt eâ ratione à multis philoſophis animatum eſſe ac viuere iudicatum ſit, vt pulchrè diſputant Conimbricenſes l. 2. de Cæl. c. 1. q. 1. hac etiam de causâ Ariſtæas in hiſtoriâ de 70. Interpret. *Omnes*, ait, *homines, tametſi vario verborum cortice, vno tamen ſenſu Deum vocant ζῶνα; quâ voce ſignificant, eum eſſe, per quem omnia eſſe & ſuo modo viuere incipiunt.*

DISTINCTIO III.

De eadem vt eſt conſeruator & immutator.

1. *DEVS eſt cauſa cauſarum cuſtodiens & regens omnia.* Seneca ad Polybium de cõſolatione.] Indicantur hoc pronunciato præcipua opera quæ Deus exercet in creaturas: actus ſiquidem diuinæ potentiæ ad extra generatim ſunt duo, vt communiter docent Theologi, Creatio videlicet & Gubernatio: ad gubernationem ſpectant tres actus particulares, primus eſt conſeruatio rerum, cui opponitur annihilatio; ſecundus immutatio, quâ res perficiuntur, tertius cooperatio ſeu concurſus cum cauſis

Digitized by Google

ſecũdis. Per hos actus Deus cauſat, cuſtodit & gubernat omnia, vt diſtinctius videbitur ex ijs quę dicem⁹.

2. *A Deo dependet omne eſſe creaturæ.* Deſumitur ex 12. Metaph. c. 7. t. 38. in fine capitis.] Vbi Philoſophus inquit, *à primâ intelligentiâ* (id eſt à Deo) *dependere tam cælum, tum vniuerſam rerum naturam.* Senſus itaque Pronunciati eſt, totam rerum creaturum vniuerſitatem dependere à Deo, quoad omnem eſſendi modum, & non in fieri modo ſiue produci; verum etiam in conſeruari & perfici. Ratio eſt, quia omnis effectus, in quantum effectus, neceſſariò pendet à ſuâ cauſâ; atqui creaturæ omnes non ſolum quoad fieri; verum etiam quoad eſſe, conſeruari, & immutari ſunt effectus Dei: Ergo etiam quoad hæc omnia dependent à Deo. Minor probatur; quia omnes creaturæ quoad eſſe ſunt entia per participationem; Ergo etiam quoad permanentiam in eſſe, vel conſeruationem ſui eſſe pendent à Deo, vel enim permanentia in eſſe eſt aliquid ſuper ipſum eſſe, ex naturâ rei diſtinctum; vel eſt ipſum eſſe (& eadem eſt ratio de immutatione, & alio quolibet gubernationis modo) ſi prius, neceſſariò pendet à Deo; quia omne ens creatum pendet à Deo; ſi poſterius, etiam pendet à Deo; quia ipſum eſſe creaturæ pendet à Deo. Vt dictum eſt.

3. *Ceſſante actione conſeruatiuâ Dei, in nihilum abeunt Creaturæ.* Elicitur ex citato textu 38. l. 12. Met.] Ratio illius perſpicua fit ex dictis; quia vt in fieri, ita etiam in conſeruari pendent creaturæ eſſentialiter à Deo. Eſt enim conſeruatio rei nihil aliud, quam productio continuata, ſeu perſeuerans influxus eiuſdem eſſe, quod per productionem communicatum fuit: Sicuti è contrà annihilatio nihil aliud eſt, quàm ſubſtractio influxus diuini, quo conſeruabatur creatura. Similem huic ſentẽtiam adducit Carthuſianus

l. 2. de lumine Chriſtianæ Theoriæ c. 27. ex quâdam Epiſtolâ Ariſtotelis de primo principio, vbi refertur aſſerere, quod, *niſi indeficiens primi Entis communicabilitas, quæ ſemper in actu eſt, eſſe à ſe diffunderet, & conſeruaret, omnia in nihilum ruerent.*

4. *Diuinum omnium principium exiſtit, per quod ſunt & permanent vniuerſa.*] Ita ex Peripateticorũ Schola & diſcipulis Ariſtotelis nobiliſſimus Theophraſtus c. 1. ſuæ Metaphyſicæ, vbi pulchrè oſtendit, ſe in vniuerſi à Deo dependentiâ ſui Præceptoris inſiſtere veſtigijs, aitque, Deum eſſe cauſam omnium, non tantum quoad eſſe; ſed etiam quoad conſeruationem & permanentiam in eſſe.

5. *Mens omnia exornat, omniumque eſt cauſa.*] Iſtud Anaxagoræ pronunciatum apud Platonem in Phedone mirè commendat Socrates. Veluti autem præcedens axioma de Deo eſt, prout eſt prima cauſa & conſeruator; ita præſens de eodem pronunciatur, prout eſt prima cauſa & immutator, ſiue perfector. Etenim tali ordine & ornatu vniuerſam hanc mundi machinam æterna illa & infinita mens perfecit & illuſtrauit, ac etiamnum in hodiernum diem perficit & exornat, vt vel hoc ipſo Deus rerum omnium cauſa eſſe deprehendatur. Quoniam, vt verè Ariſtoteles pronunciat,

6. *Æquum non eſt ſummi momenti rem caſui tribuere.* 1. Metaph. c. 3.] *Itaque qui mentem, quemadmodum in animantibus, ſic in naturâ, cauſam tum mundi, tum etiam totius ordinis eſſe dixit is præ ſuperioribus temerè loquentibus.* (Priſcos intelligit Philoſophos Deum rerum omnium opificem minimè agnoſcentes) *quaſi ſobrius viſus eſt.* Qui loquendi modus tanto Philoſopho dignus eſt, & diligenter notandus, vt rectè inquit Suarez in hunc locum. In eandem ſententiam præclarè Tullius l. 2. de Nat. Deorum,

paulò poſt principium: *Quid poteſt eſſe tam apertum, tamque perſpicuum*, inquit, *cum cælum aſpeximus & cæleſtia contemplati ſumus, quam eſſe aliquod numen præſtantiſſimæ mentis, quo hæc reganiur*: Et libro 2. de Diuinatione, circa finem: *Eſſe præſtantem aliquam æternamque naturam, & eam ſuſpiciendam admirandamque hominum generi, pulchritudo mundi, ordoque rerum cæleſtium cogit confiteri.* Vide Hurtado diſp. 20. Metaph. ſect. 1.

DISTINCTIO IV.

De eâdem prout eſt cooperator.

1. *Omnis cauſa ſecunda eſſentialiter eſt ſubordinata cauſæ primæ.* Citari ſolet ex 2. Metaph. t. 5.] Vbi quidem in terminis non habetur; ſatis tamen commodè inde deducitur. Illius ratio eſt; quia omnis cauſa ſecunda eſſentialiter eſt ens per participationem; Ergo eſſentialiter, etiam in ſenſu formali, quatenus cauſa eſt, ſubordinatur Enti per Eſſentiam, id eſt, Deo, qui eſt cauſa prima. Quoniam

2. *In cauſis eſſentialiter ſubordinatis inferior non agit ſine ſuperiore.*] Eſt commune axioma Philoſophorum & Theologorum, quod vſurpat Hieronymus Faſolus in 1. p. q. 2. a. 3. dub. 7. omnis autem cauſa ſecunda eſſentialiter dependet à primâ, & ſubordinatur illi non in eſſendo tantum; ſed etiam in cauſando: nihil igitur poteſt agere, niſi dependenter à primâ. Ratio eſt; quia omnis creatura habet vim agendi neceſſariò commenſuratam & proportionatam ſuo eſſe: *quale enim eſt eſſe rei, tale etiam eſt poſſe & operari*, vt explicabitur infra, Titulo *de Potentiâ in genere*; ſed omne eſſe creaturæ eſſentialiter pen-

det à creatore: Ergo etiam illius operari; nam quemadmodum in ſuo eſſe eſt Ens per participationem, ita etiam in ſuo operari. Et ſecundum hunc ſenſum verè dictum eſt illud:

3. *Deus omnibus mundi partibus aſsiſtit cooperando.*] Philo Alexandrinus in libro, *Quod Mundus ſit incorruptibilis*, & ex illo Suarez d. 22. Metaph. ſect. 1. n. 14. Eſt itaque hæc ſubordinatio, ſiue dependentia à cauſâ primâ, de eſſentiâ cauſæ ſecundæ, non quidem hoc ſenſu, quaſi illa dependentia intrinſecè componat eſſentiã cauſæ ſecundæ; ſed quia hæc ex vi ſuæ eſſentiæ, ſiue naturæ illam requirit: Siquidem hæc prima ratio eſt diſtinguendi Ens creatum ab increato, quod illud habeat eſſe dependens ab alio, ſitque ens per participationem, & ſubordinatum alteri ſuperiori: hoc verò habeat eſſe ex ſe non receptum ab alio, ſitque ens per eſſentiam. Eodem ſenſu etiam dependentia in cauſando eſt de eſſentiâ creaturæ; hæc enim in cauſando ita pendet ab actuali concurſu entis increati, ſiue cauſæ primæ, vt nequidem per abſolutam Dei potentiam poſſit fieri creatura, quæ in cauſando ſit independens ab Ente increato, ſicuti non poteſt fieri independens in eſſendo, vnde neceſſariò & eſſentialiter; vt eſt apud Suarez ibidem, num. 8.

4. *Omnis actio cauſæ ſecundæ pendet ab actuali concurſu cauſæ primæ.*] Ratio eſt eadem; quia nimirum omnis actio cauſæ ſecundæ, & omnis effectus eſt creatura, & eſt ens per participationem eſſentialiter dependens ab ente per eſſentiam, ſiue à creatore, qui eſt cauſa prima; Et hoc ipſo intercedit perfecta & eſſentialis ſubordinatio inter cauſam primam ſeu independentem, & inter ſecundam, ſeu eſſentialiter dependentem. Neque hinc ſequitur, agentia creata non eſſe principalia in ſuo ordine; ſunt enim prin-

cipalia in ordine agentium particularium; ſicut Deus eſt principalis in ordine cauſæ vniuerſalis. Abſolutè igitur & vniuerſaliter:

5. *Nil ſine Deo.*] Subintellige, ſumus, poſſumus, aut efficimus. Ab illo ſiquidem, & per illum, & cum illo, creaturæ omnes ſuum habent eſſe, poſſe, & operari. Vana igitur eſt omnis mortalium induſtria, omniſque conatus, niſi animet Deus & adiuuet. In hanc ſent. n. iam rectè dictum eſt à S. Auguſtino l. 2. contra 2. Epiſtolas Pelag. c. 8. *Multa Deus facit in homine bona, quæ non facit homo: nulla verò facit homo, quæ non Deus facit, vt faciat homo.*

6. *Omnis creatura eſt in potentia obedientiali reſpectu Creatoris.*] Actiuâ videlicet & paſſiuâ, vt loquũtur Theologi, quorum hoc eſt commune axioma: Senſus illius eſt, omnem creaturam eſſe ſubiectã & ſubordinatam Deo ad obediendum illi in recipiendis & efficiendis quibuſcunque effectis, quæ non implicant contradictionem. Sequitur ex ante dictis, & ratio eſt, quia omnes creaturæ ſub pleno ſunt dominio Dei Creatoris. *Nonne* igitur *Deo ſubiecta erit anima mea* ! Pſal. 61. Vide Suarez d. 43. Metaph. ſect. 3. n. 6.

7. *Nullum agens creatum pendet eſſentialiter ab alio agente creato.*] Significat axioma, ſolum agens increatum, ſiue Deum eſſe, cui omnes cauſæ ſecundæ eſſentialiter ſubordinatæ ſint, iuxta ea, quæ diximus ad primum & ſecundum pronunciatum huius diſtinctionis. Hac de causâ licet Sol & cælum vocentur à Philoſophis cauſæ vniuerſales, eò quod cauſæ inferiores ab illis iuuentur & foueantur. Iuxta illud: *Sol & homo generant hominem*, & illud: *oportet hunc mundum ſubiectum eſſe ſupernis lationibus, vt inde omnis eius vis regatur.* 1. Meteor. c. 2. Non tamen hæc agentia ſublunaria eſſentialiter ab iſtis dependent,

nec huiuſmodi ſubordinatio eſt abſolutè neceſſaria & eſſentialis, cum aliunde vis illa & influxus cæleſtis poſſit ſuppeditari; ſaltem à Deo, qui *eminenter continet omnem efficientiam*, vt mox explicabitur. Vide Suarez, d. 26. Metaph. ſect. 5. n. 6. & ſeqq.

8. *Cauſa ſecunda non agit, niſi mota à primâ.*] Verus iſtius dicti vulgaris ſenſus eſt; non agit niſi mota, id eſt, non agit niſi dependenter à primâ causâ concurrente, vel niſi adiuta à primo agente cooperante: quo ſenſu etiam dixit Ariſtoteles, 8. Phyſ. tex. 45. *Proprium eſt primi motoris mouere non motum*, id eſt, agere independenter à ſuperiori causâ, vt fuſiùs explicabitur infra, Titulo *de Motu*. Intelligitur itaque non abſolutè de motione præuiâ; talis enim neque neceſſaria eſt, neque fit ordinario concurſu in actibus naturalibus; ſed etiam, & potius de motione intrinſecè cooperante ipſi actioni, quæ nihil aliud eſt, quam ipſa actio cauſæ ſecundæ, prout procedit à Deo. Eodem ſenſu intelligendus eſt auctor Theologiæ Ægyptiorum l. 3. c. 3. cum ait: *Ab Ente neceſſario omnes actiones manant, eiuſque nutu omnis poteſtas in actum excitatur.* Cæterum hoc & ſequentia pronunciata citari ſolent ex l. 8. Phyſic. c. 5. t. 45. & ſequentibus. Vſurpantur autem à D. Thoma 1. p. q. 105. ar. 5. A. Caietano 1. p. q. 14. a. 13. & q. 19. a. 8. & alibi paſſim.

9. *Cauſa ſecunda applicatur ad agendum à primâ.*] Senſus abſolutè & vniuerſaliter verus eſt; non agit, niſi concurrente primâ, per formalem ſcilicet ſeu actualem applicationem vel cooperationem: non autem eſt ſenſus, quaſi prima cauſa, per *prœuiam* applicationem, ſeu influxum in omnibus actionibus ſemper præmoueat ſecundam; alioqui ſequeretur, Deum excitare & mouere nos ad actiones malas, quod impium eſt, aſſerere. Lege Suarez diſp. 22.

Metaph. ſect. 2. num. 7.

10. *Cauſa ſecunda agit in virtute primæ.*] Senſus eſt, agit per virtutem initio acceptam à primâ, ſeu participatam à ſuperioti virtute, & dependenter ab actuali concurſu primæ cauſæ. *Virtus enim inferioris agentis*, [verba ſunt D. Thomæ l. 3. contra gent. c. 70.) *pendet ex virtute ſuperioris, in quantum ſuperior dat inferiori virtutem agendi, vel conſeruat eam.* Atque hac etiam de cauſa Deus appellatur, *Cauſa Primâ*; tametſi actione ſimultanea, & quoad rem planè eâdem cum cauſis ſecundis in effectus influat naturales. Vide, ſi placet, quæ diximus ad illud Axioma: *Omne quod mouetur ab alio mouetur*, Titulo 11. diſt. 7. Eodem ſenſu libro de cauſis dicitur, Propoſitione 16.

11. *Virtus diuina virtus eſt omnium cauſarum.*] Quia ſcilicet cauſas omnes ſecundas producit, conſeruat, & actu adiuuat in operando, in quam ſententiam auctor Theologiæ Ægyptiorum l. 5. cap. 5. *Agentia*, ait, *omnia, quæ primo inferiora ſunt, illo indigent, horumque actiones eiuſdem actionem deſiderant: ideoque omnia inferiora imperfecta, eorumque actiones imperfectæ; atque eâdem ratione omnia, quæ perfectionem aliquam poſſunt recipere, à primo agente eam recipiunt.* Simili modo explicatur iſta locutio:

12. *Prima cauſa facit, vt ſecunda faciat.*] Eſt enim hic ſenſus: prima cauſa eſt, à quâ, vt altiore, pendet ſecunda, & ſine cuius concurſu non operatur ſecunda. Sumpta videtur ex S. Auguſtino l. 2. contra 2. Epiſtolas Pelag. c. 8. Vbi non de omnium abſolutè; ſed bonorũ duntaxat operũ principijs agens: *Nulla*, inquit, *bona facit homo, quæ non facit Deus, vt faciat homo*; quamquam hoc loco S. Doctor non agit de generali concurſu Dei cum cauſis ſecundis, ſed de ſpeciali ordine gratiæ præuenientis ſeu excitantis,

quâ ſæpe Deus in Scripturâ facere dicitur, vt faciat homo. Lege, ſi placet, Suarez diſp. 22. Metaph. ſec. 2. num. 57. Cæterùm cum propoſitâ locutione (vt eam nuncupat Suarez) conſonat auctor Theologiæ Ægyptiorum, l. 5. c. 4. his verbis: *Ab agente principe omnia proficiſcuntur: ipſum verò à nemine principium habet, cauſarumque omnium auctor eſt.*

13. *Deo præeunte nullus officit obex.*] Monet hæc ſententia Platonis, aurigante Deo, nihil conatibus noſtris poſſe obſiſtere; proinde ab eo, tãquam primo rerum omnium principio & cooperatore noſtro, actionum omnium ſumendum eſſe auſpicium.

14. *Cauſa prima ſupplet, quod deficit cauſis ſecũdis.*] Ratio eſt; quia pertinet ad auctorem & prouiſorẽm naturæ, vt hoc modo concurrat & cooperetur cum agentibus imperfectis, & ſuppleat defectum cauſarum particularium. Sic Deus ſupplet influxum cauſæ principalis in generatione hominis, in quâ ipſe ſolus efficit animã; cum ſemen humanũ diſpoſitiuè ſolum concurrat, organizando materiam, vt docetur in libris de Animâ. Idem proportione certâ de alijs effectibus dicendum eſt, qui fiunt abſente cauſa principali: Etenim ordo naturæ requirit, vt vbi cauſæ ſecundæ deficiunt, ibi ſupplere incipiat cauſa prima. Vide Suarez d. 18. Metaph. ſect. 2.

15. *Quidquid Deus facit cum cauſâ ſecunda, poteſt facere ſe ſolo.*] Effatum iſtud Ochamus Quodlibeto 6. q. 6. vocat propoſitionem famoſam Theologorum, fundatam in primo Symboli articulo. Senſus illius eſt; cauſam primam poſſe, ſine actiuo cõcurſu cauſæ ſecundæ præſtare omne id, quod præſtat concurrendo cum illâ. Intelligitur itaque & verum eſt axioma in genere cauſæ efficientis, de effectu quolibet ſecũdum ſe, ſiue ſecundum entitatem ſuam abſolutè ſpectato. In quam ſententiam D. Thomas 1. p. q. 105.

by Google

in corpore inquit: *Erroneum eſt dicere Deum non poſſe facere per ſeipſum omnes determinatos effectus, qui fiunt per quãcũque cauſam creatã*: Non autẽ intelligi debet, quoad omnem modũ, ſeu conditionẽ ipſius effectûs; tametſi enim potuerit Deus ſe ſolo abſolutè producere, v. c. Alexandrum, quoad totam entitatem ſuam; tamẽ, quod Alexãder fuerit filius Philippi, hoc Deus ſine Philippo efficere non potuit. Item pleræque actiones vitales licet, ſecundũ pleroſque, à ſolo Deo produci poſſint, quoad ſuam entitatẽ; tamẽ quoad rationem vitalitatis non poſſunt: quâ etiam de cauſa locutio Angeli in corpore aſſũpto, non eſt actio vitalis.

16. Deus eſt primũ efficiens eminenter continens omnẽ efficientiam.] Eſt commune proloquiũ Philoſophorũ & Theologorũ, ex quo patet ratio, cur ſola cauſa prima, qui Deus eſt, ſufficiens principiũ ſit effectiuũ cuiuſlibet effectûs, quem producere ſolet cum cauſis ſecũdis; quia videlicet eminenter ſiue nobiliore modo cõtinet in ſe omnẽ vim effectiuã agentium creatorũ. Vide D. Thomã 1. p. q. 3. a. 8. Dixi autem, ſuperius axioma intelligendũ eſſe in genere cauſæ efficientis: nam in genere cauſæ materialis, vel formalis, vel etiã finalis, non procedit; quia Deus, cum ſit eſſentialiter finis vltimus rerũ omniũ, nõ poteſt per ſe habere rationẽ finis intermedij, ſicuti neque poteſt conſtituere compoſitũ phyſicũ ſine materiâ & formâ, nec poteſt præſtare effectum formalem ſine causâ formali, v. c. facere parietẽ albũ ſine albedine. Interuenit enim in iis dependẽtia omninò intrinſeca & eſſentialis inter causã & effectũ, aut neceſſaria cauſandi imperfectio. Quare verũ eſt vtrũq; axioma, quotieſcunq; non reperitur abſolutè, & per ſe aliud genus cauſæ intrinſecũ, quod per causã extrinſecã & perfectiſſimã ſupleri non poſſit, vt contingit in actibus vitalibus, in effectu formali & materiali; atque in finibus rerum creatarũ intermedijs. Lege, ſi placet, Vaſ. 1. 2. d. 9. n. 39

DISTINCTIO V.

Qualiter Deus operetur ad extra.

1. *DEVS operatur liberè extra ſe.*] Eſt commune effatum Theologorum ac Philoſophorum fidelium, contra impium Auerroëm, contra Ariſtotelem, & alios Gentiles. Senſus illius eſt, actiones Dei ad extra procedere, non ex neceſſitate naturæ; ſed liberâ ipſius volitione. Sumitur ex illo Epiſtolæ ad Epheſios c. 1. v. 11. *Operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ*; quibus verbis ſignificat Apoſtolus, Deum eſſe liberum, quoad opera, quæ dicuncuntur ad extra; Nam *Conſilium non eſt de neceſſarijs*, vt docet Ariſtoteles l. 1. de Interp. c. 8. Licet autem in Deo non ſit conſultatio, vt aiunt Theologi cum D. Ioanne Damaſceno l. 2. de Fide c. 21; eſt tamen in Deo iudicium certum de agendis, ſine inquiſitione, vt rectè notat D. Thomas 1. 2. q. 9. a. 1. ad 4. Porrò dixiſſe Paulum, *Secundum conſilium voluntatis ſuæ*, ad oſtendendam libertatem Dei. Sumitur ex Anſelmo, Hieronymo, & alijs, quibus conſonat Nyſſenus l. de Fato, c. vltimo, vbi inquit:

2. *Non eſt ſub neceſſitate Deus*, & addit ibidem: *Neque voluntatem eius neceſſitati ſeruire fas eſt dicere.*] Ratio à priori eſt; quia obiectum ad extra ex ſua naturâ indifferens eſt, & minimè eſt medium neceſſarium ad ipſum Deum, tanquam ad finem; alioqui Deus haberet neceſſitatem indigentiæ: Ergo voluntas Dei non poteſt determinari ab obiecto; Ergo à ſeipſâ determinatur; Ergo liberè: Antecedens eſt euidens; conſequentiæ ſunt certæ; quia neceſſitas, ſi non prouenit ab obiecto, prouenit ex neceſſitate naturæ

naturæ volentis; ſed quæ prouenit ex imperfectione naturæ, ne quidem eſt in homine, in quo eſt perfectio libertatis: ergo multò minus in Deo, in quo ſunt omnes perfectiones vel formaliter, vel eminenter. Ratio item à poſteriore eſt, quia vt rectè notat Caietanus, & alij Theologi ac Philoſophi.

3. *Si Deus ageret ad extra neceſſitate naturæ, produceret alterum Deum.*] Hoc autem implicat contradictionem; Ergo & id vnde ſequitur: Etenim licet Sol, v. c. agens ex neceſſitate naturæ non producat alium ſolem; ſed alias res inferiores: hoc tamen propterea fit; quia ſolis efficacia limitatur per materiam in quam agit, & quâ eget ad operandum, in eam autem non poteſt producere formam ſibi æqualem: At verò Deus ſecundum totam virtutem ſuam ageret, nec haberet quicquã, vnde limitaretur (cum per ſe ſolum, ſine vllo concurſu cauſæ ſecundæ, producere poſſit tam entia ſpiritualia, quam corporea) ac proinde æqualem Deum produceret, ſicut intra ſe æqualem filium generat. Debet autem intelligi propoſitũ axioma de actione Dei ſimpliciter & abſolutè in ſe ſpectatâ; quia fieri poteſt, vt Deus operetur ad extra, neceſſariò ex ſuppoſitione compoſitâ; quæ etiam neceſſitas conſequentiæ & conditionata dicitur: vt ſi Deus liberè aliquid promittat, ſequitur neceſſitas volendi implere promiſſum, ſine quâ impletione veritas dictorum eius & fidelitas conſtare nequit: verum huiuſmodi neceſſitas libertatem Dei non tollit, nec vllam imperfectionem inuoluit, cum ſupponat liberam determinationem Dei.

4. *Opera Trinitatis ad extra ſunt indiuiſa.*] Eſt commune axioma Theologorum, quo ſæpe vtuntur Patres & Concilia, præſertim Toletanum 6. & 11. vt notat Suarez de Trin. l. 4. c. 10. n. 5. De eodem pulchrè & ſubtiliter more ſuo diſcurrit M. Auguſtinus

l. 1. de Trin. c. 5. & ſeqq. Intelligitur autem & verum eſt, non ſolum ratione cuiuſlibet effectûs ad extra producti, qui ſemper neceſſariò procedit ab omnibus perſonis; ſed etiam ratione effectionis & principij agendi, quod eſt ſemper vnum & idem in omnibus perſonis; omnes ſiquidem perſonæ vti eſſentiam, ita omnipotentiam habent eandē plenè & abſolutè, id eſt, quoad omnes actiones illius. Et in hoc fundant Theologi præſens axioma. Vide, ſi placet, Suar. in 1. p. Tract. 1. l. 2. c. 12. n. 25. Toletum in c. 5. Ioannis, ad illa verba: *Pater meus vſque modò operatur, & ego operor.* Huic verò non obſtat, quod humanitas Chriſti, per vnionem hypoſtaticam depēdeat à ſolâ perſonâ ſecundâ, ſiue à Verbo in ſubſiſtendo; quo modo non pēdet à Patre vel Spiritu ſancto, quia hæc dependentia non pertinet ad aliquod genus cauſæ; quod in propoſito eſſet efficientis: omnis enim efficientia eſt per voluntatem & naturam diuinam; hæc verò dependentia formaliter terminatur ad ipſam relationem ſeu ſubſiſtentiam Verbi: non ergo, vt ad principium efficiens; ſed vt ad ſubſtantialem terminum intimè coniunctum illi naturæ. Ita Suarez tomo 1. in tertiam partem diſp. 8. ſect. 4. ad ſecundam confirmationem.

5. *Quam facile Deus intelligit ac vult, tam facilè operatur.*] Veritatem huius pronunciati non ſolum fides Chriſtiana docet; ſed etiam Gentiles Philoſophi aſſecuti vel ſuſpicati ſunt. Seneca l. 4. de Beneficijs, c. 7. & 8. eam inſinuat, vbi de inuicta Iouis virtute loquitur. Et Cicero l. 2. & 3. de Natura Deorum: *Nihil eſt*, inquit, *quod Deus efficere non poſſit, & quidem ſine labore vllo.* Pulchrè autem de eâdem diſcurrit S. Auguſtinus, Tractatu 15. in Ioannem ſub initium, vbi inter alia: *Quid ergo*, ait, *fortius illo, per quem ſine labore facta ſunt omnia?* Ratio eſt; quia adeſt

illi, cum voluerit, posse, vt ait Scriptura. Ad pleniorem autem huius axiomatis explicationem, sciendum est, ex D. Thomâ, & alijs, potentiam Dei secundum nostrum intelligendi modum subordinari scientiæ & voluntati Dei; illi quidem, vt dirigenti actionem; quia Deus rationabiliter operatur omnia: huic verò, vt mouenti & applicanti; quia Deus nihil, nisi voluntariè agit & liberè ad extra; ita quidem, vt quam facilè dictat intellectus, & voluntas efficaciter vult rem quampiam, tam facilè potentia exequatur. Cuius ratio est; quia potentia non distinguitur, nisi ratione ratiocinatâ ab intellectu & voluntate Diuinâ; &, vt loquitur Suarez, est ipsum esse Dei, prout per se efficax ad extra, tanquam principium principale & immediatum operis. De hac Dei in operando facilitate extat illud Hermetis:

6. *Placitum Dei necessitas sequitur, voluntatem comitatur effectus*, capite 4. Asclepij.] Nempe placitũ efficax, & voluntatem efficacem; hæc enim comitatur effectus necessariò necessitate consequentiæ, siue ex hypothesi, vt diximus paulò ante. Eodem spectat illud Philonis, libro de Sacrificio Abelis.

7. *Dictum & factum in Deo sunt idem.*] Quod etiã vsurpauit Pythias, apud Clementem Alexand. l. 6. Stromatum c. 1. circa medium, vbi additur ex Aristophane: *In Deo tantum valet mente agitare, atque agere*; & ex Parmenide: *Idem est Deo, intelligentiâ percipere, & esse*: Nempe intelligentiâ practicâ, & præeunte volitioni ac executioni. De cuiusmodi intellectione agit Irenæus, cum simili sensu dixit: *Vniuersorum Deus, simul, vt cogitauit, perficit id, quod cogitauit, & simul ac voluit, etiam cogitat hoc, quod voluit, tantum cogitans, cum vult, & tantum volens, cum cogitat*; Similia habet Cyrillus l. 4. in Ioan. c. 13.

DISTINCTIO VI.

De Perfectione effectuum diuinorum.

1. *DEVS ſemper congruè operatur ad fines rerum.* Sumitur ex l. 2. de Cælo t. 34.] Senſus illius eſt, Deum ſemper facere id, quod magis congruit fini, in quem res quæpiam ordinatur; omnia enim fortiter ſuauiterque ex ſuâ ſapientia, bonitate, ac potentiâ diſponit, eiuſque ſapientia ſemper conformis eſt voluntati, per quam operatur, & hęc ſimiliter illi, cumque illa iudicet, ſemper id magis eſſe eligẽdum, quod eſt melius, cum nihil extra Deum abſolutè ſit & ſimpliciter bonum, ac Deo neceſſarium; verè etiam id ex ijs melius fieri iudicat, quod diuinæ placuerit voluntati, vt docent Theologi. Et ſecundum hæc intelligendum eſt iſtud Philoſophi:

2. *Deus ſemper facit ex poſſibilibus id, quod eſt melius.*] Sumitur ex 8. Phyſic. t. 48. & verum eſt reſpectu finis illius, in quem res quælibet à Deo ordinatur, ſiue ille ſit bonum alicuius proprium, ſiue bonũ Vniuerſi; alioqui reſpectu termini, ad quem actio Dei terminatur, vel creaturæ quam creat, pręcisè ſecundum ſe in particulari ſpectatæ non debet intelligi pronunciatum, poſſet enim homini, v. ç. vel Angelo dare plura & maiora dona tũ naturalia, tum ſupernaturalia, quibus accidentaliter perficeretur: poſſet item rem quampiam, vt arborem, vel leonem, vel hominem conſtituere in altiori ordine naturæ; quòd licet fortaſſe rei illi melius foret, & optabilius: non tamen expediret ad generale bonum Vniuerſi. Exempli gratiâ, melius eſſet aſino eſſe Angelum, quã aſinum, vt inquit D. Thomas in qq. diſputatis, q. 3.

Digitized by Google

de Creatione, a. 3. hoc tamen non fit; quia non conuenit ordini & varietati huius vniuerſi. Quamobrem *Natura*, (& auctor Naturæ Deus) *quamcunque rem facit, aut quia neceſſaria eſt, aut propter melius*, vt docet Ariſtoteles 1. de gen. Animal. c. 4. Tametſi verò nihil commodi videatur accipere homo, v. c. per mutationem in Angelum; quia perderet ſuum eſſe, & totum commodum eſſet Angeli, in quem conuerteretur; cenſetur tamen à multis id illi melius; quia commodum perciperet in altero ſe, ſecundum æſtimationem moralem, idque iuſtiori titulo, quam cẽſeatur amicus in amico beatus. Atque hac de causâ homines aliquando deſiderant mutari in Angelos; ſicuti amicus deſiderat bonum amici cum ſuo malo, & ſicuti idem deſiderare poteſt ſibi bonum cum alio ſuo incommodo, vt conſtat experientiâ. Denique poſſet Deus plures rerum ſpecies creare, quibus ornaretur vniuerſum. Nam

3. *Deus ſemper poteſt facere meliora in infinitum.*] Eſt commune dictum Philoſophorum & Theologorũ, de quo videri poteſt Suarez, d. 30. Metaph. ſect. 17. n. 16. & ſeqq. Ratio illius eſt; quia creatura eſt participatio & imitatio diuinæ perfectionis; ſed nulla poteſt illam perfectiſſimo modo imitari; Ergo ſemper poteſt fieri gradus entium perfectior; Et plures rerum ſpecies creari poſſunt in infinitum. Atque hoc ſenſu verum etiam eſt iſtud:

4. *Plus Deus poteſt facere, quàm intellectus noſter intelligere.*] Quidquid enim intellectus humanus verè & per ſe cognoſcere poteſt, ac non fictitiè ſeu imaginariè, (quo modo concipi ſolent Entia impoſſibilia, vt chymeræ, &c.) id Deus omne, ac longè etiam plura, infinitâ ſuâ potentiâ efficere poteſt; Cum apud illum, *non ſit impoſſibile omne Verbum*, vt eit apud S. Lucam c. 1. v. 37. Vnde & Apoſtolus:

Potens eſt, inquit, *Deus omnia facere ſuperabundanter, quam intelligimus*, ad Epheſ. 3. 20. Neque enim intellectûs noſtri lumen eſt menſura ſeu regula obiecti poſſibilis vel repugnantis omnipotentiæ diuinæ, vt rectè Suatez, d. 30. Metaph. ſect. 17. n. 13. In hanc quoque ſententiam S. Auguſtinus l. 2. de Ciuitate Dei, inquit: *In rebus miris ſumma credendi ratio eſt omnipotentia Creatoris*. c. 7. initio, vti id variis naturæ miraculis declarat. Sunt nihilominus creaturæ quædam, quæ in certo genere fieri non poſſunt meliores, vt humanitas Chriſti, Beatiſſima Virgo Deipara, & viſio beatifica. Neque enim humanitas Chriſti vniri poteſt meliori Perſonæ; nec B. Virgo poteſt eſſe mater melioris filij; nec viſio beatifica poteſt eſſe circa nobilius obiectum, vt docet D. Thomas, & alij.

5. *Optimi eſt optimum agere.* Sumitur ex 4. Ethic. cap. 7.] Ratio illius eſt; quia ſicut ſe res habet ad eſſe, ita etiam ad operari, & modus operandi ſequitur modum eſſendi. Poteſt autem agens quodlibet dupliciter dici agere vt perfectum & optimum, primo ſi nunquam in agendo aberret; ſed ſemper bene efficiat, quod ſibi proponit efficiendum, vt vult; ſic agens optimum & perfectum contradiſtinguitur ijs agentibus imperfectis, quæ non poſſunt aſſequi opere id, quod mente vel imaginatione concipiunt ac proponunt efficiendũ. 2° vt ſemper faciat optimũ, quod fieri abſolutè poteſt, hoc poſteriori modo non poteſt dici Deus ſemper agere vt optimum; quia propriũ eſt agentis infiniti, nunquã in rebus creatis facere optimũ, quod poteſt: Quolibet enim dato poteſt facere melius & perfectius; cum eius potentia nullis finibus arctetur. Dicitur ergo Deus agere optimè priore modo, & hoc eſt perfectiſſimũ agendi genus, in agente libero, ſcil. efficere, id, quod libet, ſine er-

rore. Lege, si placet, quæ diximus supra, Titulo 11. *de Causâ Efficiente*, dist. 3. num. 3. & seqq.

6. *Deus necessariò se amat perfectissimè intensiuè, non extensiuè.*] Dictum hoc sano modo intelligendũ est de extensione purè obiectiuâ & causali, non verò de entitatiuâ & formali in ipsomet actu Dei, vt aliqui existimare videntur; hæc enim extensio æquè perfecta est in Deo atque intensio. At verò extensio obiectiua aut causalis, respectu creaturarum scilicet, potest esse minor; neque enim hęc vllã perfectionem addit ipsi Deo; sed creaturæ, in quã influit, & ad quã liberè terminatur actus Dei, vt patet ex dictis. Ac propterea ob hanc extensionẽ non potest dici perfectior actus Dei, etiã extensiuè, cũ perfectio eius nullo modo crescat aut multiplicetur. Nec sanè Deus perfectius se vult, vel amat, cum vult se esse & communicare creaturis, quam cum vult solum se esse; quia idem omninò est actus, quo vtroque modo se vult, & idẽ omninò bonum in se habet, vtroque modo se volendo; solũque ponit in creaturis aliquod bonũ, quãdo vult communicare se illis, seu esse finis illarum, quod non poneret, si absolutè solum se vellet.

7. *Opera Dei sunt perfecta.*] Est hoc diuinum sancti Spiritũs elogium, Deuteron. 32. v. 4. dictatum, & à Philosophis iuxta, Theologisq; frequenter vsurpari solitũ: duplici autem modo videtur posse intelligi, 1° Dei operationes in genere morum perfectissimas esse, eásq; omnem bonitatis rationem, quam aliquod opus bonũ requirere potest, cõtinere: rationes enim, quibus ad agendũ Deus mouetur, æternæ sũt, à lege æternâ, & intellectu infinito sapiẽtiæ lumine instructo manãtes; vnde nullus error in ijs, aut vitiũ contingere potest. 2° intelligi potest de effectibus & terminis operationis diuinę, & hoc modo oĩa Dei opera sunt etiam perfecta, siue ea considerentur quæ sunt

ad intra, ſiue quæ ad extra, (de quibus ſolis propriè intelligitur effatum, cum propriè ſint opera ſiue effectus Dei) ſingula in genere ſuo, id eſt ſpectata quoad finem, ob quem creata ſunt, & ad quem ordinata. *Omnia* enim *Deus fecit in numero, pondere & menſura*; & vt Geneſis primo dicitur, *Vidit Deus omnia, quæ fecerat, & erant valde bona.* Similiter; *Quidquid Deus hodie facit, ſiue peccata vindicet, ſiue diſſimulet, ſiue gratiam ſubtrahat electis, ſiue conferat: ſiue ventus ſit, ſiue pluuia, ſiue terræ fructus abundet ſiue pereat, pro illo tempore melius fieri non poſſet,* vt ait D. Thomas l. de diuinis moribus circa finem; *quia ex nimiâ caritate & benignitate, immensâ ſuâ ſapientiâ ſingula debito tempore operatur.* Vide, ſi placet, D. Thomam loco citato, vbi fuſiùs per inductionem præcipuorum operum Dei, elogium hoc explicat.

8. *Pulcherrima res mundus; opus enim Dei eſt.*] Thales Mileſius apud Laërtium. Prior huius effati pars vera eſt, iuxta explicationem præcedentis; poſteriore oſtendit Gentilis ille Philoſophus, Deum eſſe vniuerſi conditorem, vt de eodem teſtatur etiam M. Tullius, l. 1. de Naturâ Deorum, *Thales Mileſius*, inquit, *qui primus de talibus rebus quæſiuit, aquam dixit initium rerum; Deum autem eſſe eam mentem, quæ ex aquis cuncta fingeret.* Eadem repetit Lactantius lib. 1. cap. 5.

TITVLVS XIII.

De causâ Finali.

DISTINCTIO PRIMA.

Variæ Finium Diuiſiones.

1. FInis alius eſt *Cuius*, alius *Cui*. 2. de anima c. 4. Finis *Cuius* dicitur, cuius adipiſcendi gratia agens operatur; vel eſt id, quod per actionem acquiritur, vt ſanitas per curationem. Finis *Cui* eſt is, cui vel in cuius commodum prior finis acquiritur, vt æger.

2. Alius finis eſt ipſa actio, vt contemplatio (quia contemplationis non eſt alius finis, quam ipſamet contemplatio) alius eſt res producta, & permanens poſt actionem, vt domus, quæ fit per ædificationem. 1. Ethic. c. 1. & 1. Mag. moral. c. 3.

3. Alius finis eſt actionis, vt ædificationis finis eſt domus. Alius eſt rei factæ per actionem ſic finis domus eſt habitatio.

4. Alius eſt finis formalis, alius obiectiuus. Formalis eſt actio immanens, quæ verſatur circa obiectiuum. Obiectiuus eſt res, circa quam verſatur formalis. Sic viſio Dei eſt finis formalis, ſeu, Quo poſſidetur Deus, ipſe Deus eſt finis obiectiuus, Qui poſſidetur. Hi duo fines pendent à ſe mutuò, & ideo ex vtróque fit vnus totalis, vt Deus viſus.

5. Alius eſt finis obtinendus tantum, qui iam ante exiſtit in rerum natura; vt diuitiæ ſunt finis auari. Alius eſt etiam efficiendus per actionem agentis, vt ſanitas, colligitur ex 2. Phyſ. c. 3. & ex l. 5. Met. c. 2.

Digitized by Google

& lib. 12. tex. 36. & l. 2. de Cælo, t. 64.

6. Alius eſt finis rei ſecundum ſe, v. c. ſciẽtiæ, qui intrinſecus: alius rem tractantis, v. c. ſcientis, qui extrinſecus.

7. Finis alius eſt proximus, qui immediatè appetitur propter ſe: alius remotus, cui ſubordinatur finis proximus. Quod ſi in illo remoto ſiſtat intentio operantis, tum idem erit etiam finis vltimus.

8. Finis vltimus eſt duplex, vltimus ſimpliciter, & vltimus ſecundum quid. Finis vltimus ſimpliciter dicitur, ad quem homo ſe credit eſſè creatum, & cuius poſſeſſione putat ſe futurum beatum. Vltimus ſecundum quid dicitur, qui in aliqua actionum ſerie tanquam quid vltimum appetitur.

9. Finis *Cui* eſt quadruplex. Primus eſt partialis, vt conſeruatio ſui individui, aut ſpeciei; ſecũdus vniuerſalis, vt cõſeruatio totius vniuerſi; Tertius minus vniuerſalis, & eſt homo, propter quem factæ ſunt omnes creaturæ corporeæ; Quartus vniuerſaliſſimus & vltimus omnium, DEVS.

DISTINCTIO II.

De fine in ordine ad alia cauſarum genera.

1. *Finis eſt omnium cauſarum prima.*] Eſt commune pronunciatum Philoſophorum deſumptũ ex 2. Phyſ. t. 31. & 2. Met. t. 8. & alijs. Ratio illius eſt, quia in tota ſerie cauſarum finis eſt primum mouens & excitans cæteras cauſas ad ſuam cauſalitatẽ exercendam: hæ enim non cauſant, niſi propter finem, quia cum cauſa efficiens non niſi alicuius gratia operetur, neceſſariũ eſt, antequam agat, & materiæ formam inducat, moueri eam à fine, ſicque finis motio

omnium aliarum cauſarum cauſalitates antecedit. Et hoc ſenſu intelligi debet Commentator. 1. de anima t. 45. vbi ait : *Cauſas finales digniores eſſe in eſſentia cæteris omnibus cauſis.* Vide D. Thomam parte prima, qu. 5. art. 4. in Corpore, & 1. 2. qu. 1. a. 2. in Corpore.

2. *Finis eſt primum in intentione & vltimum in executione.*] Sic æger, v.c. volens recuperare ſanitatem, vocat medicum, ſumit potionem, &c. Sanitas eſt vltima in executione ; quia vltimum acquiritur ; prima verò in intentione, quia prius deſideratur ſanitas, quàm permoueatur homo ad vocandum medicum, potionem ſumendam, & cætera media adhibenda. Sumitur ex lib. 3. de anima, t. 49. & lib. 1. Mag. mor. cap. 19. Vbi ſub finem capitis docetur, finem non ſolum habere rationem finis ; ſed etiam principio aſſimilari. Explicatur hoc communi axiomate dictum præcedens; licet enim finis dicatur omnium cauſarũ prima : non tamen omni modo prima eſt ; ſed intentionaliter : nam in executione eſt vltima ; non quidem reſpectu omnium accidẽtium aut circunſtantiarum, quæ finem conſequi poſſunt; ſed reſpectu mediorum, quæ ordinantur ad finem, & hoc modo:

3. *Finis opponitur principio.* 3. Metaph. cap. 3.] Quatenus ſcilicet ſignificat extremum ſiue terminum motus aut cauſæ efficientis, quæ eſt prima in executione, vt docetur Titulo *de Cauſa Efficiente.* Finis enim eſt id, in quod definitur : principium verò id, à quo incipitur. Sumit autem hoc loco Ariſtoteles principium pro eo, *vnde motus oritur*, id eſt, pro cauſa efficiente, cui finis relatiuè opponitur, cum non ad media tantum, ſed ad efficiens quoque referatur. Cæterum finis dicitur primum in intentione, non quod cauſet ſecundum eſſe intentionale, vel apprehenſum, cauſat enim reuera

ſecundum eſſe reale, quod eſt actu, vel videtur eſſe actu: quamuis reuera non ſit, item quod eſt, vel poſſibile obtentu, vel videtur poſſibile, quamuis ſit impoſſibile; ſed dicitur ita, quia cauſa efficiens non operatur niſi ex intentione & cognitione finis, vel formali, ſi intellectu prædita ſit, vel materiali, ſi ſenſum duntaxat, habeat; vel denique per naturalem inclinationem dirigitur in finem ab auctore naturæ Deo cognitum, quæ inclinatio eſt inſtar intentionis, cum non habeatur niſi ex intentione ſuperioris agentis. Hæc verò intelligenda ſunt de fine *Cuius* gratia, & non neceſſariò de fine *Cui*, item de fine acquirendo reipſa per media, non de quouis bono, quod ſecundum ſe delectat, & ſimplici affectu voluntatis amatur. Cum enim hoc bonum non ſit opere ipſo acquirendum, nec formaliter ſortiatur rationem finis, non poteſt id in intentione & executione inuerſo ordine collocari. Vide Vaſquez in primã ſecundę, & 1. a. 1. ad primum. Vbi ea, quæ diximus, pluribus defendit contra aliquos Nominales.

4. *Finis eſt cauſa cauſarum.*] Deſumitur ex 2. Phyſ. loco citato, vbi Philoſophus dicit; *id, gratia cuius cætera fiunt, vltimum eſſe & finem cæterorum*; ac refertur à Commentatore in Epitome Metaphyſicę Tract. 3. intelligitur propriè de fine principali, qui cęteras cauſas ad cauſandum excitat, ac proinde cauſa eſt, cur ſuam cauſalitatem exerceant ipſę. Vnde in ſerie cauſarum iſta cauſalis vera eſt à priori: *Quia finis mouet, ideo cauſat agens*, ſiuè, efficiens agit (hoc enim non agit niſi propter finem) & conſequenter, quia propter finem efficiens agit, ideo materia recipit, ſiue patitur, & forma educitur, vel vnitur ad materiam.

5. *Finis eſt potiſſima cauſarum.*] Deſumitur ex Tract. ac verbis iam citatis, & ex primo Mag. mor

c. 19. vbi dicitur: *eius causa esse vnumquodque.* Intelligitur non in ratione entis; quia efficiens & finis sunt aliquando æque perfecta in genere Entis; cum videlicet sunt eiusdem rationis & ordinis, vel cum idem simul est finis & efficiens, vt Deus: Aliquando inæqualiter, cum vel finis est ens superius, vel efficiens: Sed intelligitur in ratione causandi; in hac enim finis excedit simpliciter; quia quemadmodum agere, quam agi præstantius est, ita in ordine agentium id excellit, quod mouet & nõ mouetur, quo pacto se habet finis in ordine ad alias causas; iuxta illud:

6. *Finis proprium est monere non moueri.* Sumitur ex 3. de anima, t. 54. & alijs.] Mouet siquidem finis cæteras causas ad causandum, vtpote prima omnium causarum: ipse verò, quatenus talis est, ab alijs non mouetur; alioquin idem esset, eodem respectu, prius altero & posterius: Mouet autem finis causam efficientem, & alias non physicè effectiuè; sed motione metaphorica, quæ procedit ab obiectiua bonitate finis actũ alliciente & trahente ad se appetitum agentis. Atque hac de causa Socrates apud Platonem in Phędone ait, quod *Solus finis nomen causæ mereatur, cum tota causa esset id, propter quod fit, & interrogationi propter quid res est aut fit, sola responsio per causam finalem satisfaciat:* Vbi moraliter potius, quam physicè loquitur Socrates, vt rectè notauit Suarez disp. 21. Met. sect. 3. n. 8. Etenim in moralibus finis habetur veluti sola & adæquata causandi ratio, non quod aliæ causæ nullam causandi vim obtineant, sed quia ex fine habeant, quod sint causæ, siuè, quia nullam causandi rationem habent, nisi propter finem.

7. *Finis in practicis respondet principijs in speculatiuis.* 2. Phys. t. 89.] Sensus est finem in operabilibus sese habere, vti principium & non vti conclu-

ſio ſe habet in ſpeculatiuis; quemadmodum enim intellectus per cognitionem principiorum inclinatur ad concluſionis cognitionem; ita voluntas propter intentionem finis mouetur ad electionem mediorum, & quemadmodum ratio ſpeculatiua vtitur diſcurſu in ſpeculatiuis, ita ratio practica vtitur quodam ſyllogiſmo in operabilibus, vt rectè notat D. Thomas 1. 2. q. 90. a. 1. in Corp. & alibi ex Ariſtotele 7. Eth. c. 3. Intelligitur itaque de principijs complexis ſcientiarum, quæ ſicuti ſunt cauſa, cur aſſentiamur concluſioni, in diſcurſu ſcientifico, ſic finis eſt cauſa, cur apprehendamus media in operatione; vt fuſiùs dicitur de principijs in genere, vbi explicatur conuertens huius propoſitionis.

8. *Principium in cognitione eſt finis in operatione*, &

9. *Principium operationis eſt finis in cognitione.* 6. Phyſ. T. commentatoris 89. & 7. Meta. T. Comment. 25.] Veritatem habet vtráque propoſitio in quauis operatione propter finem, eo ſenſu, quo dicitur, finis eſſe primum in intentione & vltimum in executione. Primo enim finis cognoſcitur, & operatione tandem per media acquiritur. Media verò quæ ſunt principium operationis poſt finem cognitum & intentum, inquiri, cognoſci, & apprehendi ſolent.

DISTINCTIO III.

De fine in ordine ad media generatim.

1. *Finis nobilior eſt ijs, quæ ſunt ad finem.* 1. Eth. cap. 1. & 2. Phyſ. t. 31. & 3. Top. c. 1.] Verum eſt de quolibet fine vt finis eſt, in ſenſu formali

ſiue reduplicatiuè; ſiue vltimus ille finis ſit, ſiue intermedius, ſiue principalis, ſiue minus principalis. Denique ſiue ille ſit finis, *Cuius* gratia aliquid ſit, ſiue finis *Cui*. Item verum eſt de medijs in ſenſu formali, prout media ſunt & ordinantur ad illum finem: hæc enim prout aſſumuntur ad conſecutionem alicuius tanquam finis, minus perfecta eſſe ipſo fine reſpectu ipſius appetentis, nullus hactenus dubitauit, vt ait Vaſquez 1.2. diſp. 8. n. 23. & ratio eſt: *propter quod unumquodque eſt tale, hoc ipſum magis eſt tale*; ſed propter finem media applicantur, ipſe enim per ſe appetitur: media verò propter ipſum, & ideo magis hoc ipſo amatur. Dixi intelligendum eſſe de fine, vt finis eſt in ſenſu formali, & reſpectu operantis: nam in ſenſu materiali, & ſecundum ſe non ſemper obtinet veritatem: ſæpè enim quiſpiam exercet actiones nobiliſſimas propter pecuniam vel hominum æſtimationem, qui fines à parte rei imperfectiores ſunt ijs, quæ ordinantur ad illos. Vide D. Thomam 2.2. q. 152. art. 5. in Corpore. Malè autem interpres axiomatum Venerabilis Bedæ, & ex illo Gratianus negant propoſitionem intelligi poſſe de fine *Cui*, eo quod homo ſit finis, *Cni* fruitio ſummi boni, id eſt, Dei Optimi Maximi quæritur: non enim qui diligunt DEVM, aut qui ſperant in illum, ordinant ipſum ad ſe tanquam ad finem; ſed amant ſibi beatitudinem tanquam ſubiectum, quod eſt amare coniunctionem ſui cum Deo, tanquam cum fine vltimo ſupernaturali, in quem ille actus tendit natura ſua, abſque vlla expreſſa relatione ſperantis. De qua re videri poteſt Bellarminus lib. 5. de Iuſtificatione c. 7. & ſequentibus, & Ægidius Regius de actibus ſupernaturalibus diſp. 19. dub. 6.

2. *Eorum, quæ ſunt ad finem, id nobilius eſt, quod ad finem ducit perfectius.* Sumitur ex Top. 3 cap. citato.]

Ratio illius perſpicua fit per explicationem præcedentis; quia ſicuti ſe habet ſimpliciter ad ſimpliciter, ita minus ad minus, & magis ad magis, & quod magis participat rationem & naturam alicuius, hoc etiam magis tale eſt cęteris paribus.

3. *Medium non appetitur niſi in ordine ad finem.*] Nempe ad finem vel vltimatum, vel illi ſubordinatum, qui reſpectu vltimi habere poteſt rationem medij, licet finis rationem habeat reſpectu illius medij, quod ad illum ordinatur. Eſt ſiquidem finis ratio volendi media, vnum medium & vltimo fini propinquius, poteſt eſſe ratio volendi medium remotius, ſicuti finis vltimus eſt reſpectu illius. Pro maiori tamen explicatione.

Notandum eſt 1°. omne medium, vt ſic, eſſe bonum quoddam vtile reſpectu finis illius, ob quem eligitur: In bono autē vtili duos eſſe reſpectus; vnus eſt ad rem, ad quam eſt vtile, vt v. c. reſpectus potionis ad ſanitatem. Alter eſt ad appetentem, vt reſpectus potionis ad hominem.

Notandum 2°. id, quod dicitur vtile reſpectu rei, ad quam vtile eſt, verè non dici bonum vtile; ſed potius connaturale: Ita potio, v. c. non dicitur bonum vtile ſanitati, ſed potius eſt bonum ipſi conueniens, & appetibile per ſe; quia ineſt potioni virtus quędam proportionata ſanitati, & hoc modo verum eſt, quod rei, quæ bonum vtile dicitur, inſit aliquid alteri per ſe conueniens. Si verò bonum vtile qua vtile conſideretur reſpectu illius, cui eſt vtile, nihil habet intrinſecum, cuius ratione ſit appetibile, vt ſi potio conſideretur, præciſo reſpectu, ad ſanitatem, ad quam eſt vtilis, nihil habet, quo conueniat homini: vnde ſi homo ſit ſanus, illam minimè deſiderat. Dixi, ſi conſideretur, quâ vtile, quia ſub alia ratione, id, quod dicitur bonum vtile, dici poteſt bonum honeſtum

neſtum & habere rationem finis. Sic amor Dei, v.c. qui eſt vtilis, in quantum ducit ad vitam æternam; honeſtus eſt, & per ſe appetibilis, quatenus conuenit per ſe homini. Iuxta hunc igitur ſenſum, quemadmodum bonum vtile qua vtile nihil habet intrinſecum, cuius ratione ſit appetibile, ita medium qua medium, non appetitur niſi in ordine ad finem.

4. *Voluntas mediorum vt ſic ſupponit voluntatem finis.* Sumitur ex 1. Ethic. c. 2. & 1. Mag. moral. c. 9.] Eſtque commune axioma morale, à Philoſophis iuxta Theologiſque receptum. Non enim alia eſt ratio volendi media, vt ſic, niſi voluntas finis, quia medium vt medium, habet rationem boni vtilis, & conſequenter rationem appetibilis habet tantum in ordine ad id, ad quod eſt vtile, id eſt, ad ſuum finem. Hinc etiam:

5. *Qui ordinatè incedit, prius intendit efficaciter finem, quam media.*] Ratio huius perſpicua ſit ex dictis; quia nimirum media non eliguntur, niſi propter finem prius efficaciter volitum & intentum. Pronunciatum hoc magnum habet vſum in materia de Prædeſtinatione. Qui enim docent, abſolutam electionem ad gloriam, non eſſe ex præuiſione meritorum, ſed ex mera Dei miſericordia, & liberalitate, adeóq; prædeſtinatione priorem, hoc axiomate fortiter probant ſuum intentum: DEVS enim, aiunt, agit ſeu procedit ordinatè: ergo prius efficaciter intendit finem, quam media; ergo etiam prius eligit ad gloriam, quæ eſt finis, quam ad gratiam, quæ eſt medium; Ergo etiam prius eligit ad gloriam, quam habeat præuiſionem meritorum, quæ à gratia pendent. Ita D. Thomas 1. par. q. 23. art. 4. Suarez lib. 1. de prædeſt. c. 8. n. 40. Bellarminus, Granadus, & alij.

DISTINCTIO IV.

De fine, prout media nobilitat & actus.

1. *Cuius finis bonus eſt, ipſum quoque eſt bonum.* [3. Top. c. 18.] Intelligitur abſolutè de fine rei, ſiue de fine intrinſeco, & verum eſt, tum in genere naturæ ſiue Entis; tum etiam in genere moris, vt notat Interpres axiomatum Bedæ. Primo enim quoad Entitatiuam ſiue naturalem bonitatem omne ens bonum eſt; quia finis illius intrinſecus & eſſentialis eſt Deus Optimus Maximus; Siquidem, *vniuerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus*. Prouer. c. 16. Secundo etiam quoad bonitatem moralem: Cuius finis bonus eſt moraliter, idipſum quoque moraliter cenſetur bonum, niſi aliqua circunſtantia vitietur, quæ eſt generalis limitatio huius pronunciati. Dixi, intelligendum eſſe de rei fine intrinſeco; ad quem videlicet per ſe illa veluti medium ordinatur, vt, v. c. virtus ad beatitudinem: nam in medijs per accidens locum non habet pronunciatum; non enim ſequitur ex eo, quod bona ſit ſanitas corporis, etiam bonam eſſe obrietatem, quæ poteſt eſſe cauſa illius, & medium per accidens: neque etiam ex eo, quod bonus ſit actus Eleemoſynæ, ſequitur eſſe licitum furari ad eiuſmodi actum exercendum, quia non eſt medium per ſe idoneum. Vide explicationem illius generalis axiomatis: *Quorum cauſæ bonæ ſunt, ipſa quoque ſunt bona*, &; *Cuius conditionis eſt cauſa, eiuſdem ſuo modo eſt effectus.*

2. *Finis coronat opus.*] Dicti illius Vulgaris veritas patet per explicationem præcedentis. Sicuti enim forma phyſica ſiue naturalis, in ſuo genere ſpecificat,

Digitized by Google

& perficit materiam primam; ſic cuiusvis operis finis ſuo etiam modo, ipſum opus ſpecificat, format & quaſi coronat. Actus enim, vt Philoſophi, aiunt, ſumunt ſuam ſpecificationem primam à termino ſiue fine, cum quo identificantur.

3. *Bona intentio minuit malitiam pravæ electionis.*] Eſt hoc dictum S. Auguſtini lib. de Mendacio, & refertur capitulo. *Primum*, & capitulo, *Mihi*, cauſa 22. quæſt. 2. Explicat id Auguſtinus ibidem exemplo Mendacij, docetque leuius eum peccare, qui mentitur ad ſaluandam vitam proximi, quam qui ex libidine aut alia cauſa parui momenti: ratio naturalis eſt, quia opus quodcunque factum ex alio fine, & volitum propter aliud, minus voluntarium eſt, quam ſi propter ſe fieret; vnde huiuſmodi mēdacia, v. c. quæ committuntur ad ſaluandā vitam proximi, vel alium quemcunque finem perhoneſtum (& eadem eſt ratio de alijs actibus malis) minus grauia cenſentur; quia in illis eſt maior cauſa incitans & impellens ad eiuſmodi actum exercendum, proindéque minus fit liberè, ſiue voluntariè; adeóque tam grauis poteſt eſſe cauſa motiua, vt actum, qui non ſit intrinſecè malus, omnino honeſtet. Vide Vaſquez in primam ſecundæ, diſp. 94. cap. 5.

4. *Ex duobus agentibus, cuius finis nobilior; id eſt præſtantius,*] Reduplicatiuè videlicet & formaliter, vt agens eſt, & cæteris paribus, eodem ſenſu, quo diximus, id eſſe bonum, Cuius bonus eſt finis. Sumitur ex 3. Top. c. 1. & 1. Eth. c. 1. Sic, v. c. nobilior eſt medicus animi, quam corporis. Simili modo: *ea actio eſt præſtantior, cuius finis eſt nobilior.* Sic, v. c. nobilius eſt in virtutum ſolidarum & perfectarum ſtudium incumbere, quam in doctrina, vel alijs occupari donis naturalibus & humanis. Huius enim ſtudij finis ex ſe longè, quam illius inferior eſt.

5. *Finis eſt optimum cuiuſque rei.* 2. Phyſ. t. 74.] Senſus huius vetus eſt idem, qui illius: *Finis nobilior eſt iis, quæ ducunt ad finem.* Dicitur enim finis cuiuſque rei optimum in comparatione omnium illorum, quæ ordinantur ad ipſum; quia cum finis propter ſe appetatur: alia verò propter finem, rectè ſequitur: finem vt ſic & in ſenſu formali nobiliſſimum eſſe omnium mediorum, quæ ſunt ad finem reſpectu videlicet operantis & ordinantis media ad finem, vt explicatum eſt propoſitione citata, atque hoc ſenſu intelligi debet Interpres axiomatum Venerabilis Bedæ. Tolctus in 2. Phyſ. t. 74. allegato, & alij in hunc locum: Nam ſi de fine intelligantur ſpecificatiuè, ſiue in ſenſu materiali, vt verba eorum ſonant, falſa erit illorum interpretatio, cum ſæpè res nobilior ordinetur ad aliam longè ignobiliorem. Vt v. c. ſcientia ad diuitias. Ratio eſt, quia finis ſolùm mouet metaphoricè, & ideo non oportet, vt vel formaliter, vel eminenter à parte rei, & ſecundum ſe contineat omnem perfectionem eorum, quæ ordinantur ad ipſum, ſed ſatis eſt, quod habeat aliquam rationem boni veram vel apparentem, ſub quæ propter ſe mouere poſſit appetitum: Quod ſi tamen ordo in finem ſit rectus & iuxta inſtitutionem naturæ, ſemper finis à parte rei perfectior erit re qualibet ordinata in ipſum, vt in finem primarium. Ita Suarez diſ. 26. Metaph. ſec. 1. n. 9. & ſequentibus. In quem ſenſum Themiſtius ad Textum 74. citatum ait: *Id cuique rei melius eſſe dicendum eſt, quod maximè ſit cuique naturæ congruum.* Itaque finis nobilior eſt iis, quæ ſunt ad finem, & eſt optimum cuiuſque rei, non reduplicatiuè modo, quod in omnium finium genere locum habeat; ſed etiam ſpecificatiuè, idque vel ſecundum ſe, ſi primarius ille ſit, & rectè & congruè ad re-

Digitized by Google

rum naturas ornetur, vt ait Suarez ſect. citata, n. 11; vel certè ſecundum iudicium operantis ſi talis ordo non ſeruetur.

6. *Bonum maius non ordinatur ad minus.*] Non poteſt rectè & congruè ad rerum naturas maius bonum referri ad conſecutionem minoris, ita vt minus bonum abſolutè præferatur maiori, ſiue vt ſit finis illius primarius: id enim inordinatum eſt, & rectæ rationi repugnat, vt patet ex ante-dictis: & hoc ſenſu vera eſt propoſitio: poteſt tamē rectè quiſpiam ordinare maius bonum ad obtinendū minus, ita vt hoc ſit finis illius proximus, aut ſecundarius; quomodo ordinatè quis vtitur arte, ſcientia & potentiis animæ ad comparandum honeſtum aliquod lucrum; Cum tamen hoc in ſe ſit bonum ignobilius, quam illa: Neque verò in hoc fit iniuria ipſi maiori bono, dum ſic ordinatur ad minus; quia non propterea priuatur ſua honeſtate, & quia vtrumque tandem tendit in finem vltimum, & quia ſæpe inferiora à ſuperioribus conuenienti ratione iuuātur, vt rectè obſeruat Ægidius Regius, diſp. 5. de Pœnit. diſt. 5. n. 41. & Suarez To. 4. in 3. d. 5. ſ. 2. n. 17. vbi ait, Deum etiam interdū ordinare bonum excellentioris ordinis ad bonum ordinis inferioris, quando vtrūque in gloriam ſuam cedit; quomodo ordinauit Incarnationem & Paſſionem Chriſti ad gloriam noſtram.

DISTINCTIO V.

Omnia fieri ob aliquem finem.

1. *OMne Ens à natura productum habet aliquem finē.* Sumitur ex 3. de Anima, t. 60. & aliis.] Senſus eſt, omne ens naturale ordinatum eſſe ad

aliquem determinatum finem à cauſis naturalibus, à quibus intentum eſt & productum. Patet inductione omnium omnino rerum creatarum. De his ſiquidem verum eſt & intelligitur pronunciatum: vel enim productæ ſunt ad conſeruandum vniuerſum, vel ad exornandum, vel ob aliam cauſam finalem. *Nam & noxia animantes aut pœnaliter lædunt, aut ſalubriter exercent, aut vtiliter probant, aut ignoranter docent*, vt inquit S. Auguſtinus, lib. 3. de Gen. ad litteram c. 17. & ratio eſt, quia:

2. *Deus & natura nihil agunt fruſtra.* 1. de Cælo, cap. 4. t. 32. & 3. de Anima t. 45. & alijs.] Etenim Deus eſt agens intellectuale perfectiſſimũ, quod neceſſariò in ſuis actionibus habet aliquem finem, alioquin imperfectum haberet modum operandi, vnde reſpectu Dei nihil fortuitum eſt aut caſuale; quia nihil euenit aut euenire poteſt, præter intentionem aut præſcientiam, aut præuiſionem illius. Per naturam autem intelligitur hîc ſeries cauſarum naturaliter agentium. Has vero nihil agere temere, vtpote quæ in agendo ſubordinatæ ſunt naturæ naturanti, id eſt, Deo, ſed omnia in ſuos fines ordinare probat Ariſtoteles 2. Phyſ. c. 8. ſex argumentis, & omnes philoſophi cum eo: Vltimum eorum eſt, quia ſi agentia naturalia non agunt propter finem, tollitur natura, quia tollitur motus. Sequela probatur: quia omnis motus ordinatus eſt ad certum terminum, ſiue finem; ergo ſi tollitur finis, tollitur etiam motus; ſublato autem motu, tollitur natura, quæ eſt principium motus. Atque hac de cauſa opus naturæ dicitur eſſe opus intelligentiæ, vt explicabitur Tit. *de Natura.* Hinc etiam perſpicua fit veritas axiomatis iſtius:

3. *Natura agit propter finem.* 2. Phyſ. c. 8. de illo loquens Commentator 2. Phyſ. c. 75.] Aſſeruit mul-

tum conferre ad cognitionem diuinæ prouidentiæ, quod videlicet palam sit, omnia creata tam ordinate & ingeniosè in suos fines dirigi. vt cum, v.c. primo fit semen, postea arbor, deinde folia, tum flores, tandem fructus, &c. cum plantæ radices agunt deorsum, vt è terra possint attrahere alimenta; producunt folia, frondes, clauiculas ad tegendos & continendos fructus, &c. Cum ingeniosissimè auicula cõstruit nidum ad fouendos pullos; aranea texit telam ad captandas muscas, &c. Atque hac de causa rectissimè Hippocrates, scripsit naturam esse eruditam, & arte ac iustè omnia peragere, vt obseruat Galenus lib. 9. de Decretis Hippocratis.

4. *Natura nihil patitur otiosum.* lib. 2. de part. Animal. c. 13.] Per naturam intelliguntur tum causæ naturales, quibuscum Deus operatur & non præbet superfluum concursum ad producẽdum aliquid, quod otiosum sit omnino aut frustra. Tum etiam intelligitur natura naturans, id est, DEVS, qui in hac mundi vniuersitate nihil omnino frustra, & otiosum esse patitur, sicut prudens & industrius Pater-familias curare solet, ne quid omninò domi suæ obtorpescat. Patet huius effati veritas inductione omnium entium naturalium. *Vnumquodque*, enim, *est propter suam operationem*, id est, propter suum officium, vt docet Aristoteles. Vnde etiam D. Augustinus malos homines ait esse vsui in mundo; nimirum vt exerceant bonos, & ipsos in virtute stabiliant, ac proinde DEVM in eorum productione fine intentionis suæ non carere. Ex quo etiam perspicuum fit particulam, *Frustra*, in superiore axiomate non modo sumi pro eo, quod temere fit sine causa, vel ratione, aut ad nullum vsum deseruiens, sed etiam pro eo, quod finem non consequitur, propter quem est institutum: neutro enim modo Deus & natura operantur frustra,

aut aliquid patiuntur otioſum, vt dictum eſt. Eadem de cauſa Theologi docent in materia de prædeſtinat. Diuinam Prouidentiam, licet non ſemper aſſequatur finem particularem, ſemper tamen aſſequi finem vniuerſalem, quem ipſa ſemper efficaciter intendit. Ratio eſt, quia exempli gratia homines, quibus Deus prouidit media ad ſalutem & finem ſuum particularem ſufficientia; vel benè ijs vtuntur medijs, & tunc aſſequitur Deus manifeſtationem alicuius ex attributis, nempe miſericordiæ & bonitatis: vel malè ijs vtuntur, ita vt damnare eos oporteat, & tunc etiam manifeſtatur aliquod ex attributis diuinis, ſcilicet iuſtitia, & ita conſequenter in omnibus alijs. Semper ergo Deus (& ipſa natura aſſequitur finem vniuerſale n?) de quo intelligitur illa Eccleſiæ oratio: *Deus, cuius prouidentia in ſui diſpoſitione non fallitur*, &c. Vide Suarez lib. 1. de Prædeſt. c. 18. n. 5. & lib. 2. de Auxiliis, c. 7. n. 18.

5. *Quidquid fit, fit ob aliquem finem.* Sumitur ex 7. Meta. c. 2. t. 59.] Vbi dicitur de ratione cauſæ agentis eſſe, vt reſpiciat finem, nimirum vel à Deo, vel ab agente creato, & particulari intentum; ſiue ille finis particularis ſit, qui non ſemper obtinetur ob varia, quæ intercurrere poſſunt impedimenta, ſiue ſit vniuerſalis, cuius aſſecutione nunquam fruſtratur, vt patet ex dictis. Omnes enim res agunt propter finem pro ſua quaque natura & diſpoſitione ſecundum quam naturali pondere in eum feruntur quo fit, vt cauſa efficiens & finalis à Philoſophis ſibi mutuo opponi, & correlatiua eſſe dicantur. Vide Conimb. 8. Phyſ. c. 2. t. 20.

6. *Omnis appetitio tendit in finem vltimum.*] Colligitur ex Ariſtotele 1. Eth. c. 7. Vbi ait, *omnia, quæ à nobis expetuntur, propter felicitatem expeti*: & ratio eſt; quia quidquid appetitur: nō niſi ſub ratione alicuius

boni appetitur; vel ergo eiuſmodi bonum eſt perfectū, & ita eſt vltimus finis; vel non eſt omnino perfectum, ſicque in ordine ad perfectum appetitur. Semper enim alicuius inchoatio ad perfectionē eiuſdem ordinatur, & imperfectū tam in moralibus, quā in naturalibus & artificialibus eſt inchoatio perfecti.

Nota, autem, tribus modis aliquid appeti poſſe propter finem 1° Formaliter. 2° Virtualiter. 3° Interpretatiuè. *Formaliter* aliquid appetitur propter finem, cum actualiter quis refert media ad finem. *Virtualiter*, cum quis operatur ex vi intentionis finis virtute remanentis. *Interpretatiuè*, denique vel habitualiter dicitur operari aliquis propter finem, cum vel exercet actionem, quæ ex natura ſua in illū finem refertur; vel ita eſt affectus erga illum finē, vt actionē quam exercet, licet ex natura ſua in illum non referatur; ſi de illo tamen cogitaret, facilè in illū referret.

Nota 2. Finis ſimpliciter vltimus dupliciter accipitur. Primo, in genere ſiue in communi, & eſt cumulus omniū bonorum, ac abſentia omnis mali ſatians hominis appetitum, non conſiderando, an ſit in hac vel illa materia in particulari. 2°. ſpeciatim ſiue in particulari, & eſt res illa particularis, cuius poſſeſſione redditur homo beatus: illa autem res ſecundum rectam rationē eſt Deus ipſe: Dicitur ergo omnis appetitio tēdere in finem vltimū; quia homo ſaltē habitualiter, ſiue interpretatiuè omnia ſua operatur propter finem vltimū in genere ſumptum: *Omne*, ſiquidem, *bonum partiale tendit ad complementum boni totalis*; ergo appetitio boni partialis videtur habitualiter procedere ab appetitione boni in genere: Cēſemur n. habitualiter vel interpretatiuè appętere partē propter totū. Dixi hominē omnia appetere propter finem vltimum in genere ſumptū, potius quam propter finem vltimum in particulari; quia nimirum ex

natura ſua, bona particularia ſiue vera, ſiue apparentia tantum referuntur ad cumulum omnium bonorum, non ita ad Deum, vt perſpicuum eſt in actibus peccaminoſis.

DISTINCTIO VI.

Omnia fine ſuo definiri, & in illo quieſcere.

1. [*IN finibus & mediis non datur proceſſus in infinitum*, Sumitur ex lib. 1. Eth. c. 1.] Vbi Philoſophus inquit: *Neque omnia ob aliud eligimus, in infinitum enim ſieret proceſſus, vanuſque & inanis appetitus noſter eſſet.* Explico & probo. In intentione finis non poteſt dari proceſſus in infinitum; ita vt vnus ſemper intendatur propter alium; ergo aſſignandus eſt aliquis vltimus. Antecedens probatur; quia fines per ſe ſubordinati in motione voluntatis pendent à ſe mutuo, ergo debet eſſe aliquis vltimus. Probatur conſequentia, quia ſi nullus ſit vltimus, non erit id, in cuius virtute debent cæteri mouere; nam illud eſt finis vltimus. Item in executione mediorum non poteſt dari progreſſus in infinitum à parte anteriore; aliàs nunquam inciperetur executio: Si enim verum eſſet, quod neq; ab hoc medio debeat inchoari executio, neque ab illo, & ſic in infinitum nunquam inciperetur executio, ergo neque in intentione finis poteſt dari progreſſus in infinitum; quia ſicuti ſe habet primum medium ad ſequentia in ordine executionis, ſic ſe habet finis vltimus ad fines ſubordinatos in motione voluntatis: quamuis enim in ordine executionis finis ille ſit vltimum: in ordine tamen intentionis, aut mouentis voluntatem eſt primum.

by Google

2. *Adepto fine cessat actio.* 1. de Generat. c. 7. t. 55.] Pronunciatum istud Aristotelis intelligendum est de actionibus, quibus finis quæritur, aut quoquo modo procuratur. Eæ namque post adeptionem finis superuacaneæ forent. Addit autem D. Thomas in quartum, distinct. 48. q. 2. a. 2. & ex illo Ferrariensis lib. 1. contra Gentes, c. 20. duo motuum, actionumvè genera reperiri; alios esse motus, quos sequitur finis, è quorum numero est deambulatio, quam bona valetudo sequitur; alios, quos ipse finis comitatur, quo pacto cęlestium corporum motus comitatur imitatio diuinæ naturæ in causando tanquam eorum finis. Ait ergo D. Thomas; motus prioris generis cessare præsente fine, posterioris non item. Cuius ratio est, quia isti ordinantur in finem, vt in terminum, hi verò vt sic nequaquam.

3. *Fine suo omnia definiuntur.* 3. Ethic. c. 7. circa medium.] Vbi ex illo probat finem viri fortis, qua talis est, esse honestatẽ fortitudinis; ac proinde eum illius causa subire & agere omnia, quæ ad ipsam fortitudinem pertinent, id est, ferre aduersa & metuere, & identidem confidere, quæ oportet, & gratia cuius oportet, & vt oportet, & quando oportet. Ratio huius perspicua fit ex ipsa finis etymologia: siue enim is accipiatur pro qualicunque desitione: vel termino rei, vt vulgarirer accipi solet, siue pro causa finali, quæ ab Aristotele 2. Phys. dicitur esse id, cuius gratia cætera fiunt, semper verum est dicere singula suo fine terminari.

4. *In fine consistunt & quiescunt entia.*] Sumitur ex eodem c. 7. & ex lib. 1. de Cælo c. 9. t. 100. in fine, vbi ait, *omnia quæ mouentur, quiescere cum venerint in proprium locum.* Pro explicatione

Notandum est, quietem dupliciter sumi. Primo pro mera priuatione motus præcedentis, vel cessa-

Digitized by Google

tione à motu. 2°. pro positiua & quieta possessione. Termini, ad quem consequendum res naturaliter ordinatur, & in cuius possessione finaliter conquiescit. De vtraque quiete verum est axioma. Primo enim entia non quiescunt priuatiuè à motu, nisi illo cessante; siue in fine aut termino eiusdem. Secundo etiam positiuè non quiescunt, nisi in possessione finis sui, siue termini vltimati; quia omne ens naturaliter appetit suam perfectionem, vt dicitur Titulo *de Perfecto*; atqui verò

5. *Vltima rei perfectio est sui finis consecutio.* Refertur à D. Thoma prima parte, q. 103. a. 1. in Corp.] Patet primo in naturalibus siue necessariis: Hæc enim naturali inclinatione, siue pondere semper agunt, donec assequantur suum finem seu terminũ, vt, v. c. lapis semper grauitando conatur ad suum centrum, in quo vltimato quiescit. Secundo. Patet in liberis siue intellectualibus: homo enim & intelligentiæ in nulla re creata, sed in solo rerum omnium creatore Deo extremè conquiescunt: Deus siquidem est vltimus finis rerum omnium, vt mox dicetur: vnde non minus verè quam piè D. August.

6. *Fecisti nos Domine ad te, & inquietum est cor nostrum, donec quiescat in te.* lib. 1. Confess. cap. 10.] In quam sententiam D. Cyprianus serm. de Ascensione Domini: *Conuertere*, ait, *ô homo ad eum, qui est requies tua, extra quem nihil est nisi tormentum, si Deum habes, quid amplius desideras? Si Deus est tuus, quid vltra quæris? Si Deus possessio tua est, quid deesse tibi poteris?* Et verò infinita Dei maiestas non nostro merito, sed mera sua bonitate creauit hominem ad imaginem & similitudinem suam, non vt ille vitam suam pro libitu instituere, sed vt Creatorem suum in hac mortali vita omni veneratione, ac laude afficeret, eique seruiens ad vitam æternam peueniret;

Digitized by Google

Ac licet sufficere potuisset, naturali duntaxat felicitate hominem beare; cum tamen Deus ad alium statum longè altiorem nobiliorémque eleuare voluit; nempe ad claram suæ essentiæ visionem, vt eadem, qua Angeli, imò qua summus ipse Deus beatitudine perfrueretur, iuxta illud: *Scimus, quoniam cum apparuerit, similes ipsi erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* Ioannis 1. 3. v. 2.

DISTINCTIO VII.

Præcipua finium genera.

1. *Homo est quodammodo finis omnium.* Sumitur ex 2. Phys. t. 24.] Vbi dicuntur nostri gratia esse omnia, siquidem ait Aristoteles: *Finis quoquo modo & nos sumus*, & ex 1. Polit. cap. 5. Vbi dicitur, *Conueniens esse vt omnia homini pareant.* Intelligitur itaque, & verum est hoc sensu: homo est finis minus vniuersalis omnium rerum corporearum: hæ enim propter hominem factæ sunt, quo facilius ille finem vltimum & vniuersalissimum, qui Deus est, consequeretur, idque tum ex singulari illius erga hominem beneficio; tum quia homo iure insitæ nobilitatis & eminentioris formæ prærogatiuâ, toti naturæ corporeæ dominatur: est enim naturæ lege comparatum, vt quæ inferiora sunt, superioribus suis, certo ordine subdantur, illisque subseruiant, iuxta illud:

2. *Deterius est semper gratiâ melioris.* Sumitur ex 1. Politicorum c. 5. iam citato. Sic forma elementi, quæ omnium despicatissima est, ad formam corporis mixti ordinatur; forma corporis mixti ad vegetatricem: vegetatrix ad sensus compotem;

Digitized by Google

hæc tandem ad animam rationalem, quæ omnium naturalium formarum numeros & perfectiones in ſe complectitur: Sic etiam

3. *Plantæ ſunt animalium cauſa.* Ibidē.] Nimirum, quia natura in omnibus ordinatè procedit, & nihil fruſtra: ac proinde partes vniuerſi ita diſpoſuit, vt ſemper inferiores proximè ſubſeruiant ſuis ſuperioribus. Sic item

4. *Cætera animalia ſunt cauſa hominum.* Ibidem.] Neque animalia modo, ſed omnia etiam animalibus ignobiliora, vt plantæ, mixta non viuentia, elementa, & vno verbo omnia, quæ viſibili hoc mundo cõtinentur, vt dictum eſt, & pulchrè oſtendit Cicero, lib. 1. de Legibus circa medium. *Itaque ad hominum commoditates*, ait, *& vſus tantam rerum vbertatem natura largita eſt, vt ea, quæ gignuntur donata conſulto nobis, non fortuito nata videantur, nec ſolum ea, quæ fœtibus ac baccis terræ fœtu profunduntur; ſed etiam pecudes, quod perſpicuũ ſit, partim eſſe ad vſum, partim ad fructum, partim ad veſcendũ procreatas.* Vide Leſſij diſputationem de ſtatu vitæ deligendo, §. 167.

5. *Vniuerſum eſt propter ſemetipſum.*] Iſtam Ariſtotelis ſententiam attingit, & ſequitur Marcus Tullius Cicero, lib. 2. de Natura Deorum, his verbis: *Vt clypei cauſa innoluerum, vagina autem gladij: ſic præter mundum cætera omnia aliarum rerum cauſa ſunt generata.* Quæ ſi ita intelligatur, vt mundus nullum ad extrinſecum finem, puta ad gloriam & laudem Conditoris ſui, productus eſſe dicatur, falſa eſt & erronea in fide: Voluit enim eius Architectus, vt per creatarum rerum vſum & contemplationem ad creatoris cognitionem, venerationem, atque amorem per quoſdam quaſi gradus aſcenderemus. Vt docet Apoſtolus ad Romanos c. 1. v. 30. Sin autem ſenſus ſit, vniuerſum eſſe quoddam totum ex pluri-

bus partibus constans, quarum singulæ sint propter actus & operationes suas, vt auris, v. g. ad auditionem, visus ad visionem, &c. omnia autem propter perfectionem totius, vt materia propter formam; partes enim habent rationem materiæ, totum verò formæ, sic rectè dicitur vniuersum esse propter semetipsum: Cum non sit pars alicuius totius, ad quod referri possit.

6. *Homo conditus est, vt sit Dei auctoris.*] Sumitur ex Apologetico D. Iustini, vbi ait: *hunc mundum non temerè conditum esse dicimus, sed generis hominum causa, ipsum verò hominem, vt sit Dei auctoris.* Idem fusiùs ostendit & probat Lactantius, lib. de ira Dei, c. 14. Sicuti mundum propter hominem machinatus est, inquiens, ita ipsum propter se tanquam Diuini templi antistitem spectatorem operum, rerumque cælestium. Solus enim homo est, qui sentiens, capáxque rationis intelligere possit Deum, qui opera eius admirari, virtutem potestatemque perspicere, idcirco namque consilio, mente, prudentia instructus est, ideo solus præter cæteras animantes rectus corpore ac statu factus est, vt ad contemplationem parentis sui excitatus esse videatur. Ideo sermonem accepit solus ac linguam cogitationis interpretem, vt enarrare maiestatem Domini sui possit. Denique ei cuncta subiecta sunt, vt factori atque artifici Deo esset ipse subiectus. Vide D. Thomam in secundū sent. distinct. 1. q. 1. a. 3. Vbi pulchrè ostendit, Angelos factos esse propter hominem, & è conuerso hominem propter Angelos.

7. *Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus.* Prouerb. 16. v. 4.] Sicuti enim ipse primum est principium rerum omnium & respectu eius causæ omnes principiaque in effectis numeranda sunt, vt Tit. *de Deo, vt est causa prima.* Ita etiam

8. *Deus eſt vltimus & vniuerſaliſſimus omnium finis*] Ad illum namque omnes alij fines referuntur & rationem mediorum induunt, quod pulchra gradatione oſtendit Apoſtolus 1. ad Corinth. c. 3. v. 22. *Omnia veſtra ſunt, ſiue vita, ſiue mors, ſiue præſentia, ſiue futura, omnia veſtra ſunt, vos autem Chriſti, Chriſtus autem Dei.* Ratio naturalis eſt, quia ſi datur aliqua ſubſtantia, quæ ſit prima cauſa efficiens, illa eadem non poteſt non eſſe vltimus finis, ſecundum diuerſas cauſandi rationes, in ſe eſſentialiter incluſas; quæ connexio euidens eſt ex eo, quod: *quidquid habet cauſam finalem, cauſam quoque efficientem habeat.* Nam cum finis ſit id, cuius gratia agens operatur, impoſſibile eſt, vt effectus finis non ſit etiam effectus alicuius efficientis. Ergo impoſſibile eſt, vt aliquid ſit primum agens, & ſit propter aliquem finem. Primum verò agens à nullo eſt factum; & quod non eſt ordinatum ad alium finem, eſt in ſeipſo ſummum bonum, atque omnium optimum & perfectiſſimum; ergo eſt præcipuus atque vltimus reliquorum omnium finis. Id, quod Priſcos etiam Philoſophos lumine naturali cognouiſſe rectè affirmat, Sotus in c. 1. ad Romanos, & patet ex plurimis illorum ſcriptis atque ſententiis, vt ex illo Callicratidis Pythagorici.

9. *Mundus ad vnum optimum dirigitur*, lib. de Felicitate familiarum apud Stobæum ſermone 85.] Cum enim ratio naturalis dictet, omnia eſſe propter aliquem finem, cumque non detur in finibus progreſſus in infinitum, vt docet Ariſtoteles 1. Eth. c. 1. & alij communiter: neceſſe eſt tandem ad finem aliquem vltimum & optimum rerum omnium deuenire; qui non eſt alius, quam Deus; iuxta illud:

10. *Vnum*

Digitized by Google

10. *Vnum optimum eſt Deus ipſe* : Callicratides ibidem.] Cum enim mundus corporeus ſit propter hominem, vt dictum eſt, & homo ſimiliter ſit propter DEVM, concludendum eſt demum, omnia eſſe propter DEVM. In alijs verò entibus creatis, quæ ſunt homine ſuperiora, eadem valet ratio, quæ in homine, vt oſtendatur ea quoque eſſe vltimate propter Deum.

DISTINCTIO VIII.

Finis cognitio homini neceſſaria.

1. *Finis cognitio vitæ humanæ eſt ordinatio.* Sumitur ex 1. Eth. c. 2.] Vbi cum planè confirmare vellet Ariſtoteles, cognitionem finis ad inſtituendam vitam, maximum habere momentum, in hunc modum locutus eſt. *Ecquid igitur ad vitam momenti plurimum in eius cognitione poſitum eſt, noſque ſi tanquam Sagittarij aliquid, quod ſpectemus, habeamus, nonne ita facilius, quid nos facere oporteat aſſequemur?* Mos ſiquidem Ariſtoteli eſt, vt ſæpe, quæ affirmare inſtituit, ea interrogando efferat, id quod illum hoc loco feciſſe perſpicuum eſt; quia nihil, quod in alterum dirigitur, rectè ordinari poteſt: niſi cognoſcatur illud, ad quod directio eſt inſtituenda, vt pulchro Sagittarij exemplo declarat ibidem Philoſophus; quo ante illum vſque fuit doctiſſimus Iſocrates in Epiſtola ad Iaſonis liberos, vbi finem initio conſtituendum eſſe docet, deinde ſingulas ad illum ordinandas actiones: atqui tota vita humana ordinari debet ad finem ſuum vltimum; ergo habenda eſt cognitio de vltimo & optimo fine humanæ vitæ, vtpote directio illius, ſiue ordinatio futura; quia ſem-

per. Vide Leſſium Præfatione *de Summo Bono.*

2. *Ratio eorum, quæ ſunt ad finem, ſumitur ab ipſo fine.* Elicitur ex eodem cap. & ex 3. Phyſ. t. Commentatoris 89.] Atque hac de cauſa neceſſariam eſſe finis noſtri cognitionem frequentiſſimè oſtendunt non modo Philoſophorum & Sanctorum Patrum ſententiæ; ſed ipſa etiam ſacræ Paginæ elogia, vt cum Eccleſiaſticus, c. 7. v. 4. ait: *In omnibus operibus tuis memorare noviſſima tua, & in æternum non peccabis.* Et Moyſes Deuteronomij 22. v. 29. *Vtinam ſaperent, & intelligerent, ac noviſſima prouiderent.* In quam ſententiam D. Bernardus Epiſtola 292. *Vtinam*, inquit, *ſaperes, quæ Dei ſunt, intelligeres quæ mundi ſunt, prouideres, quæ inferni ſunt; profectò horreres inferna, ſuperna appeteres, quæ ſunt mundi, contemneres.* Porrò finis cognitio dicitur eſſe vitæ humanæ ordinatio non formaliter; ſed formaliter & cauſatiuè; quia:

3. *Efficax volitio finis eſt implicita volitio medij neceſſarij.*] Eſt commune pronunciatum Philoſophorum, deſumptum ex l. 1. Ethic. c. 2. quo frequẽter vtitur Suarez, Vaſquez & alij. Ratio illius antẽ, quia efficax volitio nihil aliud hic eſſe intelligitur, quam vera intentio conſequendi finem: finis autem conſecutio dicit habitudinem neceſſariam ad media, per quæ comparandus eſt, & ſine quibus comparari non poteſt. Vt ſi quis, verbi cauſa, hodie Romæ exiſtens intendat poſt aliquod tempus eſſe Moguntiæ, neceſſe eſt, vt ſaltem implicitè eodem actu velit iter agere; quia finis ille habet neceſſariam connexionem cum hoc medio. Quod ſi non tantum intendat ire Moguntiam; ſed etiam commodè ſine corporis defatigatione, &c. talis intentio habebit connexionem non ſolum cum illo communi medio iter agendi, ſed etiam cum tali medio, nimirum vtendi

Digitized by Google

cutru aut equo. Si in ipso fine adiungatur circumstantia temporis, v. c. existendi post paucos dies Moguntiæ; necesse est, vtcum illius volitione, connexa sit saltem implicita volitio non solum iter agendi quouis modo, sed determinatè velociter festinandi. Sic qui seriò intendit assequi finem suum vltimum, siue vitam æternam, hoc ipso implicitè desiderat fugere & detestari peccata, Deo seruire & omnia media adhibere possidendo fini idonea.

4. *Qualis vnusquisque est, talis ei finis esse videtur.*] Vtitur hoc dicto, Valentia secunda secundæ, disp. 1. q. 1. Puncto 4. ad 3. & ex eo probat hominem, Temperantiæ virtute, v. c. præditum, benè & facilè iudicare de habitu temperantiæ, & conuenientia obiecti illius. Sumitur autem ex 3. Ethic c. 4. Vbi Philosophus ait: *Dicendum est simpliciter quidem & reuera, verum bonum esse affectabile voluntate, vnicuique verò id, quod vnicuique videtur: Studioso igitur, id est, affectabile voluntate, quod est verè bonum: vitioso verò, quidquid contigerit;* id est, prout ipse dispositus fuerit, vt egregiè ibidem Aristoteles ostendit ex diuersis affectibus eorum, qui sano & ægro sunt corpore: *Istis*, enim, ait, *salubria sunt & videntur ea, quæ verè talia sunt: his verò non ea ipsa; sed alia.* Atque hac de causa reprehendere solebat Anacharsis, quod certantibus artificibus, qui non essent opifices, iudicarent: contra vero, vt rectè Fabius inquit:

5. *Felices sunt artes, si de illis soli artifices iudicent.*] Significat igitur vtrumque pronunciatum, inclinationem & affectionem hominis, siue illa naturalis omnino sit, & congenita, siue consuetudine acquisita ac roborata, in causa esse, vt appetitus non solum sensitiuus, sed etiam rationalis,

fortius apprehendat, & voluntati proponat tãquam conueniens id, quod fortaſſis extra eam affectionem conſtituto minimè conueniens videretur, & contra, vt id videatur moleſtum ac difficile, quod alioqui facile eſſet ac delectabile. Atque hinc dici ſolet, quilibet iudicare, prout eſt affectus, vt explicabitur infra. Vide D. Thomam de veritate, q. 22. art. 9. Suarez l. 7. de Angelis, c. 6. n. 36.

6. *Imprudentis eſt finem intendere, & de medijs non cogitare.* Sumitur ex c. citato.] Ratio eſt; quia ſi quis finem aliquem definita voluntate conſequi ſtatuat, ignoratis & minimè conſideratis medijs, quibus ille comparari debeat, is certè vel inefficaciter illum intendit, vel exponit ſe periculo non aſſequendi finem intentum; adeoque talis intentio temeraria eſt, & imprudenter habita, ac repugnat conſilio Chriſti, Lucæ 14. *Quis ex vobis volens turrim adificare, non prius ſedens computat ſumptus, qui neceſſarij ſunt ad perficiendum, ne poſteaquam poſuerit fundamentum, & non potuerit perficere, omnes, qui vident, incipiant illudere ei dicentes: Quia hic homo cœpit adificare & non potuit conſummare.* Qua parabola Chriſtus ſignificat, rem arduam atque difficilem non ſegni cura; ſed omni ſtudio ac diligenti mediorum & circumſtantiarum omnium conſideratione ſuſcipiendam ne ab omnibus rideamur; ſi quod ſuſcepimus, perficere nequeamus. Sic Dauid templum Hieroſolymitanum per filium ædificaturus, prius ſedens ſumptus computauit, & maximas præparauit impenſas. Lege, ſi placet, Barradium in concordiâ Euangelicâ, tomo 2. l. 3. c. 12.

7. *Vita propoſito carens ſine inſignis ſtultitiæ eſt argumentum.* Ariſtoteles moral. Eudem. lib. 1. c. 1.] Cum imprudentis ſit finem intendere, non conſideratis medijs; vt iam dictum eſt: longè adhuc maio-

ris imprudentiæ & ſtultitiæ videtur, ne quidem finem ſibi vllum habere propoſitum, ſed pecudum ritu, temerè pretioſiſſimum vitæ tempus conſumere; vt non minus piè quam eruditè oſtendit Franciſcus Coſterus in aureo ſuo de quatuor nouiſſimis libello, & ratio eſt, quia à finis boni electione tota humanæ vitæ proſperitas dependet; cùm ratio eorum, quæ ſunt ad finem, ſumatur ab ipſo fine. Quare ſapientum conſilium eſt, vt quamprimum quiſpiam ex Ephobis excellerit, maturè deliberationem inſtituat de ſtatu vitæ deligendo, ne ſic currat quaſi in incertum, ſic pugnet quaſi aërem verberans; ſed ita vt comprehendat.

TITVLVS XIV.

De ijs, quæ præter intentionem eueniunt, & generatim de Caſu & Fortunâ.

1. CAſus & Fortuna dicuntur cauſare per accidens; quia non ſunt peculiares aliquæ cauſæ per ſe inſtitutæ ad effectum caſualem aut fortuitum, ſed ſunt quæuis cauſa efficiens creata, reſpectu effectûs, per accidens coniuncti cum effectu per ſe: hoc tamen diſcrimine, quod caſus ſit cauſa per accidens in ijs agentibus, quæ agunt ſine electione, vt ſunt bruta & inſenſibilia: Fortuna verò in ijs, quæ cum electione agunt, vt homo & Angelus; quamquam ſæpe latiùs vtriuſque ſignificatio extenditur, vt fiet ex dicendis perſpicuum.

DISTINCTIO PRIMA.

Quid ſit Fortuna & quam inſtabilis.

1. *Fortuna eſt præter rationem.*] Eſt commune dictum priſcorum Philoſophorum, quod refert & approbat Ariſtoteles 2. Phyſ. c. 5. t. 55. vbi illud ab alijs non inſcitè prolatum eſſe inquit: quippe cum ratio in his verſetur, quæ ratò eueniunt. Idem repetit l. 1. Rhetor. ad Theodec. c. 5. his verbis: *Verum eorum quoque bonorum, quę præter rationem accidunt, Fortuna eſt cauſa: vt ſi, cum cæteri fratres deformes ſint, ſolus pulcher ſit; vel ſi, cum cęteri theſaurum non viderint, ſolus aſpexerit; vel ſi, cum proximus ſagittâ interierit, is ne tactus quidem ſit,* &c. *Nam hęc omnia fortunatorum eſſe videntur.*

2. *Fortuna eſt volubilis.*] Fortunam ſaxi inſtar ſphærici ſiue globoſi volubilem eſſe perhibent Philoſophi, vt teſtatur auctor ad Herenn. l. 2. & Plinius l. 2. c. 7. Vbi: *Toto,* inquit, *mundo, & locis omnibus, omnibuſque horis, omnium vocibus Fortuna inuocatur, vna nominatur, vna accuſatur, vna agitur rea, vna cogitatur, ſola arguitur, & cum conuitijs colitur: Volubilis; à pleriſque verò & cæca etiam reputatur, vaga, inconſtans, incerta,* &c. Veritas huius paſſim aſtruitur in hiſtoriâ æquè ſacra & profana, patetque experientiâ quotidianâ. Siquidem quotidie videre licet Fortunã nihil ratione ac iudicio; ſed temerè & cæco quodam impetu ſua adminiſtrare, rerũ humanarũ aleam ſuſq; deque vertere, vagam eſſe & variã, & in ſolâ leuitate ac volubilitate conſtantem. Vide, ſi placet, Lactantium l. 3. c. 28. & 29. vbi *Fortunum* Deum à Philoſophis dictum, quem vulgus Fortunam nominabat, refert, & latè ac doctè refutat.

Digitized by Google

3. *Omnium rerum eſt viciſſitudo.* Terentius in Eunucho.] Senſus proloquij huius vulgaris eſt; in rebus mortalium nihil eſſe perpetuum; ſed omnia velut æſtuario quodam fluxu refluxúque decedere atque accedere. Variæ enim ſunt & verſatiles fortunæ inclinationes, & cuique nunc læta eueniunt, nunc triſtia. Quo pertinet illud Boëtij de Conſolat. prosâ 2. *Hunc continuum ludum ludimus, rotam volubili orbe verſamus: infima ſummis, ſumma infimis permutare gaudemus.* Et illud Poëtæ:

Nunc pluit, & claro nunc Iuppiter æthere fulget.

ὁ Ζεὺς ἄλλοτε μὲν πόλει αἴθριος, ἄλλοτε δ' ὗει.

Eadem eſt doctrina iſtius:

4. *Multa cadunt inter calicem ſupremáque labra.*] Significat enim, nihil in rebus humanis, tam certum eſſe, & vicinum ſuo termino, quod non Fortunæ mutabilitati ſubiaceat. Nam & in portu ſæpe homines naufragium faciunt, & feliciſſimi proceſſus præcipiti fortunæ obſultu à termino repelluntur, & vt loquũtur Philoſophi, *Plurima ſunt quodammodo in fieri quæ nunquam perueniunt ad factum eſſe.*

5. *Magna ſeruitus eſt magna Fortuna.* Seneca Conſolatione ad Polybium c. 26.] Vbi Polybio potẽtiâ & auctoritate apud Cæſarem florenti, multa non licere docet, quę humillimis & in angulo poſitis licẽt: nec enim poſſe illum, à tumultũ rerũ in otium ruris, gratiâ quietis confugere, aut aſſiduâ laborioſi officij ſtatione fatigatũ corpus volũtariâ peregrinatione recreare; imò ne ſomnũ quidẽ in partem diei liberè extẽdere: Eſſe audienda tot hominũ millia, tot libellos diſponẽdos, &c. ratio horũ vel ex eo peti poteſt; quia

6. *Quantò maior eſt fortuna, tantò minus eſt ſecura.* Sumitur ex 8. Ethic. cap. 1.] Vbi eò magis periculis ſubiacere hominem docet Philoſophus, quò magis proſperitate abundat: ac proinde tali maximè

opus eſſe amicis; vtpote ſine quibus res illius proſperæ ſeruari & cuſtodiri neutiquam poſſint. Huc pertinet iſtud Plinij lib. 9. c. 11. *Vti in rerum naturâ, quæ ſpectatiſſimè florent, celerrimè marceſcunt; veluti roſæ, lilia, violæ, cum alia durent; ita in hominum vitâ, quæ florentiſſima ſunt, citiſſimè vertuntur in diuerſum.*

DISTINCTIO II.

Quam ignota Fortuna ſit, & quamdubiè cauſet.

1. *Fortuna eſt occulta hominibus.* 2. Phyſ. c. 5. t. 53.] Ratio eſt; quia cum fortuna non ſit cauſa per ſe, ſed per accidens, quæ varia eſt ac incerta, & effectus fortuitus pluribus modis accidere poteſt, vt ibidem rectè notat Ariſtoteles fit vt talis cauſa, talisque effectus hominibus, vt plurimum ſit occultus: contingere enim ſolet præter intentionem. Vnde rectè ad Dolabellam Cicero ſcribit:

2. *Fortunam nemo omninò vitare poteſt.* l. 9. Epiſt. familiarium.] Quia nempe dubia eius diſcrimina non ſatis perſpici ab hominibus & dignoſci, ac prouideri poſſunt; cum etiam aduerſa ex ſecundis, & ſecunda ab aduerſis naſcantur. *Occultat enim vtrorumque ſemina Deus, & plerumque bonorum malorumque cauſæ, ſub diuerſa ſpecie latent*, vt inquit Plinius in Panegyrico Traiani.

3. *Cauſæ per accidens ſunt infinitæ.* 2. Phyſ. cap. & tex. citatis.] Senſus eſt, euentus fortuitos, & eorum cauſas indeterminatas eſſe & varias, vt perſpicuum eſt ex paraphraſi dicti præcedentis. Hanc etiam ob cauſam rectè ab alijs enunciatum eſſe Philoſophus dicit:

4. *Fortuna eſt cauſa & non cauſa.* 2. Phyſ. t. 54.] Eſt ſiquidem cauſa per accidens; ſiue ex accidenti, vt eſt Architectus Tibicen, reſpectu domus; & non eſt cauſa per ſe ac definita, vt eſt profectio in forum, collata cum intentione illius, qui pecuniam debet, quæ profectio ob multas & varias cauſas fieri potuit. Iuxta hunc ſenſum etiam verum eſt iſtud:

5. *Quæ per accidens eueniunt, non habent cauſam.*] Sumitur ex eodem Textu; licet enim omnis effectus neceſſario habeat aliquam cauſam: ea tamen quæ contingunt fortuitò, & per accidens, dicuntur carere cauſis; quia nimirum non habent certam & determinatam cauſam in phyſicis: in moralibus autem idcircò etiam dicuntur non habere cauſas; quia ea non imputantur ad culpam, quæ per accidens & omnino præter intentionem hominis eueniũt, iuxta illud iuridicum: *Nemini caſus, ſed culpa eſt imputanda.*

6. *Quæ fiunt ſemper aut plerumque non fiunt caſu.* 2. Phyſ. c. 8.] Ratio eſt; quia vt ibidem docet Ariſtoteles, & cap. 5. in huiuſmodi verſatur ratio; fortuna autem eſt præter rationem: Hinc probat Ariſtoteles, Naturam non agere caſu aut fortuito, quia agit ſemper eodem modo, ex intentione finis determinati: At verò quæ fiunt caſu ea & rara ſunt, & varia, & contingunt præter intentionem finis, vt docetur 2. Phyſ. c. 5. t. 55.

7. *Caſus vbique valet.*] Sumitur ex locis citatis, & ſenſus eſt, caſum habere locum, & ſubinde contingere, tum in omnibus rebus naturalibus & moralibus, tum etiam in artificialibus; ſiue in ijs quæ artificioſo ſtudio elaborantur. Et in naturalibus quidem ac moralibus nulla paſſim occurrunt exempla: In artificialibus duo quam ſimillima à ſcriptoribus celebrantur, quæ commemorat Plinius lib. 35. Naturalis hiſtoriæ c. 10. Sunt & alia de his complura

quæ quia nec Philoſophorum pronunciata, nec doctrinales ſententiæ ſunt, ideo hic ea conſulto prætermimus.

DISTINCTIO III.

Virtutem eſſe fortuna potiorem, & cum hac coniungendam.

1. *Præſtantius eſt rem laude dignam virtute & labore quam fortuito acquirere.* Ita Ariſtoteles 1. Eth. c. 9.] Vbi docet felicitatem non caſu vel fortuito obtingere; ſed exercitatione comparari; quia ille conſequendi modus nobilior eſt. Hinc aliqui deducunt, eos eſſe honore & laude digniores, qui propria virtute gradum aliquem dignitatis, vel nobilitatis promeruerunt & acquiſierunt; quam qui ſolis maiorum titulis vanè gloriantur; etſi enim maiores ſua virtute tale ſibi nomen pepererint: illud tamen filijs ac nepotibus, præcipuè ſi degeneres ſint, obuenire videtur quaſi fortuito. Poteſt enim ex caſa vir generoſus exire, & ex palatio ignauus.

2. *Ingenuorum eſt non caſibus, ſed arte vincere.* Siue vt alij proponunt: *Nihil agere caſu ſed omnia ordinatè.* Sumitur ex 12. Meta. t. 52.] Vbi Philoſophus ait, filios nihil debere facere caſu ſed omnia ordinatè: ſeruos verò & beſtias multa agere & ad bonum commune pauca. Eſt autem duplex rerum ordinatio. Prior eſt earum inter ſe, non habita ratione finis; qualis eſt, quam partes domus, v. c. vel alterius cuiuſcunque artificiati, vel etiam corpora ſimplicia inter ſe habent; dum vnum eſt in ſummo, alterum in imo, &c. Poſterior eſt rerum in ſuos fines, ad quos veluti media diriguntur. De priore

Digitized by Google

verum eſt quidem pronunciatum ; præcipuè tamen intelligitur de poſteriore, quæ eſt actus virtutis prouidentiæ, ad quam ſpectat nihil agere temerè, aut præcipitanter, vel improuidè, ſed cuncta in ſuos fines ordinare, maturo conſilio & diſcretione.

3. *Vbi eſt ratio plurima, ibi fortunæ eſt minimum.* li. 2. magnorum moral. c. 8.] Senſus verus eſt, quo maiori cum ratione & deliberatione vir prudens in operando procedit, eo minus effectus eius eſſe fortuitos, & pauciora ipſi accidere præter intentionem. Vnde rectè ait auctor ad Herennium l. 4. *Ei non multum poteſt obeſſe fortuna, qui ſibi firmius in virtute quam in caſu præſidium collocauit* : Etenim vt grando illiſa tectis diſſultat, magno quidem fragore : verum nulla noxa ; Sic inſultus fortunæ nihil poteſt in animum ſapientis. Eodem ſenſu verum eſt iſtud :

4. *Qui ſecundos amat euentus, dimicet arte non caſu.* Vegetius libro 3. in Præfatione.] Ratio huius eſt, quia nimirum, qui caſu dimicat, Andabatarum potius, quam boni militis fungitur officio: nullo autem certo fine propoſito, quis bonus ſperetur euentus ? Cæterum quod hîc de dimicatione dicitur, idem in omni exercitiorum genere locum habet.

5. *Præſens fortuna boni eſt conſulenda.*] Admonet effatum non eſſe rectæ rationi conſentaneum, vt ſe fatiget & maceret homo, rerum inanium & alienarum cupiditatibus, ſed quæcunque contigerit ſors, eam eſſe veluti optimam illius temporis amplectendam. *Quemadmodum enim boni artificis eſt, ex quauis materia fingere ſimulacrum*, vt inquit Seneca, *ita ſapientis eſt, quamuis fortunam ſapienter adminiſtrare.* Monet item, vt ne negligentes ſimus, ſi aliquis

secundæ fortunæ flatus aspiret: quia volucris omnino est & instabilis, & vt vulgo dicitur: *Fronte capillata post est occasio calua.*

6. *Ad nouos casus temporum nouæ consiliorum rationes sunt accommodandæ.*] Istud morale pronũciatum doctè & eleganter pertractat Cicero oratione pro lege Manilia in refutatione Catuli oratoris, vbi hoc ipso populum Romanum laudat, quod temporis rationem habere, & nouis casibus noua consilia accommodare sit solitus. Ratio pronunciati est; quia ita felicius importunis fortunæ motibus obuiã itur. Sumitur autem tum in hac tum in alijs propositionibus nomen casus & fortunæ latè, provt se mutuò, & effectum quemcunque fortuitum, seu casualem comprehendunt.

DISTINCTIO IV.

Euentus fortuitos diuinæ subesse voluntati.

1. *Omnis causa per accidens reducitur ad aliquam causam per se.* Sumitur ex 2. Phys. tex. 66.] Vbi Philosophus ait; *Nihil eorum, quæ sunt per accidens prius est hisce, quæ sunt per se, quare neque per accidens, causa per se causam antecedit.* Ex quibus infert, omnem casum fortuitum à mente vel natura, siue ab aliqua causa per se proficisci. Sensus itaque pronunciati est, omnem causam per accidens inniti alicui causæ per se, sicut & omnis effectus per accidens præsupponit aliquem effectum per se. Quemadmodum enim omne accidens præsupponit subsitãtiam aliquam, cui inhæreat, vel quam suo modo afficiat, iuxta illud Vulgare: *Accidens est entis ens.* Ita omnis causa & omnis effectus per accidens sup-

ponit & cauſam & effectum per ſe, cui ſuo modo innitatur. Atque hoc modo verum etiam eſt illud:

2. *Fortunæ effectus diuinæ ſubiacent voluntati.*] Eſt commune axioma Philoſophorum Chriſtianorum, qui omnem fortunæ aleam ſubjiciunt prouidentiæ diuinæ: nihil enim caſu nobis aut fortuitò accidit, quod à Deo non ſit vel ordinatum, vel ſapientiſſimè permiſſum, vt eleganter dictum eſt ab Auguſtino, lib. 3. de Trinit. c. 4. his verbis: *Nihil fit viſibiliter & ſenſibiliter, quod non de interiori inuiſibili atque intelligibili aula Summi Imperatoris aut iubeatur, aut permittatur ſecundum ineffabilem iuſtitiam præmiorum, atque pœnarum, gratiarum & retributionum in iſta totius creaturæ ampliſſima quadam immenſáque republica.* Et hoc ſenſu verè etiam dicitur iſtud:

3. *Fortuna virtutem ſequitur.* Liuius Decade 1. lib. 4.] Nempe ad eum ferè modum, quod acceſſorium ſequi dicitur ſuum principale, & quo virtus dicitur eſſe bonarum rerum conſiliatrix, vt explicábitur infra. Etenim bona fortunæ, vt diuitiæ, honor, bona fama, poteſtas, &c. licet fortuito obuenire ſoleant, ac propterea fortunæ bona dicantur, vt docet Ariſtoteles 1. Ethic. cap. 8. ſub finem, & D. Thomas ibidem: Sæpiſſimè tamen ita diuina ordinante prouidentia, virtutem, vt ſecundaria præmia comitantur; In quem ſenſum Matth. 6. Chriſtus Dominus inquit: *Quærite primum regnum Dei & iuſtitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis.* Vbi metaphora ſumpta eſſe videtur à rebus vilioribus, quæ in rerum pretioſarum emptione non computantur in pretium, ſed adjiciuntur pro corollarijs. Illuſtre huius rei exemplum habemus in Regio Propheta Dauide, & in filio illius Salomone, qui cum non opes, non potentiam, non gloriam, ſed ſapientiam ad regendum

Digitized by Google

populum Dei, id eſt, ſolum Dei regnum quæſiuiſſet, cætera etiam illi quæ non petierat, adiecta ſunt. 3. Reg. cap. 3. v. 12. Similes ſententiæ ſæpè in Pſalmis occurrunt, vt Pſalmo 33. ***Inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono.*** Eodem etiam ſenſu verum eſt iſtud:

4. ***Sui cuique mores fingunt fortunam.*** E medio vulgi videtur ſumpta ſententia.] Nam plerumque videmus mala malis euenire, bona bonis, idque vulgo dictitant; ac patet non experientia modo quotidiana; ſed omnis etiam veteris, ſacræ iuxta ac profanæ hiſtoriæ auctoritate, vt explicabitur pluribus Titulo ***de Iuſtitia vindicatiua.***

5. ***Soler induſtria multa declinat incommoda.***] Pro huius ſententiæ explicatione notandum eſt, quod docet S. Ioannes Damaſcenus lib. 2. de Fide, c. 29. & ex eo communiter Theologi, duplicem in Deo diſtingui voluntatem: Priorē antecedentem, qua ex ſeſe vult bona indepēdenter à cauſis ſecundis: poſteriorem conſequentē, qua vult mala pœnæ, accepta occaſione à creaturis: horum autem quædam vult immutabiliter, vt omnes homines ſemel mori; quædam mutabiliter & quaſi ſub conditione, videlicet niſi precibus, aut induſtria auertantur. Sic vult communiter ea, quę ſolum vult in ſuis cauſis, v. c. Tali vel tali tempore eſſe aëris intemperiem, & conſequenter mori multos, ſubmergi, &c. Cum enim ipſe ſit communis gubernator Vniuerſi, ad ipſum per ſe primo ſpectat curare ordinem & curſum Vniuerſi; eumque ſine ſingulari granique cauſa non immutare. Huiuſmodi ergo caſus naturales ſiue incommoda, ex naturalium cauſarum ſerie ac curſu orientia pollunt ſæpè per induſtriam humanam ac ſæpius per virtutem & preces induſtriæ iunctas ab hominibus auerti: Cum Deus non omnino abſolutè ac poſitiuè velit

Digitized by Google

ea hominibus euenire; ſed vel ſolum velit ea permittere; in quantum ſcilicet culpabilem alicuius malitiam annexam habent; vel certè ſub conditione velit fieri, niſi aut precibus, aut induſtria humana, aut alia via licita impediantur. Hoc ſenſu Cęſar lib. 3. Belli Ciuilis, mihi n. 447. monet: *Si non omnia cedant ſecunda, fortunam eſſe induſtriâ ſubleuandam.*

TITVLVS XV.

DE NATVRA.

POſt cauſas naturales agendum eſſe videtur de ipsâ Naturâ, quo nomine ſæpe apud Philoſophos cauſarum naturalium collectio intelligitur.

DISTINCTIO PRIMA.

Varia acceptio termini, Natura, & Naturale.

NAtura variè accipitur. 1° pro Deo, qui eſt natura naturans, 2° pro creatura, quæ eſt natura naturata, 3° pro eſſentiâ, quidditate, & conceptu obiectiuo cuiuſque rei; quo ſenſu dicimus, naturam Dei eſſe vnam, naturam hominis, naturam priuationis eſſe talem, vel talem. 4° pro tota collectione vel ſerie cauſarũ naturalium; quo ſenſu dicitur Deus & Natura nihil facere fruſtra, nec quicquam patiotioſum: Sic etiam miraculum dicitur excedere vires naturæ; quia non eſt in potentiâ cauſarum naturalium, quinto pro tota vniuerſitate rerum creatarum. Sic dicimus, aliquid eſſe,

Digitized by Google

vel non esse in rerum naturâ. 6° pro complexione & temperamento naturali cuiusque rei sic dicimus quosdam esse naturâ iracundos, sanguineos, lepores, timidos, &c. 7° pro quouis principio intrinseco motus & operationis; quo sensu non tantum materia & forma; sed etiam totum compositum substantiale dicitur natura, quod est adæquatum & principale principium ac radix operationum. 8° denique sumitur strictius pro eo solo principio intrinseco & primo, per quod res naturales, à non naturalibus, id est, artefactis & purè metaphysicis distinguuntur; sic materia & forma sunt natura: & ita sumit Aristoteles. 2. Physic. c. 1. t. 3. vt mox explicabitur. Præter hasce naturæ acceptationes aliæ adhuc nonnullæ ab aliis assignantur; sed parum illæ faciunt, ad nostrum propositũ. Vide Fonsecam 5. Metaph. cap. 4. q. 1. sect. 2.

Naturale sumitur, primo prout opponitur supernaturali, 2° prout opponitur animali, 3° libero siue morali, 4° violento, 5° casuali, 6° aduentitio, 7° artificiali. Singula hæc in axiomatum paraphrasi clariùs innotescent.

DISTINCTIO II.

Quid Natura naturans, & Natura naturata.

1. *Natura est principium motûs & quietis.*] Est commune effatum Philosophorum, sumptum compendio ex definitione Aristotelicâ naturæ 2. Phys. c. 1. t. 3. quæ sic habet: *Natura est principium & causa, vt id moueatur & quiescat, in quo primò, & per se, & non per accidens inest.* Hæc definitio conuenit soli materiæ ac formæ substantiali; ista enim

duo

duo tantum insunt composito physico *Primò*, id est principaliter, ita vt nihil insit prius, siue substantialiter & essentialiter, vt loquuntur alij, & consequẽter etiam insunt *per se*, ac non per accidens. Quare excluduntur, primo qualitates motiuæ, vt grauitas terræ, &c. secundo principia motus externa, à quibus res physicæ etiam mouentur suo modo, vt cum ignis mouet aquam, quam calefacit, 3° causæ motus per accidens; qualis est, v. c. ars medendi in ægro, qui sanat seipsum per illam artem. Cęterum nomine motus intelligitur quælibet motio siue mutatio physica: nomine autem quietis non intelligitur mera priuatio motûs præcedentis, vel cessatio à motu; sed etiam fundamentum illius, id est, quieta possessio formæ acquisitæ per motum.

2. *Quidquid mouetur naturaliter, id à naturâ mouetur.*] Sumitur ex eodem cap. & verum est, si naturale & natura sumantur eodem significationis modo; vt, quod mouetur naturaliter à principio sibi intrinseco, hoc mouetur à suâ naturâ, quæ est principium motûs & quietis, vt explicatum est: Quod autem mouetur ab alio, tanquam principio extrinseco, mouetur quidem à naturâ, si per hanc intelligatur agens naturale extrinsecum, prout opponitur supernaturali aut artificiali, &c. non tamen dicitur absolutè moueri à naturâ; quia natura mouens aliud actione transeunte in aliud suppositum, dicitur efficiens, vt cum ignis mouet aquam sursum: Natura autem mouens seipsam actione immanente dicitur natura; vt cum ignis mouet seipsum sursum, terra deorsum.

3. *Deus est auctor Naturæ.*] Sumitur in communi isto sapientum proloquio, *Natura*, pro vniuersitate rerum creatarum. Etenim Deus totam rerum naturam, id est omnium entium naturalium, & limita-

torum vniuerſitatem creauit, & creata in ſuo eſſe conſeruat ac gubernat. Poteſt etiam intelligi effatum ſecundum alias naturæ acceptiones; nam etiam ſecundum eas, Deus rectè dicitur auctor omnis entitatis realis: Valet autem contra Plinium 2. Hiſtoriæ c. 1. & alios Atheos, omnia in Naturam referentes, excluſo Deo, quos potenter debellat Plato, lib. 10. de Legibus, & Nicetas apud Clementem 8. Recognitionum, poſt medium, ita concludens longã de Deo diſputationem: *Deus ergo eſt, qui fecit omnia, & ipſe à nemine factus eſt: qui autem naturam pro Deo nominant, & per naturam facta eſſe omnia teſtantur, latet eos appellationis ſuæ error: Si enim naturam irrationabilem putant, ſtultiſſimum eſt rationabilem facturam ab irrationabili factore progredi: Si verò ratio eſt, per quam facta conſtat eſſe vniuerſa, ſuperfluò nomen immutant, vbi de Conditoris ratione profitentur.*

4. *Deus eſt natura naturans.* Innuitur ab Ariſtotele l. 2. de Cælo t. 6.] Vbi ait, Naturam ordinare res omnes & illis tribuere æquitatem, & 4. de Gen. animalium c. 2. vbi docet, omnia, quæ naturâ vel arte fiunt, ratione aliquâ fieri. Ita autem rectè appellatur Deus ad tollendum errorem Ethnicorum, contra quos diſputans Lactantius lib. 2. inſtitut. c. 9. Natura, inquit, *quâ dicitis orta eſſe omnia, ſi conſilium non habet, efficere nihil poteſt: Si autem generandi & faciendi potens eſt, habet ergo conſilium, & propterea Deus ſit neceſſe eſt, nec alio nomine appellari poteſt ea vis, in quâ ineſt & prouidentia excogitandi, & ſolertia poteſtaſque faciendi: Melius ergo Seneca Stoicorum acutiſſimus, qui vidit, nihil aliud eſſe naturam, quam Deum;* Ergo *Deum*, inquit, *non laudabimus, cui naturalis eſt virtus, nec enim illam didicit ex vllo. Imò laudabimus, quamuis enim naturalis illa ſit,*

sibi illam dedit; quoniam Deus ipsa natura est: cum igitur ortum rerum tribuis naturæ, ac detrahis Deo, in eodem luto hæsitans, versuram soluis Græta, à quo enim fieri mundum negas, ab eodem planè fieri, mutato nomine profiteris. Ita Lactantius ex Seneca l. 4. de Beneficijs c. 7. & 8. Dicitur itaque Deus natura naturans, quia auctor est, & conseruator totius naturæ, vt paulò ante docuimus; quo etiam sensu omne Ens creatum dici potest, Natura naturata, id est, à Deo producta, siue in esse suo naturali constituta.

5. *Deus cum naturâ operatur.*] Sumitur hîc natura præcipuè pro serie causarum naturalium, tam earum, quæ liberæ sunt, quàm etiam necessariarum: sicuti enim Deus est auctor naturæ, ita etiam est cooperator; Vnde cum natura operari dicitur primo, quia semper concurrit cum qualibet causâ naturali; secundo, quia ordinariè naturali modo operatur ad extra, & per se primò curat ordinem & cursum vniuersi naturalem, eumque sine singulari grauique causâ non immutat, nec facilè ad miracula procedit, quæ dicuntur excedere naturam, id est, vires causarum naturalium, & fiunt præter ordinem naturæ.

6. *Id enique est naturale, quod ille fecerit, à quo est omnis ordo naturæ.* S. Augustinus lib. 21. de Ciuit. c. 8. & alibi.] Rationem addit ibidem; quia Deus est conditor naturarum omnium, non destruens naturam sed faciens. In eundem sensum l. 6. de Genesi ad litteram c. 13. (& refertur apud S. Prosperum sent. 283.) *Naturarum*, ait, *conditor nihil in miraculis contra naturam facit; nec quod nouum est consuetudine, repugnans est rationi: Nobis ergo videntur contra naturam insolita, quibus aliter natura cursus innotuit; non autem Deo, cui hoc est natura, quod ipse fecerit.* Itaque licet Deus sæpe operetur cõtra solitũ & ordinarium

naturæ curſum, non tamen agit contra ipſam naturam, veluti cum fit aliquid miraculosè virtute diuinâ, quamuis ſit contra communem naturæ modum, non tamen eſt contra naturam, vt docet D. Thomas 2. 2. q. 154. a. 2. ad 2. & alibi. Sumitur hic natura & naturale, non prout opponitur ſupernaturali aut morali; ſed prout contradiſtinguitur violento, aut caſuali. Conſule, ſi placet, Cornelium à Lapide, in Epiſtolas D. Pauli, ſuper illud ad Roman. 11. v. 24. *Contra naturam inſertus es.*

DISTINCTIO III.

Proceſſus & ordo Naturæ.

1. *Natura procedit ab imperfectioribus ad perfectiora.*] Citari ſolet ex Boëtio lib. 3. de Conſolat. proſâ decimâ; ſed ibi contrarium potius aſſeritur, vt paulo poſt videbimus. Sumitur autem ex l. 4. de partibus animalium c. 5. & refertur à D. Thomâ de memoriâ & remin. l. 2. vbi ait, *Naturam ex inanimatis ad animata paulatim procedere, & in his ab imperfectioribus ad perfectiora*; in quo equidem conuenit inter naturam & artem: Quemadmodum enim ars pingendi, v. c. primò ruditer adumbrat opus, tum lineamenta efformat, mox colorum varietatem ac venuſtatem addit, ac tandem perficit; ſtà ſimiliter natura in ſuis operationibus procedit, vt in generatione animalium primò rudem fœtum, ſiue maſſam progignit; tum membrorum diſtinctionem adhibet: ad extremum animali decenti ſpecie efformatum ac perfectum in lucem profert, ſic etiam ſingula animalis membra, vt cor, cerebrum, &c. prius ruditer à natura progigni ſolent, ac deinceps perfici,

Digitized by Google

Itaque verum eſt axioma manendo in eiuſdem rei perfectione ſucceſſiuâ: in diuerſorum autem entium inter ſe comparatione, tum veritatem obtinet, cum ea quæ imperfectiora, prærequiruntur ad alia perfectiora; alioqui non ſemper habet locum. Etenim natura in animalis generatione primò inter alia mẽbra cor efformat, quod eſt membrum cęteris nobilius; & in naturali emanatione proprietatum ab eodem ſubiecto, is ordo ſeruatur, vt prima dignior ſit, & cauſa ſecundæ, & ſecunda tertiæ, & ita deinceps; ſic eſſe diſcurſiuum, nobilius eſt & prius quàm admiratiuum, &c. vt grauiter & doctè oſtendunt Metaphyſici: item intellectus humanus in acquirendâ ſcientiâ, progreditur ab aſſenſu principiorum ad aſſenſum concluſionis, id eſt, à cognitione perfectiore ad minus perfectã, & ſecundum hæc verum eſt illud:

2. *Natura exordium capit à perfectis.*] Sumitur ex Boëtio l. 3. de Cõſolatione, proſâ decimâ, vbi agens de primo rerum omnium principio: *Neque enim à diminutis*, ait, *inconſummatiſque natura rerum cepit exordium, ſed ab integris abſolutiſque procedens, in hæc ex trema atque effata dilabitur*: & infra: *Omniæ namque perfecta minus integris priora eſſe clarucrunt*; pro quorum explicatione notandum eſt, progreſſum & ordinem naturæ dupliciter conſiderari poſſe, primo ex parte cauſæ efficientis, 2° ex parte cauſæ materialis; ſecundum ordinem cauſæ efficiẽtis naturâ prius eſt, quod eſt perfectius, & ſic natura ſumit initium à perfectis; quia imperfecta non ducuntur ad perfectionem, niſi per aliqua perfecta præexiſtentia: at verò ſecundum ordinem cauſæ materialis prius eſt, quod eſt imperfectius, & ſecundum hoc natura procedit ab imperfectioribus ad perfectiora, vt explicat S. Thomas 2. 2. q. 1. a. 7. ad tertium. Vide, ſi placet, quæ diximus ſupra, Titulo 6. diſtinct. 3.

3. *Perfectum prius eſt naturâ imperfecto.* l. 1. de Cælo t. 12.] Verba Philoſophi ſunt: τὸ τέλειον φύσει τῶν ἀτελῶν, verum eſt, iuxta prius membrum diſtinctionis paulò ante allatæ; nempe prout conſideratur natura ſecundum ordinem cauſæ efficientis. Ratio eſt; quia oportet, vt perfectum illud ſit, quod ad perfectionem alia perducit; in quem ſenſum Boëtius, loco citato, probat dari ſummum aliquod & perfectiſſimum Ens, à quo cætera omnia procedant: *Si in quolibet genere*, inquit, *imperfectum quid eſſe videatur, in eo perfectum quoque aliquid eſſe, neceſſe eſt*: Etenim perfectione ſublatâ, vnde illud, quod imperfectum perhibetur extiterit, nec fingi quidem poteſt. Conſule, ſi placet, D. Thomam 3. p. q. 1. a. 5. ad tertium.

4. *Id naturâ eſt prius, quod eſt generatione poſterius.* Sumitur ex 8. Phyſicorum t. 58.] Per prius naturâ intelligitur hoc loco id, quod nobilius eſt ſiue perfectius: dicitur itaque id poſterius eſſe in generatione, quod eſt perfectius; quia nimirum natura in productione rerum progreditur ab imperfectioribus ad perfectiora; ac proinde prius in generatione fit illud, quod eſt imperfectius: poſterius verò id, quod perfectius. Verum igitur pronunciatum eſt, iuxta poſterius membrum diſtinctionis aſſignatæ; nempe prout conſideratur ordo naturæ, ex parte cauſæ materialis. In eâdem ſententiam l. 2. de part. animal. c. 1. dicitur, *generationis conſideratio contra ſe habere, atque eſſentiæ naturæ*; quia quæ in generatione poſteriora ſunt, hæc in eſſentiâ ſunt priora, & quod primum in naturâ eſt, hoc eſt vltimum in generatione.

5. *Natura non agit inordinatè.* Sumitur ex 8. Phyſic. t. 15.] Vbi Philoſophus ait, *Eorum, quæ à naturâ ſunt, nihil eſſe inordinatum, & naturam eſſe cauſam ordinis in omnibus*: nimirum quantum in ipſa eſt, &

Digitized by Google

niſi aliundè occurrat impedimentum, vt pluribus explicabitur ad illud: *Natura ſemper facit optimum, quod poteſt.* Eâ de causâ l. 2. de Generat. animal. c. 4. comparat eam Ariſtoteles cum prudenti Patrefamilias, qui domum ſuam prudenter ac feliciter adminiſtrat, & ita diſpenſat, vt cibus optimus detur liberis, deterior ſeruis, viliſſimus iumentis. Eandem ob cauſam l. 3. de part. animal. c. 4. docet, Naturam ſolere conſtituere rem nobiliorem in locis nobilioribus; niſi quid aliud impedimento ſit. In eandem ſententiam Albertus M. de animal. l. 1. tract. 2. c. 12. ait, *A naturâ vnumquodque ordinari ſapientiſſimè*; ita, v. c. pectus à naturâ factum eſſe totum oſſeum, vt eſſet tutamen membrorum nobilium, eandemque rationem cerni in cęteris corporis organici partibus.

6. *Natura in ſuis operationibus non facit ſaltum.*] Elicitur ex textu citato, & explicatur ab Alberto M. de Animalibus, l. 2. tract 1. c. 1. vbi ait, *Naturam non facere diſtantia genera, niſi faciat aliquod medium inter ea, nec tranſire de extremo ad extremum, niſi per mediũ.* Similia habet l. 7. de Animalibus, tract. 3. c. 1. Ratio eſt; quia in rerum productione ordinatè progreditur natura ab imperfectionibus ad perfectiora ex parte cauſæ materialis: Ex parte verò cauſæ efficientis à perfectis abſolutiſque procedens ad imperfectiora dilabitur, vt diximus. Etenim, *Natura eſt cauſa ordinis, & rerum ipſarum, quæ ratione conſtant & ordine*, vt inquit ex Ariſtotele Themiſtius in 8. Phyſic. t. 15. Senſus moralis huius pronunciati valet in illos, qui ex infimo loco ad ſummum dignitatis gradum ſine medio euadere ambitiosè moliuntur.

DISTINCTIO IV.

Ratio & artificium naturæ.

1. *Omnia, quæ naturâ vel arte fiunt, ratione aliquâ fiunt.* l. 4. de gener. Animal. c. 2] Nimirum quia omnia opera naturæ & artis, tendunt in certum aliquem finem, qui per rationabilia & determinata media attingitur. Vnde licet agentia quædam naturalia omni prorſus notitiâ careant; dicuntur tamen cum ratione fieri eorum opera; quia ſubordinata ſunt alteri ſuperiori & excellẽtiori cauſæ, id eſt, ipſi naturæ auctori Deo, ſiue naturæ naturanti, quæ omnium rerum fines, & media ad eos neceſſaria infallibili cognitione comprehendit, & cum ratione agentia omnia naturalia in eos dirigit, iuxta illud:

2. *Natura ordinat res omnes, & illis tribuit æquitatem.*] Sumitur ex 8. Phyſ. t. 15. & clarius ex 2. Phyſ. c. 8.] Vbi ex eo probat Ariſtoteles naturam agere propter finem; quia agit ordinatè, ſiue quia omnes res inter ſe conuenienti ratione diſponit: nihil autem aliud, id eſt; quàm agere propter finem, ſiue ordinare res in ſuos fines: ſic primò eſt ſemen, deinde gramen, tertio ſeges, denique panis ad veſcẽdum idoneus, primùm ouum, deinde pullus, &c. Atque hoc modo ſimiliter in aliis; Etenim nihil eorum, quæ à naturâ & ſecundum naturam fiunt, inordinatum eſt; cum natura ſit cauſa ordinis in omnibus, vt fuſiùs explicatum eſt ad illud: *Natura agit propter finem.* Notat autem Zimara in tabulis, verbo, *Nihil eorum*, eſſe à naturâ latius patere, quàm eſſe ſecundũ naturam: *nam monſtra, priuationes & corruptiones à naturâ ſunt*, inquit; *ſed non ſecundum naturam.* Quin

etiam in monſtroſis effectibus natura non ſine ratione procedere iudicanda eſt; faciunt enim huiuſmodi ad maiorem varietatem & ordinem Vniuerſi, vt mox explicabitur ad illud: *Natura non redundat in ſuperfluis.*

3. *Opus naturæ eſt opus intelligentiæ.* Sumitur ex l. 4. de gen. Anima. c. 2. & habetur 12. Metaph. Com. 18. apud Auerroëm, & apud Themiſtium 1. Phyſ. t. 81. & 1. de Animâ t. 29.] Accipitur autem hic opus naturæ, non prout eſt à naturâ; ſiue à cauſis naturalibus tantum; ſed prout eſt à naturâ & ab ipſo auctore ſimul; vel prout natura dirigitur ab ipſo auctore ad eum ferè modum, quo ſagitta tendit in ſcopum, directa ab emittente; cum hoc tamen diſcrimine, quod ſagitta feratur violenter; cum naturali inclinatione in ſcopum non propendeat: natura verò ſuopte ingenio in ſuum finem inclinet. Dum itaque natura in opus incumbit, à primâ intelligentia, hoc eſt, à Deo, quaſi diuinæ artis inſtrumẽtum mouetur, & artificis ratione dirigitur; ita tamen vt inſitum ſibi habeat principium naturalis inclinatiõnis in ſuos fines. Hinc eſt, quod Hippocrates naturam modo indoctam vocat, vt in libro de alimento, modo doctam & eruditam, vt in libro de Arte, quem imitatur Galenus l. 1. de vſu partium, & l. 6. de locis affectis: nimirum indoctam vocat in ſe, doctam in directione primæ cauſæ. Vide, ſi placet, Suarez diſp. 30. Metaph. ſect. 15. n. 41.

4. *Natura nihil agit temerè.* Sumitur ex 2. Phyſ. c. 8. & ex 2. de Cælo, t. 50. & ex 3. de Cæ. t. 30. & 1. de part. animal. c. 5.] Ratio eſt; quia ſemper agit propter finem, per media determinata, & opus naturæ eſt opus intelligentiæ, vt explicatum eſt, valet hoc dictum in eos, qui etiamſi natura rationali præditi ſint, ac proinde vel maximè conformiter rationi

viuere & operari deberent; nihilominus impetu temerario feruntur in omnia, & aguntur potius ab inordinatis ſuis affectibus quàm agant. Vide, ſi placet, quæ diximus ad illud: *Deus & Natura nihil agunt fruſtra.*

5. *Natura eſt ars Dei.*] Veterum iſtud effatum Philoſophorum traditur à Philone Iud. in libro de Monarchiâ: ratio illius perſpicua fit ex dictis; quia nimirum opus naturæ eſt opus intelligentiæ, & ita procedit, vti opus artis, id eſt, certâ præſcriptione, ratis legibus, compoſitè & ordinatè. Eâ de Causâ Deus, αεισοτέχνης, id eſt, optimus artifex à Philoſophis dicitur; Et Plato duplicem artem ſtatuit, vnam diuinam, humanam alteram: atque humanæ quidem omnia, quæ artificum operâ elaborantur; diuinæ autem vniuerſa, quæ naturâ fiunt attribuit.

DISTINCTIO V.

Bonitas & perfectio Naturæ.

1. *Natura ſemper facit optimum, quod poteſt.* 2. de Cælo. t. 34. & de iuuent. & ſenec. c. 2. & l. 2. de part. animal. c. 14.] Vocatur natura à Philoſophis, *optima rerum parens*; quia in ſuis actionibus non tantum id ſequitur, quod neceſſarium eſt; ſed etiam id ſemper molitur, quod optimum & præſtantiſſimum videtur; niſi interueniat aliquod impedimentum, propter quod ab inſtituto deflectere cogatur: ſicuti contingit in generatione monſtri. Per naturam autem intelliguntur hîc cauſæ naturales & neceſſariæ, quas aiunt Philoſophi agere ſecundum extremum potentiæ, vt explicuimus, Titulo *de Causâ eſſ. ſeque.*

2. *Natura ſemper deſiderat id, quod eſt melius.* l. 2. de Generat. t. 59.] Vbi ex eo probat continuam ſucceſſionem ſiue perpetuitatem rerum ſubcæleſtium; quia nimirum Natura inſitâ propẽſione fertur in id, quod melius & nobilius eſt: eſt autem nobilius eſſe quam non eſſe; cum eſſe participatio quædam ſit naturæ diuinæ. Quàm vera ſit hæc propoſitio, ſatis oſtendit experientia quotidiana,& inclinatio omniũ entiũ naturalis, patétque per explicationem axiomatis precedentis. Facit autem natura ſemper optimũ, quod poteſt,& deſiderat id,quod eſt nobilius,in ordine videlicet ad finẽ, quem ipſa intendit; ſiue ille particularis ſit, ſeu potius Vniuerſalis, vt pluribus explicatum eſt ad illud: *Deus ſemper operatur congrue ad fines rerum*, Titulo *de causâ primâ*. Similiter

3. *Natura fugit vbique, quod moleſtum eſt.* Sumitur ex 7. Ethicorum c. 14. & vltimo.] Veritas illius perſpicua eſt ex dictis, quia contrariorum eadem eſt & ratio & ſcientia. Eâ de causâ cap. 13. eiuſdem libri Philoſophus ait, *ab omnibus fugi dolorem, & expeti aliquam voluptatem.*

4. *Natura nunquam deficit in neceſſarijs.* 3. de animâ c. 9. t. 45. & alibi.] Sequitur ex præcedentibus, & eodem ſenſu veritatem obtinet: cum enim natura ſemper faciat optimum eorum, quæ poſſunt fieri; haud dubiè etiam ſubminiſtrabit ea, quæ neceſſaria ſunt, nec deficiet in illis; niſi forte aliunde oriatur impedimentum, vt docet Ariſtoteles ibid in orbatis & imperfectis: Quod autem ipſa talpis visũ deneget, fit partim ad maiorem vniuerſi perfectionẽ; partim quia talpis intra terram viuentibus, ſuperuacanea videtur videndi facultas; ac proinde non negat illis neceſſaria; ſed ſubtrahit ſuperflua; quia

5. *Natura non redundat in ſuperfluis*: ibidem, & lib. 1. de Cælo, t. 32.] Sicuti natura, neceſſaria

quæ ſunt, conuenientiáque concedit, ſic etiam, ſuperuacanea atque inutilia negat, niſi interueniat obſtaculum quo ab inſtituto deflectere compellatur; quomodo propter exuberantem materiam naſcuntur ſubinde aliqui ſenis digitis, in vnaquaque manu vel pede; aut binis capitibus, &c. Neque verò ſine ratione nonnunquam hoc modo natura ab inſtitutâ, & ordinariâ viâ deflectit, poſitâ nimirum tali occaſione: faciunt enim hæc ad maiorem varietatem & perfectionem Vniuerſi. Itaque non deficit natura in neceſſariis, nec redundat in ſuperfluis, quoad bonum generale Vniuerſi, licet aliquando contrarium accidat, quoad bonum particulare alicuius indiuidui. Hac etiam de causâ, quoad eius fieri poteſt, multitudinem refugit natura, &, vt inquit Philoſophus l. 2. de animâ t. 88.

6. *Natura, quod alibi demit, alibi reſtituit.* Sumitur ex l. 2. de part. Animalium c. 14.] Ita ferè contingere docet experientia quotidiana: ordinariè enim, quod deeſt alicui in vna parte ſuppletur in aliâ: vt qui ingenij ſunt felicioris, ijdem iudicium habent aut memoriam minus fidelem; & quibus tenacior memoria illis ferè ingenium eſt tardius, & ex infantibus, qui celeriùs fari cœpêre, tardiùs progredi incipiunt, vt ait Plinius. Ariſtoteles loco citato id oſtendit exemplo pilorum: *quibus enim natura* (ait) *corpus admodum piloſum condidit, caudam ijs diminuit, quod in vrſis perſpicuum eſt.* Lege, ſi placet illum de hac materiâ, capite citato per totum; & D. Thomã in quæſtionibus diſputatis, q. 1. de virtute in communi, a. 8.

7. *Naturæ miracula cuilibet enti ſunt indita.* Sumitur ex l. 1. de part. Animal. c. 5.] Vbi ait Ariſtoteles: *Nulla naturæ res eſt, in qua non mirandum aliquid inditum habeatur.* Patet hoc cùm in magnis & vaſtis

corporibus, vt cælis, elephantis, leonibus; tum verò in paruis & minimis, vt in araneis, apibus, muscis, formicis; in fœtu, dum formatur in vtero, &c. remora nauim ingentem sistit, vt scribit Plinius l. 5. c. 25. (quod tamen aliqui fabulosum autumant,) pullus, perdicis ouo nondum omninò exclusus, fortiter discurrit. Ingens Balena à minimo pisciculo regitur, &c.

8. *Omnis res naturæ digna est sui contemplatione.*] Sumitur ex citato capite, vbi multis ostendit Philosophus, viliorum animalium disputationem perpensionemque, fastidio quodam puerili spreuisse, dignũ non esse viro sapiente. Proinde, quod Heraclitum dixisse ferunt ad eos, qui cum alloqui eum vellent; quod forte in casa fumaria, caloris gratiâ sedentem vidissent, accedere temperarunt (ingredi enim eos iussit; quoniam, inquit, *Ne huic quidem loco Dij desunt immortales*) hoc idem in indagandâ quoque naturâ animantium faciendum esse Philosophus pronunciat: *Cum in omnibus naturæ numen, & honestum pulchrumque insit ingenium*: quippe cum naturæ operibus iunctum illud præcipuè sit, vt nihil temerè, & vice fortuitâ committatur; sed alicuius gratiâ omnia agantur: Finis autem, cuius gratia vel constat quicquam, vel conditum est, boni honestique obtinet rationem. Ita ferè Aristoteles loco citato ad Verbum.

DISTINCTIO VI.

Vis & constantia naturæ.

1. NAtura *non patitur vacuum*. l. 1. Ethic. c. 7. & 2. de Cælo t. 17.] Quoniam natura di-

uinæ immortalitatis æmula sui ac suarum partium conseruationem summopere procurat, & deficere non vult in necessarijs; ideo maximâ semper vi & conatu impedit ac fugit vacuum, tanquam perniciosissimum hostem partium vniuersi, vtpote qui dissoluit illam conseruatricem rerum vnionem corporum; quâ sublatâ partes vniuersi nec sese mutuò foucre, nec influxum cæleſtem, quo vegetari solent, recipere possunt. Vide, si placet, Suarez disput. 35. Metaph. sect. 6.

2. *Natura agit semper eodem modo.* 2. Phys. c. 8. & 9.] Comparat hoc loco Aristoteles inter se actionem fortuitam & naturalem, siue causas naturales quæ sunt per se, & causas per accidens, vt sunt casus & fortuna. Verus itaque huius effati sensus est, Naturam, id est, causas naturales, semper eadem ratione procedere circa suum finem, positis cæteris paribus: At verò actiones fortuitas nunc sic fieri, nunc aliter, vt fusiùs explicatum est, Titulo *de Causâ efficiente*, distinct. 12. Sumitur igitur hîc naturale primò quidem & præcipuè, atque ex mente Philosophi, prout contradistinguitur casuali: potest nihilominus intelligi etiam, prout opponitur libero, & operanti cum cognitione, iuxta illud:

3. *Natura est determinata ad vnum.* l. 9. Metaph. c. 2. tex. 3.] Sumitur in hoc proloquio natura, seu res naturalis prout opponitur rei animali, id est, ei quæ cum cognitione operatur, & ijs duntaxat agentibus propriè conuenit, quæ sine delectu & cognitione operantur: hæ enim proprijssimè dicuntur causæ naturales, & idcircò ad vnum dicuntur esse determinatæ; quia cum libertatis & cognitionis omnis expertes sint, neque è multis hoc aut illud pro arbitratu suo eligere possint, ad vnum definitè contendunt. Ita Scotus in Quodlibetis qu. 2. sic

plantis dicitur naturale creſcere, igni moueri ſurſum, lapidi deorſum: at verò quod operatur cum cognitione, id varijs modis agit, vt animal, nunc ſe mouet ſurſum, nunc deorſum, nunc ad dextrum, nunc ad ſiniſtrum, &c: ac licet brutis animalibus neque libertas inſit, nec propriè dicta competat electio; ineſt tamen illis vis apprehenſiua, & æſtimatiua ad huiuſmodi actuum varietatem ſatis accommoda: quamquam & de his axioma intelligi poteſt; quia reuera, poſitis omnibus ad agendum requiſitis non poſſunt non agere, & per certas conditiones ad certos effectus producendos neceſſariò determinantur.

4. *Naturæ reſiſtere difficile eſt.* Sumitur ex lib. 7. Ethic. c. 10. & refertur à S. Thomâ 6. Ethic. lect. 11.] Ratio eſt; quia omne violentum eſt difficile illi, quod violentiam patitur; cum proinde non ſit perpetuum, vt alibi explicabitur: At verò niſus cõtra naturam, ſiue contra naturalem inclinationem (hoc enim modo naturæ vocabulum hîc ſumitur) eſt reuera violentus; ergo omninò difficilis. Patet hoc experientiâ quotidianâ: Nam & pſittacum doceas ſuum χαῖρε, & lupum cicurare poſſis, & cani caniſtrum imponas; ſed beſtiæ ſunt, ne fidas: nam & pſittacus facilè idioma ſuum recantabit; & lupus in antiquam ibit ſyluam; & canis, ſi, quod deuehit, voretur ab alijs, ſui non erit immemor: denique, *Naturam expellas furcâ, tamen vſque recurret*: Verum tamen eſt, quod & ratio & mentis dominium multa poſſit in homine, & eò per vſum & exercitium pertingere poſſit, quò minimè natura adſpiret, vt perſpicuum fiet ex ijs, quæ adferemus diſtinctione ſequenti.

5. *Aſſuetudo non fit contra naturam.* Sumitur ex 2. Ethic. c. 1. & ex 1. Mag. moral. c. 7.] Senſus illius eſt, nihil aſſuefieri poſſe ad ea, quæ naturæ cõtraria:

Huic tamen obsistere videtur, quod vitia sint contraria naturæ humanæ, & nihilominus persæpe homines assuefiant ad vitia; sed respondendum est, aliquid contra naturam esse posse duobus modis, priore quidem; quia opponitur ei, quod est à naturâ; posteriore verò; quia opponitur ei, quod est secundum naturam, siue quod est naturæ consentaneum: priore sensu intelligi debet, & absolutè verum est pronunciatum: non etenim assuefieri potest, v. c. lapis ad motum sursum, etiamsi millies illum assuefaciendi causâ in altum projicias; nec ignis ad motum deorsum, vt rectè docet Aristoteles 2. Ethic. capite citato, vbi ait: *nihil eorum, quæ sunt naturâ, aliter assuescere.* Posteriore sensu procedit obiectio; vitia enim opponuntur virtutibus, quæ non insunt homini à naturâ; sed secundum naturam, iuxta illud M. Tullij: *Virtus est habitus in modum naturæ, rationi consentaneus.* l. 2. de inuentione; quia nimirum virtus est secundum naturam rationalem, siue secundum ordinem rationis: Vitium autem inclinat in id, quod est contra hunc ordinem, iuxta istud D. Augustini, l. 12. de Ciuit. c. 1. *Omne autem vitium naturæ nocet, & per hoc est contra naturam.* Lege, si placet, D. Thomam 1. 2. q. 71. a. 2. & Vasquez ibidem, disput. 90. cap. 1. & 2.

DISTINCTIO VI.

De consuetudine prout assimilatur Naturæ.

1. *Consuetudo est altera natura.* l. de memoriâ & reminiscent. c. 3.] Sumitur hic natura, pro complexione & propensione naturali cuiusque rei; quomodo dicimus, quosdam esse naturâ cholericos, alios

alios ſanguineos & benignos, lepores timidos, lupos voraces, &c. dicitur autem conſuetudo *altera*, vel, *ſecunda natura*; quia per illam aſſuefieri poſſumus certis rebus, vt notat S. Auguſtinus l. 6. de muſicâ, ac ſi à natura nobis eſſent ingenitæ, & ex naturali complexione in illas ferremur.

2. *Magna vis ineſt conſuetudini.* 2. Magn. moral. cap. 7.] Rationem addit Philoſophus ibidem; *quia natura inſidet.* Idem ijſdem pene verbis habet Cicero in Lælio: *Magna eſt*, inquit, *vis vetuſtatis & conſuetudinis; non modo in hoc, quod animal eſt; ſed etiam in ijs, quæ ſunt inanimata, conſuetudo valet; cum locis etiam montoſis delectemur & ſylueſtribus, in quibus diutius commorati ſumus.* B. Albertus M. præſens ſcitum Ariſtotelis probat exemplo reminiſcentiæ, lib. de mem. & rem. Tractatu 2. c. 3. in ijs namque, quæ conſueuimus per ordinem ſæpius enunciare, dicto vno priori, mox occurrit aliud, etiam abſque intentione; quo pertinet tritum illud: *Memoria excolendo, ſicut alia omnia augetur.* Potrò quanta ſit vis conſuetudinis, vel inde colligas, quod debiles & ſenes conſuetos labores faciliùs ferant, quam fortes atque iuuenes inconſuetos, vt docet Hippocrates, l. 2. Aphoriſ. 49. & conſtat experientiâ. Vide Leſſiũ diſp. *de ſtatu vitæ deligendo*, num. 18.

3. *Optimus rerum magiſter eſt vſus*;] non ad acquirendam modo ſcientiam experimentalem, multiplicemque rerum cognitionem, vti Titulo *de Scientiâ*, ex Plinio declarauimus; ſed abſolutè ad quaſlibet ſiue ſciendi, ſiue operandi, ſiue patiendi difficultates ſuperandas: Tanta enim vſus & aſſuetudinis vis eſt, & ἐνέργεια; vt naturam in Demoſthene, & alijs, iam olim vicerit, & hodie vincat in plurimis, eáque reddat facilia & ſuauia, quæ naturæ videbantur grauia, omninò & contraria; id quod elegantiſſimè Tibul-

lus indicauit hoc diſticho:

Longa dies homini docuit parere leones,
Longa dies molli ſaxa peredit aquâ.

In eundem ſenſum verum quoque eſt illud Apoſtoli: *Omnis natura beſtiarum & volucrum & ſerpentium domantur, & domita ſunt à naturâ humanâ.* Iacobi 3. Nihil etenim tam durum & rupeum eſt, quod non expugnet peruicax opera, & intenta ac diligens cura. Robora in rectum, quamuis flexa reuocantur; curuatas trabes calor explicat, & aliter natæ in id feruntur, quod vſus noſter exigit. Quantò facilius formam excipiet animus humanus, flexilis in ſe, & ad virtutum exercitia natus? vt veriſſimum ſit illud Poëtæ:

Nemo adeo ferus eſt, vt non mitescere poſſit,
Si modo cultura patientem accommodet aurem.

4. *Conſuetudinem mutare difficile eſt.* 7. Ethicorum c. 10.] Rationem aſſignat ibidem; *quia*, inquit, *conſuetudo ſimilis eſt naturæ*; quemadmodum Euenas Poëta dixit: *Vſus longus mos eſt, ac meditatio crebra, Hunc tandem aſſero naturam mortalibus eſſe.* Eâ de causâ, eorum aliquos, qui vitæ luxurioſæ aſſueti viuere luxuriosè deſinunt, in morbum incidere docet Philoſophus in Problematis, ſect. 28. q. 1. *Quoniam*, ait, *conſuetudo res cuique magna eſt, iam enim in naturæ habitum ferè reſolnitur.* Intelliguntur autem hæc omnia de aſſuetudine qualicunque, ſiue paucis ea actibus nouiter introducta ſit, ſiue per plures actus & annos roborata; præcipuè verò de hac poſteriore: planè enim in naturam abit frequentata, & longo ſui vſu firmata conſuetudo. In hanc ſententiam eſt illud D. Hieronymi: *Difficulter eraduntur, quod rudes anni perbiberunt: Et lanarum conchylia quis in priſtinum candorem reuocet?* Et iſtud Philonis: *Sicut vaſa odorem, quo primum fuerint imbuta, referunt;*

Digitized by Google

sic iuuenum animi, quas primum formas imaginatione concipiunt, nunquam aboleri sinunt: nimirum veteri & vero dicto:

Quo semel est imbuta recens seruabit odorem
Testa diu. Vsque adeo à teneris assuescere multum est.

Eapropter sapientum consilium est, in institutione iuuentutis quàm maximè inuigilandum esse principiis; vtpote à quibus, tanquam à fundamentis vniuersa educationis fabrica dependet.

5. *Facilius est consuetudinem mutare, quam naturam.* 7. Ethic. c.10.] Vbi ex eo probat Philosophus, facilius curari posse eos, qui per assuetudinem, quàm illos, qui naturâ incontinentes sunt. Rationem pronunciati addit ibidem. *Ideo enim*, inquit, *consuetudinem mutare difficile est: quia est similis naturæ*; ac si dicat: quia consuetudo est quasi altera natura; ideircò illi magna vis inest, licet non tanta, quanta ipsi naturæ: quod enim est solummodo, *quasi* tale, non est eiusdem perfectionis cum eo, quod est reuera tale, sed alterius similitudinariæ & longè inferioris. Iuxta hunc sensum verum est illud Philonis: *Cum natura pugnare difficillimum est*; præsertim si tota toto naturali impetu rapiatin oppositа; Equidem paucorum omninò est abducere ab huiusmodi saxeo naturę torrente, & è præcipiti proruente; vt dicere audeat Quintilianus: *Illud in primis tenendũ, nihil præcepta, aut artes valere, nisi adiuuante naturâ.*

6. *Lupus pilum mutat, non mentem.*] Valet in eos, qui ita prauæ inclinationi aut consuetudini affixi hęrent, vix vt vnquam ad bonam frugem traduci valeant; ac quibus senecta canitiem quidem adfert, sed non aufert malitiam.

7. *Bona consuetudo excutere debet, quod mala introduxit.* Seneca de moribus.] Nimirum quia contraria contrariis curantur, & facilius est, transmutare

conſuetudinem, quam nudè reſiſtere, vt docetur 7. Ethicorum, in hanc ſententiam D. Hieronymus ad Ruſticum monachum: *Philoſophi ſeculi*, inquit, *ſolent amorem veterem amore nouo, quaſi clauum clauo pellere.* Conſule, Maximilianum Sandæum, commentationum Academicarum volumine 1°. monito 2°. Procœmiali.

8. *Bona conſuetudo ſeruanda eſt; ſed non ſe ſolâ*] Monet proloquium, bona opera frequentanda eſſe, & vſum eorum ſeruandum, non ex ſolâ conſuetudine; aut ad oculum, vt dicitur; vel quia alij idem communiter faciunt; verum ex illo ſemper motiuo, eâque intentione, quæ in virtutum exercitijs requiritur: non quod facilitas ex conſuetudine orta perfectionem operis, aut valorem meritumve imminuat; ſed quia omnis bona actio bonum operantis affectum poſtulat. Pro cuius maiore explicatione notandum eſt, exercitium virtutis poſſe alicui facile reddi, primò ratione ſui, ſiue quia in ſe facile eſt, 2° ob naturales, alias indifferentes conditiones operantis, vt ſi in tale opus naturaliter inclinetur, vt, ſi dines ſit, ac potens: facilior enim erit datio eleemoſynæ, & ita in alijs. 3° ob conſuetudinem vel habitus virtutum acquiſitos. Facilitas orta ex primo, & magis ex ſecundo, licet nata ſit ex vnâ parte reddere opus perfectius, & magis meritorium, quatenus eius amorem ferè efficit intentiorem & conſtantiorem; quia tamen eiuſmodi opera non exigunt amorem finis tam perfectũ, quam opus difficile, ex oppoſitis rationibus; ideo ferè procedunt ex amore finis minus perfecto ac meritorio: Facilitas autem ex tertio ſolo, ſemper omni ex parte reddit opus perfectius; quia eſt cauſa, cur operans honeſtatem obiecti efficacius ac magis appretiatiuè, magiſque intenſiuè & extenſiuè, ſiue conſtantiùs ac diutius amet, vt per ſe patet, & experien-

tia docet: Neque per hanc vlla ex parte operis præſtantia, aut vtilitas ad finem minuitur. Dicitur nihilominus bona conſuetudo ſeruanda eſſe, non ex ſolâ conſuetudine, ſiue pro formâ, vt aiunt; quia nouo ſemper ſpiritu & interno ſenſu vel formali, vel virtuali certè vnumquodque virtutis exercitium inchoari ac perfici oportet.

TITVLVS XVI.

DE ARTE.

DISTINCTIO PRIMA.

Varia Artis acceptio.

1. NOmen Artis tribus præcipuè modis accipitur. 1° latiſſimè pro quolibet habitu intellectus cognoſcitiuo, ſiue practicus ille ſit, ſiue ſpeculatiuus. Ita ſumitur ab Ariſtotele l. 1. Metaph. c. 1. & alibi. 2° minus latè pro ſolis habitibus practicis, tam actiuis, quàm effectiuis. Ita accipitur l. 1. Ethicorum c. 1. & alibi. 3° ſtrictiſſimè pro ſolis habitibus practicis effectiuis.

2. Ars primo modo ſumpta definitur, *Collectio multarum de vnâre comprehenſionum ad finem aliquem vtilem vitæ.* Traditur à Galeno c. 5. Introductionis, à Cicerone lib. 4. Academicarum Quæſtionum, & communi Philoſophorum conſenſu celebratur. Alij artem primo modo acceptam definiunt, Habitum, qui inclinat ad cognitionem veritatis, ſiue is ſiſtat in illâ cognitione, qui dicitur habitus ſpeculatiuus; ſiue non ſiſtat; ſed vlterius pergat ad praxim, qui dicitur habitus practicus.

3. 2° modo, *Ars eſt habitus, qui verſatur circa obiectum operabile modo operabili.*

4. Tertio denique modo Ars accepta eſt habitus verâ cum ratione factiuus, cuius operatio tranſit in materiam externam, & opus poſt ſe relinquit; ſiue vt inquit Ariſtoteles 9. Ethic. c. 3. *Ars eſt recta ratio factibilium*, id eſt, eorum, quæ per externam & tranſeuntem factionem perficiuntur; vt mox fuſiùs explicabitur. Primo & ſecundo modo ſumitur ars impropriè, tertio modo propriè.

5. Præter has Artis acceptiones eſt adhuc alia impropriiſſima, & omninò vulgaris, qua adhibetur ad ſignificandos non modo habitus agnoſcitiuos; ſed appetitiuos etiam; & alias quaſcunque facultates; quo ſenſu Plutarchus in Ageſilao, *Arte parendi*, inquit, *& imperandi nulla eſt præſtantior*, & Ariſtoteles l. 1. Politicorū: *Ars acquiſitiua cibi naturalis eſt animalibus.* Etſi verò Ars propriè accepta ſit de Prędicamento Qualitatis: hic tamen de ea agetur, tum ob magnam illius cum natura conuenientiam; tum quia latiùs hic accipitur prout generatim cooperatur Naturæ & cauſis rerum.

DISTINCTIO II.

Quid Ars & Quæ eius dignitas generatim.

1. ARS *eſt habitus verâ cum ratione factiuus operis.*] Ita Ars propriè dicta rectè definitur ab Ariſtot. l. 6. Ethic. c. 4. quia intellectum artificis inclinat ad rectè & promptè concipiendū ea, quæ ad opus Artis pertinent, nempe ad efformādam animo ideam, ad concipienda media & inſtrumēta neceſſaria ad opus perficiendum; & denique ad dirigendam potentiam exequentem in effectione operis. Talis

enim habitus ideo ponitur, vt intellectū per se indeterminatum ad bene vel malè operandū, determinet & inclinet ad bene tantum operandū. Dicitur autem Ars propriè dicta esse habitus *factiuus* potius, quam *actiuus*; quia eius operatio transit in materiam externam, vt v. c. ædificatio domus, &c. non verò manet in intellectu aut voluntate, vt actus & discursus philosophici.

2. *Ars omnis de se bona est, & ordinatur ad bonum.*] Sumitur ex l. 1. Magnorum moralium c. 2. & ex initio l. 1. Ethicorum ad Nicomachum quem Aristoteles, more suo à celebri isto pronunciato auspicatur: *Omnis ars, omnisque doctrina, atque actus, itidem & electio bonum quoddam appetere videtur. Quapropter bene veteres, Bonum ipsum id esse dixerunt, quod omnia appetunt*, in eundem sensum Albertus M. 1. Ethic. tract. 3. c. 2. docet, omnem Artem boni alicuius esse operatricem; licet abusus artis aliquando sit causa mali: vt cum aliquis, v. c. Iurisprudentiâ, aut Medicinâ, aut Eloquentiâ, vel aliâ qualicunque scientiâ ac facultate naturali abutitur in suam vel aliorum perniciem verum hoc non oritur ex ipsâ arte secundum se; sed ex maligno artis abusu. Vt rectè obseruat Fonseca l. 7. Dialecticæ cap. 24.

3. *Nulla ars de se ordinatur ad malum.* Sumitur ex lib. 1. Ethic. c. 1. vt patet ex proximè dictis.] Ratio huius & præcedentis effati est; quia ars omnis, siue propriè dicta; quæ est recta ratio factibilium; siue latiùs accepta, prout alias etiam scientias complectitur, est virtus intellectualis: omnis autem virtus intellectualis in suo genere simpliciter bona est; cum nemo possit illâ malè vti intellectualiter, vt docet Aristoteles & alij Philosophi. Vnde cum artifex quispiam malum exercet artificiū, id non rectè dicitur opus artis; sed

potius contra artem, ac vitium illius, quemadmodum etiam, cum aliquis verum ſciens mentitur, hoc quod dicit, non eſt ſecundum ſcientiam, ſed contra ſcientiam, vt docet D. Thomas 1. 2. qu. 56. ar. 3. & alibi.

4. *Ars eſt ordinis & compoſitionis magiſtra.*] Quia nimirum per Artis præcepta, quæ antea vel confuſa erant, vel diſſipata in ordinem rediguntur, & quaſi in vnum harmonicè coaleſcunt. Cæterum quæ in Artis commendationem hactenus attulimus, vel adferemus in ſequentibus, intelligenda ſunt de ijs ſolis & omnibus, quæ veram & eſſentialem Artis rationem participant; Illæ ſiquidē omnes, *ſemina quædam ſunt rectitudinis, in communem vitæ vtilitatem*, vt inquit Plutarchus in libello de fortunâ: Quanquam verò aliquæ earum, quæ in Artium numero computantur, ad morum labem & humanæ vitæ incommoda ſæpe comparentur; non idcirco tamen rejiciendæ ſunt omninò & condemnandæ, vti neque Phyſica, v. c. propterea reprobanda eſt, quod ab aliquibus ad turpem quæſtum vel inanem gloriam dirigatur. Etenim omnis omnium omninò rerum etiam malarum cognitio, in ſe ſumpta ſimpliciter bona eſt, & in diuino intellectu haud dubiè reperitur; neque cognoſcere mala; ſed facere, turpe eſt; Nec ad artis rationem pertinet bonitas finis moralis; cum ab Artifice non requiratur, qua voluntate opus efficiat; ſed quâ ſolertiâ & ſtudio regulam artis ſeruet, vt ex doctrinâ Ariſtotelis docet S. Thomas 1. 2. q. 57. a. 3. & 4. At verò magia præſtigiatrix, aliæque veteratoriæ ac maleficæ Artes, quæ in ſolo fœdere Dæmonum ad certa verba ac ſigna accurrentium poſitæ ſunt, vti ſecundum Artis principia verâ cum ratione non procedunt, ita ex omnium artium laudandarum numero ſunt prorſus exterminandæ.

Digitized by Google

Vide, si placet, D. Thomam 2. 2. q. 169. art. 2. ad quartum.

5. *Sua cuique ars pro viatico est.*] Significat prouerbialis ista sententia certissimum viaticum esse scientias & artes: neque enim auferri à prædonibus aut eripi possunt, & quocunque terrarum sine onere comitantur, ac medium sunt parando victui aptissimum & honestissimum, vt qui illas possident, vbique gentium viuere honestè possint: Nam, vt in alio prouerbio dicitur: *Artem quauis alit terra.* Ita Dionysius Siciliæ tyrannus imperio exutus ludum Corinthi aperuit, & litteras pueris tradendo vitam tolerauit.

DISTINCTIO III.

De Arte in ordine ad Naturam.

1. *ARS supponit Naturam. Est commune dictum Philosophorum.*] De quo videri potest Alexander de Ales 8. Metaph. t. 4. vbi inquit, inter alia, *Artem fabricare super entitatem factam à Naturâ.* Etenim quemadmodum Natura generationi præsupponit materiam à Deo creatam; ita Ars suæ effectioni materiam à Naturâ productam, id est, compositum naturale, quod à Philosophis etiam *Natura* appellatur; cum sit adæquatum & principale principium motûs & quietis naturalis, ac radix operationũ omnium physicarũ. Quare tres sunt gradus res producendi. Deus producit ex nihilo; Natura ex ente incompleto, id est, ex materiâ primâ; Ars ex completo, id est, composito physico: Deus creando, Natura generando, Ars efformando seu figurando.

2. *Ars incipit, vbi natura deſinit.*] Patet huius ſenſus ex præcedentis effati explicatione: idcirco enim Ars ibi incipere dicitur vbi Natura deſinit; quia eius ſubiectum eſt ens phyſicè cõpletum ſeu actuatum, & formæ artis adueniunt rei iam in ſuâ Naturâ perfectæ & abſolutæ, id eſt, toti compoſito naturali habenti perfectionem naturalem, ſiue eſſentialem ſibi conuenientem. Vide, ſi placet, Commentatorem in 12. Metaph. comment. 3. vbi ait inter cætera, *Artem nihil efficere in corpore, niſi in extremitatibus tantum* : *Naturam verò operari in ipſo corpore toto.* Iuxta hunc ſenſum intelligi & explicari poteſt dictum iſtud Philoſophi.

3. *Ars eſt principium in alio, natura in ipſo.* l. 12. Metaph. t. 13.] Significatur hoc proloquio diſcrimen cauſalitatis inter Artem & Naturam, quod illa extrinſeca ſit & accidentalis; hæc verò intrinſecâ & eſſentialis. In eundem ſenſum ait Commentator in 2. Phyſic. tex. 86. *Ars agit extra, natura intra.* Hæret enim ars in extremâ ſuperficie; at natura penetrat ipſa viſcera materiæ. Vide, ſi placet, Simplicium in textum citatum. Vide etiam quæ diximus ad illud : *Natura opifex, Medicus eſt miniſter*, & ad illud : *Natura optimus eſt ſui ipſius medicus.*

4. *Ars perficit Naturam.* Sumitur ex 2. Phyſic. c. 3. t. 79.] Non quidem ſimpliciter perfectione phyſicâ eſſentiali, ab arte Natura perficitur; ſed ſecundum quid perfectione accidentali; partim quia multifariè effecta Naturæ componit & concinnat, excogitatque in dies noua quędam & admiranda, vt ſunt pyxis nautica, bombardæ ac tormenta quaſſatoria, puluis nitratus, typographia, &c. partim, quia modificat opera Naturæ, vt ars ſaltatoria motum pedũ, ars cancndi vocem, ars bene dicendi facundiam

Digitized by Google

naturalem, &c. Quo ſenſu bene Cicero l. 1. de Oratore: *Quæ bona ſunt*, inquit, *meliora fieri poſſunt arte; & quæ non optima acuitamen & corrigi poſſunt.* Quanquam enim non ea vis Artis ſit, vt totum aliquid, cuius in nobis nulla à naturâ ſemina ſunt, parere & procreare queat, iuxta illud vulgare: *Arte non conceditur, quod naturâ negatur*: Ea tamen illius efficacia eſt, vt ea, quæ à naturâ producta & procreata ſunt, educet atque confirmet. Iuxta hanc explicationem intelligendum etiam eſt iſtud.

5. *Ars certior dux eſt, quàm Natura.*] Tullius l. de claris Oratoribus, rationem aſſignat ibidem; quoniam illa efficit, vt quæ à naturâ poſſimus, non temerè aut fortuitò fiant; ſed prudenti conſilio, & rectâ artis regulâ dirigantur, ideóque maioris ſint efficacitatis: hoc ſenſu idem alibi inquit, *In arte & doctrinâ plus eſſe præſidij, quàm in naturâ*; Et D. Ambroſius: *Tantum valet*, ait, *inſtitutio, vt vincat naturam*; non quod illa naturam in aliam vertat, quaſi equum in leonem; ſed quoniam perficit illam; ſi bona eſt; Et, ſi ad malum inclinata, frequenti contrariorum exercitatione quaſi in aliam formam felici morum metamorphoſi immutet. Vide, ſi placet, quæ diximus ad illud: *Conſuetudo eſt altera natura.* Tit. 15. diſt. 7.

6. *Ars ſupplet defectum Naturæ.*] Sumitur ex l. 7. Politicorum c. 17. & vltimo, vbi ſub finem Philoſophus ait, *Artis omnis omniſque doctrinæ hunc eſſe ſcopum, vt id, quod naturæ deeſt, arte ſuppleatur.* Eáque de causâ Philoſophus loco citato, explicatis ijs, quæ partim ad filiorum procreationem pertinēt, partim etiam, quæ ad neceſſariā vitæ ſuſtentationem, vt ſunt cibi, exercitationes, & ſimilia; aggreditur mox explicationem eorum, quibus eadē natura excolitur & perficitur, docetq; pueros, ſimulatq; per ætatē licet,

optimis artibus eſſe, ac moribus inſtituendos, eamque doctrinam toto libro Politicorum octauo perſequitur. Verum itaque pronunciatum eſt, eodem ſenſu, quo dicitur, *Ars perficere naturam.* Supplet enim Ars defectus naturæ, perficiendo, & explendo illa, in quibus natura deficit: ſic Arte & Scientia excolitur animus humanus, perficiturque in ordine ad ea, ad quæ Ars quælibet vel ſcientia dirigitur, vt v. c. Muſica ad excolendam vocem, Paleſtrica ſiue Gymnaſtica ad res bellicas fortiter adminiſtrãdas, & ita de cæteris. Senſus moralis huius effati præclarus eſt: ſi enim naturâ debilis ſis, aut corpore deformis, aut ſtemmate ignobilis, aut fortunâ egenus, arte & ſcientiâ teipſum perfice: hæc namque corpus & animam, ditat, ornat, nobilitat. Veriſſimè Plutarchus: *Si exiſtimas minus feliciter natos, inſtitutionem tamen & exercitationem ſortitos, ad virtutem rectam non poſſe vitium naturæ corrigere, ſcito, magnopere te, vel potius omninò falli: ſiquidem naturæ dotem labefactat ſecordia, prauitatem doctrina emendat.*

7. *Ars imitatur naturam,* Sumitur ex l. 2. Phyſicorum t. 22. & alijs, ac refertur à D. Thomâ in 1. Politicorum lect. 1.] Quemadmodum Natura imitatur artem diuinam, ceu exemplar omnibus numeris abſolutiſſimum; ita Ars humana Naturam, quoad eius fieri poteſt perfectiſſimè æmulatur: patet id ex plurimis Artis effectibus ita affabrè & eleganter elaboratis, vt ipſos inter & naturæ opera, nihil ferè diſcriminis appareat. Ita Zeuxis vuas, Parrhaſius velamen ad viuum ſic expreſſit, vt ille auium, hic etiam hominum oculos falleret. Eâ de cauſa in plurimis Ars cum Naturâ conuenit, vt, quod agat ordinatè, quod agat propter finem, quod incipiat ab imperfectioribus, quod vt in naturalibus, ita in artificialibus valeat caſus, &c.

8. *Ars eſt ſimia naturæ.* Sumitur ex textu proximè citato, & ex libro de Mundo c. 6.] Quia nimirum plurima ad imitationem naturæ effinxit; vt proinde etiam, *altera natura* appelletur. Sic ex volatu, nauium didicit facere vela, ex piſcium pinnis remos, ex caudâ gubernaculum, &c. Vide, ſi placet, Albertum M. l. 1. de mineralibus, vbi inquit: *Etſi Ars imitetur naturam, tamen opus naturæ ad plenum attingere nequit.* Etenim Natura operatur per vires ſimpliciter efficaces, quæ nunquam errant, niſi per accidens ob inæqualitatem materiæ: Ars verò maximo labore, & erroribus multis, per mendicata ſuffragia ingenij & ignis? In eandem ſententiam D. Thomas Opuſculo 73. docet, *nunquam artem naturæ omninò coæquari poſſe, quantumuis ſolers artifex diligentiæ adhibeat.* Ex dictis patet, quamobrem dixerimus, ab arte naturam perfici, ſecundum quid, ſiue accidentaliter duntaxat; abſolutè enim & ſimpliciter potior eſt, ac prædominatur Natura. Conſule, ſi placet, Politico-Chriſtianũ Caroli Scribani l. 1. c. 5. §. *ſcio quæri ſolere.*

9. *Neque natura, neque ars deliberat.* 2. Phyſic. tex. 86.] Intelligitur de Naturâ generatim, prout ſupponit pro cauſis naturaliter agentibus, & verum eſt de omnibus ijs artibus, quæ per certa & determinata media ſuum finem conſequuntur, vt eſt Ars ſaltandi, ſcribendi, ædificandi; &c. Ita explicatur propoſitum axioma ab ipſo Ariſtotele l. 3. Ethic. c. 3. Eiuſmodi enim artes non deliberant, quoad ſpecificationem vſus ſeu exercitij, v. c. cantor an hoc vel illo modo, *Re*, vel *Fa* ſit canendum; niſi fortè muſicæ ignarus ſit, de quo minimè loquitur Philoſophus; quia in tali non ars ſed artis ignorantia dubium mouet: deliberant tamen quoad exercitium vel vſum ipſum, id eſt, vtrum exercere oporteat vel

non exercere opus artis. Aliæ verò artes, quæ per determinata media finem non attingunt, deliberant etiam, quoad ſpecificationem vsûs, vt ſunt ars medendi, nauigandi, & ſimiles : Neutræ autem neque hæ poſteriores, neque illæ priores quoad regulas artis deliberant; & hoc ſenſu ſimpliciter & vniuerſaliter verum eſt axioma : Omnis enim Ars habitus eſt, ac virtus intellectualis, certas, determinatas, & infallibiles habens leges ac regulas, quæ in dubium ac conſultationem per ſe reuocari non debent.

DISTINCTIO IV.

De Arte in ordine ad experientiam.

1. *EXperientia ſingularium eſt, ars vniuerſalium.* l. 1. Metaph. c. 1.] Vt exempli gratiâ, Experientiæ eſt, cognoſcere, quid hæc medicina hic & nunc conferat huic ægrotanti : Artis autem, ſcire, quod omnibus tali morbo laborantibus, talis profit medicina. Ex hoc axiomate probat Ariſtoteles loco citato, experientiam, ſi vſus eius, ſiue actio ſpectetur, non inferiorem eſſè arte; ſed potius ſuperiorem: *Videmus enim* (inquit) *expertos magis id, quod intendunt, conſequi; quàm illos qui rationem abſque experientiâ tenent* : Sæpe namque contingit vt qui arte præditus eſt, rerum ſingularium circumſtantias ignoret, quæ regulas vniuerſales mutare ſolent, atque ita ſæpius aberret à fine ſibi propoſito, quod tamen non ita facilè committet, qui vſu rerum atque experientiâ doctus eſt. Atque hoc ſenſu verum eſt iſtud :

2. *Artes vſu magis, quàm ratione conſtant.* Albertus M. 6. Ethic. Tract. 2. c. 1.] Nam qui vſum

rerum habent & experientiam, minus aberrant à ſcopo, fineve actionis, ac magis ſibi & alijs proſunt, quàm qui arte ſunt præditi, abſque rerum experientiâ. At verò, ſi ars & experientia inter ſe conferantur, non quoad vſum & vtilitatem præcisè; ſed quoad intrinſecam perfectionem in ratione ſciendi (Artis enim nomen latiùs hic ſumitur, prout habitus etiam ſcientificos complectitur) abſolutè dicendum eſt, longè præſtabiliorem eſſe artem, quam ſit Experientia; ac veros artifices, omnium ſententiâ, ijs, qui ſolo vſu & experientiâ valent, nobiliore ſapientiâ ornatos, & maiore honore dignos æſtimari. Iuxta illud:

3. *Poſſeſſio artis & ſcientiæ honorabilior eſt, quam experientiæ.* Sumitur ex citato iam capite 1°. lib. 1. Metaphyſicorum.] Ratio eſt; quia artifex & ſciens cognitas habet cauſas rerum: at verò qui ſolam habent experientiam, etſi rem eſſe cognoſcant, non tamen rei cauſam intelligunt: Quo fit, vt Architecti in maiore pretio habeantur; ac ſapientiores eſſe iudicentur, quàm qui manus arti adhibent ad opus perficiendum: Eò quod illi cauſas operis intelligant; hi verò veluti res quædam inanimæ, ea efficiant quorum cauſas ignorent. Ita ferè Ariſtoteles loco citato, vbi plures adducit rationes, quas vide, ſi placet.

4. *Natura facit habilem, Ars facilem, Vſus verò potẽtem.*] Refertur ab Alberto M. de Prædicabilibus c. 1. declaratur hoc dicto cõgruè diſcrimen inter naturã, artem & vſum: Natura enim vires cõfert, ſiue potentias naturales, quibus habilitatur homo ad ſua munia obeunda; Eaſdem vires ars facilitat & perficit, ne qua in opere moleſtia ſeu difficultas remaneat: vſus denique & experientia accedens facit, vt ea, quę ars in vniuerſali præſcribit, prudenter & feliciter

executioni mandare nôrit. Vide etiam, si placet, Albertum M. in 1. Ethicorum, Tract. 6. c. 3.

DISTINCTIO V.

De Arte in ordine ad materiam subiectam.

1. *A Domo, quæ est in animâ fit domus in materiâ.* 7. Metaph. t. 23.] Tria in artifice reperiuntur, & ad bene operandum sunt necessaria, primum est idea, id est, conceptus formalis practicus, siue imago faciendi operis, in intellectu artificis consignata. Dum est habitus practicus in eiusdem intellectu, inclinans illum & ad opus facilitans. Tertium est habilitas quædam in membris artificis, & in potentiâ exequente ad promptè & aptè perficiendum opus, secundum conceptam ideam. De primo intelligitur præcipuè pronunciatum; quia nimirum ad imitationem & directionem illius artifex elaborat opus. In hunc sensum Aristoteles 12. Metaph. t. 14. dicit, *Ea quæ fiunt ab arte, fieri ab agente vniuoco & simili*; nihil enim aliud significare intendit, nisi quod inter artificem & rem artificiatam, intercedat quædam similitudo idealis; siue quod effectus artis similis sit Ideæ, siue conceptui formali practico, quem de illo producendo artifex in mente habuit.

2. *Ars non quamlibet assumit materiam, sed aptam.*] Ratio huius propositionis est, quia Ars agit cum iudicio, & ratione, & imitatur naturam, cuius opus est opus intelligentiæ: Itaque cum *Quidlibet non fiat ex quolibet*, vt diximus Titulo *de Causâ efficiente*, & iuxta vulgare prouerbium, *non ex quouis ligno fiat Mercurius*, assumitur ab Arte & perficitur id, quod artificialis perfectionis capax est. Eodem sensu l. 2. de Gen.

de Gen. t. 40. dicitur, *Generatio non fieri ex quolibet, sed ex determinato.*

3. *Ars sibi facit materiam.*] Id est, prouidet sibi de re circa quam occupetur, eamque coaptat & disponit ad formam artificialem recipiendam. Sensus huius moralis facit ad laudem hominum industriorum ac prudentum; huiusmodi enim facilè inueniunt occupationem, aut materiam, circa quam honestè versentur; item in commendationem illorum Artificum, qui ex materiâ tenui & abiectâ, Artis opus æquè splendidè elaborant, ac alij ex materiâ pretiosiore: nam vt ait Commentator 12. Metaph. commento 18. *Artifex operans aliquid ex luto maiore admiratione dignus est, quàm alius idem operans ex auro.* In hoc enim non tam artis, quàm materiæ; in illo verò solius artis & ingenij dignitas elucescit; & verissimè dixit Galenus, l. 3. de vtilitate partium c. 10. *Idiotam sapere facit pulchritudo materiæ: Artificem verò pulchritudo artis.* Atque hæc fortsitan vna inter alias causa est, cur summus ille rerum omnium opifex Deus Parentem Protoplastam ex limo terræ procrearit, vt obseruat Cornelius à Lapide, & alij; nempe vt operis à se producti laus omnis, non in materialem; sed in causam referretur efficientem.

4. *Ars longa est, & vita brevis.*] Est commune Philosophorum axioma, vsurpari præcipuè solitum in Quæstione, An intellectus humanus possit res omnes distinctè cognoscere, & desumptum ex l. 1. Aphorismorum Hippocratis, cuius initium auspicatur his verbis: *Vita brevis, ars verò longa, occasio præceps, experimentum periculosum: iudicium difficile:* verissimè nimirum, & non scitè minus quàm eleganter, & pro loco accommodatè. Sumitur autem nomen Artis hic non ita presè & propriè; sed latius, pro qualibet scientiâ & cognitione; siue Medica illa

ſit (de quâ potiſſimum loquitur Hippocrates) ſiue Politica; ſiue Philoſophica, ſiue Theologica: omnes enim huiuſmodi facultates, ob ſummam rerum, quas continent varietatem, multiplices ſunt ac vaſtæ, & à diuturno rerum vſu, longâque experientiâ dependent; ita vt omnibus experiundis nequaquam par ſit exigui temporis induſtria. Monet itaque his verbis Hippocrates, Aphoriſticam doctrinam, cum in medicâ facultate, tum in alijs etiam ſcientijs, inprimis vtilem eſſe, & vitæ humanæ accommodam; eò quod breuiſſimo ſermone omnia ferè, eaque generaliſſima Artis præcepta contineat, tradatque regulas breues & certas, ex quibus progrediens quiſpiam, ſine temporis iacturâ veram ſui conatûs metam conſequatur; quâ de cauſâ Hippocratis exemplo complures inducti fuêre, vt axiomata, dicta, Aphoriſmos, hypomneſes, & alijs etiam facultatibus colligerent, & ſcientiarum generale quaſi ſeminarium non minori breuitate, quàm vtilitate erigerent: Monet item, *vt ne tempus in inutilia impendamus; verũ quàm maximo ſtudio feſtinemus viam incedere compendioſiſſimam, nempe per ea, quæ in arte ſunt vtiliſſima*, vt inquit Galenus, lib. 6. c. 1. de ſimplic. Medic. Quo maiore illi ſunt reprehenſione digni, qui cum ſe artium ſtudioſos profiteantur, vitam in otio degunt, & nullius rei minorem, quam temporis rationem habent.

DISTINCTIO VI.

De Artifice.

1. *BOni Artificis eſt, priùs fingere, poſtea facere.*] Monet effatum pertinere ad artium peritos,

vt in operando minimè temerarij ſint,& rationabiliter in omnibus procedant; ac proinde debere illos prius mẽte cõplecti ideam ſeu formã operis faciẽdi; ad cuius ſimilitudinem artificiatũ opus efficiant,& à quâ in agendo dirigãtur,iuxta illud: *A domo, quæ eſt in mente, conſtituitur domus in materiâ*, vt explicatum diſtinc. 5. Sumitur autem propoſitum effatum ex Plinio l. 35. Hiſtoriæ nat. c. 12. vbi Patilem laudat nobilem Architectum; *qui cum eſſet in ſuâ arte ſummus, nihil vnquam fecit, antequam finxit.*

2. *Quilibet artifex naturaliter diligit ſuum opus.* 9. Ethic. c. 7.] Rationem Ariſtoteles aſſignat ibidem; *quia ſumus operatione & actu: Nam viuendo ſumus atque agendo, qui igitur fecit, eſt actu ſuum quodãmodo opus: diligit itaque ſuum opus; quia amat ſuum eſſe.* Quæ Ariſtotelis ratio non tantum procedit de actione, ſiue actuali operatione Artificis; ſed etiam de termino ſiue effectu operis, vt perſpicuum eſt ex ipſo contextu, vbi id declarat exemplo Poëtarum, qui ſua, vt inquit, poëmata diligunt ſupra modum, & perinde atque filios amant; vti ſcribitur de Terẽtio, qui ſuis comœdijs caſu in mare delapſis, deſiderio ipſarum in ipſum mare deſiluit: nec abſimile quiddam de C. Cæſare, de Homero, & alijs legitur.

3. *Faber adeſt ligno, & figulus limo.* Elicitur ex l. 2. de gener. animalium c. 20.] Vti quilibet opifex naturali propenſione fertur in ſuum opus, iuxta ſuperius pronunciatum; ita ſimiliter, & ſimili de cauſâ, libenter & quaſi familiariter verſari vnuſquiſque ſolet, circa ſuum obiectum, & conſequenter circa eas, quas vtrumque ſibi annexas habet circumſtantias; idque non opere duntaxat; ſed ſermone etiam & cogitatione, iuxta illud:

Nauita de ventis, de tauris narrat arator,
Enumerat miles vulnera, paſtor oues.

Et generatim suo quisque vitæ instituto, studioque impensè delectatur, vt apud A. Gellium docet Plato: accidit illis, ait, illud Euripidis: qua in re clarus quisque est, ad eam properat, & diei partem illi plurimam impertit: contra, in quâ stupidior ac nihili est, inde effugit eamque contemnit.

4. *Quam quisque norit Artem in hac se exerceat*] Vetus istud à Græcis translatum prouerbium, vsurpat & approbat M. Tullius l. 1. Tuscul. q. non procul à principio, vbi coërcet Asophi cuiusdam audaciam ingerentis sese in tractationem rerum à suo foro alienarum, monétque, vt quæ philosophica sût, Magistro relinquat Aristoteli, & canere ipse doceat, cum aptior sit ad canendum, quam philosophãdum; in quam sententiam Horatius in arte Poëticâ:

Ludere qui nescit, campestribus abstinet armis,
Indoctusque pilæ, discive, trochive quiescit. Et
Nauem agere ignarus nauis timet: abrotanum ægro
Non audet, nisi qui didicit, dare. Quod Medicorũ est,
Promittunt medici, tractant fabrilia fabri. &c.

Monet itaque sententia, vt quisque intra suos sese limites contineat & in messem alienam falcem ne mittat. Ratio est, quia temerarium videtur, in peregrina & ignota se immiscere negotia, & illotis, quod aiunt, manibus rem egregiam imperitè suscipere. Rectè Apelles apud Plinium l. 35. c. 10. Alexandro Magno in officinâ multa imperitè differenti de picturâ, comiter suasit silentium, admonens illum rideri, à pueris qui colores terebant.

5. *Miserum est artem profiteri, & ad eius perfectionem non aspirare.*] Citari solet hoc dictum ex Cassiano collatione 19. c. 5. vbi quidem in istis terminis expressè non habetur; quoad sensum tamen manifestè traditur: Ait enim in fine capitis: *Miserum est cuiuslibet artis vel studij disciplinam quempiam profiteri, &*

ad perfectionem eius minime peruenire. Admonet autem, quemadmodum honorificum est, in suo quemque statu & officio esse perfectum; ita turpe videri, ad illius perfectionem nullo studio contendere. Sic etiam miserũ est, si homines huius seculi, vt Iudices, Aduocati, Aurifabri, Pictores, &c: honori sibi ducant, quod sint in suis munijs perfecti: Christianus autem, quâ talis est, nec magni faciat, nec sibi honori tribuat, quod sit Christianus perfectus.

PARS QVINTA.

DE DIVERSIS ENTIVM creatorum generibus.

POstequam de Ente in communi, & de Deo, qui est Ens Entium infinitum, ac de reciprocis Entis proprietatibus, aliisque quæ eo pertinent, axiomata sunt explicata; ad Entium particularium & prædicamentalium axiomata descendere necesse est; ad quorum explicationem, præmissis diuisionibus necessarijs iam accingemur.

1. Ens finitum seu creatum diuiditur primo in substantiam (scilicet creatam) & in accidens: licet verò dari possint aliæ diuisiones Entis creati, æquè primæ & immediatæ, vt cum diuiditur in completum & incompletum, in absolutum & respectiuum, &c. tamen diuisio assignata longè aptior est, cæteris, vt rectè notat Suarez, disput. 31. Metaphysicæ,

sect. 1.& seqq. Et propriè ordinatur ad distinguenda prædicamenta, & genera rerum, de quibus deinceps agendum.

2. Substantia diuiditur in primam & secundam. Prima substantia est, quæ neque de subiecto vllo dicitur, neque est in vllo subiecto: secundę substantię sunt genera & species, in quibus insunt primæ. Ita Aristoteles capite de Substantia.

3. Accidens diuiditur generatim in 9. summa genera, quæ sunt Quantitas, Qualitas, Relatio, Actio, Passio, Vbi, Situs, Quando, & Habere. Hæc cum substantiâ constituunt denarium numerũ prędicamẽtorum, qui à Philosophis communiter est receptus.

TITVLVS XVII.

De Substantia generatim.

DISTINCTIO PRIMA.

Varia Substantiæ acceptio.

1. SVbstantiæ nomen quatuor potissimè modis sumitur, 1° pro quauis essentiâ rei, siue res illa sit substantia, siue accidens; ita accipitur in Categorijs cap. 1. Secundò accipitur pro qualibet re, quæ non est accidens, siue quæ distinguitur contra accidens, siue completa illa sit, siue incompleta. Ita sumitur l. 1. Phys. c. 6. vbi materia, forma, & substantiales differentiæ vocãtur substantiæ, & 7. Meta. t. 7. vbi substantia diuiditur in materiam, formã, & compositũ. 3° pro solâ substantiâ completa, siue prima sit, siue secunda. Ita accipitur in Categorijs c. 5. & alibi passim. Quarto denique pro solâ prima substã-

Digitized by Google

tia; quo ſenſu Ariſtoteles 7. Metaph. c. 14. negat genera & ſpecies ſubſtantiarum eſſe ſubſtantias. Prima acceptio communis eſt, ſecunda propria, tertia magis propria, quarta maximè propria.

DISTINCTIO II.

Quidditas & Natura ſubſtantiæ.

1. *Solius ſubſtantiæ eſt definitio.* Sumitur ex 7. Metaph. t. 12. & 18.] Vbi confert Ariſtoteles ſubſtantiã cum accidente, & illius ſolum dicit eſſe definitionẽ; nempe eſſentialem & abſolutã: licet autem accidentis etiã dari poſſit definitio propria & eſſentialis; eſt tamen hæc reſpectiua, & fit cũ additamẽto, ſicuti enim accidens non eſt ens per ſe abſolutè ſubſiſtẽs; ſed *Entis Ens*, & ex naturâ poſtulans inhærere alteri, id eſt ſubſtantiæ; ita eius quoque definitio fit per habitudinem ad ſubſtantiã. Vnde dicit Ariſtoteles, accidens *non poſſe definiri niſi cum additamento*, ac proinde ſolius ſubſtantiæ dari definitionem abſolutã ſine alterius additamento, vt fuſiùs explicatum eſt ſupra Titulo *de Ente generatim*. Innuitur ergo præſuti effato, accidentia imperfectius definiri, quàm ſubſtantias: cum in hiſce definiendis nihil per ſe extrinſecũ adjiciatur, prout ſubſtantiæ ſunt: in illorum verò definitione ſemper habeatur reſpectus ſubſtantiæ vel ſubiecti: vt qui Simitatem rectè definire intendit, non faciet id ſine reſpectu & ordine aut intentione naſi. Vide, ſi placet, Suarez l. 7. Metaph. c. 4. in indice copioſo, & diſp. 37. ſect 2. num. 15.

2. *Subſtantia eſt Ens per ſe ſubſiſtens.* Sumitur ex Categoriarũ c. 5.] In hoc differt ſubſtãtia ab acidẽte, quod hoc ſit Ens in alio, ſiue cũ habitudine ad aliud, quodq; naturaliter non exiſtat, niſi in aliquo ſubiecto

inhęsionis. Ipsa verò substãtia independẽter ab alio sustentante, per seipsam naturaliter cohæreat, & existat. Intellige de substantia completâ & prædicamentali, iuxta acceptionem substantiæ tertiam: nam si de qualibet re substantiali siue completâ, siue incompletâ sermo sit, iuxta acceptionem secundam, non satis commodè distingui videtur substantia & accidens per dependentiam à subiecto, vel non dependentiam, vt inquit Hurtado. Nam forma substantialis potest à subiecto pendere; & tamen non est accidens: item omnes ferè modi substantiales necessariò dependent à subiecto, nec tamen computari proinde solent inter accidẽtia. Differt ergo omnis substantia ab accidente; quia est ens per se, id est, per suum conceptum constituens aliquid, quod absolutè vocamus *Rem*, & est prima radix omnium proprietatum & accidentium, eáque propter est substantia; licet sit dependens. Consule, si placet, Hurtado disput. 18. Metaphysicâ, sect. 2. & 3. Dicitur autem substantia absolutè *Res*, quemadmodum absolute *Ens* dicitur, accidentia autem vti per se absolute non constituunt rem, ita neque absolutè dicuntur entia, sed *Entis Entia*; quia accidunt, seu accedũt rei iam in suo esse constitutæ.

3. *Primæ substantiæ magis substantiæ sunt, quàm secundæ.* c. de Substantiâ.] Confert hoc loco Aristoteles substantias inter se, & ait primas esse maximè substantias; quia, vt arguit, cum substantia à substando dicatur, illæ dicendæ sunt maxime substantiæ, quæ maxime substant, sed primæ siue singulares maximè substant: Nam & accidentibus substant & substantiis secundis. Simili ratione probat species substantiarum magis esse substantias, quam genera; quia nimirum pluribus substant species: vt homo, v. c. pluribus substat, quàm animal; substat enim

Digitized by Google

omnibus quibus ſubſtat animal, id eſt prædicatis ſuperioribus, & præterea ipſi ſubſtat animali. Vide, ſi placet, Hurtado diſputatione citatâ, ſect. 2.

4. *Genera & Species ſubſtantiarum non ſunt ſubſtantia. 7. Metaph. c. 13.*] Sumit hoc loco Ariſtoteles terminum, ſubſtantia, pro ſolis ſubſtantijs primis & indiuiduis, quales vtique non ſunt genera & ſpecies ſubſtantiarum. Pro maiore autem huius & præcedentium explanatione. Notandum eſt primò dupliciter ſubſtantiam ſubſiſtere per ſe, primò mediatè, ſiue in actu ſignato, ſeu ſecundum conuenientiam. Hoc pacto ſecundæ ſubſtantiæ dicuntur ſubſiſtere per ſe; quia ſcilicet illis primò conuenit ſubſiſtētia; etſi eam per ſe immediatè non recipiant; ſed per ſua indiuidua ſiue per primas ſubſtātias. Secundò immediatè & in actu exercito; quo pacto ſolæ primę ſubſiſtunt per ſę, iuxta propoſitum axioma; quia ſcilicet per ſe & immediatè participant ſubſiſtentiam â parte rei. Notandum ſecundo, ſubſiſtere per ſe tribus potiſſimum modis ſumi apud Philoſophos, primo pro eſſe per ſe, id eſt, non eſſe in alio, vt accidens in ſubiecto inhæſionis; quomodo ſubſiſtere per ſe conuenit omnibus omninò ſubſtantijs, etiam incompletis. Secundo pro eſſe non in alio, vt pars in toto, aut forma in ſubiecto; quo pacto conuenit ſolis ſubſtantijs compleţis. Tertio pro ſubſiſtere incommunicabiliter; quo pacto conuenit ſolis ſuppoſitis: Genera autem & ſpecies ſubſtantiatum communicabiles ſunt; ac proinde hoc ſenſu neque ſubſiſtere dicuntur, neque eſſe ſubſtantiæ iuxta propoſitum axioma.

5. *Ablatis primis ſubſtantijs impoſſibile eſt aliquid remanere.* cap. de Subſtantiâ.] Senſus eſt, ſi primæ ſubſtantiæ omninò ſecundum ſuas partes aboleantur, naturali neceſſitate tolli etiam ac perire ſecun-

cas, & omnia accidentia, quæ inhærebant; quoad existentiam scilicet, & omnem essentiam realē actualem: non verò quoad esse obiectiuum & potētiale, vt perspicuum est ex illis, quæ diximus supra, ad illud, *Essentiæ rerum sunt æternæ*, &, *Vniuersalia sunt incorruptibilia*. Dixi, naturali necessitate perire reliqua; quia licet substantiæ secundę, & omnia omninò vniuersalia nec separari possint, nec existere realiter absque singularibus, etiam per Dei potentiam: pleraq; tamen accidētia indiuidua sublatis primis substātijs subsistunt virtute diuinâ, vt patet in venerabili Sacramento. Hinc primæ substantiæ dicuntur esse basis ac fundamentum omnium eorum, quæ ponuntur in prædicamento.

6. *Substantia non componitur ex non substantijs.* 1. Phys. t. 52. & 7. Metaph. c. 15. t. 47. Ratio est; quia alioqui vel componeretur ex nihilo, vel ex accidente; cum inter substantiam & accidens nihil detur medium, vt explicabitur Titulo *de Accidente*. Neutrum autem fieri potest, vt per se planum est, & fusiùs explicatum est, Titulo *de Causis in genere*.

7. *Substantia non est per se sensibilis.* 2. de Animâ t. 65. & alibi. Ratio huius est; quia substantia primò & per se non potest mouere sensum, aut mittere suas species in sensum: cum omne omnium sensuum obiectum formaliter inter accidentia computetur, vt patet inductione: percipitur tamen substantia eodem actu, quo accidentia illius; sed secundariò & implicitè, quatenus est coniuncta & inuoluta accidentibus, quæ per se primò & explicitè à nobis cognoscuntur, vt docet Aristoteles 2. de Animâ t. 64.

Digitized by Google

DISTINCTIO III.

De Subſtantia in ordine ad accidens.

1. EX *accidentibus cognoſcitur ſubſtantia.* Sumitur ex l. 1. de Animâ, t. 11.] Intelligitur de accidentibus proprijs & connaturalibus rei, idque viâ inuẽtionis & quoad nos: cum enim cognoſcimus, proprietates, effectus & materialia accidentia alicuius ſubſtantiæ per proprias ſpecies, intelligimus illa non eſſe per ſe; ſed inhærere alicui alteri, à quo ſuſtententur, & à cuius naturâ connaturaliter profluant; atq; ita indirectè ac per diſcurſum formamus conceptum ſubſtantiæ. Et ſanè ſi rerũ omniũ proprietates intimè nobis eſſent exploratæ, earũ quoque eſſentiæ longè clarius innoteſcerent, & vt aiebat olim Hermes ille Triſmegiſtus, quẽ laudat M. Albert⁹ l. 2. Miner. c. 2. *Facere poſſemus, quidquid per magicas cõficitur artes.*

2. *Subſtantia eſt prior ratione, quàm ſit accidens.* 7. Metaph. c. 1.] Communis explicatio eſt, ſubſtantiam eſſe perfectiorem definitione, ſiue perfectiùs definiri, quàm accidens; de hoc autem prioritatis genere loqui Ariſtotelem, patet ex ipſo contextu, & mox videbimus. Ratio propoſitionis clara fit ex ijs, quæ diximus ad illud: *Solius ſubſtantiæ eſt definitio*; quia nimirum ſubſtantia, vti per ſe ſubſiſtere, ita nihilo minus per ſe abſolutè definiri poteſt ſine accidentibus; cum illa propriè & eſſentialiter definiri nequeant, niſi in ordine ad ſubſtantiam. Item ſubſtantia in ſuâ eſſentiâ & conceptu eſt independens ab accidente: Accidens contra dicit intrinſecum ordinem ad ſubſtantiam, tanquam ad ſuum ſubiectum: Illa ergo ſine hoc definiri poteſt; hoc verò non ſine illo

3. *Substantia est prior cognitione, quàm sit accidens,* ibidem.] Nimirum secundum se, & ordine accuratæ doctrinæ. Ratio est ; quia substantia, prior naturâ est & entitate, quàm accidens, vt iam dicetur. Ergo etiam cognitione ; quia *sicuti se res habet ad esse, ita etiam ad cognosci*, vt explicabitur infra, Titulo *de Potentiâ Cognoscitiuâ*. Item substantia est principium & causa suarum passionum, & accidentium; Ergo perfecta cognitio proprietatum & accidentium dependet à notitiâ substantiæ perfectâ : licet prima & confusa huius cognitio in nobis oriri soleat, ex cognitione præuiâ accidentium ; eò quod omnis nostra cognitio pendeat à sensu. Itaque substantia prior est cognitione actuali distinctâ secundum se, quàm sit accidens; quod secũdum nos prius cognoscitur, saltem confusè. Ac licet id, quod primò in nostram notitiam venit, sit aliquid concretum, siue compositum est tamen concretum non substantiæ verum accidentis, siue est accidens in concreto sumptum ; quia substantia non est primò & per se sensibilis, vt diximus ex Aristotele 2. de Animâ t. 65.

4. *Substantia est prior naturâ, quàm accidens.* ibidem.] Ratio est, quia hoc ab illâ dependet, veluti effectus à suâ causâ. Cum enim omne accidens ex naturâ sua sit Entis Ens, & per se existere aut cohærere in rerum naturâ sine dependentiâ nequeat, necessariò præsupponit substantiam, à quâ entitas illius sustẽtetur. Verum itaque est simpliciter pronunciatum, & intelligitur absolutè de prioritate, siue de dignitate naturali : Etenim ordine Naturæ simpliciter antecellit substantia : non autem vniuersim verum est, neque intelligi debet de valore & præstantiâ morali : Nam Scientiæ, & virtutes morales accidentia sunt, quæ tamen digniora habentur & pretiosiora, quàm culex, v. c. aliquis, aut alga, vt

explicabitur, Titulo *de Virtute*. Item quælibet ſubſtantia ſimpliciter dignior eſt ſuo accidente: aliquod tamen accidens eſt ſecundum quid dignius ſuâ ſubſtantia, in quantum perficit ſubſtantiam in aliquo eſſe accidentali. Vide, ſi placet, S. Thomã 1.2. q.66. a. 4. in Corpore ſub finem.

5. *Subſtantia prior eſt accidente, & ratione, & cognitione, & tempore & Naturâ*: ibidem.] Eſt hoc generale pronunciatum Ariſtotelis capite citato, t. 4. ex quo tria priora deſumpta ſunt. Ratio generalis eſt; quia accidens, cum ſit entis, id eſt, ſubſtãtiæ ens, neceſſariò illam quoad omnia dicta præſupponit. Dicitur verò ſubſtantia eſſe tempore prior, quàm accidens, 1° quia, vt inquit Commentator 7. Metaph. com. 4. *Nullum accidens inuenitur abſque ſubſtantia; ſed aliqua ſubſtãtia inuenitur abſque accidente.* 2° quia Deus, qui eſt ſubſtantia æterna, duratione infinitâ prior fuit omni accidente. 3° quia in eâdem re creatâ ſemper ſubſtantia tempore præcedit multa accidentia, etſi non præcedat omnia: è conuerſo autem nullum accidens tempore præcedit ſubſtantiam, cuius eſt accidens. Itaque verum eſt pronunciatum, quoad temporis prioritatem indefinitè: non enim quælibet ſubſtantia tempore prior eſt quolibet accidẽte. Vide ſi placet, Suarez, diſp. 38. Metaphyſicâ, ſect. 1. n. 1. & ſeqq.

6. *Non oportet perdere ſubſtantiam propter accidens.*] Eſt hoc effatum morale, quod vtinam ij ſatis perpenderent, qui ex inordinato ſciendi deſiderio, indiſcretè in litterarum ſtudia incumbunt, & ſeſe ipſi miſerè prius conficiunt, quàm ſtudiorum ſuorum fructum, quem intenderant, conſequantur. Ratio effati eſt, quia ſubſtantia eſt dignior ſuo accidente, *& ſublatis primis ſubſtantijs, impoßibile eſt aliquid remanere.* Itaque qui neglectâ omninò ſui indiuidui

cuiâ, toti accidentarijs illius & tranſitorijs perfectionibus inhiant, perinde faciunt, ac canis ille Æſopicus, qui dum vmbram ſequitur, & hac & huius ſubſtantia deſtituitur.

DISTINCTIO IV.

De Proprietatibus ſubſtantiæ.

1. *Nvlla ſubſtantia eſt in ſubiecto.* capite de Subſtantia.] Intellige de ſubiecto inhæſionis, ad eum modum, quo accidens inhæret ſubſtantia: Neque enim primæ ſubſtantiæ ſunt in ſubiecto, neque ſecundæ; Ergo nullæ, non primæ, quia Petrus, v. c. vel Bucephalus nulli ſubiecto inhærent, ſed in ſe, & per ſe ſubſiſtunt; Nec ſecundæ; quia quæ ſunt in ſubiecto inhæſionis, prædicantur de illo tantum ſecundum nomen, vt album de Petro; non autem ſecundum rationem: Atqui ſecundæ ſubſtantiæ prędicantur de primis, non tantum ſecundum nomen; ſed etiam ſecundū rationē ſiue eſſentialiter, vt animal & homo de Petro: Ergo nulla ſubſtātia eſt in ſubiecto inhæſionis. Poteſt nihilominus dici ſubſtantia eſſe in ſubiecto informationis; quo modo formæ ſubſtātiales inſunt materiæ primæ: vel etiam in ſubiecto prędicationis, vti genera & ſpecies inſunt ſuis inferioribus, de quibus eſſentialiter prædicantur. Addit autem Ariſtoteles, capite citato, hanc proprietatem non eſſe quarto modo propriam ſubſtantiæ prædicamentali: Etſi enim conueniat omni non tamen ſoli; quia etiam conuenit differentijs, vt rationali, & partibus ſubſtātiæ tum eſſentialibus, vt materiæ & formæ, tum integrantibus, vt, capiti, pedi, &c. quæ non ſunt ſubſtantiæ prædicamentales, cum ſint incom-

Digitized by Google

pletæ; neque tamen inhęrent vlli ſubiecto. Eſt nihilominus proprietas quarto modo ſubſtantiæ generatim ſumptæ, pro qualibet re, quæ non eſt accidens, ſiue completa illa ſit, ſiue non; quo pacto differentias & partes ſubſtantiales comprehendit. Ratio eſt, quia omnis & ſola ſubſtantia eſt ens per ſe exiſtens: in hoc enim differt ab omnibus accidentibus, quod illa requirant ſubiectum inhæſionis, hæc per ſe cohęreat in rerum naturâ & ſubſiſtat, vt fuſiùs explicuimus, diſtinct. 2.

2. *Subſtantiæ nihil eſt contrarium*, ibidem.] Nempe in ratione ſubſtantiæ, & contrarietate propriè dicta. Ratio eſt; quia contraria dicuntur illa, quæ eidem ſubiecto inhæſionis viciſſim inſunt, & ſe mutuò ab eo expellunt: Atqui ſubſtantia in nullo eſt ſubiecto inhęſionis, vt ex eodem capite iam explicatum eſt, & ex definitione ſubſtantiæ patet: Ergo illi nihil eſt contrarium. Dixi in ratione ſubſtantiæ; quia ratione accidentium, vt v.c. qualitatum contrariarum, nihil prohibet ſubſtantias ſibi mutuò dici contrarias: ſic aqua contraria eſt igni, terra aëri, &c. ratione caloris, frigoris, ſiccitatis, &c.

3. *Subſtantia non ſuſcipit magis & minus*, ibidem.] Pro huius explicatione notandum eſt, aliud eſſe magis & minus, aliud maius & minus: hoc enim ad quantitatem pertinet, illud ad qualitatem, & ad ipſam entitatem cuiuſque rei. Itaque ſenſus pronunciati eſt; ſubſtantia non intenditur & remittitur in ratione ſubſtantiæ; & in ſe nec magis, nec minus participatur ab vno, quam ab alio, licet vna ſubſtantia corporea, ſit maior alterâ vel minor. Sic v. c. iuuenis non eſt magis ſubſtantia, quàm infans, nec vnus homo magis animal, quàm alius. Sic quoq; 1ª ſubſtãtia non dicitur magis ſubſtantia in eſſentiali ratione

ſubſtantiæ, quam ſecunda; ſed quia pluribus ſubſtat; vt conſtat ex ſupradictis, diſt. 2. n. 3. Vide, ſi placet, ſupra explicationem illius: *Eſſentiæ conſtitũt ſe indiuiſibili*; Et illius: *Nulla res ſuſcipit magis & minus eſſentialiter ſed entitatiuè.* Titulo 2. diſt. 4.

4. *Omnis ſubſtantia eſt ſuſceptiua contrariorum.*] Eſt commune pronunciatum Philoſophorum, deſumptum ex capite de Subſtantiâ, vbi Ariſtoteles ait, *Proprietatem ſubſtantiæ maximè*, id eſt quarto modo) *propriam eſſe; vt vna eademque numero permanens poſſit ſuſcipere contraria*, & verum eſt vniuerſim de qualibet ſubſtantiâ creatâ: nulla enim datur, quæ non poſſit aliqua ſaltem contraria & latè ſumpta accipere: Sic eadem aqua nunc frigus recipit, nunc calorem, idem ignis denſitatem & raritatem, motum ſurſum & deorſum, &c. Sic cælum ſecundum eandem ſui partem moueri poteſt nunc in orientem, nunc contra in occidentem, item nunc condenſari, nunc rarefieri, aut magis minuſque illuminari, &c. Sic Angeli ſuſcipere poſſunt nunc veritatem in intellectu, nunc falſitatem, aliàs odium in voluntate, aliàs amorem, nunc vitium poſtea virtutem, &c. Omni igitur & ſoli ſubſtantiæ creatæ conuenit ſucceſſiuè, & cum ſui mutatione ſuſcipere contraria, tanquam *Quod* ſiue vltimato, ideque vel per ſe primò, ſi prima ſubſtantia ſit; vel per ſe ſecundò, ſi ſint ſecundæ ſubſtantiæ, id eſt, genera & ſpecies, quæ inſunt primis. Solus Deus glorioſus hac lege ſuperior eſt, vtpote, *apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio.*

TITVLVS

Digitized by Google

TITVLVS XVIII.

De Substantia in particulari.

DISTINCTIO PRIMA.

De Intelligentijs.

1.] *Intelligentiæ sunt primæ post Deum substantiæ.*] Sumitur ex S. Gregorio Nazianzeno, Oratione 37. vbi eas, *secundam Trinitatem vocat*, & Oratione 38. vbi eas nominat, *Secundos splendores primi splendoris administros.* Significat itaque pronunciatum, intelligentias esse omnium creaturarum præstantissimas, & in primo, à Deo gradu dignitatis esse constitutas; in quam sententiam D. Chrysostomus, Hom. 2. contra Anomæos, *Nostis*, ait, *vnumquemque Angelum rependi pares q; esse vniuersæ huic visibili creaturæ, vel potius multò nobiliorem ac præstantiorem.* Eodem spectat perinsigne istud D. Dionysij de Intelligentijs elogium.

2. *Imago Dei est intelligentia.* cap. de diuinis Nominibus, eximiè nimirum & antonomasticè.] Explicat ibidem & probat; quia, inquit, *Manifestatio est occultis luminis, speculum purum, clarissimum, inconta-minatum, incoinquinatum, immaculatum, suscipiens to-tum (si est conueniens dicere) pulchritudinem vniformis deiformitatis, & mundè resplendescere faciens in se-ipso, quemadmodum possibile est, bonitatem silentij in dictis*, id est Dei. Ostendit ergo magnus ille Doctor, expressiorem in his substantijs esse similitudinem cum Deo, quàm in vllâ aliâ creaturâ intellectuali: nempe propter naturæ Angelicæ super omnia alia tota creata, eminentiam & puritatem. Iuxta illud

3. *Intelligentiæ sunt actus puri.* 8. Metaph. t.16.& 12. Metaph.t.20.] Vocantur Angeli siue Intelligẽtiæ actus puri physicè, quia non includunt potẽtiam physicam,id est materiã primam. Vnde etiam dicuntur, *Substantiæ simplices* physicè, quia non sunt compositi ex materiâ & formâ:non autem sunt actus puri & simplices Metaphysicè ; quia sunt compositi 1° ex genere & differentiâ,cum sint substantiæ incorporeæ, quæ ponuntur in prędicamento substãtiæ. 2° ex essentiâ & existentiâ, 3° ex naturâ & subsistentiâ. 4° ex subiecto & accidente;sunt enim entitates passiuæ & receptiuæ vel potentiarũ & habituum , secundum plerosque;vel certè specierũ & actuũ secundũ alios. Itaq; actum esse purum propriè soli Deo tribuitur : Angelis analogicè & minus propriè. Vide,si placet, quæ diximus supra Titulo 6. *de simplicitate.*

4. *Deus & mens sunt in prædicamento substantiæ.* 1. Ethic. c.6.] Per Deum intelligit hoc loco Philosophus Intelligentias , quas etiam 5. Metaph. t. 15. vocat *Dæmonia*:non autem intelligi debet supremum Numen; quia hoc nullo modo est compositũ ex genere & differentiâ; cum hi gradus imperfecti sint ac limitati , quod repugnat infinitæ perfectioni Dei : Daretur enim aliquid perficiens & perfectibile in Deo. Et ratio est, quia si Deus constat genere & differentia, vel illud genus est finitum, vel infinitum : si finitum: ergo aliquid est in Deo , quod sit limitatæ perfectionis,contra communem Theologorum sententiam : si infinitum, ergo non est commune creaturis, ergo non potest in eodem cum illis poni prædicamento. Præsenti igitur effato, Angeli dicuntur poni in prædicamento substantiæ ; quia compositi sunt ex genere & differentiâ. Ita communiter explicant, omnes Philosophi & Theologi, hoc præcipuè

Digitized by Google

nixi fundamento, quod Deus infinitè distet à creaturis, & planè sit ordinis altioris. Alij tamen pauculi contrarium sentiunt, quibus ex parte fauet Hurtado disput 9. Metaph. sect. 5. vbi doctè & grauiter hanc quæstionem examinat, ac tandem concludit communem Scholasticorum, & SS. Patrum sequẽdam esse sententiam.

5. *Intelligentiæ non sciuntur nisi per motum.* 12. Metaph. c. 8. & alibi.] Vbi Aristoteles & Commentator, statuentes, licet falsò, mundum & motum ab æterno, probant dari Intelligentias, ex constanti & æternâ cælorum latione, quam adeo certâ lege & rato tenore fieri non posse iudicarunt, nisi ab aliquâ vi intellectrice, corporis & fatigationis experte. Intelligitur itaque & vera est præsens propositio, quoad scientiam naturalem, quæ per rationes physicas haberi solet; nulla enim aliunde, quàm ex motu & effectibus motûs, suppetit ratio naturalis asserendi substantias spirituales, siue Intelligentias. Nam licet aliqua de productione illarum congruentia afferri soleat, ex ordine & perfectione Vniuersi, ad quam videtur requiri, vt in eo detur gradus substantiarum spiritualium: ea tamen vt summum probabilis est, & minimè conuincit; Etenim Deus posset creare plures species entium, quàm nunc sunt, & tamen Vniuersum censetur modo in suo ordine perfectum. Adde, quod detur anima rationalis, quæ est substantia spiritalis: cæteri autem effectus, quos Angeli siue boni, siue mali efficiunt in statuis, in corporibus obsessis, &c. vt prædicere futura, loqui varijs linguis, &c pertinent ad motum

6. *Intelligentiæ sunt plenę formis.* Aristoteles in libro de Causis, Propositione 10.] Formarũ nomine hic intelliguntur species intelligibiles, quas Angeli

ordinariè non emendicant à rebus materialibus; vti nos homines; sed habent concreatas sibi species omnium rerum naturalium aliquando futurarum (non omnium possibilium, alioquin haberent infinitas.) Vtrum verò hæ species sint rerum singularium existentium; an vniuersalium tantum, disputant inter se Philosophi & Theologi, eius determinatio non est huius loci.

7. *Anima rationalis est infima in genere intellectualium.* Traditur à D. Thomâ 1. p. q. 76. a. 5. in corpore.] Sensus est, animam humanam, secundum naturæ ordinem, infimum gradum in substantijs intellectualibus obtinere, ac proinde vti modum essendi, ita quoque modum operandi habere longè inferiorem, quàm Intelligentias: Neque enim homo naturaliter sibi inditam habet notitiam veritatis, quemadmodum Angeli; sed eam colligere debet, per viam sensûs, ex rebus diuisibilibus, vt inquit D. Dionysius c. 7. de diuinis Nominibus, ante medium, iuxta illud vulgare: *Nihil est in intellectu* (scilicet humano) *quod non prius fuit in sensu.* Vide etiam, si placet, D. Thomam 1. p. q. 77. a. 2. in corpore.

DISTINCTIO II.
De Cælo & Astris.

1. *Cælum est quintum corpus simplex.* l. 1. de cælo, c. 2. & alibi.] Dicitur cælum esse corpus simplex; quia non componitur ex alio corpore priori, sicuti mixta componuntur ex corporibus elementorum. Et dicitur quintum corpus simplex, siue quinta essentia, vt distinguatur à quatuor elementis, quæ sunt quatuor corpora simplicia. Vnde etiam alibi Philosophus inquit:

Digitized by Google

2. *Cælum eſt primum elementum.* l. 3. de Cæl. text. 1.] Ita appellatur, quia præcipuum eſt, & princeps inter omnia corpora ſimplicia: Eſt enim perfectioris naturæ, quàm aut ignis ſit, aut aër, aut aqua, aut denique terra, vt pluribus perſequitur S. Auguſtinus, in Meditationibus c. 12. & pulchrè oſtendit Ariſtoteles l. 1. de Cælo, c. 2. t. 16. vbi inquit, *præter corpora ſub Lunæ orbe contenta*, id eſt, præter corpora elementaria, *eſſe aliud tantò excellentioris naturæ, quãto ab illis locorum interuallo diſtat.* Eodem ſenſu illud Philoſophorum ore tritum: l. Meterium

3. *Mundus ſuperior florem inferioris, inferior fæcem habet ſuperioris.*] Intelligitur & verum eſt, ſi nomine inferioris mundi accipiatur moles ex quatuor elementis coagmentata: non autem vniuerſus orbis ſubcæleſtis quoad omnes ſuas partes, vt quoad homines & alia viuentia: vel ſi comparatio abſolutè ad omnia ſublunaria inſtituatur, intelligendum eſt, de mundo cæleſti, non per ſe præcisè ſpectato, ſiue vt compoſitum phyſicum eſt; ſed prout eſt quid ex corpore cæleſti, & intelligentiis conſtans. Vtroque igitur modo, comparatiuè loquendo, mundus ſuperior longè nobilior eſt, &, vt ita dicam, florentior mundo inferiore. Ex hiſce perſpicuum fit, quomodo accipiendum ſit iſtud:

4. *Cælum & aſtra nobiliſſima eorum ſunt, quæ ſub ſenſum cadunt.* l. 1. de partibus animalium c 1.] Et illud Philonis Iudæi in libro de Ioſeph. *Quanto apud nos potiores ſunt vigilantes dormientibus, tanto in mundi vniuerſitate cæleſtia terreſtribus, vt quæ inſopita vigilent, propter certas irrequietaſque vires nunquam fruſtratas ſuis effectibus: terreſtria verò etiamſi paulliſper excitentur, rurſus degrauata in ſomnum recidunt.*

5. *Cælum non ſuſcipit peregrinas impreſſiones.* Sumi-

Digitized by Google

3. *Substantia est prior cognitione, quàm sit accidens,* ibidem.] Nimirum secundum se, & ordine accuratæ doctrinæ. Ratio est; quia substantia, prior naturâ est & entitate, quàm accidens, vt iam dicetur. Ergo etiam cognitione; quia *sicuti se res habet ad esse, ita etiam ad cognosci*, vt explicabitur infra, Titulo *de Potentiâ Cognoscitiuâ*. Item substantia est principium & causa suarum passionum, & accidentium; Ergo perfecta cognitio proprietatum & accidentium dependet à notitiâ substantiæ perfectâ: licet prima & confusa huius cognitio in nobis oriri soleat, ex cognitione præuiâ accidentium; eò quod omnis nostra cognitio pendeat à sensu. Itaque substantia prior est cognitione actuali distinctâ secundum se, quàm sit accidens; quod secũdum nos prius cognoscitur, saltem confusè. Ac licet id, quod primò in nostram notitiam venit, sit aliquid concretum, siue compositum est tamen concretum non substantiæ verum accidentis, siue est accidens in concreto sumptum; quia substantia non est primò & per se sensibilis, vt diximus ex Aristotele 2. de Animâ t. 65.

4. *Substantia est prior naturâ, quàm accidens.* ibidem.] Ratio est, quia hoc ab illâ dependet, veluti effectus à suâ causâ. Cum enim omne accidens ex naturâ sua sit Entis Ens, & per se existere aut cohærere in rerum naturâ sine dependentiâ nequeat, necessariò præsupponit substantiam, à quâ entitas illius sustẽtetur. Verum itaque est simpliciter pronunciatum, & intelligitur absolutè de prioritate, siue de dignitate naturali: Etenim ordine Naturæ simpliciter antecellit substantia: non autem vniuersim verum est, neque intelligi debet de valore & præstantiâ morali: Nam Scientiæ, & virtutes morales accidentia sunt, quæ tamen digniora habentur & pretiosiora, quàm culex, v. c. aliquis, aut alga, vt

explicabitur, Titulo *de Virtute.* Item quælibet ſubſtantia ſimpliciter dignior eſt ſuo accidente: aliquod tamen accidens eſt ſecundum quid dignius ſuâ ſubſtantia, in quantum perficit ſubſtantiam in aliquo eſſe accidentali. Vide, ſi placet, S. Thomã 1.2. q. 66. a. 4. in Corpore ſub finem.

5. *Subſtantia prior eſt accidente, & ratione, & cognitione, & tempore & Naturâ.* ibidem.] Eſt hoc generale pronunciatum Ariſtotelis capite citato, t. 4. ex quo tria priora deſumpta ſunt. Ratio generalis eſt; quia accidens, cum ſit entis, id eſt, ſubſtãtiæ ens, neceſſariò illam quoad omnia dicta præſupponit. Dicitur verò ſubſtantia eſſe tempore prior, quàm accidens, 1° quia, vt inquit Commentator 7. Metaph. com. 4. *Nullum accidens inuenitur abſque ſubſtantia; ſed aliqua ſubſtãtia inuenitur abſque accidente.* 2° quia Deus, qui eſt ſubſtantia æterna, duratione infinitâ prior fuit omni accidente. 3° quia in eâdem re creatâ ſemper ſubſtantia tempore præcedit multa accidentia, etſi non præcedat omnia: è conuerſo autem nullum accidens tempore præcedit ſubſtantiam, cuius eſt accidens. Itaque verum eſt pronunciatum, quoad temporis prioritatem indefinitè: non enim quælibet ſubſtantia tempore prior eſt quolibet accidẽte. Vide ſi placet, Suarez, diſp. 38. Metaphyſicâ, ſect. 1. n. 1. & ſeqq.

6. *Non oportet perdere ſubſtantiam propter accidens.*] Eſt hoc effatum morale, quod vtinam ij ſatis perpenderent, qui ex inordinato ſciendi deſiderio, indiſcretè in litterarum ſtudia incumbunt, & ſeſe ipſi miſerè prius conficiunt, quàm ſtudiorum ſuorum fructum, quem intenderant, conſequantur. Ratio effati eſt, quia ſubſtantia eſt dignior ſuo accidente, *& ſublatis primis ſubſtantijs, impoßibile eſt aliquid remanere.* Itaque qui neglectâ omninò ſui individui

curâ, toti accidentarijs illius & tranſitorijs perfectionibus inhiant, perinde faciunt, ac canis ille Æſopicus, qui dum vmbram ſequitur, & hac & hùius ſubſtantia deſtituitur.

DISTINCTIO IV.

De Proprietatibus ſubſtantiæ.

1. *Nvlla ſubſtantia eſt in ſubiecto.* capite de Subſtantia.] Intellige de ſubiecto inhæſionis, ad eum modum, quo accidens inhæret ſubſtantia: Neque enim primæ ſubſtantiæ ſunt in ſubiecto, neque ſecundæ; Ergo nullæ, non primæ, quia Petrus, v. c. vel Bucephalus nulli ſubiecto inhærent, ſed in ſe, & per ſe ſubſiſtunt; Nec ſecundæ; quia quæ ſunt in ſubiecto inhæſionis, prædicantur de illo tantum ſecundum nomen, vt album de Petro; non autem ſecundum rationem: Atqui ſecundæ ſubſtantiæ prędicantur de primis, non tantum ſecunduni nomen; ſed etiam ſecundū rationē ſiue eſſentialiter, vt animal & homo de Petro: Ergo nulla ſubſtātia eſt in ſubiecto inhæſionis. Poteſt nihilominus dici ſubſtantia eſſe in ſubiecto informationis; quo modo formæ ſubſtātiales inſunt materiæ primæ: vel etiam in ſubiecto prędicationis, vti genera & ſpecies inſunt ſuis inferioribus, de quibus eſſentialiter prædicantur. Addit autem Ariſtoteles, capite citato, hanc proprietatem non eſſe quarto modo propriam ſubſtantiæ prædicamentali: Etſi enim conueniat omni non tamen ſoli; quia etiam conuenit differentijs, vt rationali, & partibus ſubſtātiæ tum eſſentialibus, vt materiæ & formæ, tum integrantibus, vt, capiti, pedi, &c. quæ non ſunt ſubſtantiæ prædicamentales, cum ſint incom-

Digitized by Google

pletæ; neque tamen inhęrent vlli ſubiecto. Eſt nihilominus proprietas quarto modo ſubſtantiæ generatim ſumptæ, pro qualibet re, quæ non eſt accidens, ſiue completa illa ſit, ſiue non; quo pacto differentias & partes ſubſtantiales comprehendit. Ratio eſt, quìa omnis & ſola ſubſtantia eſt ens per ſe exiſtens: in hoc enim differt ab omnibus accidentibus, quod illa requirant ſubiectum inhæſionis, hæc per ſe cohęreat in rerum naturâ & ſubſiſtat, vt fuſiùs explicuimus, diſtinct. 2.

2. *Subſtantiæ nihil eſt contrarium*, ibidem.] Nempe in ratione ſubſtantiæ, & contrarietate propriè dicta. Ratio eſt; quia contraria dicuntur illa, quæ eidem ſubiecto inhæſionis viciſſim inſunt, & ſe mutuò ab eo expellunt: Atqui ſubſtantia in nullo eſt ſubiecto inhęſionis, vt ex eodem capite iam explicatum eſt, & ex definitione ſubſtantiæ patet: Ergo illi nihil eſt contrarium. Dixi in ratione ſubſtantiæ; quia ratione accidentium, vt v.c. qualitatum contrariarum, nihil prohibet ſubſtantias ſibi mutuò dici contrarias: ſic aqua contraria eſt igni, terra aëri, &c. ratione caloris, frigoris, ſiccitatis, &c.

3. *Subſtantia non ſuſcipit magis & minus*, ibidem.] Pro huius explicatione notandum eſt, aliud eſſe magis & minus, aliud maius & minus: hoc enim ad quantitatem pertinet, illud ad qualitatem, & ad ipſam entitatem cuiuſque rei. Itaque ſenſus pronunciati eſt; ſubſtantia non intenditur & remittitur in ratione ſubſtantiæ; & in ſe nec magis, nec minus participatur ab vno, quam ab alio, licet vna ſubſtantia corporea, ſit maior alterâ vel minor. Sic v.c. iuuenis non eſt magis ſubſtantia, quàm infans, nec vnus homo magis animal, quàm alius. Sic quoq; 1ª ſubſtãtia non dicitur magis ſubſtantia in eſſentiali ratione

ſubſtantiæ, quam ſecunda; ſed quia pluribus ſubſtat; vt conſtat ex ſupradictis, diſt. 2. n. 3. Vide, ſi placet, ſupra explicationem illius: *Eſſentiæ conſtituit indiuiſibili*: Et illius: *Nulla res ſuſcipit magis & minus eſſentialiter ſed entitatiuè.* Titulo 2. diſt. 4.

4. *Omnis ſubſtantia eſt ſuſceptiua contrariorum.*] Eſt commune pronunciatum Philoſophorum, deſumptum ex capite de Subſtantiâ, vbi Ariſtoteles ait, *Proprietatem ſubſtantia maximè*, id eſt quarto modo) *propriam eſſe; vt vna eademque numero permanens poſſit ſuſcipere contraria*, & verum eſt vniuerſim de qualibet ſubſtantiâ creatâ: nulla enim datur, quæ non poſſit aliqua ſaltem contraria & latè ſumpta accipere: Sic eadem aqua nùnc frigus recipit, nunc calorem, idem ignis denſitatem & raritatem, motum ſurſum & deorſum, &c. Sic cælum ſecundum eandem ſui partem moueri poteſt nunc in orientem, nùnc contra in occidentem, item nunc condenſari, nunc rarefieri, aut magis minuſque illuminari, &c. Sic Angeli ſuſcipere poſſunt nunc veritatem in intellectu, nunc falſitatem, aliàs odium in voluntate, aliàs amorem, nunc vitium poſtea virtutem, &c. Omni igitur & ſoli ſubſtantiæ creatæ conuenit ſucceſſiuè, & cum ſui mutatione ſuſcipere contraria, tanquam *Quod* ſiue vltimato, idque vel per ſe primò, ſi prima ſubſtantia ſit; vel per ſe ſecundò, ſi ſint ſecundæ ſubſtantiæ, id eſt, genera & ſpecies, quæ inſunt primis. Solus Deus glorioſus hac lege ſuperior eſt, vtpote, *apud quem non eſt tranſmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.*

TITVLVS

TITVLVS XVIII.

De Substantia in particulari.

DISTINCTIO PRIMA.

De Intelligentijs.

1. *Intelligentiæ sunt primæ post Deum substantiæ.*] Sumitur ex S. Gregorio Nazianzeno, Oratione 37. vbi eas, *secundam Trinitatem vocat*, & Oratione 38. vbi eas nominat, *Secundos splendores primi Splendoris administros.* Significat itaque pronunciatum, intelligentias esse omnium creaturarum præstantissimas, & in primo, à Deo gradu dignitatis esse constitutas; in quam sententiam D. Chrysostomus, Hom. 2. contra Anomæos, *Nostis*, ait, *vnumquemque Angelum vependi: paremq; esse vniuersæ hnic visibili creaturæ, vel potius multò nobiliorem ac præstantiorem.* Eodem spectat perinsigne istud D. Dionysij de Intelligentijs elogium.

2. *Imago Dei est intelligentia.* cap. de diuinis Nominibus, eximiè nimirum & antonomasticè.] Explicat ibidem & probat; quia, inquit, *Manifestatio est occulti luminis, speculum purum, clarissimum, incontaminatum, incoinquinatum, immaculatum, suscipiens totam (si est conueniens dicere) pulchritudinem vniformis deiformitatis, & munde resplendescere faciens in seipso, quemadmodum possibile est, bonitatem silentij in abditis*, id est Dei. Ostendit ergo magnus ille Doctor, expressiorem in his substantijs esse similitudinẽ cum Deo, quàm in vllâ aliâ creaturâ intellectuali nempe propter naturæ Angelicæ super omnia alia entia creata, eminentiam & puritatem. Iuxta illud:

3. *Intelligentiæ ſunt actus puri.* 8. Metaph. t.16.& 12. Metaph.t.20.] Vocantur Angeli ſiue Intelligẽtiæ actus puri phyſicè, quia non includunt potẽtiam phyſicam,id eſt materiã primam. Vnde etiam dicuntur, *Subſtantiæ ſimplices* phyſicè, quia non ſunt compoſiti ex materiâ& formâ:non autem ſunt actus puri & ſimplices Metaphyſicè ; quia ſunt compoſiti 1° ex genere & differentiâ,cum ſint ſubſtantiæ incorporeæ, quæ ponuntur in prędicamento ſubſtãtiæ. 2° ex eſſentiâ & exiſtentiâ, 3° ex naturâ & ſubſiſtentiâ. 4° ex ſubiecto & accidente;ſunt enim entitates paſſiuæ & receptiuæ vel potentiarũ & habituum , ſecundum pleroſque;vel certè ſpecierũ & actuũ ſecundũ alios. Itaq; actum eſſe purum propriè ſoli Deo tribuitur : Angelis analogicè & minus propriè. Vide,ſi placet, quæ diximus ſupra Titulo *6. de ſimplicitate.*

4. *Deus & mens ſunt in prædicamento ſubſtantiæ.* 1. Ethic. c.6.] Per Deum intellrgit hoc loco Philoſophus Intelligentias , quas etiam 5. Metaph. t. 15. vocat *Damonia*:non autem intelligi debet ſupremum Numen; quia hoc nullo modo eſt compoſitũ ex genere & differentiâ; cum hi gradus imperfecti ſint ac limitati , quod repugnat infinitæ perfectioni Dei : Daretur enim aliquid perficiens & perfectibile in Deo. Et ratio eſt, quia ſi Deus conſtat genere & differentia, vel illud genus eſt finitum, vel infinitum : ſi finitum: ergo aliquid eſt in Deo , quod ſit limitatæ perfectionis,contra communem Theologorum ſententiam : ſi infinitum, ergo non eſt commune creaturis, ergo non poteſt in eodem cum illis poni prædicamento. Præſenti igitur effato, Angeli dicuntur poni in prædicamento ſubſtantiæ ; quia compoſiti ſunt ex genere & differentiâ. Ita communiter explicant, omnes Philoſophi & Theologi, hoc præcipuè

Digitized by Google

nixi fundamento, quod Deus infinitè distet à creaturis, & planè sit ordinis altioris. Alij tamen pauculi contrarium sentiunt, quibus ex parte fauet Hurtado disput 9. Metaph. sect. 5. vbi doctè & grauiter hanc quæstionem examinat, ac tandem concludit communem Scholasticorum, & SS. Patrum sequẽdam esse sententiam.

5. *Intelligentiæ non sciuntur nisi per motum.* 12. Metaph. c. 8. & alibi.] Vbi Aristoteles & Commentator, statuentes, licet falsò, mundum & motum ab æterno, probant dari Intelligentias, ex constanti & æternâ cælorum latione, quam adeo certâ lege & rato tenore fieri non posse iudicarunt, nisi ab aliquâ vi intellectrice, corporis & fatigationis experte. Intelligitur itaque & vera est præsens propositio, quoad scientiam naturalem, quæ per rationes physicas haberi solet; nulla enim aliunde, quàm ex motu & effectibus motûs, suppetit ratio naturalis asserendi substantias spirituales, siue Intelligentias. Nam licet aliqua de productione illarum congruentia afferri soleat, ex ordine & perfectione Vniuersi, ad quam videtur requiri, vt in eo detur gradus substantiarum spiritualium: ea tamen vt summum probabilis est, & minimè conuincit; Etenim Deus posset creare plures species entium, quàm nunc sunt, & tamen Vniuersum censetur modo in suo ordine perfectum. Adde, quod detur anima rationalis, quæ est substantia spiritalis: cæteri autem effectus, quos Angeli siue boni, siue mali efficiunt in statuis, in corporibus obsessis, &c. vt prædicere futura, loqui varijs linguis, &c pertinent ad motum

6. *Intelligentiæ sunt plenę formis.* Aristoteles in libro de Causis, Propositione 10.] Formarũ nomine hic intelliguntur species intelligibiles, quas Angeli

Digitized by Google

ordinariè non emendicant à rebus materialibus; vti nos homines; sed habent concreatas sibi species omnium rerum naturalium aliquando futurarum (non omnium possibilium, alioquin haberent infinitas.) Vtrum verò hæ species sint rerum singularium existentium; an vniuersalium tantum, disputant inter se Philosophi & Theologi, eius determinatio non est huius loci.

7. *Anima rationalis est infima in genere intellectualium.* Traditur à D. Thomâ 1. p. q. 76. a. 5. in corpore.] Sensus est, animam humanam, secundum naturæ ordinem, infimum gradum in substantijs intellectualibus obtinere, ac proinde vti modum essendi, ita quoque modum operandi habere longè inferiorem, quàm Intelligentias: Neque enim homo naturaliter sibi inditam habet notitiam veritatis, quemadmodum Angeli; sed eam colligere debet, per viam sensûs, ex rebus diuisibilibus, vt inquit D. Dionysius c. 7. de diuinis Nominibus, ante medium, iuxta illud vulgare: *Nihil est in intellectu* (scilicet humano) *quod non prius fuit in sensu.* Vide etiam, si placet, D. Thomam 1. p. q. 77. a. 2. in corpore.

DISTINCTIO II.
De Cælo & Astris.

1. *Cælum est quintum corpus simplex.* l. 1. de cælo, c. 2. & alibi.] Dicitur cælum esse corpus simplex; quia non componitur ex alio corpore priori, sicuti mixta componuntur ex corporibus elementorum. Et dicitur quintum corpus simplex, siue quinta essentia, vt distinguatur à quatuor elementis, quæ sunt quatuor corpora simplicia. Vnde etiam alibi Philosophus inquit:

Digitized by Google

2. *Cælum eſt primum elementum.* l. 3. de Cæl. tex. 1.] Ita appellatur, quia præcipuum eſt, & princeps inter omnia corpora ſimplicia: Eſt enim perfectioris naturæ, quàm aut ignis ſit, aut aër, aut aqua, aut denique terra, vt pluribus perſequitur S. Auguſtinus, in Meditationibus c. 12. & pulchrè oſtendit Ariſtoteles l. 1. de Cælo, c. 2. t. 16. vbi inquit, *præter corpora ſub Lunæ orbe contenta*, id eſt, præter corpora elementaria, *eſſe aliud tantò excellentioris naturæ, quãto ab illis locorum interuallo diſtat.* Eodem ſenſu illud Philoſophorum ore tritum:

* 3. *Mundus ſuperior florem inferioris, inferior fæcem habet ſuperioris.*] Intelligitur & verum eſt, ſi nomine inferioris mundi accipiatur moles ex quatuor elementis coagmentata: non autem vniuerſus orbis ſubcæleſtis quoad omnes ſuas partes, vt quoad homines & alia viuentia: vel ſi comparatio abſolutè ad omnia ſublunaria inſtituatur, intelligendum eſt, de mundo cæleſti, non per ſe præcisè ſpectato, ſiue vt compoſitum phyſicum eſt; ſed prout eſt quid ex corpore cæleſti, & intelligentiis conſtans. Vtroque igitur modo, comparatiuè loquendo, mundus ſuperior longè nobilior eſt, &, vt ita dicam, florentior mundo inferiore. Ex hiſce perſpicuum fit, quomodo accipiendum ſit iſtud:

4. *Cælum & aſtra nobiliſſima eorum ſunt, quæ ſub ſenſum cadunt.* l. 1. de partibus animalium c 1.] Et illud Philonis Iudæi in libro de Ioſeph. *Quanto apud nos potiores ſunt vigilantes dormientibus, tanto in mundi vniuerſitate cæleſtia terreſtribus, vt quæ inſopita vigilent, propter certas irrequietaſque vires nunquam fruſtratas ſuis effectibus: terreſtria verò etiamſi paululum excitentur, rurſus degrauata in ſomnum recidunt.*

5. *Cælum non ſuſcipit peregrinas impreſſiones.* Sumi-

1. 9. Metaph. t. 19.] Indicat hoc proloquio medium inter cælum & 4. elementa, quod hæc obnoxia ſint qualitatibus & impreſſionibus, non perfectiuis modo; ſed etiam quibuſcumque corruptiuis, vt docet experientia: Cælum autem ſecundum Ariſtotelem, impreſſiones eiuſmodi corruptiuas non admittit: neque enim eſt elementum propriè, neque ex elementis compoſitum, nec habet in ſe quatuor primas qualitates, ex quarum cõtrarietate & pugnâ corruptio oritur. Admittit nihilominus qualitates perfectiuas, vt lumen, &c. Intelligitur itaque & verum eſt pronunciatũ ex mente Philoſophi de qualitatibus corruptiuis non perfectiuis. Dixi ex mente Philoſophi; quia in rei veritate, vtrum cælum corruptibile ſit nec-ne, grauis eſt Philoſophos inter Theologoſque cõtrouerſia. Pro Ariſtotele ſtat tota ferè Peripateticorum Schola, ac Theologi Scholaſtici ferè omnes in 4. diſtinct. 47. & 48. plurimique Sanctorum Patrum, quos citat Suarez, diſp. 13. Met. ſect. 11. num. 13. & tomo 2. in 3. p. diſp. 58. ſect. 2. Pererius l. 1. in Geneſin. Ribera, Valentia, Lorinus & alij: Contrarium tamen ſentiunt Ægidius, Molina, Becanus, & alij, quos conſule, ſi libet.

6. *In corporibus cæleſtibus non reperitur malum.*] Commune iſtud pronunciatum accipiendum eſt, eâdem animaduerſione, quâ axioma præcedens. Citari ſolet à quibuſdam ex l. 2. de Cælo, t. 3. ab alijs ex 9. Metaph. t. 19. quo loco dicuntur, *ea quæ ſempiterna ſunt, non habere malum, & eſſe incorruptibilia, eò quod corruptio malorum ſit.* D. Thomas conformiter & cõſentaneè ad vtrumque locum, præſens eloquium expoſuit, dum docuit, intelligi debere, tam de malo corruptionis, quàm inordinationis; Alio tamen loco D. Thomas hanc expoſitionem habet, & non illo, quem citat non nemo, niſi erratum ſit in numeris.

Digitized by Google

7. *Mundus inferior gubernatur à ſuperiore.* l. 1. Meteor. c. 2.] Ea eſt connexio & ſubordinatio partium Vniuerſi, vt entia inferiora regantur à ſuperioribus, & particularia agentia ab Vniuerſalibus in operando dependeant, qualia ſunt ſol & cælum reſpectu rerum ſublunariũ, vt docet Philoſophus loco citato: ab hoc autem dicitur mundus inferior gubernari, non velut à causâ gubernatrice per ſe; ſed per accidens tantũ, quia nimirũ agentia inferiora indigent concurſu & influxu cæleſti ad materiæ diſpoſitionem, & ad pleroſque effectus naturales ſuo tempore & ordine rectè producẽdos; quo ſenſu l. 2. Phyſic. t. 26. dicitur, *Sol & homo generare hominem*, & l. 2. de Cælo c. 3. ac. 2. de Gen. c. 10. Acceſſus & receſſus planetarum; præſertim Solis motus per Zodiacum dicitur eſſe cauſa generationũ & corruptionũ, æſtatis & hyemis, & generatim viciſſitudinis naturalis rerũ ſubcæleſtiũ, vt fuſiùs explicabitur, Tit. *de Generat.* Ratio pronunciati eſt: cælũ eſt corpus naturale: ergo habet naturã & operationẽ, non immanentem; cum ſit inanimatũ: ergo tranſeuntẽ in hæc inferiora Etenim Natura non patitur quicquã otioſum; cum vnumquodque ſit propter ſuam operationem, vt docetur l. 2. de Cælo, tex. 27. Et in quolibet hæc tria inſunt, eſſe, poſſe, & operari, vt D. Dionyſius inquit. Videri poteſt D. Thomas lib. de Regimine Principum, cap. 1.

8. *Aſtra inclinant, ſed non neceſſitant.*] Vti cælum & aſtra non ſunt cauſæ gubernatrices per ſe, reſpectu inferiorum, ita neque directè agere poſſunt in animam rationalem, nec in intellectum ac voluntatem, ſeu in liberum hominis arbitrium; quia hæc ſpiritualia ſunt, illa corporea; ſed indirectè tantum & per accidens, quia variè afficiunt & immutant corpus humanum, ad cuius con-

ſtitutionem ſolet animus ſeſe accommodare, in hanc ſententiam eſt iſtud vulgare :

Aſtra quidem inclinant ; ſed vim mortalibus ægris
Non faciunt vllam, nam regit aſtra Deus.

9. *Exſpectandum eſt iudicium à ſtellis ſecundis.*] Ita rectè à Ptolomæo dictum eſt, in Centiloq. & in opere quadripartito. Cum enim cæleſtia corpora : cauſæ ſint vniuerſales & remotæ, reſpectu eorum effectuũ, quos ſecundum veram Philoſophiam, non ſe ſolis, (vt diei noctiſque diſcrimina, &c.) ſed cum elementarium & particularium cauſarum concurſu producere poſſunt ; neceſſariò euentus dependet & iudicium expectandum eſt, à ſtellis ſecundis, id eſt, à cauſis ſublunaribus & proprijs, vt ea, quæ primæ & Vniuerſales, ſiue cæleſtes ſtellæ facere moliuntur, in actum veniant. Sic, v. c. ſæpenumerò contingit, vt duo ſimul naſcantur, alter mas, alter fœmina cum eadem aſtrorum vis in eorum conceptione concurreret, vt notat S. Auguſtinus l. 5. de Ciuit. Dei, c. 26, quæ proinde effectuum varietas, non influxui cælorum, ſed propriarum cauſarum diuerſitati aſcribenda eſt.

10. *Corruptibile & incorruptibile differunt genere.* l. 10. Metaph. c. 9. t. 26.] Seruit hoc pronunciatũ ad diſtinctionem inter cælum, quod ex mente Ariſtotelis incorruptibile eſt, & elementum ſeu corpus elementare, quod eſt corruptibile : quæ duo videntur differre genere, id eſt prædicamento, vt volunt Zimara, & nonnulli alij : ſed reſpondetur cum D. Thomâ, differre ea genere phyſico, ſiue, vt Fonſeca loquitur, genere ſubiecto: non autem genere logico, ſiue prædicamentali; quia *res corruptibiles conſtant materiâ primæ*, vt inquit Ariſtoteles, id eſt, conſtant materiâ primâ, quæ eſt potentia phyſica ad recipiendas varias formas : res autem incorruptibiles non

Digitized by Google

constant tali materiâ. Hæc explicatio conformis est menti & textui Aristotelis, vt notat Fonseca ibidem: maximè autem congruit sententiæ eorum, qui docent, materiam rerum sublunarium differre specie à materiâ cælesti, si qua detur; quam rem fusè disputat Suarez in metaphysicâ, disp. 35. sect. 3. Vide, si placet, D. Thomam opusculo 42. c. 6. & 7. Scotum & Alensem in hunc locum, & alios.

DISTINCTIO III.

De Elementis.

1. *Elementum est corpus simplex, in quod resolvuntur mixta.* Sumitur ex l. 3. de Cælo, c. 3.] Vbi dicitur elementum esse id, *in quod resolvuntur cætera corpora, in quibus inest potentiâ vel actu; ipsum verò in alia resolvi nequit.* Dicitur primo corpus, vt excludatur materia & forma, quæ 12. Metaph. t 23. dicuntur elementa latè. 2° dicitur simplex, vt excludantur omnia mixta, quæ tertio dicuntur in id resolui, ad excludendum cælum, quod l. 3. & 4. de Cælo vocatur elementum latè, id est, corpus simplex.

2. *Elementa sunt similia materiæ.* l. 1. de animâ t. 82.] Quia nimirum vnumquodque elementum se habet vt causa materialis respectu mixtorum patet ex definitione Elementi, quam tradit Philosophus lib. 5. Metaph. c. 3. in hæc verba: *Elementum est id, ex quo primo inexistente, & indivisibili in aliam speciem aliquid componitur*: habent se itaque elementa veluti materia, ex quâ mixtum componitur; quemadmodum omnes partes dicuntur causa materialis, in ordine ad totum, vt explicabitur Titulo *de Quantitate*, ex l. 3. Phys. c. 6. t. 65. Vbi dicitur, *Pars esse materia Totius.*

Digitized by Google

In hanc sententiam est illud Auerrois 2. de Cælo, t. 23. *Elementorum esse est propinquius ad esse materiæ, quàm ad esse formæ: Corpus autem cęleste propinquius est, ad esse formę, quàm ad esse materię*; quæ comparatio non incongrua est ad distinctionem corporis cęlestis & elementaris; licet minus probetur Commentator in eo, quod dicat cælum esse substantiam corpoream simplicem, id est, non compositam ex materiâ & formâ physicâ, seu esse formam quandam non informātem; sed subsistentem absque materiâ; de quâ re consule, si placet, Suarez in Metaphysicâ disput. 13. sect. 10. Conimbr. l. 1. de Cælo, c. 2. q. 4. & alios.

3. *Elementa sunt generabilia & corruptibilia.* l. 3. de Cælo, c. 6. t. 53.] Vbi sub initium capitis & textus quærit Philosophus, vtrum elementa sint; an verò generentur & corrumpantur, respondetque quæstioni propositæ, inquiens, *fieri non posse, vt elementa æterna sint: ignem enim*, ait, *& aquam, & vnumquodque similium corporum dissolui videmus*: itaque sensu patere docet, elementa non esse sempiterna. Intelligo secundum omnes suas partes; quia

4. *Nullum elementum corrumpitur vniuersaliter.* l. 9. Metaph. c. 4. t. 17.] Patet tum experientiâ antecedentium sęculorum, quibus quatuor elementa semper in suo esse perstiterunt; tum quia incommoda, quæ ex vnâ parte à se mutuò accipiunt, aliunde resarciunt & compensant: tum denique; quia præter æqualitatem, quæ est inter illa, obstat etiam prouidentia diuina, quo minus aliquod eorum in alia, aut alia in vnum ita prævaleant, vt quaternarius numerus elementorum in mundo deficiat.

5. *Elementa non sunt apud nos simplicia.* Traditur à Simplicio in l. 1. de Cęlo t. 8. comment. 8.] Duobus modis elementum dicitur simplex siue purum, vel quoad qualitates, vel quoad substantiam: quoad

qualitates elementum purum vocatur, quod nullam habet qualitatem peregrinam; sed eas tantum, quas suâ naturâ postulat: quoad substantiam verò purum dicitur, quod non habet in suo gremio siue intra se aliud corpus: Neutro modo elementa apud nos simplicia sunt; cum & peregrinis imbuta sint qualitatibus, & alia sibi habeant corpora permixta, vt constat experientiâ.

6. *Elementa non sunt odorabilia.* Aristoteles lib. de Sensu & Sensib. c. 5. Comment. ibidem.] Intellige per se prout pura sunt: nam si odoriferũ quid ijs admisceatur, odorem fundent. Sic mare est odorabile & salsi saporis, ob siccas exhalationes sibi admixtas. Ratio pronunciati sumitur ex naturâ & definitione odoris, qui est: *qualitas secunda patibilis, orta ex permixtione primarum qualitatum, dominante sicco & calido in humido:* talis enim qualitas non competit corporibus puris & simplicibus; sed mixtis.

7. *Nullum Elementum nutrit.* l. de Sensu & Sensibili c. 4.] Citari etiam solet ex l. 2. de Gen. t. 49. vbi dicitur, *Vnumquodque nutritijs, quibus constat.* Vti proximè antecedens, ita præsens effatum intelligitur & verum est de elementis puris, quale apud nos nullum datur, vt dictum est. Vnde quod docet Aristoteles lib. 8. de Historiâ Animaliũ, lupos nutriri terrâ, & aëre Chameleontem, Rhytacem auem, & alia animalia; id, si verũ est, intelligi debet de aëre impuro, vti prius de impurâ terrâ. Sed fusiùs de hac re agetur, Titulo *de Potentiâ Nutritiuâ.* Consule, si placet, Scaligerum, Exerc. 196. in Cardanum, vbi dicit Chameleontem viuere aucupio muscarũ, quas linguâ suâ iaculatur.

8. *Omne Elementum mouetur motu recto.* Sumitur ex l. 1. de Cælo c. 2.] Vbi fusè Aristoteles disputat de corporũ simplicium differẽtiâ, & in hoc etiã corpora

Digitized by Google

elementaria à cæleſtibus diſtingui aſſerit, quod hæc moueantur motu circulari ab Intelligentijs: illa verò ab intrinſeco moueantur naturaliter motu recto, vel ſurſum videlicet, vel deorſum.

9. *Elementa ſunt tot, quot combinationes poſſibiles primarum qualitatum.* l. 2. de Gen. t. 16. & 34.] Hæ autem coniugationes ſunt quatuor, duntaxat: calor enim poteſt coniungi primò cum ſiccitate, vt in igne, ſecundò cum humiditate vt in aëre: item frigus combinari poteſt primò cum humiditate, vt in aquâ, ſecundò cum ſiccitate, vt in terrâ. Reliquæ duæ coniugationes naturaliter ſunt impoſſibiles, caloris cum frigore, humoris cum ſiccitate; quia ſunt contrariorum, quæ ſe mutuò perimunt.

10. *Terra ſicci eſt potius, quàm frigidi.* l. 2. de Gen. tex. 23.]

11. *Aqua eſt frigidi potius, quàm humidi.* ibidem.]

12. *Aër humidi eſt magis, quàm calidi.* ibidem.]

13. *Ignis eſt calidi magis, quàm ſicci.* ibidem.]

Comparat Philoſophus elementa inter ſe, quoad ordinem naturæ & dignitatis, quo qualitates conueniunt elementis, & dicit igni primò conuenire calorem; quia ordine dignitatis, *præſtantiſſimo elemento, præſtantiſſima debetur qualitas*, qui eſt calor: quo poſito, non poteſt aëri primò concedi, niſi humor, & hoc poſito non poteſt aquæ primò attribui, niſi frigus. Denique terræ, tanquam infimo elemento debetur infima qualitas, quæ eſt ſiccitas.

14. *Ex vno pugillo aquæ generantur decem aeris.* l. 2. de Gener. cap. 6. tex. 37.] Ex propoſito Ariſtotelis pronunciato nonnulli Philoſophi deduxerunt, eſſe inter elementa proportionem decuplã, id eſt, ignem eſſe decies maiorem quàm aërem, & aërem, quàm aquam, & aquam quàm elementum terræ, quia, *qualis eſt proportio partis ad partem, talis eſt totius ad*

Digitized by Google

totum, vt dicitur l. 1. Meteor. t. 12. Atqui pugillus superioris elementi habet decuplam proportionem ad pugillum inferioris: ergo totum elementum superius habet eandem proportionem ad inferius. Verum dicendum est, Aristotelem loco citato non agere de proportione magnitudinis, quam elementa inter se habent, vt patet ex contextu; sed de illâ, quam obtinet pugillus terræ, v. c. ad eam quæ obuenit aquæ ex tali pugillo genitæ: Nam vti Aristoteles dixit, ex vno aquæ sextario decem aëris fieri: ita

15. *Ex vno pugillo terræ generantur decem pugilli aquæ.*] Sumitur ex eodem textu. ac sensus est, si aliqua terræ portio dissoluatur, in substantiam aquæ, futurum vt rarescat terræ materia, sub formâ aquæ in quantitatem decuplo maiorem, quàm antea possidebat. Eâdem ratione verum est, & ex eodem textu proponitur istud:

16. *Ex vno pugillo aeris generantur decem ignis.*] Itaque licet rectè secundum mentem Philosophi inferri hinc possit, si totum aliquod Elementũ in aliud proximum conuertatur, futurum decuplò maius, quàm sit modò: non tamen rectè infertur, ipsa elementa, quæ nunc exstant, habere talem inter se magnitudinis proportionem: Neque enim ita sensit Aristoteles, & experientia manifestò docet, non solum aquã esse minorem terrâ; sed etiam aërem multis partibus eâ minorem videri, vt fusè ostendit Clauius in caput primum Sphęræ, pag. 64. edit. vltimæ.

17. *Ignis contraria est aqua.* l. 2. de Gen. c. 3. t. 22.] Nimirum secundum qualitates actiuas & passiuas: non autem secundum formas substantiales: Nam licet ignis corrumpatur ab aquâ, & forma aquæ expellat formam ignis ex eâdem materiâ; hoc tamen non contingit ob contrarietatem formarum substã-

tialium; sed quia accidentia, quæ requiruntur, tanquã dispositiones necessariæ ad conseruationem totius, expelluntur à contrariis accidentibus: Etenim substantiæ in ratione substantiæ nihil est contrarium, vt explicatum Titulo *de Substantiâ in genere*.

18. *Igne excepto omnia computrescunt.* l. 4. Meteor. cap. 2. tex. 5.] Intellige corpora elementaria & mixta: solus enim ignis computrescere non potest, vt docetur l. de Longit. & Breuit. vitæ c. 5. Ratio est, quia obstat summa illius siccitas, & calor; quibus destituta sunt, vel omninò, vel certè secundum quid, cætera elementa & mixta; ex quibus illa minus putrefactioni obnoxia sunt, quæ, cęteris paribus, ignis naturam & qualitates magis participant.

19. *Terræ medium & Vniuersi est idem.* l. 2. de Cælo tex. 100.] Postulat id natura huius elementi, vt rectè notat Commentator in l. 3. Phys. t. 51; quia nimirum est corpus grauissimũ, naturaliter postulans occupare locum infimũ, id est, centrum Vniuersi, ita vt mediũ siue centrũ grauitatis terræ, siue globi terrestris, & omniũ grauiũ isti corpori incumbentium, penetret centrum siue medium magnitudinis Vniuersi, strictè & Mathematicè loquẽdo, siue potius sit idem cum centro Vniuersi: Hoc autẽ centrũ, siue medium occupat terra, nullo alio corpore nitens; sed suis ponderibus æquè omni ex parte librata quiescens. Iuxta illud Poëtæ: *Ponderibus librata suis*, &c.

20. *Grauissimum omnium est, quod in medio.* l. 1. Meteor. c. 4. t. 14.] Loquitur hoc loco Aristoteles de corporibus simplicibus, siue elemẽtis, inter quæ terra (quæ in medio omniũ, centrum Vniuersi occupat, vt diximus) omniũ suâ naturâ est grauissima: neq; solum respectu corporũ simplicium, quod voluit Auerroës in 3. de Cælo com. 9. & in 4. de Cælo com. 16. sed aliorum etiam quorumlibet mixtorum. Etenim cum

Digitized by Google

mixta corpora ſemper aliquã ſuæ grauitati adiunctã habeant leuitatem : Terra verò habeat grauitatem ſimpliciter,& in ſummo gradu, clarum eſt, eam non modo elementis reliquis; ſed omnibus etiam mixtis præpõderare. Neque verò huic aduerſatur,quod ea terra, quæ apud nos eſt, leuior ſit auro, plumbo, & cæteris metallis; quia impura eſt, ac peregrinis qualitatibus permixta, neque de hac intelligitur effatũ; ſed de terrâ omninò purâ, & in ſtatu ſuo naturali conſtituta, qualem eſſe credibile eſt iuxta medium Vniuerſi.

DISTINCTIO IV.

De Corporibus mixtis.

1. *OMnia mixta ex ſimplicibus conſtant omnibus.* l.2. de Gen.& Corr.c.8.t.49. initio.] Senſus eſt, in quolibet mixto(intellige perfecto:non autem in quolibet imperfecto,qualia ſunt vapor & exhalatio) contineri omnia elementa. Probat ibidem Ariſtoteles & explicat in hunc modum: quoniam omnia mixta,quæ ſunt circa terrã, (& eadem eſt ratio de cæteris) ex terra conſtant;quia quieſcunt in terra:Ergo etiam conſtant aquâ; quia terra ſine aquâ non poteſt cohærere:ergo etiam igne & aëre;quia terra & aqua ſunt in mixtis refracta, ſeu temperata, quoad qualitates : non poſſunt autem refrangi,niſi à ſuo contrario, id eſt igne,& aëre : Ergo in quolibet mixto ſunt & ad illius generationem concurrunt omnia elementa, vel formaliter, vt quidam volunt, vel certè virtualiter, vt clariùs patebit ex dicendis.

2. *Elementa in mixtis quodammodo non manent, quodammodo manent.* l.1.de Gen.& Corr.c.10.t.84]

Explicat ibidē Philosophus & ait, non manere actu; manere autem potentiâ, eò quod virtus eorum atque potētia salua permaneat. Ex hoc pronūciato Fōseca, Conimbricenses, Suarez, & alij probant, elementa in mixtis non manere secundum formas substantiales; sed tantum secundum qualitates tum alteratiuas, tum locomotiuas, (licet refractas) quæ sunt virtutes elementorum, iuxta illud iam citatum:

3. *Elementa in mixtis non manent actu, manent potentiâ.* Ibidem, & l. 2. de partibus animalium c. 1.] Vbi cum dixisset, primam compositionem seu mixtionem fieri ex elementis, igne, aëre, &c: mox seipsum corrigens, subdit, melius dici, mixta constare ex virtutibus elementorum, calore, frigore, humore, siccitate. Ratio est, tum quia forma mixti habet vim causandi, conseruandi, & recuperandi connaturale sibi temperamentum primarum qualitatum (quæ sunt virtutes elementorum) tum quia est principium calefaciendi sicut ignis, humectandi sicut aqua, &c. Sufficit itaque forma substantialis mixti cum primis qualitatibus, ad esse substantiale compositi mixti, & ad omnes operationes physicas illius; neque vlla ratio vel experientia cogit asserere formas elementorum substantiales in mixto. Plura in huius rei confirmationem, & oppositæ opinionis refutationem adferri possent, sed nobis eò digredi non licet. Consule, si placet, Suarez disp. 15. Metaph. sect. 10. n. 51. Fonsecam, Conimbricenses, & aliōs.

4. *Omne mixtum mouetur secundum prędominans Elementum.* l. 1. de Cælo c. 2. t. 12.] Quemadmodum omne elementum naturali inclinatione fertur in suum locum naturalem, vt ignis sursum, terra deorsum, &c. Ita omne mixtum, quatenus tale est, & nisi aliunde occurrat impedimentum, naturaliter mouetur ad locum naturalem elementi in se prędominantis;

Digitized by Google

tis : dicitur autem id elementum prædominari in Mixto, cuius qualitas motiua, in ipſo præualet; quo modo in homine, quatenus corpus mixtum eſt, prædominatur grauitas terrea. Dixi, *quatenus corpus mixtum eſt*; quia pronunciatum intelligitur de motu naturali, vt ſic : non autem de motu violento aut volũtario, vel progreſſiuo, qui reperitur in homine, & aliis animalibus : dixi item, *niſi alibunde occurrat impedimentum*; quia vt in corporibus ſimplicibus ita in mixtis quoque, motus naturalis vel impediri omninò, vel modificari variè poteſt, vt conſtat experientiâ, & prolixè declarat Zimara in Theorematis, Propoſ. 64. Denique mixtum dicitur moueri ſecundum elementum prædominans, & non ſecundum elementa prædominantia; quia non contingit, in vno mixto propriè dicto, (de quo hic ſermo eſt) plura elementa prædominari; quemadmodum in nullo corpore naturali duæ ſimul reperiuntur qualitates contrariæ in excellenti gradu. Senſus moralis huius axiomatis valet ad cognoſcendas hominum affectiones : *Quidlibet* enim *monetur, ſecundum quod eſt mobile*, Et, *quilibet iudicat prout affectus eſt*, ac loquitur de eo libenter, ad quod eſt inclinatus; In quam ſententiam veriſſimè dixit Plato, *homines amore ipſo fieri facundos, & eloquentes ad loquendum de rebus, quas ipſi amant*. Etenim quemadmodum in compoſitis naturalibus elementum prædominans trahit omnia alia ad illum locum & centrum, quod naturaliter appetit; vt videre licet in lignis etiam maximis, quæ ſemper aquæ ſupernatant, ob aëris elementum in ijs prædominans : Ita ſi, v. c. amor in homine, ſiue diuinus, ſiue humanus prædominetur, attrahit connaturali virtute mentem eius & linguam : illam vt cogitet aſſiduè; hanc verò vt libenter ſermones miſceat de rebus, quas appetit & deſiderat. Vide Conimb. in 1.

de Gen. c. 10. q. 3. a. 3. ſub finem.

5. *Oleum inter omnes liquores ſupereminet.*] Quemadmodum videlicet ignis inter reliqua elementa. Ratio eſt, quia ex omnibus liquoribus oleum leuiſſimum eſt, vti ignis è corporibus ſimplicibus.

6. *Infimum mellis, medium vini, ſummum olei eſt optimũ.*] Ratio vulgaris huius dicti eſt; quia optimũ mel eſt, quod minus fluidum, & magis concretum, iuxta illud: *Mel dulcius eſt, quod eſt craſſius*, l. 5 de Hiſtoriâ Animalium c. 22. tale autem ſidit in fundo. Vis & generoſitas vini conſiſtit in calore, qui ſe colligit circa medium: nam ſumma illius pars læditur à vicino aëre; infima eſt fæculenta. Optimum olei eſt maximè defæcatum & purum, ac magis aërium; tale autem eſt id, quod ſupernatat in ſummo; quia eſt leuius.

7. *Aurum ex omnibus metallis eſt nobiliſſimum.* Traditur à D. Thomâ in l. 3. Meteor. digreſſione de coloribus lect. 9.] Vbi docet, id verum eſſe non ſecundum opinionem hominum duntaxat; ſed etiam ſecundum ipſam rei naturam. Ratio eſt; quia nobiliſſimas inter metalla qualitates habet & operationes, ex quibus ſubſtantiæ ipſius nobilitas dignoſcitur.

8. *Aurum inter metalla ſolum non crematur.* l. 6. Meteor. c. 6. & vltimo.] Vbi ſub finem capitis & libri docet Ariſtoteles, cætera metalla ideo concremari, quod ſiccam exhalationem habeant, quâ caret aurum, vtpote metallorum omnium puriſſimum. Albertus Magnus lib. de Mineralibus c. 5. pronunciatum iſtud refert hiſce verbis: *Aurum ob optimas argenti vini, & ſulphuris conditiones non crematur* (licet alia crementur metalla) *ſed depuratur*; quod intellige, quamdiu ſcoriam admixtam habet: Nam pu-

Digitized by Google

rum aurum non minuitur, nec fit minoris ponderis cum vritur, vt docet etiam S. Thomas in l. 3. Meteor. digressione de Coloribus, lect. 9.

DISTINCTIO V.
De Plantis.

1. *Plantarum genus primum est genus animantium.* l. 8. de Historiâ Animalium c. 1.] Plantas animatas esse & viuere probant Physiologi ex eo; quia propriè nutriuntur & crescunt in omnem dimensionem, per intussusceptionem alimenti à principio intrinseco: Per radices enim attrahunt succum terræ, & suâ virtute intrinsecâ distribuunt in omnes partes, ac conuertunt in suam substantiam, quod non faciunt, nec facere possunt inanimata. Dicuntur autem plantæ esse, *primum genus animantium*; quia præditæ sunt solâ animâ vegetatiuâ, quæ constituit primum, id est, infimum genus animatorum, vt docent Philosophi in l. 2. de Animâ. Cæterum animantis appellatio, tametsi solis ferè animalibus tribuatur, in fœminino præsertim genere: non rarò tamen, in neutro præsertim genere ad omnia extenditur quæ habent animam, & eam vegetatiuam tantùm: vt docet Seneca l. 8. Epist. Moral.

2. *Planta non est propter plantam; sed propter animal.* l. 1. de Plantis c. 1.] Ratio est; quia in serie entium inter se subordinatorum deterius semper est gratiâ melioris, vt explicatum est, Titulo *de Causâ finali*, distinct. 7.

3. *Terra Plantarum mater est, sol pater.*] Dictum istud Anaxagoræ refert & approbat Aristoteles l. 1. de Plantis c. 1. sub finem. Rationem insinuat ibidem, his verbis: *Est autem initium plantarũ alimenti*

à terra, & rursus aliud fructuum generationis à sole. Pro cuius explicatione notandum est: cum ad generationem viuentium (vt cætera taceam) certà temperamenti ratio, & virtus organorum delineatrix exigatur; quàm, vt perspicuum est, nullum elementum, aut corpus inanime, ex se vindicat; constat quoque non conuenire Terræ ex se vim generandi herbas, plantas, aliáque huius generis. Eam igitur à Deo accepit, tertio creationis mundi die, cum, vt 1. cap. Geneseos diuina narrat historia: *Dixit Deus; germinet Terra herbam virentem*, &c. Quod post D. Augustinum l. 5. de Genesi ad litteram edisserit S. Thomas 1. p. q. 69. a. 2. & in 2. d. 14. q. 1. a. 5. & alij Doctores ibidem. In istiusmodi itaque viuentium procreatione Terra se habet quasi mater, non solum quia materiam ministrat, & alimenta præbet; sed etiam quia ad germina effectiuè concurrit; præsertim si semine imbuta sit, & calefiat à Sole, qui se habet vt agens vniuersale quidem; non tamen principale, vti pluribus explicabitur. Titulo 50. *de Generatione*, dist. 6. ad illud: Sol & homo generant hominem.

4. *Plantæ montanæ magis sunt medicinales.* l 2. de Plantis c. 1. cæteris nimirum paribus.] Ratio est; quia ob puriorem aërem, & alias montium commoditates vires suas, ac cæteras qualitates naturas felicius obtinent, quam in vallibus, & campestribus locis, vbi sæpe nimiâ crassiorum humorum accretione vis herbarum non mediocriter obtunditur, vt proinde in montibus plantæ euadere soleant perfectiores & generosiores, vt docet Aristoteles ibidem. Idipsum quoque, non de plantis modo; sed alijs etiam viuentium generibus, quæ in locis editioribus degũt, asserit, & multis declarat Guarinonius l. 3. de Abominatione desolationis c. 8. & 9. Idque confirmat

Digitized by Google

auctoritate Hippocratis, Galeni, Ariſtotelis & aliorum. Conſule eum, ſi placet.

5. *Plantæ omnes ſine cultu ſylueſcunt.* Traditur ab Alberto in l. 1. de Veget. tract. 2. c. 6.] Veritas huius conſtat experientiâ quotidianâ. Ratio ſumitur ex maledictione terræ, Geneſis 3. verſu 17. vbi primo Parenti dicitur: *Quia audiſti vocem vxoris tuæ & comedeſti de ligno, ex quo præceperam tibi, ne comederes, maledicta terra in opere tuo*, &c. quæ verba ſignificant ſterilitatem quandam & malignitatem terræ in ferendo fructu, vt non niſi magno labore culta ferat, & *malignè* ferat, triticum vertat in ſiliginem, & contingat illud:

Grandia quin etiam committimus hordea ſulcis,
Infelix lolium & ſteriles dominantur auenæ.

6. *Non conualeſcit Planta, quæ ſæpius transfertur.* L. Seneca Epiſt. 2.] Ratio eſt, quia neque altas radices agere, neque alimentum ſufficiens attrahere permittitur. Pronunciatum iſtud in vagabunda ingenia, & in omnem valet inconſtantiam.

7. *Sylua eſt arbore præſtantior.*] Vulgare iſtud proloquium clarum eſt ex terminis: Arbor enim ſeſe ad ſyluam habet, vt miles ad exercitum, vt coſta ad corpus, & vt pars quælibet ad ſuum totum; atqui omne totum, vt quantitate, ſic etiam dignitate in ſuo genere partem ſuperat; quia & partem in ſe continet, & aliam inſuper perfectionem habet. Vſus illius multiplex eſt, & frequens, ſiue in bonum, ſiue in malum.

DISTINCTIO VI.

De Animalibus,

1. *ANimal constat ex animâ & corpore.* l. 1. Politicorum. c. 3.] Sicuti generatim omne compositum physicum constituitur ex materiâ, quæ se habet, tanquam patiens, & ex formâ, quæ se habet vt agens; ita animal vnumquodque componitur ex corpore, quod est subiectum patiens, & animâ, quæ informat, viuificat, & gubernat ipsum corpus, vt docet Philosophus ibidem, & pluribus explicatum est ad illud: *Formæ est agere, materiæ pati.* Titulo *de Causâ Formali*, distinct. 6. num. 1.

2. *Corpora omnia naturalia animæ sunt instrumenta.* l. 2. de Animâ t. 37.] Nimirum siue animalium, siue etiam plantarum, vt ibidem docet Philosophus. Ratio huius ex eo sumi potest; quia, *Corpus totum animæ gratiâ est conditum*, vt docetur l. 1. de partibus animalium c. 2. & 5. nempe vt veluti pars minus principalis & instrumentaria illius directioni subseruiat, vt non obscurè colligitur ex eodem loco, vbi addit Philosophus, *membra similiter officiorum gratiâ constare & numerum, ad quæ accommodantur.* In eandem sententiam D. Thomas 2. Polit. lectione 11. *Corpus & corporis perfectiones*, ait, *esse propter animam.* Sensus moralis huius pronunciati efficax est in illos, qui corporis seruitio mancipati & deiecti, animam nobilissimam ad immortalia sese suapte naturâ erigere non sinunt; quibus vtinam bene perspecta foret aurea illa Senecæ sententia: *Maior sum & ad maiora genitus, quàm vt mancipium sim mei corporis*: Etenim reuerà,

Digitized by Google

3. *Anima se habet ad corpus, vt Dominus ad seruum.* l. 1. Polit. c. 3. & lib. 7. Moral. Eudemiorum c. 11.] In quam sententiam D. Thomas in 7. Politic. lect. 9. inquit: *Corpus respectu animæ quodammodo seruus est.* Itaque qui suo corpori se mancipat, non legitimi alicuius Domini; sed vilissimi serui mancipium efficitur; nec vnam modo seruitutem subit; sed in plures sese miserè præcipitat, iuxta illud Senecæ: *Multis seruit, qui seruit corpori.* lib. 2. Epistola 14.

4. *Animalia perfecta non nisi ex semine procreantur.*] Est commune dictum Philosophorum, fundatum in perfectione naturali huiusmodi animantium: Sicuti enim perfectiorem habent naturam, ita plura requirunt ad sui productionẽ, quam cætera viuentia; sicque non nisi propagatione seminis gigni queunt; quod satis confirmat experientia: Neque enim videmus leonem, aut equum, aliáue eiusmodi nobilioris notæ animalia, absque parentum semine prouenire. Hac de causa D. Augustinus l. 16. de Ciuit. Dei, c. 7. *Bestiæ*, inquit, *quæ non sicut ranæ nascuntur, credi possunt, post diluuium, ad insulas tranando transisse: sed proximas: sunt autem quædam tam longè positæ à continentibus, vt ad eas nulla videatur natare potuisse bestiarum. Quod si homines eas captas secum adduxerunt, & eo modo, vbi habitabant, eorum genera instituerunt, venandi studio fieri potuisse incredibile non est: Quamuis iussu Dei, siue permissu, etiam opere Angelorum, negandum non sit potuisse transferri.*

5. *Animalia imperfecta plura sunt, quàm perfecta.*] Huius quoque vulgaris dicti veritas patet experientiâ quotidianâ: Et generatim imperfectiora entia numero vbique sunt superiora. Ratio est, quia à naturâ facilius producuntur & multiplicantur: Vnde etiam animalia minus perfecta ordinariè

fœcundiora sunt, quàm quæ naturæ sunt perfectioris.

6. *Animalia perfectiora sunt, quæ natura calidiora & humidiora.* l. 2. de Generatione Animalium c. 1.] Ratio huius est; quia, vt ait, Alexander Aphrod. in 1. de Animâ c. 12. Animalis essentia in calido & humido maximè versatur, cum vita Animalis conseruari non possit, absque calore natiuo & humido radicali. Vnde Aristoteles in libro de Longitudine & Breuitate vitæ docet, *Animalis viuere esse tale, quale est eius humidum & calidum.* Hac etiam de causâ senium dicitur esse moribundum, & vitæ suo modo contrarium; eò quod frigidum sit & siccum. Consule, si placet, Albertum Magnum de mort. & vit. tractatu 2. cap. 8.

7. *Animalia aquatilia breuioris vitæ sunt, quàm terrestria*, libro de Longitud. & breuit. vitæ cap. 3.] Rationem addit Philosophus ibidem; quia nimirum in illis prædominatur humor aqueus; non humor simpliciter: tale enim humidum aquosum facilè corruptibile est, cum frigidum sit & gelabile.

8. *Insecta diuisa viuere ad tempus possunt.* l. de incest. Animalium c. 5.] Vbi rationem addit; quia ita compacta sunt, ac si ex multis essent coniuncta animalibus: minimè autem ex illis post diuulsionem viuere possunt ea, quæ præ exiguitate suâ quamprimũ refrigerantur. Eandem doctrinam tradit Aristoteles l. de iuuentute & senectute c. 1. Vbi cum dixisset, *Insecta viuere post diuisionem*, scribit, *bene constituta animalia* (id est, perfecta) *hoc non pati, quia in iis natura est, quàm maximè vna & simplex*; non quod anima illorum simpliciter & omninò sit vna & indiuisibilis, vt quidam putant; sed quoniam in tali genere, id est, inter formas materiales, quoàd consistentiam in partibus separatis sunt minus diuisibiles ani-

Digitized by Google

mæ perfectorum brutorum; quàm imperfectorum & plantarum: Hæ enim ſunt vna actu, plures potentiâ. Si quæras, cur partes Plantarum auulſæ, v.c. rami, creſcant in nouam arborem: ex partibus verò inſectorum, non ita facilè nouum fiat inſectum. Reſpondet Ariſtoteles l.de Longit. & breu. vitæ c. 4. quia planta habet in quâuis ſui parte radices, & germen in potentiâ; animalia non item.

9. *Plura mare animalia, quàm tellus habet.* S. Ambroſius l. 5. Hexaëm. c. 2.] Ratio eſt, ſiue quia elementum aquæ vaſtiſſimum eſt, ſoliſque piſcibus deſtinatum ad vitam, non quoad externam modo ſuperficiem, vti tellus reſpectu hominum; ſed etiam, ac multò magis quoad partes interiores & penitiores; ſiue quia piſces vitæ breuioris ſunt, ob exiguum calorem, & exuberantem humiditatem; ſiue quia aqua rerum productioni aptior; quoniam, vapor humidus omnes res creat, vt ait Ouidius; ideoque Plinius l. 9. c. 1. ait, humoris luxuriam cauſam eſſe, cur complura ſint animalia in mari maiora terreſtribus, & tam multiplicibus formis ac figuris; quæ etiam eſt Ariſtotelis ſententia l. 3. de Generat. Animalium c. 11. In hanc ſententiam eſt illud Pſalmiſtæ: *Illic reptilia quorum non eſt numerus.* Pſalmo 103. verſu 25. Etſi enim reptilia propriè inter terreſtria numerantur; quia tamen repere eorum eſt animalium, quæ pedibus carent, etiam piſces, qui ijs deſtituti ſunt, in reptilibus Græcè Latinéque cenſentur. Ita Salianus, die mundi 5. num. 2. & 3. tomo 1. Annalium Eccleſiaſticorum Veteris Teſtamenti. Sumitur autem mare hic non pro Oceano duntaxat: ſed Synecdochicè, pro totâ aquarum collectione, ſiue pro aquæ elemento.

10. *Animalia noxia ſunt in mundo ſuperflua.* Sumitur *l.* 1. Polit. c. 5.] Vbi omnia animalia eſſe homi-

Digitized by Google

nis causâ, docet Philosophus mansueta quidem propter vtilitatem & cibum: fera verò, etsi non omnia, at plurima propter cibum, & alia adiumenta. Omnia etenim suos habent fines, ob quos ab optimâ rerum parente Naturâ producta sunt, & faciunt ad pulchritudinem & conseruationem Vniuersi: Deus namque & Natura nihil faciunt frustra, nec quicquã patiuntur otiosum, vt explicatũ est Tit. *de Causâ finali.* Vnde de noxijs animantibus D. Augustinus ait, l. 3. de Genesi ad litterã: *Hæc aut pœnaliter ladunt, aut salubriter exercent, aut vtiliter probant, aut ignoranter docent*, &c. Porrò quod de noxijs, idem de imperfectis quibusdam & minutis intelligi potest.

11. *Elephas ex omnibus feris est disciplinæ capacissimus.* Aristoteles l. 9. de Historiâ Animalium c. 46.] Rationem assignat ibidem; quia, ait, *per multa officia eruditur*, cum & genua flectere, & Regem adorare, & ad numeros mouere pedes, imò per funes ambulare condiscat. Idem docet Albertus Magnus, l. 8. de Animalibus, Tract. 1. cap. 2.

12. *Leo est generosissimus belluarum.* Sumitur ex l. 9. de Historiâ animalium c. 44.] Vbi animum Leonis describit Philosophus, in hæc verba: *In venatu dum cernitur, nunquam fugit, aut metuit; sed etiam, si venantium multitudine cedere cogitur, sensim pedatimque discedit, crebrò subsistens, atque respectans: nactus verò opaca, fugâ, quàm potest maxime veloci se subtrahit: donec in aperta deueniat, tunc rursus leniè incedit.* Dicitur nihilominus Leo ignem præcipuè formidare, vt de illo præter Aristotelem testatur etiam Homerus, cum inquit:

Ardentesque faces, quas, quamuis sæuiat, horret.

Addit eodem capite Philosophus, visum esse Leonẽ, qui, cum suem aggrederetur, vt setis horrentem aspexit, fugeret. Consule, si placet, Arist. loco citato.

Digitized by Google

13. *Aquila non venatur prope nidum.*] Refertur ab Alberto Magno lib.8. de Animal. Tract.2. c.5.] Sumiturque ex l. 9. Aristotelis de Historiâ animalium c. 34. vbi docet, aquilam locis nido suo distantibus prædari. Idem docet Albertus Magnus loco citato, inter reliquas volucrum species proprium esse, non Aquilæ solum; sed etiam Vulturi. Sensus huius moralis locum habere potest, cum in omnibus magistratum gerentibus: tum verò in exercituum Ducibus & Archistrategis.

14. *Aquila non captat muscas.*] Significat vulgare istud Prouerbium, viros summos ad magna respicere, eáque sola æstimare & cogitare, parua verò negligere & despicere; vt de viro Magnanimo docet Aristoteles l. 4. Ethic. c.3. vbi inquit: *Magnanimus pauca facit sed magna.* Addit ibidem; eum motum habere tardum, vocem grauem, orationem sedatam, &c. quia, *festinare non solet, qui pancis rebus intendit.* In eandem sententiam vsurpatur, & illud:

15. *Falcones non insident cadaueri.*] Traditur ab Alberto Magno l. 23. de Animalibus c. 6.] Vbi addit, id tamen & à miluis fieri & ab Aquilis. Valet vtrumque in commendationem generosorum Pugilum ac Campiducum, qui minutulis vilibusque neglectis, magna semper & noua trophæa cogitant. Vide, si placet, quæ diximus ad illud: *Satius est vnum facere insigniter, quàm multa mediocriter.* In hunc quoque sensum est præclarum istud monitum P. Balthasaris Aluarez: *Neme degeneret à præcelsis cogitationibus filiorum Dei;* quo suos ille in Religione Tirones exstimulabat ad perseuerandum in suâ vocatione, & reipsa explenda generosa animi proposita, quæ Deus illis communicasset; vt refert Ludouicus de Ponte in illius vitâ, cap. 20. Plura huiusmodi pronunciata adferri hoc loco possent;

Digitized by Google

sed, quia moralis ferè eorum acceptio est, ad materiam *de Virtutibus* esse remittenda videtur.

DISTINCTIO VII.

De Homine.

1. *Homo est parvus mundus.*] Ita à Philosophis nuncupatur, ob similitudinem, quam habet cum Mundo magno, seu Vniuerso, cuius ipse est quoddam veluti compendium, continens in se harmonicam illam rerum diuersissimarũ perfectionem, quæ in totius Vniuersitatis confluxum cernitur, ac proinde vti Vniuersum propter decẽtissimã partium omnium inter se consensionem ornatumque meritò κόσμος dicitur: ita homo, *nobilissimum Dei animal*, quod omnium in vnum confluentium naturarum possessionem, & totius Vniuersi summã in se, quàm elegantissimè ordinatam cohibet, iure μικρόκοσμος, id est, *parvus mundus* vocitatur. Eadem de causâ Marci 16. 15. dicitur:

2. *Homo est omnis creatura.*] Quia nimirum omnes naturæ in ipsum confluunt, omnésque huius Vniuersi creaturæ in ipso quodammodo reperiũtur. Etenim totum Vniuersum ex quatuor præcipuè essentialibus rérum naturalium gradibus constat: nam quædam habent *esse solum corporeum*, licet cum magnâ perfectionis varietate, vt cernere licet in cælis elementis & quibusdam mixtis; aliæ *vitam vegetantem*, quales sunt arbores, plantæ, flores; aliæ *sentientem*, quales animantes, aues, pisces; aliæ denique habent, *esse spirituale & vitam intelligentem*, vt Angeli: Omnes hosce gradus simul collectos Auctor Naturæ Homini ex corpore & spiritu composito imper-

Digitized by Google

tiuit: Est enim in illo Esse, sicuti in cælis & elementis, ac simul corpus mixtum ex elementis; est vita stirpium, brutarum sensus animantium, & mentis Angelicæ, propter intelligendi vim participatio: imò, quod summum est, impressa diuinitatis effigies: id quod præter alios obseruârunt Trismegistus in Pimandro, & Gregorius Magnus, Homiliâ 29. in Euangelia. Vide, si placet, D. Thomam 1. p. q. 91. a. 1. & q. 96. a. 6. Sed & hoc notatu dignum est, quod sicuti Vniuersum in medio sui centrum habet, circa quod partes extimæ distant æqualiter; ita etiam, Si homo brachijs & cruribus extensis iaceat, vmbilicus erit centrum circuli, cuius peripheria per manuum versus caput extensarum, pedumque transibit extremitates: Extensa verò in directum brachia tantum patent, quantum à vertice ad calces interest. De quâ re consule, si placet, Plinium lib. 7. c. 17. Cardanum l. 11. de Subtilitate. Vitruuium initio libri 13. & eius Interpretes.

3. *Homo naturaliter est animal politicum.* Sumitur ex l. 1. Ethic. c. 7. & l. 8. c. 1. & 9. Ethicorum c. 9.] Alij ita proponunt: *Homo naturaliter est animal sociale;* alij dicere malunt, *animal ciuile.* Quemadmodum homo à brutis distinguitur per naturam humanam, ita etiam distingui debet ciuilitate morum, & conuersationis humanitate: tum quia id decens est & honestum; tum quia naturæ inprimis conueniens & salutare, cum nemo nascatur sibi in omnibus, siue ex parte corporis, siue animæ sufficiens, vt rectè notat M. Gregorius Homiliâ 10. in Ezechielem, vbi diuinam prouidentiam sapientissimè dona sua distribuere, & non omnia omnibus concedere probat in hunc modum: *Poterat namque vnicuilibet regioni fructus omnes tribuere; sed si vna quælibet regio alterius regionis fructu non indigeret, communionem cum alterâ*

non habuisset. Vnde fit, vt huic vini, alij verò olei abũdantiam tribuat: hanc multitudine pecudum; illam verò vbertate faciat abundare fructuum, &c. In eandem sententiam verè cecinit Poëta, l. 1. Georgic.

Hic segetes, illic veniunt felicius vuæ:
Arborei fœtus alibi, atque iniussa viresc̃nt
Gramina, &c.

Porrò quod de terræ fructibus, animalibus, & integris nationibus dicitur; idem intelligendum est, de singularibus hominibus inter se quoad corporis vel animi dona, comparatis. Verè etenim, vti, *non omnis fert omnia tellus*, quod post multos claros auctores, sapienter annotauit Quintilianus, lib. 5. c. 10; ita, *non omnia possumus omnes*, vt pluribus explicabitur, Titulo *de Potentiâ naturali in genere*. Hac etiam de causâ lib. 8. Ethicorum c. 1. dicitur, *Amicitia in vitâ summè esse expetibilis & necessaria, ac nemo sine amicis expetere viuere*. Ex quibus omnibus colligere licet, parum illos esse humanæ conditionis vel gnaros, vel memores, qui sociabiliter cum alijs conuersari non possunt; in quantum videlicet ipsorum status, & iura humanitatis requirunt. Vide D. Thomam lib. de Regimine Principum cap. 1. vbi prolixè, veritatem hanc tum ex naturali, tum ex morali Philosophia ductis argumentis demonstrat.

4. *Optimum cunctorum animalium est homo.* l. 1. Politic. c. 2. in fine.] Intelligitur primò & præcipuè ratione naturæ, siue formæ naturalis, quæ incorporea est & intelligibilis; ac secundum quam homo est imago Dei, & creatus ad similitudinem Dei, quod nulli creaturæ irrationali conuenit, vt docet D. Thomas 1. p. q. 45. a. 7. in Corp. & alibi. 2° etiam verũ est, ratione operum, quibus Deo & intelligentijs assimilatur, si illa sint cum virtute coniuncta; vt docet D. Ioannes Damascenus l. 2. de Fide Orthodoxâ,

Digitized by Google

c. 12. D. Auguſtinus, & alij : Et de hac bonitate accidentali loquitur Philoſophus, cap. citato; ait enim: *Hominem perfectum virtute eſſe optimum cunctorum animalium*; eodemque ſenſu ſubiungit :

5. *Homo alienus à lege & iuſtitiâ eſt peßimũ omnium animalium.*] Nempe propter actiones rectæ rationi contrarias. Nam, vt inquit ibidem, *ſæuiſſima eſt iniuſtitia tenens arma* : homo verò arma tenet, propter innatam prudẽtiam atque virtutem, quibus plurimũ valet in contrarium vti, id eſt, ob vires naturales præ cęteris animalium generibus : Itaque impijſſimum & immaniſſimum animal eſt ſine virtute, & ad libidinem omnẽq; intemperantiam deterrimum. Quare rectè etiam à Philoſopho dictum eſt iſtud :

6. *Homo beſtialis centies millies peior eſt beſtiâ.* l. 7. Ethic. c. 6. & alibi.] Homo beſtialis dicitur, qui non viuit ſecundum rationem; ſed paret in omnibus appetitui ſenſitiuo inſtar alicuius bruti : proinde longè peior eſt, quàm ſit beſtia; quia 1° habet nobiliſſima arma rationis, ad expugnandas affectuum perturbationes, quibus deſtituta ſunt cętera animalia, 2° quia dominam rationem turpiſſimæ ſeruæ concupiſcentiæ ſubſternit, quod non facit beſtia, quæ viuit conformiter ſuæ naturæ.

7. *Homo ſolus ex omnibus animalibus erectus eſt.* De inceſſu animalium c. 9. & lib. 4. de partibus Animalium c. 10.] Vbi rationẽ aſſignat Philoſophus; quoniam natura hominis & ſubſtantia quodãmodo diuina eſt : diuini autem officiũ eſt, intelligere & ſapere; quod non facile eſſet, ſi vaſta corporis moles aſſideret, & ad terrã deprimeret : pondus enim tardiorem reddit & mentẽ & ſenſum. In eandem ſententiã eſt iſtud M. Tullij l. 2. de Naturâ Deorũ: *Homo ortus eſt, ad mundum cõtemplandum & mirandũ.* Et paulò poſt: *Deus homines humo excitatos celſos & erectos cõſtituit,*

vt Deorum cognitionem, cælum intuentes capere possent.
Idem eleganter expressit Ouidius l. 1. Metamorph. in hunc modum:

Pronaque cum spectent animalia cætera terram,
Os homini sublime dedit, cælumque tueri
Iussit, & erectos ad sidera tollere vultus.

8. *Homo mortuus non est homo.* l. 1. de partibus Animalium, c. 1.] Ratio est; quia perijt forma substantialis ad constitutionem suppositi humani intrinsecè necessaria; quare non dicitur homo nisi æquiuocè.

9. *Homo sapiens est maximè felix.* l. 10. Ethic. c. 8.] Sapientia est rerum humanarum diuinarumque, & earum, quibus hæ res continentur, scientia; in quâ quò est quispiam excellentior, eò etiam in hac vitâ felicior: Non enim in diuitijs, honoribus, aut alijs corporis, aut naturæ dotibus; sed in rerum diuinarũ cognitione & contemplatione felicitas collocanda est, vt pluribus explicabitur Titulo *de Felicitate.* Sumitur autem hic nomen Sapientiæ latè, pro quadam rectitudine intellectûs generali, ad bene iudicandũ, & prudenter agendum in omnibus rebus, quæ consurgit ex collectione & perfectâ adeptione omnium scientiarum.

DISTINCTIO VIII.

De Mare & Fœmina.

1. *Masculinum genus naturaliter est dignius fœminino.* Sumitur ex l. 8. Politic.] Veritas illius vel ex eo patet, quod in mundi primordio, non sit producta mulier ex primariâ, siue primariâ intentione Dei (vt Caietanus ait, & consentit Pererius, &, vt videtur, S. Paulus 1. Corint. 11. 9.) sed tãtum ex

ex neceſſitate; quia non potuit aliter propagari & conſeruari humana ſpecies, ſecundum naturæ ordinem. Et hac de causâ mulier in Scriptura dicitur, *Adiutorium hominis*; quam phraſin aliqui mulieribus aliquando objiciunt, quaſi non ſint homines. Vtrumque nihilominus ſexum, tam virum, quam fœminam vox, homo, complectitur: nam & ſeparatim de Fœminâ dictum inuenitur, quamquã rariùs. Porrò ratio pronũciati ſumitur ex capite citato Ariſtotelis; quia *Mulieres parere natæ ſunt, viri imperare.* τὸπ γὰρ ἄρρεν, inquit, φύσει τῦ θήλεος ἡγεμονικώτερον: nam quidquid maſculum, id naturâ magis factum ad imperandum, quàm fœmineum. Item,

2. *Fœmina eſt quaſi mas læſus.* l. 2. de Gen. Animalium c. 3. & l. 4. c. 6.] Vbi addit, Fœminas eſſe naturâ debiliores, frigidioreſque, & ſexum fœmineũ eſſe quaſi naturalem læſionem. In eandem ſententiam Philoſophi communiter aiunt, *Fœminam eſſe marem occaſionatum*; quia nimirum occaſione magis, ob materiæ indiſpoſitionem, vel generatiuæ virtutis imbecillitatem, vel aliud qualecunque impedimentum, quàm intentione naturæ producitur. Etenim

3. *Natura particularis nunqnam intendit producere fœminam.* Refertur ab Alberto Magno in 2. Phyſ. Tract. 1. c. 5.] Vbi ratio additur, quia Natura ſemper intendit opus perfectum, id eſt, marem progignere, cum illa ſemper faciat optimum, quod poteſt, vt explicabitur, Titulo *de Naturâ*: maſculinum autem genus naturaliter dignius eſt Fœminino, vt modò oſtenſum eſt: Non tamen Fœmina eſt extra curſum aut præter intentionem Naturæ Vniuerſalis; vtpote, quæ ordinis magiſtra eſt, & totalem intendit producere & conſeruare ſpeciem in rebus inferioribus, vt rectè notauit D. Thomas 1. p. q. 92. a. 1. ad 1. Nec aliud eunuunt argumenta Scaligeri l. 2.

de Plantis, quibus propositum axioma refellere nititur. Hinc etiam perspicua est veritas istius:

4. *Vir & mulier non differunt specie.* Sumitur ex l. 10. Metaph. t. 25.] Sensus est, non esse inter illos differentiam essentialem in gradu specifico, cum in illo conueniant vniuocè & essentialiter; licet accidentali differentiâ inter se dissideant, vt patet ex dictis.

5. *Mares longioris sunt vitæ, quam Fœminæ.* Libro de Longitudine & Breuitate vitæ c. 2.] Ratio est; quia mas naturâ suâ calidior est fœminâ: calor autem est qualitas vitalis, vt explicabitur Titulo *de Patibili qualitate*; ideoque, cæteris paribus, masculi viuaciores sunt, quàm fœmellæ. Dixi, cæteris paribus; quia vel ob grauiores labores & curas, vel ob maiorem intemperantiam, & alios defectus, sæpenumerò mares præ fœminis moriuntur, vt docet experientia.

6. *Fœmineæ maioris sunt pietatis, quàm Viri.* Sumitur ex l. 9. de Historiâ Animalium c. 1.] Ratio est; quia illæ magis reguntur affectibus, quàm isti. Vnde nomine pietatis intelligitur potissimè affectus compassionis. Etenim, vt Aristoteles ibidem ait, *Fœminæ moribus sunt mollioribus, miteſcunt celeriùs, & malum facilius patiuntur.* Et infrà: *Mulier misericors magis, & ad lacrymas propensior, quàm vir est.* Nimirum quia magis illa subiacet affectibus; quâ etiam de causâ, vt subdit Philosophus ibidem, *est inuida magis & querula, & maledicentior, & mordacior.* Id quod de Xantippe Socratis coniuge, & de pluribus alijs historiæ veterum testantur, & de quamplurimis hodiéque quotidiana docet experientia: vt non immeritò Xenarius Comicus dixerit; *Cicadas mares felices esse, eò quod fœminis earum nihil vocis insit.* Vide, si placet, Serarium in l. 1. Regum c. 1. v. 9.

Digitized by Google

8. *Mulier non fit ambidextra.* Hippocrates l. 7. Aphorismo 43.] Visos esse persæpe viros, qui vtrâque manu, vt dexterâ vterentur, clarum est ex historijs sacris æquè ac profanis, vt v. c. ex lib. Iudicum cap. 3. vbi laudatur Aod æquimanus, & c. 20. eiusdem libri, vbi dicuntur, *inuenta esse viginti quinque millia de Beniamin, viri fortissimi, sa sinistrâ vt dextra prœliantes*, & alibi: *Mulierum autem nullam hactenus constat fuisse ambidextram*; cuius ratio petitur à sexus muliebris imbecillitate; & à neruorum ac lacertorum robore peculiari, quod ad genuinam dexteritatem requiritur; quâ de causâ, cum perrari inter viros æquè manibus ambabus vtantur, par certè fuerit, mulieri abundè esse, si vnâ duntaxat manu dextrè vtatur.

TITVLVS XIX.

De Accidente generatim.

DISTINCTIO PRIMA.

Diuisiones Accidentis.

1ª. ACcidens generatim est duplex, Physicum & Logicum. Physicum est, quod in suâ entitate est accidens, & ex suâ naturâ postulat esse in alio. Logicum est, quod non requirit esse in alio (cum possit esse substantia) accidit tamen subiecto iam in suo esse completo.

2. Physicum accidens est duplex, aliud quod habet veram entitatem, vt Quantitas, & Qualitas. Aliud est modus tantum accidentalis, vt, Relatio, Actio, Passio, &c.

Digitized by Google

3. Logicum accidens similiter est duplex, Prædicabile, & Prædicamentale. Illud complectitur tãtum accidentia quinti Prædicabilis : Hoc verò præterea comprehendit etiam accidentia quarti Prędicabilis, & absolutè nouem summa genera accidentium: Hæc tamen duo sæpe confundi solent & pro eodem accipi. Præter has aliæ assignari solent accidentis diuisiones; sed eæ commodius proponentur in sequentibus.

DISTINCTIO II.

De Natura Accidentis generatim.

1. *Accidens est Entis Ens.*] Pronunciatum istud rectè proponit & explicat Alexander de Ales 7. Metaph. t.11. hisce verbis : *Accidens, propter diminutum eius esse, magis debet dici alienius, quam aliquid; quia entitas accidentis non est entitas sibi sed alij : vnde licet accidens intrinsecè & essentialiter Ens sit ; habet tamen esse diminutum , dicens habitudinem ad substantiam.* Sumitur autem ex l. 7. Metaph. t. 2. & t. 15. & verum est de quolibet accidente, siue physicum illud sit, siue logicum aut metaphysicum : quo enim sensu, accidens est, eodem quoque est, & dicitur, *Entis Ens*, id est, Ens cum habitudine ad substãtiam, cui accidit. Vide, si placet, D. Thomam 1. p. q. 9. a. 2. in corpore.

2. *Accidentis essentia est, dicere habitudinem ad substantiam.* Vtitur hoc dicto Alexander de Ales 7. Metaph. t. 17.] Veritas eius perspicua fit ex ipsâ nominis Etymologiâ : Significat enim, quod de ratione accidentis communiter sumpti sit, esse aliquo modo affectionem substantiæ, & dicere ordinem ad illam,

Digitized by Google

tanquam ad ſuum ſubiectum principale & vltimatum, vt fuſiùs explicabitur in illo: *Accidens non accidit accidenti*, & pulchrè oſtenditur à Suarez diſp. 37. Metaph. ſect. 2. num. 11. & prȩcedentibus. Pro diſtinctione tamen huius & ſequentium axiomatum intellectu notandum eſt, duplicem eſſe inhærentiam accidentis; vna eſt actualis, & hæc non de illius eſſentiâ, vt patet in Venerabili Sacramento, vbi manẽt accidentia panis & vini poſt conſecrationem, ſine actuali inhærentiâ: alia eſt aptitudinalis, quàm volunt aliqui eſſe de eſſentiâ accidentis; ſed melius Suarez, loco citato ait, *De ratione illius eſſe, quod ſit aliquo modo affectio ſubſtantiȩ.* Atque hoc ſenſu intelligendum eſt propoſitum effatum: Etenim quȩdam accidentia nec actu, nec aptitudine propriè inhærẽt; ſed extrinſecè tantum afficiunt, vel denominant, vt mox dicetur. Vide etiam Suarez, diſp. 35. ſect. 2. Secundò notandum eſt, quædam eſſe accidentia, quæ ex ſe propriam habent entitatem, realiter propriè diſtinctam à ſubſtantiâ, quam afficiunt, & de horum eſſentia non eſt inhærentia actualis, iuxta ea, quæ dicta ſunt; alia tantum ſunt modi ſubſtantiarũ, vel etiam accidentium, qui ex ſe non afferunt entitatem propriam; ſed tantum modificant illam entitatem cuius dicuntur eſſe modi; Et huiuſmodi accidentia in ſuo conceptu includunt inhærentiam actualem: Neque enim ſufficiunt per ſe conſtituere entitatem propriam in rerum naturâ: ſed intrinſecè poſtulant, vt actu afficiant aliquam entitatem, cui per ſe immediatè ita ſunt affixa, ſeu vnita; vt ſine illâ entitate ſeu re, nullo modo exiſtere poſſint. Sic, v. c. ſeſſio non poteſt eſſe, ſine ſedente, ambulatio ſine ambulante, &c.

3. *Accidentis eſſe eſt ineſſe.*] Sumitur ex 7. Meta. t. 15. & verum eſt eodem ſenſu, quo dicitur accidens

tis essentia esse, vt dicat habitudinem ad subiectum. Itaque τὸ *inesse* latè hic accipitur prout dicit quamuis affectionem vel habitudinem ad substantiam, siue habitualem, aut aptitudinalem, siue etiam actualem. Quod si, per *inesse*, intelligitur inhærentia propriè dicta, locum habet pronunciatum in accidentibus solum intrinsecè afficientibus subiectum: non autem in adhærentibus extrinsecè, vt est vestis respectu vestiti, locus circunstãs respectu locati; nec in denominantibus extrinsecè, vt est actio transiens respectu agentis. Vide, si placet, D. Thomam 3. p. q. 77. art. 1. ad secundum.

4. *Accidentia in concreto magis entia apparent, quàm in abstracto.* l. 7. Metaph. t. 3.] Rationem assignat ibidem: *Quoniam*, ait, *subiectum est determinatum est*; Concretum enim accidẽtale significat & subiectum, & formam accidentem subiecto; vt album, v. c. dicit & rem albam, & ipsam albedinem, siue, vt loquitur Aristoteles 7. Metaph. c. 6. *album significat duo, id cui accidit*, id est subiectum; *& id quod accidit*, id est albedinem inhærentem: quare concretum accidentale sumitur vt subsistens per se: abstractum verò, vt quod est in alio; quomodo in substantijs etiam humanitas, v. c. significat naturam humanam, tanquam principiũ hominis; quia significat illam sine subsistentiâ, qui est modus naturæ substantialis, & terminus vltimò complens eam in genere substantiæ.

DISTINCTIO III.

De accidente in ordine ad substantiam, vt sic.

1. *OMne Ens vel est substantia, vel accidens.*] Est commune pronunciatum Philosophorum.

Sensus illius est, inter substantiam & accidens, nullũ esse medium, siue nullum esse Ens quod mediã quãdam inter substantiam & accidens naturam habeat. Ratio est; quia substantia & accidens inter se collata secundum propriam rationem essendi, diuiduntur secundum affirmationem & negationem, per modum contradictionis; scilicet secundum esse in subiecto, eo modo, quo explicatum est, & non esse in subiecto; atqui inter huiusmodi, comparatione alterius nihil potest esse medium. Vide, si placet, D. Thomã 1. p. q. 77. a. 1. ad quintum. Hinc quoq, omnes omninò Entium modi, aut substantiales sunt, qui pertinent ad constitutionem vel ad complementum substantiæ, vt vnio substantialis materiæ & formæ, subsistentia, &c. Aut accidentales, qui supponunt substãtiam iam plenè constitutam, eamque afficiunt, vt ambulatio, sessio, præsentia localis, &c. vel pertinẽt ad complementum alterius accidentis, vt v.c actualis inhærentia Quantitatis in substantia. Vide, si placet, Suarez disp. 32. Metaph. sect. 1. n. 13. & seqq.

2. *Accidentia iuuant ad conseruationem substantiæ.*] Intelligitur de accidentibus cuique rei connaturalibus, & in certâ mensurâ congruè aduenientibus. Sic v.c. quatuor primæ qualitates conseruant viuentia naturalia in suo esse, & ita quidem iuuant, vt sine illis conseruari hęc neutiquam possint: Neqs enim vlla forma substantialis physica persistere in materiâ potest, nisi certis accidentibus, veluti dispositionibus affecta, quo sensu verum est istud: *Qui tollit proprietates, tollit essentiam.* Porrò radix & origo, cur substantia creata recipiat in se accidentia, est hæc; quia in se est finita & limitata, nec sibi ipsa sufficiens: ideo requirit accidentia, per quæ vlterius perficiatur, adiuuetur, & exornetur. At verò substantia increata Dei,

Digitized by Google

quia in se est infinitè perfecta, & in sè continet omnem plenitudinem bonitatis, quæ est in totâ latitudine Entis: propterea non potest amplius perfici per accidentia, nec est capax illorum.

3. *Accidentia non sunt necessaria.* l. 1. Poster. c. 6. tex. 15.] Vbi probat Aristoteles ex instituto, demõstrationem propter quid, constare ex propositionibus necessarijs: at accidentia, inquit, non sunt necessaria; Ex quo infert, ea quæ inium per accidens, non ingredi demonstrationem propter quid. Intelligitur itaque & verum est de accidentibus contingentibus, quæ nec sunt in primo, nec in secundo modo prædicandi per se: talia enim, *contingit eidem inesse, vel non inesse*, vt loquuntur Philosophi ex Porphyrio; idque vel ratione sui; quomodo calor, v. c. potest non inesse, seu abesse ab animali, nigredo à coruis. &c: quia calor non postulat necessario conseruari in tali subiecto, cum possit esse in alio; vel ex parte subiecti, quo modo albedo potest abesse à pariete, similitas à naso, &c. quia paries non postulat necessariò albedinem, nec nasus similitatem; vel denique ex parte accidentis & subiecti simul: sic eadem albedo potest abesse à pariete, cum & paries possit esse non albus, & albedo possit esse in alio subiecto, quàm pariete. Sensus huius dicti moralis valet in eos, qui accidentarijs & leuioris momenti rebus plus nimio intendunt.

4. *Accessorium non vitiat naturam principalis.*] Doctrina huius axiomatis eadem ferè est, quæ præcedentis. Pro maiore tamen illius explicatione notandum est, nomine naturæ hîc intelligi ipsam rei principalis essentiam, quæ propterea dicitur ab accessorio non vitiari; quia intrinsecè in suâ essentiali ratione non immutatur physicè: *Posterius enim non tollit naturam prioris*, & accidens supponit rem, non

facit, vt mox explicabitur fusiùs. Itaque naturam substantiæ variare accidens intrinsecè non potest, cum non ingrediatur essentialem rationem substantiæ, & hæc quoad naturam & essentiam suam non pendeat intrinsecè ab accidente. Pendet nihilominus substantia creata ab accidente, quoad suum conseruari, & quoad bene vel malè esse: Nam & accidentia iuuant ad conseruationem substantiæ, & eandem bene vel malè disponunt, iuxta illud:

5. *Accidentia mutant conditionem substantiæ.*] Patet experientiâ quotidianâ, & verum est non in physicis modo, sed etiam moralibus. Videmus enim homines ordinariè bene vel malè disponi accidentaliter ab ijs, quæ aduenium extrinsecus: aliter namque disponitur animus sedentis in asino, aliter exultantis in regali throno: vnde est illud vulgare: *Honores mutant mores.* Vide, si placet, quæ diximus ad illud: *Bonum est ex integrâ causâ, malum ex singulis defectibus.* Titulo *de Bono*, distinct. 4.

6. *Accidens supponit rem, substantia facit.*] Accidentia dicuntur ab accido, vel accedo; quia accidunt, & accedunt rei in sua substãtiâ & essentiâ constitutæ; quo modo Petro, v. c. accidunt, scientia, magnitudo, ambulatio, visio, &c. Materia autem & forma non accidunt, neque accedunt Petro; *nihil enim accidit alicui priusquam sit; sed postquam est*: at ante materiam suam & formam Petrus nullo modo intelligitur esse: ergo ante illas nihil ei accidit: at postquam Petrus est, quid ei aduenit, illi accidit, & illi additur: Hac igitur ratione dicitur accidens supponere rem; nimirum cuius est accidens, & cui existenti accedit: At verò Substantia dicitur rem facere; quia per se siue per suum conceptum intrinsecè constituit rem in suo esse, ita vt durante substantiâ, non possit res talis non durare, etiamsi omnia

Digitized by Google

tollantur accidentia.

7. *Accidentia assimilantur propagini.*] Intelligitur præcipuè de accidentibus proprijs ex naturâ rei emanantibus, quemadmodum enim plantæ referunt naturam & virtutem illius radicis aut fruticis à quibus propagantur & sustentantur; ita accidentia certâ proportione referunt naturam illius substantiæ, à quâ profluxerunt. Hinc moraliter facta dictaque viri boni habentur bona, viri mali mala; quia similia censentur suæ radici & propagini. Vnde Christus in Euangelio: *Bonus homo de bono cordis thesauro profert bona, & malus homo de malo thesauro profert mala.* Matth. 12. 350. iuxta hunc quoque sensum verum est istud:

8. *Accessorium sequitur naturam sui principalis.*] Ita habet Regula 42. Iuris in 6. quæ, vt Dynus tenatur in Commentario, locum obtinet, siue agatur de principali inducendo, siue de eodem tollendo, siue confirmando, vt latiùs explicant Interpretes ibidem. v. c. qui emptum accipit equum, secum quoque aufert, & capistrum. Cæterum nomine accessorij intelligitur id, quod per se accidit illi, cuius dicitur accessorium, & non habet naturam aut dignitatem planè independentem ab eo. Vnde si quis contractum aliquem, vel promissionem quamcunque iuramento confirmet, potest fieri, vt iuramentum obliget, licet promissio in se sit inualida; de quâ re consule, si placet, Lessium de Iustitia & Iure, cap. 17. dub. 7. num. 51.

9. *Accidentia iuuant ad cognitionem substantiæ.* Sumitur ex l. 1. de Animâ c. 1. t. 11.] Vbi ait, accidentia magnam afferre opem ad percipiendum ipsum, quod quid est. Vera est hæc auctoritas de accidentibus, tum proprijs, tum etiam cõmunibus; de illis quidẽ, quia ex proprietatibus venitur in cognitionem rerũ,

Digitized by Google

quibus ſunt propriæ : quo modo, viâ inuentionis ex potentiâ naturali ipſa rei eſſentia intelligitur; aſſimilantur enim ſuæ propagini, vt dictum ; de his verò; quia ex criſpo capillo, rubicundâ facie, corpore decoro cognoſcitur Petrus, v. c. & ita ſimiliter in alijs; præcipuè ſi ſpectentur vt combinata ad inuicem. Vnde Eccleſiaſtes : *Ex viſu cognoſcitur vir, & ex occurſu faciei ſenſatus.* Sic & ex fructibus arborem, ex coloribus auem, ex caudâ vulpem, & ex vngue leonem cognoſcimus; non quidem à priori, & demonſtratione propter quid, quia talis cognitio procedit à notioribus naturâ ad ea, quæ notiora ſunt nobis, id eſt, ab eſſentiâ rei, & proprietatibus continuo fluxu inde dimanantibus, vt grauiter & doctè oſtendunt Metaphyſici : Verùm remotè & à poſteriori; quo modo noſter intellectus ex ſenſibilium cognitione accidentium inueſtigare ſolet ipſam quidditatem ſubſtantiæ ; Nihil enim in noſtro eſt intellectu, quod non prius fuerit in aliquo ſenſu. Et

1o. *Sola accidentia ſunt ſenſibilia.* Sumitur ex l. 2. de Animâ cap. 6.] Vbi de ſenſibilibus proprijs & communibus diſputat Ariſtoteles. Aliqui aliunde citant; ſed malè, vt inquirenti perſpicuum fiet : dicuntur autem ſola accidentia eſſe ſenſu cognoſcibilia per ſe primò & directè, quo modo ſupra dictum eſt, ſubſtantiam non eſſe ſenſibilem, Titulo *de Subſtantiâ generatim.* Ratio eſt ; quia quidquid à ſenſu percipitur, hoc agendo ſenſum mouet ; cum ſenſus non ſolum actiua potentia ſit ; ſed etiam paſſiua : Atqui ſubſtantia per ſe non mouet ſenſum, nec mittit ſui ſpeciem in ſenſum; cum ille ſolas ſpecies accidentium percipiat per ſe primò, vt patet ex eodem capite. Itaque ſola accidentia per ſe primò à ſenſu percipiuntur : Subſtantia verò ſecundariò, prout eſt inuoluta accidentibus.

Digitized by Google

11. *Abstracta accidentium non agunt in sensum, sed concreta.*] Etsi sola accidentia per se sensibilia sint, vt diximus; non tamen illa secundum se præcisè, & in abstracto sumpta in sensum agunt; sed sumpta in concreto, siue accidentalia concreta, iuxta propositum axioma, quod desumptum est ex 1. de sensu & sensili c. 6. vt Philosophus inquit: *non hic calor calefacit, sed hoc calidum.* Ratio est, quia actiones sunt singularium per se existentium, siue suppositorum, vt explicatum est, Titulo *de causâ Efficiente.* Itaque sensus exterior videt quidem accidens: non tamen abstractè, sed concretè, & ideo dicitur videre per se albedinem, v. c. per accidens autem substantiam, vt docetur in 2. de Animâ c. 6; quia videt album seu cbloratum, in quo includitur aliquo modo substantia. Vide, si placet, Titul. 11. distinct. 10. num. 2. 3. 4. 5.

12. *Accidentia sensibilia conueniunt soli substantiæ materiali. 7.* Metaph. Commento 3.] Nomine substantiæ materialis intelligitur compositum constans materiâ primâ; siue forma etiam materialis sit, vt in brutis, plantis, & alijs mixtis atque elementis; siue spiritualis, vt in homine. Tali itaque composito tantùm, conuenire dicuntur accidentia sensibilia; quia conueniunt ipsi ratione materiæ. Hinc quidam probant, cælum constare materiâ primâ; quia dantur in ipso accidentia sensibilia.

13. *Accidentia primò insunt substantijs singularibus.* Colligitur in cap. de Substantiâ, tex. 3. & 4.] Vbi inquit Philosophus, primas substantias dici, eò quod omnia de ijs prædicentur, vel sint in ipsis. Intelligitur autem & absolutè verum est de accidentibus communibus: ista enim habent idem subiectum conuenientiæ & existentiæ vt albedo, v. c. primò conuenit individuis, Petro, Paulo, &c. & primò existit

in illis; per individua autē attribuitur ſpeciebus: quia enim Petrus aut Paulus eſt albus, ideo homo dicitur albus: In proprijs verò intelligendum eſt de ſubiecto inexiſtentiæ, non de ſubiecto conuenientiæ; quia hoc eſt natura ſpecifica, ex quâ immediatè fluunt, & cui primò conueniunt Proprietates; quo ſenſu verum eſt iſtud: *Proprium innaſcitur ſpeciei.*

DISTINCTIO IV.

De Accidente in ordine ad ſubiectum.

1. *Accidens comparatur ad ſubiectum, ſicut actus ad potentiam.*] Eſt communis ſententia Philoſophorum, cuius ratio eſt, quia omne accidens aliquo modo afficit & actuat ſuum ſubiectum, & cum eo compoſitum accidentale conſtituit, idque vel inhærendo propriè, per intrinſecam informationem & coniunctionem cum ſubiecto, vel adhærendo, aut alio modo modificando & denominando; quo modo veſtis adhæret & adiacet veſtito, ambulatio afficit & denominat ambulantem, &c. Vnde accidens generatim ſumptum, ita poteſt deſcribi: *Eſt forma aliquo modo afficiens & denominans ſubiectum accidentaliter*, id eſt, extra eſſentiam illius completam. Ex hoc pronunciato Theologi probant, Deum non eſſe capacem accidentis; quia cum ſit forma ſimpliciter ſimplex, & actus omninò purus, non includit vllam rationem potentiæ, nec accidentis vllius poteſt eſſe ſubiectum. Vide, ſi placet, D. Thomam 1. p. q. 3. a. 6. in corp. Vide etiam, quæ diximus huius Tituli, diſtinct. 3. num. 2. ad illud: *Accidentia iuuant ad conſeruationem ſubſtantiæ.*

2. *Accidens non migrat de ſubiecto in ſubiectum.*]

Digitized by Google

Ita ſcilicet, vt idem numero accidens, quod primùm fuit in vno ſubiecto, poſtmodum ſubiectetur in alio. Sumitur ex cap. 2. de Anteprædicamentis, vbi Ariſtoteles ait, fieri non poſſe, vt accidens exiſtat ſeorſim, ſiue ſeparatim ab eo, cui ineſt; quod intelligitur & verum eſt de quolibet accidente phyſico, in ſuppoſitione perſonali, loquendo naturaliter: ſic enim fieri non poteſt, vt exiſtat ſeorſim: poteſt tamen fieri ſupernaturaliter, vt patet in venerabili Euchariſtiâ: Deus enim, qui eſt prima cauſa ſubſtantiæ & accidentis, poteſt ſuâ virtute, conſeruare accidens, ſubtractâ ſubſtantiâ, per quam antea conſeruabatur in eſſe, tanquam per cauſam propriam: Quemadmodum alios etiam effectus naturalium cauſarum producere poteſt ſine cauſis naturalibus; vti corpus humanum formauit in vtero Virginis ſine virili ſemine. Hæc autem intelligenda ſunt de ijs accidentibus, quæ propriam habent entitatem diſtinctam realiter ab inhærentiâ actuali, vt ſunt plerçque quãtitates & qualitates: ſunt enim quædam accidentia, de quorum eſſentiâ eſt actualis inhærentia, ſiue, vt actu inhæreant in ſubiecto: Ea ſcilicet, quæ ab eo diſtinguuntur tantum vt modi, aut quorum intrinſeca ratio eſt, actu afficere ſubiectum, ita vt implicet contradictionem, ea ſeparatim à ſubiecto exiſtere. At verò de eſſentia accidentium prioris generis non eſt niſi inhærentia aptitudinalis: actualis enim coniunctio cum ſubiecto differt, à parte rei ab ipſis; proinde eam tolli, intrinſecæ eorum rationi non repugnat. Itaque cum Ariſtoteles loco citato, & l. 1. t. 39. alijque Philoſophi negant, accidentia ſeparari poſſe à ſubiecto, loquuntur de virtute naturali, vt diximus. Vide, ſi placet, D. Thomam 3. p. q. 77. a. 1. in Corp. diſtinguunt hic aliqui ſubiectum inhæſionis & denominationis, aiuntque de illo pronũciatum

Digitized by Google

intelligi; de hoc verò non item : cum enim moritur, inquiunt, homo, v. c. ſcientia eius à toto compoſito migrat in ſolam animam ; ſed hoc valde impropriè dicitur, nec illa diſtinctio hic eſt neceſſaria.

3. *Corrupto ſubiecto corrumpitur & accidens.* Sumitur ex locis citatis, & ex l. 1. Poſteriorum cap. 8.] Vbi docet Philoſophus, ſcientiam corrumpi, ſi ipſe ſciens moriatur : tum enim , etſi maneat ſcientia in animâ ſeparatâ quæ immortalis eſt, & propriũ ſcientiæ ſubiectum: non tamen manet eodem modo; quia anima ſeparata non iam cognoſcit dependenter à phantaſmate, & organo corporeo; ſicuti facit, quamdiu eſt in corpore. Huic effato potius , quàm præcedenti inſeruit diſtinctio de ſubiecto inhæſionis & denominationis : de iſto enim intelligi debet axioma; de hoc verò non item. Vtrumque patet exemplo hominis morientis. Ratio pronunciati eſt; quia accidẽs nõ poteſt migrare de ſubiecto in ſubiectũ, vt dictum eſt : itaque corrupto ſubiecto inhæſionis, corrũpitur neceſſariò accidẽs inhęrẽs. Alioqui debet exiſtere naturaliter abſq; ſubiecto, quod eius naturæ repugnat.

4. *Idem accidens non poteſt eſſe in diuerſis ſubiectis.* Sumitur ex cap. citato, & verum eſt hoc ſenſũ.] Accidens vnum & idem numero non poteſt ſimul inhærere diuerſis, & à ſe totaliter diſtinctis ſubiectis. Vide, ſi placet, D. Thomam q. 14. de veritate a. 4. Atque hæc tria pronunciata intelligenda ſunt de ſubiectis eiuſdem rationis , immediatis & propriè dictis. Quare non repugnat eandem ſcientiam, v. c. eſſe in homine , tanquam in ſubiecto denominationis, & eſſe in animâ hominis , tanquam in ſubiecto inhæſionis; quia hæc ſunt diuerſarum rationum; ſed repugnat, eandem v.c. ſcientiam, quæ eſt in hoc homine, eſſe etiam in alio , vel quæ eſt in hac animâ, eſſe ſimiliter in aliâ.

5. *Quidquid aduenit Enti in actu, aduenit ipsi per accidens.*] Sensus est; quidquid aduenit Enti in actu iam constituto siue completo, id habet rationem accidentis respectu illius, cum possit abesse, & adesse præter illius corruptionem. Intellige accidens latè sumptum, siue physicum illud sit, siue logicum, non autem necessariò physicum tantum: barba enim, v. c. aduenies iuueni, non est in entitate suâ, siue physicè accidens; sed logicè respectu illius adolescentis; accidit namque naturæ ipsius. Colligitur hoc pronunciatum ex l. 1. Physic. c. 8. tex. 75. & seq. & refertur à D. Thomâ l. 4. con. Gen. c. 81. & 3. p. q. 2. a. 6. ad secundum, vbi restringitur in hunc modum: *Omne id, quod aduenit alicui post esse completum, accidentaliter aduenit, nisi trahatur in communionem illius esse completi*: disputat autem D. Thomas loco citato, vtrum natura humana fuerit vnita Verbo Dei accidentaliter, & mens illius in allatâ distinctione est; omne id, quod aduenit alicui præexistenti, si assumatur ad constituẽdum cum illo vnum esse personale, non aduenire accidentaliter, sed substantialiter: si autem supponat rem perfectè constitutam in esse substantiali vel personali, & afferat nouum esse, quod ad constitutionem personæ nullo modo pertinet, accidentaliter aduenire: vnde concludit humanam naturam Verbo vnitam esse substantialiter, non accidentaliter. Vide, si placet, Caietanum, & alios in hunc locum.

6. *Accidentia solo numero distincta non multiplicantur in eodem subiecto.*] Sumptum est ex l. 5. Metaph. c. 10. t. 16. vbi dicuntur, *illa accidentia differre specie, quæ cum in eadem substantia sint, differentiam habent.* Sed distinguendum est de accidentibus: quædam enim sunt omninò sibi similia, non tantum in specie, sed etiam in munijs, vel officijs, ad quæ à natura

tũtâ ſunt ordinata, & habent effectum formalem omninò ſimilem, vt duo calores, duæ albedines, &c. De his loquitur Ariſtoteles, non poſſe plura ſolo numero diſtincta ſimul eſſe in eodem ſubiecto. Et ratio eſt; quia cum habeant effectum formalem omninò ſimilem; fruſtra multiplicarentur in eodem ſubiecto: v. c. fruſtra ponerentur in pariete iam per vnam albedinem albo plures albedines; quia eſt iam albus per vnam. Item vniuſcuiuſque ſubiecti naturalis capacitas limitata eſt, vt non quælibet indifferenter; ſed cum certâ latitudine & ordine recipiat accidentia: vnde ſi parieti albo alia inſuper albedo ſuperadueniat, vel cum priore coaleſcet in vnum, vel à ſubiecto non excipietur, ob rationem poſitam. Etenim, *Impoſsibile eſt*, inquit D. Thomas, *idem ſubiectum perfici ſimul pluribus formis vnius generis, ſicut impoſsibile eſt, quod idem corpus ſecundum idem ſimul coloretur diuerſis coloribus, vel figuretur diuerſis figuris.* 1. p. q. 85. a. 1. Alia ſunt accidentia ſolo numero diuerſa, quæ in ſpecie quidem ſunt ſimilia: diſſimilia tamen in munijs & effectu formali, & habẽtia reſpectum eſſentialẽ ad diuerſa extrinſeca. Sic duæ ſpecies viſiles Petri & Pauli differunt ſolo numero, & poſſunt recipi in eâdem parte aëris; quo modo etiam in eodem ſubiecto multiplicari poſſunt relationes, vt duæ vel plures paternitates in eodem patre, &c. Ratio eſt; quia effectus formalis vnius non eſt omninò ſimilis effectui formali alterius.

7. *Accidens non accidit accidenti.* Sumitur ex 4. Metaph. t. 13. & 14. Vbi addit Ariſtoteles, *niſi quia vtrumque eidem accidit, veluti album eſt muſicum, quoniam vtrique homini accidit.* Senſus itaque huius pronunciati eſt, accidenti non ineſſe accidens, tanquam ſubiecto *Quod* ſeu vltimato: tale enim ſubiectum eſt ſola ſubſtantia: poteſt tamen accidens ac-

cidere accidenti, tanquam ſubiecto *Quo*, ſeu non vltimato; quo modo Quantitas eſt ſubiectum proximum inhæſionis omnium accidentium materialium, quo mediante illa ſuſtentantur à ſubſtantiâ. Quod ſi verò accidens virtute diuinâ ſeparetur à ſubſtantiâ, tunc aliquo modo poteſt eſſe vltimum ſubiectum alterius accidentis, vt in venerabili Sacramento Eucharistiæ, eſt v. c. quantitas reſpectu albedinis. Dixi aliquo modo; quia adhuc albedo & cęteræ qualitates, quæ ſunt in quantitate ſeparatâ, dicunt ordinem ad ſubſtantiam, tanquam ad ſubiectum vltimatum. Vide, ſi placet, D. Thomam 1. p. q. 77. art. 7. ad ſecundum.

TITVLVS XX.

De Modis Entium.

DISTINCTIO PRIMA.

Diuiſio Modorum.

1. MOdi Entium creatorum generatim ſunt duplices, ſubſtantiales & accidentales. Modi ſubſtantiales ſunt, qui pertinent ad conſtitutionem vel complementum ſubſtantiæ, vt vnio materiæ & formæ, ſubſiſtentia vnio, hypoſtatica, &c. Et hi reuocantur ad prædicamentum ſubſtantiæ.

2. Modi accidentales ſunt, qui non pertinent ad conſtituendam ſeu complendam ſubſtantiam; ſed ſupponunt illam completè conſtitutam, eamque afficiunt aliquo modo accidentaliter, vt, Vbi, Figura, &c.

3. Modi accidentales ſunt duplices; quidam per-

Digitized by Google

tinent ad complementum alterius accidentis, aut ad exercendum effectum formalem illius, & illi reuocantur ad prædicamentum istius accidentis. Sic inhærentia Quantitatis, & punctum reuocantur ad prædicamentum Quantitatis, inhærentia Qualitatis ad Qualitatem, & ita de cæteris.

4. Quidam non pertinent ad constitutionem seu complementum alterius accidentis; sed per se peculiari modo afficiunt substantiam. Et hi constituunt nouum prædicamentum accidentis: sic Vbi peculiare constituit prædicamentum; quia nec est pars, nec complementum alterius accidentis; sed in suo genere est completum accidens, & habet proprium modum afficiendi accidentaliter.

DISTINCTIO II.

Pronuntiata de Modis.

1. *Modus non existit, nisi modificet actu.*] Est commune dictum Philosophorum, desumptum ex l. 3. Physic. t. 4. vbi de certo quodam modorum genere disputans Aristoteles, ait, *Motum non esse præter res vel absque rebus*, id est, lationem aut motionem non reperiri vnquam, nisi in illis rebus, quæ mouentur, & cum quibus realiter identificantur. Ratio est, quia huiusmodi modi per se non sufficiunt constituere propriam entitatem in rerum naturâ; sed intrinsecè postulant, vt actu afficiant aliquã entitatem, cui per se immediatè ita sunt affixi, seu vniti, vt nec fieri, nec esse possint sine illâ, etiam per absolutam Dei potentiam, iuxta illud vulgare, ex eodem textu deductum.

2. *Modus est, qui nec diuinitus esse potest, sine re, cuius est modus.*] Sic sessio Petri nec est, nec esse potest sine Petro, similitas sine naso,& ita de cæteris. Rationem assignat Hurtado, disp. 2. Metaph. n. 38. quia modus per suam essentiam est actualis determinatio rei indifferentis, & exercitium actuale potentiæ, tribuens actu suam denominationem : quod præstari non posset, si modus existeret sine re, quam denominat : nam quod non est, non sedet, non est in loco, non operatur, &c.

3. *Nullus modus est maioris entitatis, quam sit res cuius est modus.*] Est commune dictum Philosophorum, de quo videri potest Suarez, dis. 7. Metaph. s. 1. n. 18. & seq. Etsi quilibet modus reuera sit aliquid positiuum, & afficiat rem cuius est modus dando illi aliquid, quod est extra essentiam illius vt indiuiduam & existentem in rerum naturâ : Dicitur tamẽ non esse maioris, sed potius minoris entitatis, quam sit res ipsa; quia per se modus non affert nouam entitatem, sed tantum modificat illam entitatem, cuius dicitur esse modus. Hoc patet inductione ; nam v. c. in Quantitate, quæ inhæret substantiæ, duo possunt considerari, vnum est entitas ipsa Quantitatis, siue res ipsa, quæ includit, quidquid est de essentiâ Quantitatis indiuiduæ, & in rerum naturâ positæ, quod manet & conseruatur, licet Quantitas à subiecto separetur : alterum est vnio, seu actualis inhærentia Quantitatis in substantiâ, & dicitur modus Quantitatis; quia per se præcisè consideratus non est propriè entitas ; sed est aliquid afficiens entitatem, & quasi vltimò determinans statum & rationem existendi illius. Idem dicendum est de alijs modis, v. c. de figurâ respectu superficiei, de subsistentiâ respectu naturæ substantialis, de sessione respectu sedentis, &c.

Digitized by Google

4. *Omnis modus dicit transcendentalem habitudinem ad rem cuius est modus.*] Vt sessio ad sedentem, ambulatio ad ambulantem, & ita de cæteris, idque in conceptu suo essentiali. Ratio huius perspicua fit ex dictis; quia nimirum existentia modi non potest se sola fundare esse aliquod absolutum; sed essentialiter nititur in aliâ aliquâ entitate. Vide Suarez loco citato. Hurtado dis. 2. Metaph. n. 36. & 47.

5. *Modus rei diuersus non diuersificat eius speciem.*] Physicè nimirum & essentialiter: ratio est, quia modus supponit rem in suo esse, non facit; & aduenit illi per modum accidentis, essentiam minimè ingreditur. Ex hoc pronunciato probant Theologi, Baptismum, qui fit per immersionem non distingui specie ab illo, qui ministratur per effusionem aut aspersionem; quoniam cum modus coniungendi inter se aquam & corpus abluendum non sit de essentiâ ablutionis, non possunt diuersi modi facere distinctas ablutionum species, ac proinde nec Baptismorum. Vide, si placet, Suarez tomo 3. in 3. p. disp. 22. sect. 1. Dixi essentialiter & physicè; quia accidentaliter posse rem diuersificari à suo modo, nullum est dubium; Et Mathematicè loquendo, quælibet mutatio in figuris mutat speciem, vt explicabitur, Titulo *de Formâ & Figurâ.* Huic verò non repugnat, quod actus habituum & potentiarum dici soleant specificari ab obiecto, & modo tendendi in obiectū; quia modus ibi latius sumitur, pro intrinseca & essentiali differentiâ, quâ ex sua natura postulant versari circa suum obiectum; vt amor per módum prosecutionis, odium per modum auersionis, desiderium circa rem absentem, gaudium circa præsentem, vt pluribus explicabitur Titulo *de Habitu in genere*, distinct. 4.

TITVLVS XXI.

De Quantitate & Quanto.

DISTINCTIO PRIMA.

Varia Quantitatis acceptio.

1. QVantitas generatim est duplex, quantitas virtutis & quantitas molis: quantitas virtutis est, qua res dicuntur magnæ vel paruæ in perfectione essentiali vel accidentali: Sic dicimus magnum hominem, magnum animum, magnam fortitudinem: Sic calor vt 8. dicitur maior calore vt 4. Atque hæc quantitas in rebus tum materialibus, tum spiritualibus inuenitur: Quantitas molis est, quæ reperitur in solis rebus corporeis, & communiter definiri solet: Ens per se extensum secundum molem corpoream. Vt mox pluribus explicabo.

2. Quantitas molis alia est Continua, alia Discreta: quantitatis continuæ species numerantur linea, superficies, corpus, motus, tempus, locus: discretę verò numerus & oratio. Horum omnium, quæ huc maximè spectare videntur, axiomata hîc proponemus, alia alibi. Subnectemus etiam quędam pronunciata de Totius ac Partium ratione, quæ licet non tota huic prædicamento propria sit; sed communis pluribus & transcendentalis: huc tamen potius referenda videtur, quàm alìò.

Digitized by Google

DISTINCTIO I.

Pronunciata de Quantitate in genere.

1. *QVantitas ſequitur materiam, Qualitas formam.*] Eſt commune axioma Philoſophorum, vt inquit Suarez diſp. 13. Metaph. ſect. 3. num. 57. Nam hac ratione Doctores communiter diſtribuunt prædicamenta abſoluta, & eorum ſufficientiam aſſignant. Eſt enim Quantitas non modo accidens, afficiens ex ſuâ naturâ materiam; ſed etiam connaturalis proprietas materiæ, ſemper illam & neceſſariò comitans; proindéque omni cõpoſito phyſico ineſt ratione materiæ, vt videre licet in homine, qui ratione ſolius materiæ quantitatem habet, cum forma ipſius in ſuâ eſſentia omninò ſpiritualis ſit, & indiuiſibilis. Eodem ſenſu verum eſt illud:

2. *Quantitas aſſimilatur materiæ, Qualitas formæ.* Refertur ab Alexandro de Ales 7. Metaph. t. 39.] Quemadmodum enim forma eſt nobilior, quàm ſit materia, ita qualitas in ſuo genere perfectior eſt, quàm quantitas; Et quemadmodum formæ conuenit eſſe principium agendi, ita & qualitati: Quantitas autem non eſt per ſe actiua, vti neque materia, vt paulò poſt explicabitur. Denique vti nobiliores formas, qualitates ſequuntur nobiliores; ita prout plus eſt vel minus materiæ, plus quoque vel minus adiunctum eſt de quantitate, vt, verbi cauſa, materia formæ elephanti proportionata, maiorem habet quantitatem, quam pulicis aut formicæ. Porrò licèt qualitas dignitate ſuperet quantitatem, vti forma materiam; ſolet tamen inter accidentia quantitas primo loco numerari; quia quoad

Digitized by Google

noſtram cognitionem, quæ circa corporalia præcipuè verſatur, Quantitas eſt quodammodo prior, & quaſi fundamentum aliorum accidentium materialium, vt docet Ariſtoteles, & alij Philoſophi.

3. *Quantitas non eſt de genere actiuorum.*] Eſt & hoc commune pronunciatum Philoſophorum, de quo videri poteſt Fonſeca 5. Metaph. c. 2. q. 6. ſect. 1. Sicuti materia nullius eſt actiuitatis; cum ſit pura potentia paſſiua, ſic conſequenter & quantitas nullam actiuitatem habet; quia, vt dictum eſt, materiam ſequitur: proinde rectè dicitur non eſſe de genere actiuorum; ex ſuâ videlicet naturâ; licet diſpoſitiuè iuuare poſſit ad actiuitatem rerum, vt videre licet in multiplici quantitatis figuratione, qua res quæpiam ita modificatur & diſponitur, vt facilè aut difficulter penetret aut reſiſtat, aut alio quolibet motu dirigatur, &c. Intelligitur autem tum hoc, tum præcedentia effata non de Quantitate virtutis; ſed de Quantitate molis, de qua modo eſt ſermo. Vide, ſi placet, Suarez diſp. 18. Metaph. ſect. 1. num. 13. Cæterum, quod objicit non nemo, Quantitatem eſſe obiectum ſenſibile, ac proinde agere in organũ ſensûs, potentiamque ipſius mouere ad producendum ſenſationem, id parum facit ad propoſitum; tum quia ſermo hic eſt de actione reali, non autem intentionali; tum verò, quia Quantitas eſt ſenſibile commune, vt docet Ariſtoteles l. 2. de Animâ t. 64. Talia autem ſenſibilia ſecundum veriorem ſententiam, non mittunt propriam ſpeciem in ſenſum; ſed tantum ſunt conditio, cum quâ vel ſine quâ non ſenſibile proprium tali vel tali modo ſenſum immutat: Sicut bonum eſt obiectum mouens appetitum; quod verò ſit abſens, eſt conditio, ſine quâ non mouetur appetitus ad deſiderandum, & hæc non influit ad mouendum appetitum: quod autem ſit facile obtentu, eſt conditio

cum qua irritans & excitans appetitum. Ita D. Thomas, Toletus, Rubius, Conimbricenſes, & alij apud hos, quas conſule, ſi placet.

4. *Quantitas non recipitur in ſubiecto ſpirituali.* Sumitur ex cap. de quantitate.] Ratio eſt; quia Quãtitas vnitur ſubiecto, vt forma & actus illius; cum omne accidens habeat ſe ad ſubiectum, vt actus ad potentiam, ideoque illi tantum rei vniri poteſt, quæ eſt capax effectus formalis illius: nulla autem res ſpiritualis eſt capax effectus formalis quantitatis; quia non eſt capax extenſionis quantitatiuæ: Ergo non poteſt vllo modo in ſe ſuſcipere, nec totaliter, nec partialiter quantitatem corpoream.

5. *Quantum numerabile multitudo eſt, menſurabile magnitudo.*] Sumitur ex lib. 5. Metaph. cap. 13. t. 18: ſub initium, vbi Philoſophus diuidit quantitatem in multitudinem & magnitudinem: *Multitudo*, inquiẽs, *eſt quantum quoddam, ſi numerari poſſit: magnitudo verò, ſi ſub menſuram cadat*: non quod putet infinitionem repugnare quantitati, vt qui tempus æternum à parte priori ſtatuat, & eiuſmodi definitionem Quantitatis tradat hoc loco, quæ infinitis, ſi darentur, æquè ac finitis conueniat: Sed quia exiſtimat multitudinis & magnitudinis infinitæ non eſſe habendam rationem in ſcientijs; eò quod infinitum, ſecundum quod infinitum, ignotum ſit, vt idem docet 2. Metaph. c. 2. & explicabitur infra.

DISTINCTIO III.

De diuiſibilitate eius & menſuratione.

1. OMne *quantum eſt diuiſibile.*] Sumptum eſt hoc pronunciatum ex deſcriptione Quanti

Digitized by Google

traditâ ab Aristotele 5. Metaph. c. 13, quæ sic habet, *Quantum est id, quod est diuisibile in ea, quæ insunt, quorum vtrumque vel vnumquodque vnum quid & hoc aliquid aptum est esse.* Dicitur primo *diuisibile*, vel per realem separationem partium, vel certè per designationem. Dicitur 2° *in ea quæ insunt*, id est in partes, quæ in ipso Quanto formaliter insunt actu distinctæ secundum suas entitates partiales, etsi non sint actu diuisæ: si enim actu sint diuisæ, non sunt partes quantitatis; sed Totum, quod indicat Aristoteles verbis sequentibus: *Quorum vtrumque vel vnumquodque*, &c. id est, singulæ partes, siue sint duæ, siue plures, aptæ sunt esse vnum totum. Porro omne id, quod per se quantum est, per se est diuisibile, ex suâ videlicet naturâ; licet possit esse impedimentum ex parte diuidentis; quod addo propter controuersiam de Cælo; & Minimo, vt vocant, naturali: quod verò est quantum per accidens vel per aliud, eodem modo est diuisibile: Quare substantia materialis & accidentia, sicuti ratione alterius (nempe Quantitatis) sunt quanta, ita etiam ratione eiusdem sunt diuisibilia. Ratio est; quia nulla res materialis est naturaliter diuisibilis per diuisionem naturalem & propriè dictam, de quâ hîc sermo est; nisi quatenus vnum corpus expellit aliud aut partes illius à loco, quem antea occupabant: hoc autem non fit, nisi quo[illegible]eniente O[illegible]te, quæ est ens per se e[illegible] secundu[illegible]lem corpoream, aptu[illegible]ocum impenetrabiliter.

2. *Magnitudo est id, quod in continua est diuisibile.* 5. Metaph. c. 13. t. 18.] Sensus est, magnitud[illegible]m esse diuisibilem in ea, quæ sunt continua ante diuisionem: non verò, quæ post diuisionem manent continua; id enim inuoluit repugnantiam, nisi vel

Digitized by Google

continuitas intelligatur debere conuenire ſingulis partibus diuiſis in ſe, & reſpectu aliarum partium, quibus ipſæ conſtant, vel diuiſio fiat ſolâ mentis deſignatione; Eodem ſenſu verum etiam eſt iſtud:

3. *Continuum eſt, quod eſt diuiſibile in ſemper diuiſibilia.* 6. Phyſ. t. 15. & 1. de Cælo t. 2.] Continuum duobus modis definitur ab Ariſtotele, primo definitione formali, in prædicamentis; quod nimirum ſit id, *cuius partes communi termino copulantur*: deinde definitione materiali, vt locis iam citatis, & lib. 2. Phyſic. t. 31. vbi etiam dicitur eſſe diuiſibile in ſemper diuiſibilia; id quod lib. 6. Phyſicorum à capite primo per multos textus fusè probat Ariſtoteles, vbi inter cætera, inquit: *Nam ſi diuideretur aliquando in indiuiſibilia, indiuiſibile tangeret immediatè aliud indiuiſibile*: atqui indiuiſibile non habet partes: Ergo ſi tangit, totum tangere debet: totum autem tangens, aliud totum non eſt continuum; quia continua ſunt, quorum extrema ſunt vnum.

4. *Multitudo eſt id, quod in non continua eſt diuiſibile.* 5. Metaphyſ. cap. 13. tex. 18.] Eodem modo exponendum hoc dictum eſt, quo præcedens illud de magnitudine; ſcilicet in ea, quæ continua non erant, eſtque potiſſimum intelligendum de diuiſione, quæ fit per deſignationem mentis: Numerus enim non habet propriam vnitatem, niſi in ordine ad mentem; & ita neque diuiſibilitatem habet, niſi in ordine ad mentem, quæ ſeparare poteſt vnam vnitatem ab aliis, & partialem numerum à totali. Vnde diuerſæ rationis eſt diuiſibilitas Quantitatis continuæ & diſcretæ, & ideo non eſt inconueniens, quod idem numerus ſit actu diuiſus

Digitized by Google

diuiſione continui, in potentiâ verò diuiſione diſcreti: ſicut è contrario eadem magnitudo eſt indiuiſibilis diuiſione diſcreti; diuiſibilis verò diuiſione continui. Ita ferè Suarez diſp. 40. Metaph. ſect. 1. num 14.

5. *Menſura eſt id, quo primò Quantitas cognoſcitur.* l. 10. Metaph. t. 2.] Vbi ex hoc dicto probat Ariſtoteles, lineam, ſuperficiem, corpus, eſſe ſpecies Quantitatis; quia in ijs per ſe inuenitur ratio, menſuræ per quam, tanquam per proprietatem nobis notiorem, explicat naturam & ſpecies quantitatis. Etenim eſſe diuiſibile, & habere rationem menſuræ ſunt duæ proprietates Quantitatis, non quidem, quę ſuperaddant rem aliquam vel modum realem; ſed quæ connotent aliquid extrinſecum, veluti attributa Entis, vt docet Suarez diſp. 40. Metaph. ſect. 4. num. 4. Aliis verò rebus, vt ſubſtantiæ & Qualitati & cæteris accidentibus materialibus, conueniunt per accidens vel ſecundariò. Sumitur autem menſura dupliciter actiuè & paſſiuè: menſura actiuè dicitur res apta ad menſurandum aliud: Paſſiua verò res apta menſurari ab alio. Porrò ratio menſurę ſuponit extenſionem partium: ideo namque Quantitas eſt apta menſurare ſubſtãtiam materialem, vel menſurari ab aliâ quantitate, &c: quia habet partes extenſas.

DISTINCTIO IV.

De Æquali & Inæquali.

1. *OMne quantum vel eſt æquale alteri vel inæquale.*] Deſumptum eſt iſtud pronunciatum ex capite de Quantitate, vbi docet Ariſtoteles, pro-

Digitized by Google

prietatem Quantitatis maximè propriam esse, *quod secundum eam res dicantur æquales vel inæquales.* Intelligitur & verum est primò de Quantitate finitâ, non autem infinitâ, vt pluribus explicabitur distinctione sequente. Neque etiam necessariò intelligitur de æqualitate actuali; sed sufficit aptitudinalis; quia si vnum duntaxat Quantum esset, in rerum natui â, illud quidem nullum actu haberet, cui esset æquale; aptum tamen esset, fieri æquale alteri vel inæquale. Sicuti si vna tantum esset Qualitas, illa quidem actu non esset similis vel dissimilis: esset tamen apta fieri similis vel dissimilis, per productionẽ alterius Qualitatis. Porrò nomine æqualitatis significatur conuenientia inter res eiusdem rationis. Hæc propriè inuenitur in Quantitate, in substantiâ inuenitur improprie, & dicitur identitas, in Qualitate vocatur similitudo.

2. *Æqualia dicuntur per negationem maioris & minoris. l.* 10. Metaph. t. 12.] Ratio est; quia æqualitas est vnitas, seu conuenientia in quantitate, cum priuatione excessûs vel defectûs; siue ea vnitas sit in quantitate propriè dictâ, quæ dicitur molis. Et de hac loquitur Aristoteles: siue in metaphoricâ, quæ appellatur quantitas virtutis seu perfectionis. Vnde vt aliqua dicantur æqualia, tres conditiones sunt necessariæ. Prima est, vt inter se distinguantur. Nam *Idem sibi ipsi non est æquale.* Secunda est, vt habeant quantitatem eiusdem rationis: linea enim, v. c. nec est, nec dicitur æqualis Angelo. Tertia, vt Quantitas non sit maior in vno, quam in alio.

3. *Quæ eidem æqualia sunt, & inter se sunt æqualia.* Euclides lib. 1. Elementorum.] Fieri nullâ ratione potest, vt duæ Quantitates inæquales inter se, æquales sint alicui tertiæ: si enim minor earum propositæ Quantitati æqualis extiterit, excedet eandem neces-

ſariò maior illarum, & contra. Quare rectè colligitur, Quantitates, quæ eidem quantitati æquales fuerint, inter ſe nihilominus eſſe æquales. Eadem ratione, quæ eidem dimidia ſunt, vel duplicia, vel triplicia, inter ſe quoque ſunt æqualia.

4. *Si ab æqualibus æqualia demas, quæ remanent ſunt æqualia*: ibidem, & refertur ab Ariſtotele 11. Metaph. cap. 4.] Principium iſtud commune eſt omnibus Quantis, & à variis ſcientijs cum variâ reſtrictione vſurpatur, vt docet Ariſtoteles loco citato: aliter enim illud ſumit Geometer, vt de lineis: aliter Arithmeticus, vt de numeris. Ratio pronunciati manifeſta eſt; quia ſi reliquæ quantitates forent inæquales, à minore plus fuiſſet detractum, quàm à maiore. Vide, ſi placet, quæ diximus Parte primâ, Titulo 1. diſtinct.

5. *Si ab inæqualibus æqualia demas, quæ remanent, ſunt inæqualia*, &

6. *Si ab æqualibus inæqualia demas, quæ remanent, ſunt inæqualia*. Euclides ibidem.] Ratio eſt; quia maior quantitas ablata relinquit minorem quantitatem, quàm minor: quemadmodum reſiduum maioris quantitatis maius eſt reſiduo minoris, ſi æqualia auferantur ab inæqualibus.

7. *Si æqualibus æqualia addas, tota erunt æqualia*. ibidem.] Ratio eſt; quia ſi quantitates conflatæ ſiue compoſitæ inæquales forent, procul dubio maiori plus eſſet adiectum, quàm minori; cum antea æquales extiterint: quare ex additione æqualium quantitatum ad quantitates æquales, conficientur quantitates itidem æquales.

8. *Si inæqualibus æqualia adiecta ſunt, tota ſunt inæqualia*, &

9. *Si æqualibus inæqualia adiecta ſunt, tota ſunt inæqualia*. ibid.] Ratio, quoniam maior quantitas ad-

Digitized by Google

dita vni æqualium, maiorem constituit quantitatem, quàm minor alteri æqualium adiecta: quemadmodum etiam si inæqualibus æqualia adjiciantur, composita quantitas ex maiore maior erit, quam composita ex minore.

DISTINCTIO V.

De Finito & Infinito.

1. *OMne Quantum vel est finitum, vel infinitum, actu scilicet vel potentiâ.* Sumitur ex lib. 3. Physic. c.4. & 6.] Vbi docet Philosophus, 1°, aliud esse, Infinitum *actu*, seu *Categorematicum*, id est, quod actu continet infinitas partes æquales vni certæ, vel cuius magnitudo aut multitudo simpliciter nullis terminis clauditur : & hoc sensu certum est, omne Quantum vel esse finitum actu, vel infinitum ; sicuti certum est, quidlibet esse vel non esse. Secũdo docet aliud esse infinitum *potentiâ*, siue *Syncategorematicum*, id est, quod actu est finitum, potentiâ infinitum; idq; vel per additionem, vt numerus : *Quouis* enim *numero dato potest in infinitum dari numerus maior* ; additâ videlicet vnitate: vel per diuisionẽ, vt linea, quæ in infinitum est diuisibilis in partes proportionales, id est, quarum sequentes semper sint minores prioribus secũdum proportionem, Vt si lignũ 10 pedum diuidas in duas medietates, & vtramque mediçatem rursus in duâs medietates, & sic consequenter ; hoc enim pacto continuum habebit partes Syncategorèmaticè infinitas, id est, non tot, quin secundum se possit diuidi in plures. Dixi primo secundum se : non autem respectu nostri ; quia nos in diuisione continui deueniremus tandem ad partes

Digitized by Google

diuisibiles quidem in se : adeo tamen minutas vt omnem sensum effugerent. Dixi 2° proportionales, nam si diuisio fiat secundum partes certas seu æquales, sic diuisio non procedit in infinitum; vt si à ligno 10. pedum primò tollas vnum pedem, tum secundũ, mox tertium,&c: absolues diuisionem.

2. *Finitum est, quod certis concluditur terminis.*] Aristoteles de Xenophane, Zenone, & Gorgia sub finem discursûs, quem inducit Zeno. Aliqui pronunciant, Finitum esse id, *cui fieri potest additio*; sed minus commodè & verè; quia annulo, v. c. vel alij cuicunque circulo non potest in ratione circuli fieri additio, vt docetur l. 2. de Cælo t. comment. 23. cum tamen reuera sit finitus simpliciter: licet secundum quid dicatur infinitus, statuaturque symbolum æternitatis; quia non habet determinatum aliquem terminum; sed in rotundum ambitum ductus omni ex parte initium habet, vt docet Aristoteles l. 3. Physic. c.4. Vbi varias adfert Infiniti acceptiones, aitque, etiam labyrinthum dici posse secũdum quid seu impropriè infinitum; propterea quod non nisi magno labore pertranseatur. Rectiùs igitur finitum dicitur esse id, quod certos habet terminos, siue actu designati illi sint, siue potentiâ designabiles: quo modo circulus etiam figura finita est: Nam vti omni ex parte initium habet, ita in seipso desinit; Et, vt docet Euclides lib 1. Elementorum, definitione 14. & 15. sub vnâ lineâ comprehenditur, quæ peripheria appellatur. Vide, si placet, Clauium in locum Euclidis citatum. Vide etiam Aristotelem l. 1. de Cælo, tex. 71.

3. *Finitum est omne, quod componitur ex Finitis.*] Commentator in 6. Physic. tex. 20. & t. 60. ex Aristotele l. 1. de Cælo t. 34.] Itaque si partes finitæ sint in magnitudine erit finita magnitudo, si partes finitæ

finitæ numero, erit numerus finitus, & ita de cęteris, ratio est; quia Totum sapit naturam suarum partium, vt explicabitur distinctione decima. Verba Aristotelis loco citato sunt: *Quod finitis simplicibus conflat, necesse est, finitum esse compositum. Quod enim ex finitis & multitudine & magnitudine componitur, finitum est & multitudine & magnitudine: tantum enim erit, quanta sunt, ex quibus est compositum.* Similiter finitum est omne id, quod vel consumitur à mensuratione finiti, vt habet Commentator ibidem t. 20. vel quod consumitur finito quotcunque semper inde accepto, vt docet Aristoteles 1. Physic. t. 37. & ex illo D. Thomas in 3. Physic. lect. 10. t. 60.

4. *Omne finitum adæquari potest, & excedi in infinitum.* Sumitur ex l. 3. Physic. c. 8.] Verum est pronunciatum, si alteri rei excessus tribuatur, & comparatio instituatur in eodem genere ac ordine: non autem si fiat in diuerso: nec enim vnquam adæquabit linea superficiem, nec superficies corpus, nec sensus intellectum, etsi in ratione lineæ, superficiei, & sentiendi perfectione ponãtur crescere in infinitum. At verò si conferatur linea cum lineâ, aut superficies cum superficie, aut corpus cum corpore, &c. Semper

5. *Datâ quacunque magnitudine, sumi potest alia maior vel minor.* Sumitur ex lib. 3. Physic. cap. 8.] Intelligitur autem & verum est propriè de magnitudine seu quantitate continuâ, vt sic: talis enim semper per additionem augeri; per diuisionem verò minui potest infinitè: vnde nunquam dabitur quantitas continua adeò magna, quin eâ maior dari possit: neque tam parua, quin eâ minor secundum se possit exhiberi. Idem in numeris verum est, quoad additionem. Nam quilibet numerus per continuam additionem augeri potest infinitè: quamuis in eius

diminutione ad vnitatem indiuiduam deueniatur. Hoc sensu Philosophi docent, non viuentia, seu homogenea. Vt elementa & mixta inanimata ex suâ naturâ non habere intrinsecè certum ac definitum terminum magnitudinis, nec paruitatis, iuxta illud, Prouerbiorum 30. *Ignis nunquam dicit sufficit*, in quam sententiam Aristoteles l. 2. de Animâ t. 41. ait: *Si igni apponerentur infinita combustibilia, cresceret in infinitum.* Et iuxta illud, libro de Sensu & Sensili, cap. 5. *Homogenea non diuidunturad minimũ.* Dixi intelligendum esse de Quantitate continuâ, vt sic, siue prout quantitas est; quia animalia & cætera viuentia, ex communiori Philosophorum sententiâ, viâ generationis habent terminos intrinsecos magnitudinis & paruitatis, ita vt neque sub quacũque magnitudine, neque sub quantauis paruitate possint generari: viâ conseruationis extrinsecos; in quam sententiam Aristoteles l. 1. Physic. c. 4. t. 36. & 7. Polit. c. 4. & 2. de Animâ t. 41. docet, *omnium naturâ constantium terminum esse & rationem magnitudinis.* Et 4. de Gen. animal. c. 4. *perficiendi cuiusque animalis certam esse magnitudinem tum ad maius, tum ad minus.* Rationem assignat D. Thomas; quia forma cuiusq; viuentis, & dispositiones ad illam sunt finitæ & determinatæ. Ergo & eius quantitas, 1. p. q. 7. a. 3. Sed hæc intelligenda sunt secundum naturas & ordinarium cursum rerum; quia per potentiam Dei absolutam, vti plura in quolibet genere, ita perfectiora creari possunt in infinitum. Vide, si placet, quæ diximus supra de Deo prout creator est.

6. *Indiuisa sunt infinita.* lib. 3. Metaph. t. 12. & in Isagoge Porphyrij cap. 3.] Cum duplex sit infinitum, Categorematicum & Syncategorematicum, siue infinitum simpliciter, & secundum quid, vt ex 3. Phys. cap. 6. explicatum est huius distinctio-

nis numero primo; indiuidua dicuntur infinita Syncategorematicè, id est, sunt potentiâ infinita, ita nimirum, vt possint semper existere plura & plura; propterea quod absolutè non est determinatus eorum numerus, non autem sunt Categorematicè, id est, actu & simpliciter infinita. Atque in hoc differunt indiuidua à speciebus; quod hæ non actu modo; sed etiam potentiâ finitæ sint & determinatæ: loquor autem de potentiâ ordinariâ & naturali, quia quoad potentiam extraordinariam & supernaturalem alia est ratio, vt patet ex dictis.

7. *Infinitum est, cuius semper aliquid est extra.*] Id est, cuius quotquot partes acceperis, semper restant aliæ adhuc accipiendæ in infinitum; vt si ex lineâ infinitâ accipias & numeres 10000000 pedes, semper tamen supererunt alij, qui possint accipi in infinitum. Traditur hæc propositio l. 3. Physicorum cap. 7. vbi simul rejicit Aristoteles definitionem veterum: *Infinitum est, cuius nihil est extra*, id est, cui nihil deest; quia hæc definitio conuenit cuiuis Toti, etiam finitò.

8. *Infinitum non potest pertransiri.* lib. 3. Physic. cap. 4. & l. 6. Physic. t. 64.] Ita nempe vt perueniatur ad eius finem, eâ parte, quâ infinitum est: vt si daretur linea infinita, nunquam definiri posset ad eius terminum: transitione videlicet successiuâ, de quâ hîc sermo est, non autem simultanea & comprehensiuâ, quæ fit per apprehensionem intellectus: Deus enim, si infinita daretur hominum multitudo, perfectè eam cognosceret; non quidem vnum post alterum apprehendendo; sed, simultaneâ intuitione omnes comprehendendo. Ratio pronunciati manifestâ est; quia Infinitum termino & fine caret: Ergo non potest

in eo veniri à primo ad vltimum. Intelligitur itaque propriè tum hoc, tum præcedens effatum de Infinito Categorematico & simpliciter dicto.

9. *Infinitum non dicitur æquale, nec maius, nec minus.*] Nempe in sensu formali, quatenus infinitum est. Commentator in 3. Phys. t. 51. & in 6. Physic. t. 61. Ratio est; quia maius & minus, æquale mæquale, tantum vel tantum, formaliter sunt affectiones quantitatis finitæ: Nam vt rectè notat Scotus in 2. dist. 1. q. 3. Quantitas primo diuiditur in finitam & infinitam; deinde finita in maiorem, minorem, æqualem, &c. relictâ omninò extra has affectiones quantitate infinita; Et ratio est, quia hæ affectiones sequuntur mensuram inter duo quanta; atqui mensura non habet locum, nisi in quantitate finitâ: Nam maius dicitur secundum excessum, minus secundum defectum, æquale secundum cōmensurationem. Hinc etiam commune istud axioma: *Omne Totum est maius suâ parte*, non habet locum nisi in quantitate finitâ. Similiter, par impar, tot vel tot, plura pauciora, sunt propriè affectiones numeri finititantum: Numerus autem infinitus, nec est par, nec impar; sed simpliciter infinitus. Quare is qui vult defendere Infinitum, & obiectiones contrarias feliciter soluere, debet semper habere rationem propositam Infiniti, quæ est planè opposita finito; vti & proprietates & attributa vtriusque: Et imaginatio humana, quæ est solum assueta ad res finitas, ratione continenda est & corrigenda.

10. *Infinitum vt infinitum, ignotum est.* l. 3. Phys. cap. 7. t. 65. & lib. 2. Metaph. c. 2. t. 2. & alibi.] Verissimum est hoc pronunciatum, & experimento quotidiano certum: Nullum enim Philosophorum facilè reperias, qui cum plenâ sui & aliorum satisfactione, è rationibus & argumentis, quæ pro &

contra Infinitum moueri ſolent, ſeſe expedierit. Et ratio eſt; quia intellectus noſter eſt potentia finita, & limitata, quæ Infinito commenſurari perfectè non poteſt, vt inquit Boëtius in Prędicamentis, & D. Thomas in 4. Metaph. t. 12. Et ſecundum hanc Infinitum dicitur ignotum: quia nimirùm, qua tale eſt, non poteſt ab intellectu noſtro diſtinctè cognoſci & penetrari. Atque hæc eſt mens Ariſtotelis, vt perſpicuum eſt ex textu allegato, vbi reduplicat infinitum; quo etiam ſenſu lib 1. Priorum c.11. docet, *Scientiam & demonſtrationem non eſſe de infinitis*: At verò reſpectu intellectus diuini, qui infinitus eſt, haud dubiè Infinitum eſt omninò cognoſcibile; alioqui Deus ſuammet eſſentiam, quæ ſimpliciter in omni genere infinita eſt, minimè comprehenderet. Iuxta hanc explicationem docent Ss. Patres, & Theologi Scholaſtici, Deum, qui ſupernaturaliter cognoſci intuitiuè poteſt ab intellectu creato, nullo modo comprehendi ab illo poſſe: Naturaliter verò niſi obſcurè & confusè intelligi; ita quidem, vt per potentiam Dei abſolutam creari nequeat intellectus ſiue humanus, ſiue Angelicus, qui clarè & immediatè per ſolas naturæ vires intueri poſſit eſſentiam diuinam. Conſule, ſi placet, Suarez tomo 1. in 3. p. diſp. 26. ſect. 1. Vaſquez in 1. p. diſp. 52. &c.

11. *Infinita relinquenda ſunt ab arte.*] Ita docebat Plato, vt ſignificat Porphyrius in Iſagoge c. 3. vbi ait, Indiuidua eſſe relinquenda ex mente Platonis, eò quod infinita ſint: infinitorum autem non poſſit haberi ſcientia, vt docet Ariſtoteles l. 1. Poſter. c.11. Quoniam itaque Infinitum ſecundum quod infinitum, ignotum eſt, iuxta præcedens effatum; nec de eo haberi poteſt, niſi confuſa admodum & imperfecta notitia, meritò relinquenda ab arte, vel ſcientiâ humanâ cenſetur prolixior ipſius conſideratio:

Potest nihilominus in Vniuersum considerari, quæ sit notio Infiniti; an habeat partes infinitas, an & quo modo possit pertransiri, &c. Lege, si placet, D. Thomam 1. p. q. 14. art. 12.

DISTINCTIO VI.

De Indiuisibili.

1. *Indiuisibile non habet partes.* l. 6. Phys. c. 1. & 2.] Vbi ex eo probat Aristoteles, omne cõtinuum semper in diuidua esse diuiduum; quia si aliquando diuideretur in indiuisibilia, indiuisibile tangeret immediatè aliud indiuisibile: atqui Indiuisibile nullas habet partes: Ergo si tangit, totum tangere debet: totum autem tangens totum, non est continuum; quia continua sunt, quorum extrema sunt vnum. Porro sicut se habet in magnitudine indiuisibile punctum; ita in numero vnitas, in tempore instans, in motu mutatum esse: sunt enim hæc omnia concipienda vt indiuidua. Lege, si placet, Christophorum Clauium in lib. 1. Elementorum Euclidis, initio, vbi definitur, *Punctum esse id, cuius pars nulla est.*

2. *Indiuisibile cum attingitur totum attingitur.* ibidem, & l. 9. Metaph. t. 22.] Ratio huius perspicua est ex dictis; quia nimirum Indiuisibile habet partem extra partem: itaque vel totum attingi debet vel nullo modo.

3. *Indiuisibile quocunque se diuertit, totum se diuertit.* 6. Physic. c. 3.] Ratio est eadem; quia nempe non habet partes, nec secundum aliquam sui partem potest esse in vno loco, & secundum aliam in alio: cum secundum se totum sit in indiuisibili

Digitized by Google

parte ſpatij.

4. *Indiuiſibile non poteſt eſſe æquale vel inæquale.* Sumitur ex locis citatis.] Intelligitur autem de æqualitate & inæqualitate quantitatiuâ & corporeâ, quâ prorſus caret Indiuiſibile; cum nullam in ſe quantitatem habeat, ſeu extenſionem. Sic neque Angelus aut anima rationalis ſecundum ſe æqualis eſt alteri aut inæqualis; quia quantitate affecta non eſt: poteſt autem alteri eſſe ſimilis vel diſſimilis. Ratione qualitatum, vt potentiarum, habituum, &c.

5. *Indiuiſibili quantitatis reſpondet indiuiſibile ſubſtantiæ.* Traditur à Suarez diſp. 40. Metaph. ſect. 5. n. 50.] Ratio eſt; quia ab hoc ſuſtentari illud intelligitur, tanquam à ſubiecto: Nam tota quantitas eſt in totâ ſubſtantiâ materiali, ita vt partes quantitatis correſpondeant partibus ſubſtantiæ & indiuiſibilia quantitatis indiuiſibilibus ſubſtantiæ; vt multis explicant, Suarez loco citato, Conimbricenſes, Rubius, & alij.

DISTINCTIO VII.

De Lineâ & Superficie.

1. *Linea eſt quantitas vnius dimenſionis.*] Ita communiter pronunciant Philoſophi; quia linea eſt longitudo ſine latitudine; ſiue, vt ait, Euclides lib. 1. Elementorum, definitione primâ: *Linea eſt longitudo latitudinis expers*: Licet verò nulla talis ſeparatim exiſtat in rerum naturâ: poſſumus tamen non incongruè eam concipere, ex termino loci alicuius partim illuminati, & partim obumbrati. Finis enim ſeu terminus communis lucidi

& vmbrosi longitudo quædam est, ad longitudinem ipsiusmet luminis & vmbræ extensa, carens omni latitudine; cum sit limes vtriusque. Eadem ratione

2. *Superficies est quantitas duarum dimensionum.*] Est enim latitudo longitudine continuata, formaliter & in recto includens latitudinem; longitudinem verò tantum materialiter & in obliquo seu præsuppositiuè. Euclides l. 1. Element. definitione quintâ, sic eam describit: *Superficies est, qua longitudinem & latitudinem tantum habet.* Talem nobis refert latitudo extrema cuiusque corporis, si omnis ab eo soliditas ablata esse concipiatur. Possunt autem tum linea, tum superficies dupliciter considerari, priùs vt sunt termini communes, vel terminantes, & ita sunt entia incompleta & indiuisibilia, iuxta illud:

3. *Linea in latum est indiuisibilis, superficies in profundum.*] Deinde spectari possunt, vt sunt essentialiter extensiones quædam distinctæ, & ita sunt diuisibiles, entia completa, ac quantitates vnius vel duarum dimensionum; ad quas rectè intelligendas concipiunt Mathematici, lineam fieri ex fluxu puncti, superficiem ex fluxu lineæ; quemadmodum & corpus quantitatiuum ex fluxu superficiei. Vide, si placet, Clauium l. 1. Element. Euclidis, definitione secundâ & quintâ.

4. *Linea prior est superficie:* refertur à Simplicio in li. 2. de Cœlo, t. 104.] Ratio est, quia partes & termini priores sunt suo toto, vt explicabitur distinctione 10. atqui linea est terminus superficiei, vt puncta sunt extrema lineæ. Sumitur autem ex l. 2. de Cœlo. sum. 2. c. 1. vbi dicitur, *Longitudo priorem esse latitudine.*

5. *Omnis linea in se & in quamuis aliam duci potest.* Albertus Mag. in l. 6. Phys. tract. 3. c. 4.] Verum est eodem sensu; quo *ex quolibet puncto ad quodlibet*

punctum duci poteſt linea: quod eſt primum Poſtulatum libri primi Elementorum Euclidis, & in ſe admodum clarum eſt, nec explicatione indiget, vt teſtatur Clauius in illum locum.

6. *Nulla dies ſine lineâ.*] Monet prouerbium temporis eſſe rationem habendam, & nulli ceſſandum ab exercitio ſtudij artiſque ſuæ. Ortum creditur ab Apelle pictore, qui, teſte Plinio l. 1. c. 15. nunquam tam occupatus fuit, vt diem prætermitteret, in quâ nihil omninò pingeret, artem exercens. Vnde ſubducens ſeſe à negotijs, dicere ſolebat: *Nullam hodie lineam duxi*: quæ vox, inquit Plinius ibidem, in prouerbium abijt de quouis officio prætermiſſo. Porro de lineis Apellis & Protogenis agit prolixè idem Plinius l. 35. c. 10. quem conſule, ſi placet.

DISTINCTIO VIII.

De Corpore quantitatiuo.

1. *Corpus eſt quantitas trinæ dimenſionis*] Ita à Philoſophis dicitur; quia corpus eſt profunditas continuata ſuperficie, quæ ſupponit longitudinem: quemadmodum enim ſuperficies lineis indiget ad ſuarum partium continuationem & dimenſionem, ita corpus indiget ſuperficiebus: ſolam autem profunditatem includit formaliter & in recto: latitudinem verò & longitudinem præſupponit & materialiter tantum includit, ſeu in obliquo: Cæterum hoc loco corpus ſumitur, non prout eſt ſubſtantia corporea, aut altera illius pars; ſed prout eſt accidens inhærens illi corpori, quod eſt ſubſtantia.

2. *Corporum penetratio non datur naturaliter.*] Eſt commune dictum Philoſophorum de Corpore quã,

titatiuo, quod constat longitudine, latitudine & profunditate: tale enim ex suâ naturâ aptum est occupare locum impenetrabiliter, & ab eodem excludere quoduis aliud eiusdem generis: non autem intelligi debet de corpore substantiali; siue de substantiâ corporeâ; quia si talis substantia diuinitùs spoliaretur quantitate, posset cum illâ naturaliter esse aliud corpus in eodem spatio; quia careret quantitate molis, cuius effectus formalis est, secundum naturæ ordinem, excludere aliam quãtitatem. Porrò allatum axioma sumitur ex 4. Physic. tex. 55. vbi Aristoteles inquit:

3. *Corpora duo impossibile est esse simul.*] Sensus est, fieri non posse, vt duo corpora quanta penetratiuè existant in eodem loco, ita vt vtrumque occupet totum locum, & singulæ partes respondeant singulis partibus loci. Nempe de potentiâ naturali: nam supernaturaliter possunt esse simul. Cuius ratio est, quia resistentia, quâ vnum corpus quantum, actu occupans locum, impedit & excludit aliud quãtum, ne ad se penetret, est finita: Ergo potest vinci à virtute diuinâ; quæ est infinita. Sic Christus nascens penetrauit corpus clausum suæ matris, resurgens obsignatum sepulchrum; sic post resurrectionem intrauit ad Discipulos per ianuas clausas, ascendens penetrauit Cælos. *Hebræo.* 4.

4. *Parui corpore acuti sunt mente.*] Sumitur ex Physiognomiæ Aristotelis c. 6. vbi sub finem capitis & libri rationem addit; *Quoniam*, inquit, *motu sanguinis paruum locum continente, motiones quoque valde velociter accedunt ad sapere.* In eandem sententiam Alexander Aphrodisæus, Problem. 1. num. 26. docet prudentiores magna ex parte esse, qui breues sunt corpore; quam qui longiore: *quia*, ait, *animus in toto corpore coactius & compactius manet, si breue est;*

Si autem longum, exsoluitur & hebescit. Sic etiam agiliores esse solent, & ad munia sua peragenda promptiores, qui breuiore sunt corpore, quàm qui prouectiore. Contra verò

5. *Magni corpore tardi sunt mente*: ibidem.] Rationem assignat; quia, *motu sanguinis magnum locum continente, motus tardè accedit ad sapere.* Eâ etiam de causâ videmus magnos & corpulentos ordinariè esse tardiores & languidiores paruis: paruos autem longè ad iram esse promptiores; quia nimirum calor, qui animi & audaciæ fomes est, in istis constringitur: in illis verò fornacis suæ laxitate debilitatur: de qua re consule, si placet, Aristotelem l. 3. de Partibus Animalium cap. 14. Quanquam verò statura procera vulgò magni fieri, & plena esse dignitatis videri soleat; in quem sensum Samuël, cum Saül Rex designatus staret in medio populi, & altior esset vniuerso populo ab humero, & sursum; *Certe videtis*, ait, *quem elegit Dominus, quoniam non sit similis illi in omni populo*, l. 1. Regum c. 10. v. 24. Quia nimirum homines ferè secundum **externa** iudicant, eò quod interiora videre non possint; vnde istud vulgare.

6. *Statura procera digna est imperio*:] Id tamen intelligendum est, si cætera sint paria, id est, si quantitas virtutis quantitati molis respondeat: Nam si aliter res habeat, considerandum est verbum Domini, ad Samuëlem in Regis secundi vnctione: lib. 1. Regum cap. 16. v. 7. *Ne respicias*, inquit, *vultum eius.* Eliâbi videlicet, qui erat primogenitus Isai, *neque altitudinem staturæ eius*, quam ante in Saüle commendaueras, *quoniam abieci eum*: *Nec iuxta intuitum hominis ego iudico*: *homines enim vident, quæ parent, Dominus autem intuetur cor*; quæ verba eleganter illustrat Iosephus libro 6.

cap. 14. in hunc modum: Viso, inquit, natu maximo, eximiæ staturæ iuuene, conjiciebat inde, hunc esse regnaturum; sed in hac parte non est assecutus Dei prouidentiam. Percontanti enim, an hunc iuuenem vngere deberet, respondsum est, non eadem spectare Deum, quæ homines. Tu, inquit, visâ iuuenis pulchritudine, iam satis dignum principatu existimas: apud me verò non eximiæ corporis formæ præmium est regnum; sed animi virtuti; Et eum requiro, qui hac sit perfectè excultus; pietatéque ac iustitiâ, obedientiâ & fortitudine animum exornatus.

6. *Ea plus habent admirationis, quæ molis minimum.* S. Augustinus l. 22. de Ciuit. Dei, cap. 24.] Plus enim, ait, apicularum & formicularum opera stupemus. quàm immensa corpora balænarum. Eodem istud Plinij l. 11. natur. Hist. c. 2. *Rerum natura nusquam magis, quàm in minimis tota est*: quippe diuinus Artifex, (vt animaduertit Aristoteles lib. 1. de Partibus Animalium c. 5.) ita magnus est in magnis rebus, vt minor non sit in paruis. Magnus quidem & mirabilis est Deus, in Elephantis, Leonibus, Elementis, Cælis: at non minus mirabilis, in araneis, apibus, muscis, in fœtu dum in vtero formatur, in pullis perdicum & aliarum volucrum, in Remora, Echyneide, & alijs sexcentis. Vide, si placet, quæ diximus ad illud: *Omnis res natura digna est sui contemplatione.* Titulo *de Naturâ*, distinct. 5. num. 9.

DISTINCTIO IX.

De Numero.

1. *Numerus est plures vnitates.* Sumitur ex 3. Physic. c. 7. t. 66.] Vbi distinguens Philo-

Digitized by G

sophus inter vnum & numerum, inquit: *vnum, quidquid id fuerit, est indiuiduum, vt homo est vnus homo & non multi: numerus verò plures sunt aliquotæ vnitates.* Pro cuius intelligentiâ notandum est, Numerum esse triplicem; primus est numerus numerans, qui est intellectus. Secundus numerus numeratus, sunt quæ res, quæ numerantur, vt quatuor homines, sex equi. Tertius numerus formalis, qui est id, à quo isti homines vel equi dicuntur quatuor, vel sex: Hic numerus formalis est duplex, prior *prædicamentalis*, qui constat ex vnitatibus prædicamentalibus: resultant autem huiusmodi vnitates prædicamentales ad diuisionem quantitatis continuæ; tot scilicet, in quot diuiditur continuum, iuxta illud:

2. *Numerus efficitur diuisione quantitatis.*] Sumitur ex eodem capite & textu, ac refertur à Fonsecâ in 5. Metaph. c. 13. q. 4. sect. 1. vbi ait, vnitates numerales quibus quantitates continuæ numerantur, peculiari sibi ratione numeralium rationem vindicare; numerum etiam, qui earum multiplicatione conficitur, Numeri vocabulum velut proprium suo iure sibi poscere. Posterior numerus est *transcendentalis*, qui reperitur in omnibus rebus, in quibus est vnitas transcendentalis, quæ est proprietas entis, ex cuius multiplicatione iste numerus consurgit. Porro de vtroque hoc numero formali, siue prædicamentalis ille sit, siue transcendentalis verum est assignatum ante pronunciatum; scilicet, numerum esse plures vnitates. Eodem sensu dixit Commentator, in caput & textum citatum, libri tertij Physicorum, commento scilicet 68.

3. *Numerus est aceruus vnitatum.*] Quibus verbis (inquit Fonseca in l. 5. Metaph. c. 13. q. 4. sect. 4.) interpretari videtur Commentator, definitionem illam Numeri, quam tradit Aristoteles l. 10. Metaph.

cap. 3. *Numerus est multitudo seu pluralitas vnitatum*, quam Propositionem vsurpant Gregorius Nyssenus in libro de Historiâ sex dierum, & Damascenus in suâ Logica. Similia de Numero habet Aristoteles eodem libro 10. Metaph. c. 9. & libro 8. cap. 3. vbi dicit, *Numerum non esse vnum, sed sicut cumulum.* Cæterum omnes hæ numeri descriptiones, sumptæ sunt (teste Fonseca loco cit.) ex illâ libri septimi Elementorum Euclidis.

4. *Numerus est ex vnitatibus composita multitudo.*] In quæ verba Clauius, Cum numerus sit ex vnitatibus composita multitudo, manifestum est, inquit, numerum quemlibet tot habere partes, quot sunt vnitates eum constituentes; ita vt vnitas sit pars cuiusvis numeri denominata ab ipso numero, cuius est pars: vt numerus 8 compositus ex 8 vnitatibus, diuiditur in toridem partes, nimirum in 8 vnitates, quarum quælibet, octaua pars dicitur octonarij, ac proinde,

5. *Vnitas omnem numerum metitur.*] Axioma istud ex lib. 7. Elementorum Euclidis num. 5. refert Aristoteles l. 5. Metaph. cap. 6. Ratio est; quia vnitas sumpta toties, quoties sunt in numero posito vnitates, ipsum numerum constituit. Quamobrem ipsum metitur per vnitates, quæ in ipso sunt; hoc est, per ipsummet numerum ex suis vnitatibus constitutum.

6. *Omnes numeri differentes essentialiter differunt.*] Ita loquuntur tã Arithmetici, quàm Philosophi omnes, teste Suarez disp. 41. Metaph. sect. 4. num. 10. Ratio est; quia additio vnitatis formaliter diuersificat diuisibilitatem Numeri, cuius signum est; quia facit ex pari imparem, & è conuerso. Item hinc fit, vt vnus numerus diuisibilis sit in duas partes æquales, & non alius; Et vnus tantum in vnitates,

Digitized by

alius etiam in numeros, alius partim in vnitates, partim in numeros. Præterea vt quidam numerus eandem ſummam producat ſiue addatur ſibiipſi, ſiue multiplicetur in ſeipſum; alius verò minimè: vt v. c. ſiue addas 2 ad 2, ſiue multiplices duo per duo prouenient 4. At verò ſi addas 3 ad 3. prouenient 6. & ſi multiplices 3 per 3. non 6 prouenient ſed 9. quæ eſt proportio ſeſquialtera. Item ſi addas 4 ad 4 habebis 8, at ſi multiplices 4 per 4. non habebis 12. duntaxat, quæ eſt proportio ſeſquialtera, vt in priori exemplo, ſed 16 quæ dupla proportio eſt. Similes proprietates, & proportiones ſpecie differentes inueniuntur in numeris quibuſcunque diuerſis. Iuxta hunc ſenſum facilis eſt explicatio iſtius:

7. *Vltima vnitas eſt forma numeri.*] Commune iſtud pronunciatum refertur à D. Thoma 8. Metaphyſ. ad textum 20. Intelligitur autem & verum eſt, in ordine ad rationem, quæ in ſingulis numeris concipit ordinem vnitatum, inter quas ea, quæ eſt vltima, cenſetur numerum complere, & ab alijs illum diſtinguere; ſicuti forma complet rei eſſentiam, eamque in certo gradu ac ſpecie quaſi indiuiſibiliter conſtituit. Et hinc ab Ariſtotele, dictum eſt, 8. Metaph. cap. 5. t. 11. *Species rerum ſe habent ſicut numeri*; quia nimirum vltima vnitas numerum in ſuâ ſpecie conſtituit, per modum formæ determinantis ſubiectum: quo fit, vt multitudo priorum vnitatum ſuo modo comparetur ad vltimam, vt quid actuabile per illam. Quâ etiam de causâ per additionem vel ſubtractionem vltimæ vnitatis non manet eadem ſpecies; ſed mutatur, & alia fit, atque alia. Lege, ſi placet, Suarez diſp. 41. Metaph. ſect. 5. n. 12. & quæ diximus ſupra Titulo *de Ente vno*, diſtinct. 9. num. 5.

8. *Omnis numerus est par vel impar.* Est communè axioma Philosophorum.] Dicitur autem numerus esse par; qui bifariam diuiditur: Impar verò, qui bifariam non diuiditur, vel qui vnitate differt à pari, quoniam numerus est ex vnitatibus composita multitudo. Porro, vtrum diuidatur in parem & imparem velut in proprietates, an verò vt in differentias essentiales, disputant Philosophi: *Multi enim*, inquit Suarez, *attribuunt hoc disiunctum numero, vt passionem eius: alij verò, & fortasse probabilius, existimant esse differentias diuisiuas*, disp. 41. Metaph. sect. 4. num. 14.

9. *Tria sunt omnia.* l. 1. de Cælo t. 2.] Probat ibidem Aristoteles, primo quia omnia perficiuntur his tribus, principio, medio, fine. 2° quia Dijs sacrificantes, quibus debentur omnia, tribus vti consueuerunt, Chaldæi, Auro, Thure, Myrrhâ; Græci, arâ, hostiâ, igne: vnde Virgilius Eclogâ 8. *Numero Deus impare gaudet.* Tertiò, quia ternarius est primus numerus, cui solemus tribuere appellationem, *omnes.* Nam de duobus non dicimus omnes; sed aliquot, vel ambo, de tribus dicimus, *omnes.* Sensus ergo pronunciati est, numerum ternarium esse numerum perfectionis; quia perfectum id dicitur, quod habet omnia, vt explicatum est, Titulo *de Perfectione.*

DISTINCTIO X.

De Toto & Partibus in genere.

1. *Totum & perfectum sunt penitus idem.*] Refertur hoc dictum à S. Ioanne Damasceno l. 3. de Fide c. 7. & citari solet ex l. 3. Phys. t. 64. vbi Philosophus id absolutè non enunciat; sed ait: *Totum*

& perfectum aut idem penitus sunt, aut naturam significatam habent: reuera tamen absolutè proponi potest, vt fit communiter à Philosophis & Theologis, & intelligi tam de Toto simpliciter, quàm de Toto secundum quid: Nam Totum simpliciter est in eodem genere perfectum simpliciter; totum secũdum quid, est perfectum secundum quid, vt patet ex vnâ vtriusque definitione; Etenim ex communi sensu, *Totum est, cui nihil deest*; siue vt ait Aristoteles ibidem tex. 63. *Cuius nihil est extra*. Vide, si placet, quæ diximus, Titulo *de Perfectione*, distinct. 1. & 2.

2. *Totum non cognoscitur ignoratis partibus.*] Sumitur ex l. 1. Physic. t. 35. & intelligitur præcipuè de cognitione distinctâ actuali, quæ haberi non potest, nisi per cognitionem singularum partium, ex quibus Totum per sese componitur: quemadmodum enim se res habet ad esse, ita ad cognosci: ac proinde sicuti ex coniunctione partium resultat entitas Totius, ita ex earundem cognitione Totius cognitio habetur; vt fusiùs explicabitur, Titulo *de Potentiâ cognoscitiuâ*. Ex hoc Pronunciato fit ratio perspicua, cur Theologi post tractationem de Deo vno & trino, non agant immediatè de Incarnatione Christi; sed alia gratiæ & creationis opera præmittant: cum tamen, siue altitudinem materiæ & dignitatem spectes, siue coniunctionem ad Deum consideres, nobilissima illa de Christo disputatio, immediatè post materiam de Deo vno & trino videatur collocanda: Etenim Christus verus est Deus & homo, ex diuinâ & humanâ natura ineffabili modo compositus; ac proinde oportet prius disputare de extremis singulis, quam de eorum coniunctione agatur: cum non possit id, quod ex diuersis rebus componitur, distinctè agnosci, si res illæ, quæ in eam compositionem veniunt, ignorentur. Vide, si

placet, Suarez in Præfatione commentarij tertiæ partis, vbi ait, D. Thomam similem ob causam in 1. p. prius de spirituali & corporeâ creaturâ, quàm de homine, qui ex vtrâque constat, disputare. Et generatim, eam ob causam, *Omnis scientia methodicè prius agit de extremis simplicibus, quàm de compositis.*

3. *Totum sapit naturam suarum partium.*] Vulgare istud sumitur etiam ex 1. Physic. t. 35. & 36. ratio illius ex eo colligi potest; quoniam *& pars est in Toto, & Totum in suis partibus*, vt dicitur l. 4. Phys. t. 23. obtinet autem præcipuè locum, quoad partes principales, ex quibus per se totum componitur: non item quoad minus principales & accidentarias. Eodem sensu vera est illa communis propositio, ex 5. Physic. citari solita: *Quod conuenit Toti secundum partem dicitur etiam de Toto.* Clariùs ea docet lib. 1. de Cælo t. 34. Celebre est vtrumque pronunciatum in materiâ morali: Solent enim vt plurimum homines, quamlibet societatem aut congregationem (quæ est Totum aliquod vnitate ordinis) iudicare ex singulis eius membris seu partibus, quæ sunt singulæ eiusdem ordinis personæ; vbi tamen consideretur oportet, quod monet Regula 76. Iuris in sexto: *Delictum personæ redundare non debet in detrimentum Ecclesiæ*: non enim ex priuati alicuius delictis tota statim congregatio iudicanda & condemnanda est.

4. *Omnis pars est propter suum Totum.*] Sumitur ex l. 2. Phys. t. 31. & verum est in sensu formali nempe, quâ pars est: Eatenus enim ordinatur ad suum totum, & est propter perfectionem totius: partes enim sunt quasi materia totius, vt docet D. Thomas 1. p. q. 65. a. 2. & mox explicabitur. Iuxtà hunc sensum explicari potest Aristoteles l. 1. Polit. vbi docet, *Totum prius esse, quàm partes necessariũ est*: ordine videlicet dignitatis & intentionis; quo modo

domus prior est suis partibus, vt inter alia ostendit Philosophus ibidem: non verò executionis ordine vel temporis. Vide, si placet, quæ diximus ad illud: *Finis est primum in intentione, vltimum in executione.* Tit. 13. distinct. 2.

5. *In toto partem non est dubium contineri.*] Est hæc Regula 80. Iuris in 6, quæ ibidem intelligitur & explicatur propriè de Toto actuali, latè & moraliter sumpto: potest nihilominus applicari cuicunque Toti, siue id physicum sit, & actuale; seu metaphysicum & potentiale; seu denique morale. Nam totum actuale refertur ad suas partes, quas actu continet, vt animal v. c. respectu sui generis & differentiæ; Totum potentiale refertur ad partes subiectas, quas potentiâ continet; vt animal prout refertur ad suas species, hominem & brutum, quas potestate complectitur: Sic etiam domus censetur non physicè modo; sed etiam moraliter continere omnia, quæ in domo sunt; vt si quis dicatur eiectus esse à totâ domo, censebitur etiam eiectus à patre-familias, qui est præcipua pars domus.

6. *Pars se habet ad Totum, sicut materia ad formam.* Sumitur ex l. 2. Physic. t. 31.] Vbi in genere causæ materialis dicuntur constitui litteræ respectu syllabarum, composita physica respectu artefactorum, elementa respectu mixtorum, & generatim omnes partes respectu sui Totius: siquidem hæc omnia habent se tanquam materia ex quâ: nam ex litteris syllabæ, ex elementis mixta, ex partibus totum integratur. Vnde D. Thomas 4. Physic. lect. 12. t. 67. dicit, partes cõparari ad Totum, veluti imperfectum ad perfectum; qualis est comparatio materiæ ad formam. Eodem sensu Aristoteles l. 3. Physic. c. 6. t. 65. inquit: *Pars est materia Totius*; quia nimirum ex partibus Totum cõponitur, quod est esse materiã

ex qua. Vide, si placet, D. Thomam 3. p. q. 90. a. 1. in Corp. Iuxta hanc quoque explicationem intelligendum est istud: *Senarius non est bis tria; sed semel sex.* 3. Metaph. c. 14. Nempe in sensu formali; quia non propriè vera numerorum species componitur ex alijs, loquendo formaliter; sed tantum materialiter, vt rectè notat Suarez, disp. 41. Metaph. sect. 4. num. 40.

7. *Omnis pars turpis est, quæ non congruit suo Toti.* S. August. l. 3. Confess. c. 8.] Ratio est; quia bonitas cuiuslibet partis consideratur in proportione ad suum Totum, cum omnis pars sit propter suum Totum vt explicatum est. Hinc cum omnis homo sit pars illius Reipublicæ in quâ viuit, fieri non potest, vt aliquis homo fit bonus, nisi bene proportionatus sit bono communi. Hinc etiam omnis ille, *qui quærit bonum commune, quærit & proprium.* Vt est in veteri diuerbio; quia nimirum bonum commune esse non potest, sine bono proprio, vt notat D. Thomas 1. 2. q. 92. a. 1. ad 3. Atque hac de causâ antiqui Romani malebant esse pauperes in diuite Imperio, quàm diuites in paupere Imperio, vt notat Valerius Maximus, lib. 4. c. 4. Tit. *de Æliâ familiâ.*

8. *Pars ignobilior est propter nobiliorem.* Sumitur ex l. 1. Polit. c. 5.] Vbi & plantæ dicuntur esse animalium causâ, & cætera animalia causâ hominum, & generatim omne deterius esse gratiâ melioris, vt explicatū est, Tit. *de Causâ Finali*, distinct. 7. Sic etiam sensus in homine est propter intellectum, & pulmo propter cor, & ita de cæteris: immediatè videlicet & proximè: mediatè enim & vltimatò quælibet pars, etiam minutissima & vilissima ordinatur ad perfectionem Totius. Plura de hac re leges, si placet, supra, distinct. citatâ.

9. *Totius perfectio est recta partium constitutio.*]

Quoniam Totum nihil aliud est, quam omnes & singulæ partes inter se vnitæ & compositæ, quò melior & aptior ea partium compositio fuerit, eò maior Totius perfectio consurget. Et è conuerso, nisi partes rectè inter se proportionatæ & coaptatę sint, Totum bene consistere non poterit: sublato enim ordine & harmoniâ partium, tollitur etiam cõpositio Totius; sicuti positis rectè omnibus partibus integrantibus ponitur Totum. Vide, si placet, D. Thomam 1. 2. q. 92. a. 1. ad 2.

10. *Eadem est virtus Principis & boni viri.* lib. 3. Politic. c. 3.] Nempe in ordine ad communẽ bonum Reip. cuius vterque est membrum, iuxta sensum axiomatis præcedentis. Quemadmodum enim fieri non potest, vt prosperæ res ciuitatis bono sitæ sint loco, nisi virtute præditi sint illi, qui velut capita & partes præcipuæ, in eâ principatum gerunt; ita neque diu bene habere poterunt, si ciues, qui sunt partes minus principales, viri boni munere non fungantur, in quantum videlicet ad bonum communitatis requiritur. Item ad officia viri boni pertinet, non tantum bene subijci; sed etiam posse principari. Iuxta illud: *Ciuis boni est, posse & præesse & subesse.* l. 3. Politic. c. 5. ac proinde in virtute boni viri virtus Principis includitur. Vide, si placet, D. Thomã 2. 2. q. 47. a. 11. ad 1. & 2.

11. *Eadem est ratio totius & partium.* l. 1. de Cælo tex. 19.] Verum est, iuxta explicationem præcedentis, & locum præcipuè obtinet in partibus similaribus siue homogeneis: Hæ enim eiusdem naturæ sunt cum suo Toto, imò plerumque eiusdem nominis: quælibet enim pars carnis caro est, & quælibet gutta aquæ est ac dicitur aqua;

d by Google

DISTINCTIO XI.

De compositione & diuisione generatim.

1. *VNumquodque ex ijs componitur, in quæ resolnitur.* Sumitur ex l. 6. Phys. t. 3.] Intellige vel de analysi reali, vt cum totum aliquod reipsa in suas partes resoluitur, siue naturales, si totũ naturale sit, siue artificiales, si totum sit artefactum : vel de analysi rationis, quâ Totum non realiter; sed tantum per intellectum resoluitur in suas partes, consideratione scilicet, & mentis designatione. Eodem modo:

2. *Vnumquodque diuiditur in ea, ex quibus componitur.*] Actu scilicet vel potentiâ. Sumitur ex 1. Physic. tex. 65. Sic Totum quantum, seu integrum diuiditur in partes integrantes, Totum essentiale in partes essentiales : Totum vniuersale in partes subiectas. Eadem ratione, vel actu resoluitur, vel resolui potest vnumquodque in ea, ex quibus componitur; iuxta explicationem præcedentis.

3. *Magnitudo, motus, & tempus æqualiter componuntur.*] Nempe quoad compositionẽ ex partibus diuiduis vel indiuiduis. Sumitur ex 6. Phys. c. 1. vbi probat Aristoteles, motum non cõponi ex partibus indiuisibilibus, sed indiuiduis; quia magnitudo, seu spatium, per quod fit, & tempus in quo fit motus, cõponũtur ex partibus diuisibilibus : Ergo & motus; quia inter se hæc tria, quoad compositionem reciprocantur. Eodem sensu:

4. *Magnitudo, motus & tempus æqualiter diuiduntur.*] Sumitur ex eodem cap. & signanter ex textu 4. vbi *eiusdem rationis est*, inquit, *magnitudinem, tempus & motũ, ex indiuiduis coalescere, & in indiuidua diuidi,*

vel nullum. Quod ex eo probatur; quia motus) scilicet localis physicus) fit per magnitudinem, & partes motûs per partes magnitudinis. Item motus fit in tempore, & partes motûs, per partes temporis, cum æquali omnium proportione. Quapropter: *Spatium finitum non transitur tempore infinito,* & contra: *Spatiũ infinitum non transitur tempore finito.* Ratio eadẽ est, quæ præcedentium; quia vt cap. 2° probare pergit, motus, tempus, & magnitudo eodem modo se habent, quoad rationem finiti vel infinitiita vt si vnum sit finitum, vel infinitum potentiâ vel actu, sit quoq; & alterum; & contra.

5. *Multa parua ipsum magnum sunt.* 4. Phys. t. 53.] Ex quo sumptũ est vulgare illud: *Ex multis paruis vnũ magnũ constituitur:* quemadmodũ enim magnũ quodcunque corpus, v. c. potest in complures particulas diuidi; ita ex multis particulis in vnum coëuntibus, quid magnum consurgit iuxta illud Ouidij:

Flumina magna vides parvis de fontibus orta;
Plurima collectis multiplicantur aquis.

Intelligitur itaq; de magnis & paruis dicẽtibus mutuam ad se relationem Totius & partis, in eodem genere: valetque in illos, qui ex ignorantiâ vel neglectu, ea quæ videntur modica, contemnunt, sine quibus tamen magna constare non possunt.

6. *Non omne componens est pars compositi.*] Indicatur hoc dictum à D. Thoma 3. p. q. 2. a. 4. vbi negat Verbum diuinum dicendum esse partem Christi, etsi Persona ex duabus naturis dicatur esse composita. Ratio est, tum quia nomen partis ex vi suæ significationis dicit quid incompletũ, & imperfectius Toto, ac dependẽs aliquo modo ab aliâ parte; quod omnibus cõponentibus, vt Verbo diuino, conuenire non potest. Vnde D. Aug. l. 3. cont. Maxim. c. 10. *Christus, ait, vna persona est. gemina substãtia: nec tamẽ Deus pars*

huius personæ dici potest; alioqui Filius Dei, antequam acciperet formam serui non erat Totum. Tum etiam; quia, vt docent Philosophi, linea suo modo componit superficiem, simul cum alijs partibus; quamuis illa non sit pars, & punctum componit partes lineæ; cum tamen non sit pars lineæ: Et subsistentia cum naturâ rationali componit personam, & suppositum; quamuis non sit pars; sed modus vel terminus naturæ.

7. *Illud non diuiditur, quod nullo modo est vnum.* Sumitur ex l. 5. Metaph. t. 31.] Ratio est; quia quidquid diuiditur id in sensu compositio totum aliquod est: quod autem nullo modo est vnum, id neque vnũ Totum est, vt docet Aristoteles loco citato: ac proinde propriè diuidi non potest: ponitur enim iam ante diuisum; cum non sit vnum; sed multa: vnum autem & multa opponuntur, vt docet Aristoteles 4. Metap. c. 2. & explicatum est, Tit. 3. dist. 2.

DISTINCTIO XII.

Pronunciata ex loco Totius & Partium.

1. *Positis omnibus partibus integrantibus ponitur.* Totum 2. Top. loco 2.] Verum est generatim, si partes certo ordine dispositæ sint, & eo quo par est modo, vnitæ. Sic ex militibus & ducibus ordinatis inter se componitur exercitus: Ex materiâ & formâ vnitis constituitur Totum essentiale Physicũ, ex partibus lineæ linea, & ita in alijs.

2. *Sublatâ quâcunque parte integrante tollitur Totum,* ibidem.] Nempe qua Totum seu integrum est: non enim manet amplius totum in suâ integritate, etiamsi pars illa minima fuerit: potest nihilominus

Totum aliquod, v. c. compositum humanum manere in suâ naturali constitutione, sublatâ parte aliquâ minus principali, vt constat: non tamen erit omninò integrum; sed aliquâ sui parte destitutum.

3. *Posito Toto integro, ponuntur omnes partes*, ibid.] Ratio est, quia totum constituitur ex suis partibus: itaque vbicunque est Totum, ibi etiam necessariò sunt partes, ex quibus integraliter aut etiam essentialiter constat hoc Totum; Hæ siquidem naturâ priores sunt suo Toto; quo modo supra diximus, *Imperfectiora esse priora perfectis*, Titulo *de Perfectione*, distinct. 3.

4. *Sublato toto integro aliqua saltem pars tollitur.* ibidem.] Sensus est, sublatâ integritate alicuius rei, necessariò quoque aliquam eius partem esse sublatam; nimirum, quâ absente res suâ integritate caret. Ex dictis colligitur, falsam esse vulgarem istam propositionem: *Quod non est causa Totius, non est causa partium*; quia sublata integritate non tolluntur omnes partes totius; sed aliquæ duntaxat. Simili modo fallacem videri istam: *Quod est causa Totius, est causa partium*; quia causa Totius essentialis, v. c. pater respectu filij, non est causa partium essentialium: cum nec sit causa Materiæ, nec Formæ, quæ ambæ creatæ sunt à Deo: item qui compleuit opus ab alio inchoatum, v. c. domum, non est causa partium omnium eiusdem domus. Vide Fonsecam l. 7. Dialect. c. 17. potest tamen veritas huius Propositionis asseri hoc modo: Quod non est causa, etiam remota & inadæquata Totius, non est causa partium.

5. *Omne Totum est maius suâ parte.* Euclides l. 1. Element. axiomate nono.] Generale illud principium lumine naturali per se ita notum est, vt qui terminos intelligit, ignorare illud non possit: cum enim, pars à Toto ablata, relinquat adhuc aliquid, ne to-

tum omninò auferatur, perspicuum est, omne Totũ, quod reuera Totum est, & partibus constat, hoc, vt sic, esse qualibet suâ parte maius. Fuit tamen paucis abhinc annis quidam non postremæ notæ Philosophus, qui propositum axioma, eo sensu, quo cõmuniter efferri solet, in publicâ disputatione negare non erubuit; eò, quod in infinito, vt aiebat, non concederetur ab omnibus. Sed reuera nodum quærebat in scirpo, & meminisse oportebat, Mathematicos (quibus hoc pronunciatum maximè solenne est) tantum agere de quantitate finitâ, ac terminatâ, in qua axioma prædictum ab omnibus conceditur. Quinimò, posito, quod dari possit infinitum. Poterit adhuc vnum infinitum esse maius altero *materialiter*, id est, poterit habere plus materiæ, quam alterum, vel pluribus constare rebus quàm alterum; licet non *formaliter*, id est, in ratione infiniti, propterea, quod hoc velint consistere in indiuisibili: vt si infiniti darentur homines, quorum singuli habeant duos oculos, 10. digitos, mille capillos, &c. erunt plura infinita, quorũ vnum maius altero materialiter non formaliter. Idem porro dici posse videtur, de Toto respectu partium in infinito. Vide, si placet, Scotum in 2. dist. 1. q. 3. Ex hoc principio varia deducuntur minus generalia. Vt.

6. *Plura bona anteponenda sunt paucioribus.* 3. Top. cap. 2.] Nimirum quando pauciora in ijs, quæ plura sunt, continentur, vt contingit in bonis eiusdem generis: v. c. eruditio cum virtute præferenda est eruditioni soli.

7. *Quod vniuersè bonum est, melius est eo, quod alicuius est bonum.* l. 3. Top. c. 1.] In eodem videlicet ordine & proportione bonitatis, vt pluribus explicatum est ad illud: *Bonum commune præferendum est bono priuato.*

Digitized by Google

8. *Quod ad plura vtile est, melius est, quam quod ad pauciora.* l. 3. Top. c. 3.] Verum est eodem sensu quo dictum præcedens: potest etiam intelligi absolutè: quo modo aqua v. c. melior est quam mel. Vnde illud est à Pindaro vsurpatum: *Aquam esse optimam.* Vide Fonsecam l. 7. Dialect. c. 36.

9. *Quisquis potest id, quod est maius, potest etiã quod est minus.*] Celebre istud & commune omnium Doctorum adagium refertur à Simplicio in 8. Physic. t. 39. Intelligitur autem de maiore & minore eiusdem generis & ordinis: in hoc enim qui potest maius, cæteris paribus potest & minus. Ratio, quia in vtroque remanet proportio maioris inæqualitatis, quæ requiritur & sufficit ad actionem, vt explicatum est supra Titulo *de Causâ efficiente*, distinct. 4. Non autem intelligi debet de maiore & minore in rebus diuersi generis aut ordinis: homo enim potest ratiocinari, quod maius est; non tamen volare quod est minus: Nec sequitur, Petrus est peritus totius Philosophiæ: Ergo etiam peritus est artis sutoriæ; sed bene infertur: Est peritus totius Philosophiæ; Ergo & Logicæ vel Physicæ. Vide infra, Titulo 34. distinct. 3. num. 2.

TITVLVS XXII.

DE QVALITATE.

DISTINCTIO PRIMA.

Quid sit Qualitas, & quæ eius species.

1. *Qualitas est, qua quidam dicuntur quales.*] In Categorijs c. 8. Est hæc descriptio qualitatis

per effectum formalem; qui quia nobis est notior, ideo non committitur in hac descriptione circulus, vt quidam voluerũt Philosophi. Dicitur 1° *Quidam*, id est primæ quædam substantiq; quia accidentia, cuiusmodi est qualitas primò insunt primis substantijs & per has secundis. Dicitur 2°, *dicuntur quales*, intellige primo formaliter; quo modo à calore dicimur calidi: non autem effectiuè; quo pacto etiam ab igne vel sole dicimur calidi. 2° intellige in propriâ quæstione Qualitatis; quo excluduntur cætera accidentia à quibus communi quadam ratione, & impropriè dicimur etiam Quales: à Qualitate verò propriè & peculiari modo. Pro cuius explicatione notandum est, ad Qualitatem propriè dictam, prout constituit tertium prædicamentum, primo necessarium esse, vt sit forma accidentaliter determinans rem, & per hoc excluduntur differentiæ & formæ substantiales & essentiales. 1° requiri vt propriè determinet & intrinsecè, id est, vt afficiat subiectum vel in seipso, vel in ordine ad operationem; & per hoc excluditur primo Quantitas, quæ non propriè determinat subiectum; sed ipsa potius determinatur à Figurâ, quæ est quædam qualitas. 2° Actio, Locus, Habitus, &c. quæ extrinsecè tantum afficiunt, agens, locatum, &c. 3° excluduntur Relationes, quæ afficiunt subiectum in ordine ad terminum, item, Vbi, Situs, & Duratio, quæ in ordine ad tempus, locum, & spatium. Consule, si placet, Conimbricenses in hũc locum, Rubium, Hurtado, & alios.

2. Diuiduntur in 4 species, prima est habitus, vel dispositio, secunda naturalis potentia, vel impotentia, tertia patibilis qualitas vel passio, quarta Forma vel Figura. De his omnibus in genere agemus & specie.

DISTINCTIO II.

Pronunciata de Qualitate generatim.

1. *Qualitas est perfectiua substantiæ.*] Ortum habet pronunciatum istud ex definitione Aristotelicâ Qualitatis, vt notat Albertus Mag. in prædicamentis, c. 1. Habet enim Qualitas inter omnia accidentia illud peculiare, quod cum omnia illa instituta sint, ad præbendum substantiæ determinatum aliquem afficiendi modum, hæc per se primò ordinata sit ad ornandam intrinsecè, & perficiendam substantiam, vt conuenienter affecta sit in suo esse, vel in virtute agendi, vt pluribus explicatum est, dist. 1. n. 1. Vnde etiam est illud,

2. *Qualitas est forma substantiæ.*] Vti Qualitas inter omnia accidentia hoc sibi peculiari titulo vindicat, quod substantiæ perfectio dicatur & ornamentum: ita simili ratione Forma substantiæ proprio sibi titulo appellatur; licet omnia accidentia formæ quædam sint substantiæ: Nam vti forma substãtialis est perfectio materiæ; ita Qualitas est forma accidentalis peculiari modo substantiam perficiens, item vti forma est ratio operandi in composito substantiali, pari ratione Qualitas est ratio operãdi in composito accidentali; quia inter omnia accidentia solæ Qualitates sunt actiuæ, licet non omnes.

3. *Substantia nobilior nobiliores habet Qualitates.*] Vti quælibet substantia creata suas habet qualitates, à quibus perficitur, ita nobilior substantia qualitatibus dignioribus exornatur, vt patet inductione. Et ratio est; quia accidentia sunt proportionata substantijs: nobiliores ergo substantiæ nobilioribus

Digitized by Google

sunt affectæ qualitatibus, ideoque substantia quæuis dignitate eminere censetur, quæ qualitatum nobilitate præstat; cum hæ sint illis proportionatæ.

4. *Qualitas nobilior est Quantitate.*] Ratio est; quia dignitas accidentium desumitur à dignitate effectus formalis, quem ex genere suo nata sunt exercere erga substantiam cui accidunt; sed Qualitas peculiari modo exornat & perficit substãtiam. Item Qualitas conuenit nobilioribus substãtijs, v. c. Angelis, Quãtitas tantum materialibus. Præterea illud accidens, quod nobiliorem partem compositi sequitur, maiorem obtinet perfectionem: at Qualitas nobiliorem sequitur: Nam

5. *Qualitas formam consequitur Quantitas materiã.*] Dicitur Quantitas peculiari ratione sequi materiam; quia materia est prima radix molis illius corporeæ, ad quam cõstituendam vel complendã per se Quantitas ordinatur: Qualitas verò formam consequitur; quia sicuti forma substãtialiter complet ac perficit essentiam rei, & confert principalem vim agendi; ita similiter Qualitas accidentaliter eandem complet ac perficit, estque complementum perfectionis eius, tam in existendo, quàm in agendo. Vide, quæ diximus supra Tit. 21. distinct. 2. vbi plures huius rei allatæ sunt rationes.

6. *Quale posterius est Qualitate.* Alexãder Aphrod. in 5. Metaph. comment. 1.] Intelligitur de prioritate naturæ, quoad ordinem existendi, eo modo, quo omne concretum posterius est abstracto, & omnis pars prior suo toto; vt perspicuum est ex dictis, Tit. 21. dist. 10. num. 4. & seq.

7. *Quale nobis notius est Qualitate.* Boëtius in prædicamentis.] Dicitur Quale *nobis*, non autem *naturâ* esse notius ipsâ Qualitate; quia vti naturâ est posterius quoad esse, ita etiam quoad cognosci: At *nobis*

est notius Quale in concreto, cognitione scilicet confusâ; quia accidens sensibile in concreto sumptum est primum cognitum, secundum Philosophos in 1. Physic. Ideoque rectè Aristoteles, iuxta ordinē disciplinæ Qualitatem per Quale voluit declarare.

TITVLVS XXIII.

De Habitu in Genere.

DISTINCTIO PRIMA.

Variæ Habitus diuisiones.

HAbitus in genere est qualitas, quâ bene vel male affectum subiectum, & ad operādum disponitur: idque vel imbecilliter; & est Dispositio strictè sumpta; vel firmiter & est Habitus propriè dictus: hic,

1. Diuiditur in Infusum & Acquisitum, Habitus infusus dicitur, qui per influxum solius Dei obtinetur, idque vel ex sua natura postulat, & dicitur Infusus per se; vel alio modo est producibilis per causam creatam, acciditque illi, quod aliquando à Deo infundatur, & dicitur Infusus per accidens; Habitus acquisitus est, qui per exercitium actuum à causa creata obtineri potest.

2. Habitus infusus alius est intellectualis, alius non intellectualis. Ad illum pertinent, Fides, Lumē gloriæ, & alia dona supernaturalia nostri intellectus; ad hunc spectant, Spes, Charitas, Gratia, & alia gratuita ornamenta voluntatis.

3. Habitus acquisitus diuiditur in Intellectualem & Moralem, vel generaliùs in Cognoscitiuum & Appetitiuum. 4. Habitus Intellectualis diuiditur in virtutem Intellectualem & non virtutem Intellectualem; Virtus Intellectualis est

habitus quo bene tantum vti possumus intellectualiter? id est, quo inclinamur tantum ad verum, siue ad veritatem ipsam infallibiliter attingendam; hæc subdiuiditur in quinque species, quæ sunt, Habitus primorum Principiorum siue Intellectus, Scientia, Sapientia, Prudentia, Ars; Ita Aristoteles 6. Ethicorum c. 3. Habitus, qui non est virtus Intellectualis, etiam est duplex; Alius enim semper est malus, vt sunt omnes habitus vitiosi, qui subiectantur in intellectu. Alius est indifferens ex sese, quo nimirum bene & malè vti possumus intellectualiter; id est, qui non tantum ad verum inclinat, sed, quantum est ex sua ratione, inclinare etiam potest ad falsum, huc spectant, Fides humana, Opinio & Suspicio.

5. Eodem ferè modo diuidi potest Habitus Moralis, vt patebit ex dicendis.

DISTINCTIO II.

Quid sit habitus, & quod eius munus?

1. H*Abitus est, quo benè vel malè nos habemus ad actus.* Sumitur ex lib 2. Ethic. cap. 5.] Habitus ex sua natura facilitat operantem, & vt cum delectatione actus eliciantur, efficit; idque vel benè si bonus sit: vel malè, si sit vitiosus: ideóque per habitum bene nos vel male habere dicimur ad actus, quia per eum disponimur vtrouis modo ad actus promptè & cum facilitate efficiendos. Vti enim habitus bonus disponit ad actus bonos, ita similiter malus ad actus facilitat vitiosos. Vt etiam notauit Aristoteles 5. Metaph. c. 20. & ex illo Suarez disp. 42. Metaph. sect. 3. n. 4. Licet verò capite citato loquatur

tur Philosophus de habitibus moralibus, quibus reguntur affectus: rectè tamen de intellectualibus etiam potest intelligi, extendendo vocem affectus ad omnem actum intellectus & voluntatis, vt bene notat Hurtado disp. 16. de Anima sect. 1. Sic per scientiam bene nos habemus ad actum intellectus, cum verum cognoscimus: per errorem autem, qui habitus contrarius est, malè. Vide D. Thomam 1. parte, quæst. 83. art. 2. in corpore, vbi vsurpat & approbat hoc pronuntiatum.

2. *Habitus non est necessarius ad substantiam actus, sed ad facilitatem.* Traditur à D. Thoma 1. 2. q. 49. art. 3. & 4.] Intelligitur & verum est de habitu naturali propriè dicto, qui est qualitas quædam permanens, & de se stabilis in subiecto, per se ordinata primò ad operationem, non tribuens primâ facultatem operandi; sed adiuuãs & facilitans illam. Dicitur que hæc qualitas, non esse necessaria ad substantiã actus; quia ea absolutè nõ requiritur ad hoc, vt eliciatur vel sit actus; sed vt cum facilitate eliciatur; ideóque eius necessitas, non est necessitas simpliciter; sed ad melius esse siuè ex suppositione. Nam absolutè loquẽdo, Potentia est sufficiens ad efficiendum actum sine tali habitu; alioqui nunquam posset actus præcedere habitum: At verò vt faciliùs & promptius operetur, necessarius est habitus, vt patet ex eius descriptione. Debet autem pronuntiatum intelligi de habitu naturali & acquisito; non de supernaturali & per se infuso; quia tales ad substantiam actus necessarij sunt, cum non solum conferant facilitatem operandi, sed etiam potestatem, vt docent Theologi: ideoque si illi non adsint, requiritur necessariò aliquod præuenientis gratiæ diuinæ auxilium supplens vicem habitus; alioqui Potentia nullo modo posset elicere actum supernaturalem; quia non est ad eum pro-

portionata. Huic pronuntiato non absimile est illud:

3. *Habitus naturalis dat facilitatem operandi, non autem potestatem.* S. Thomas ibidem, & q. 50. art. 2.] Duplices in genere sunt habitus; Alij *Naturales*, natura sua vsu comparabiles, qui necessariò supponunt in potentia sufficientem virtutem ad producendos actus, quibus tales habitus generantur, & de his intelligitur & verum est effatum. Dicuntur autem tales habitus conferre facilitatem agendi, & non potestatem; non, quod non conferant virtutem agendi & eliciendi eosdem actus; sed quia in subiecto supponunt virtutem sufficientem, & addunt aliquam, vt facilior & suauior addatur operatio: Alij verò habitus sunt, qui natura sua per actus comparari non possunt, eo quod ipsorum actus, naturales Potentiarum vires excedant, & nullum aliud principium supponant, in potentia, à quo connaturaliter effici possint; & de his non est intelligendum effatum: quia non dant *facile*, sed, *posse*, operari; vt iam dicetur. Itaque præsens axioma, sicut & præcedens proprie locum habet in habitibus naturalibus, qui dicuntur acquisiti: non autem in supernaturalibus & per se infusis: nam vt ex eiusdem Doctoris Angelici doctrina constat 1. 2 q. 112. art. 4.

4. *Habitus supernaturales dant facultatem operis non ita facilitatem.*] Est commune axioma, inquit Hurtado disp. 16. de Anima sect. 8. n. 61. Dare eos facultatem siue potestatem operandi, patet ex modo dictis, non verò facilitari per eos operationem, ex eo probat Vasquez 1. 2. disp. 83. c. 1. n. 1. & 2. quod sicut non producuntur physicè per nostros actus; ita nec ad eos nos sensibiliter inclinant: tota autem facilitas operationis virtuosæ ex eo prouenit, quod ad eam sensibiliter inclinemur & quodammodo incitemur; quod in exercitio supernaturali

prouenit, vel à gratijs præuenientibus, quibus sentimus nos sæpe ad hanc vel illam rem vehemẽter impelli; vel ab habitibus acquisitis: nam sicut actus ipsi dum eliciuntur, sensibiliter voluntatem impellunt; ita etiam habitus ex ijs generati, quoties obiecta eorum nobis objiciuntur nos ad eadem sensibiliter inclinant: vel denique prouenit ex dispositione, quæ ex ipsis actibus generatur in parte sensitiua; Atque hinc patet, non posse nos vllâ experientia percipere, quales aut quanti sint in nobis habitus infusi. Vide Hurtado loco citato.

5. *Habitus sunt in potestate habentis.* 3. Ethic. c. 5.] Ratio est, quia liberè ijs vtitur, & non vtitur, qui eos possidet. Vnde S. Thomas 1. 2. q. 49. a. 2. ait: Habitum esse qualitatem de difficili mobilem, quâ homo possit vti cum voluerit: huic tamen non obstat, quo minus in gratiæ operibus & præcipuè in donis Spiritus sancti excitatio & motio supernaturalis præcedere debeat. Ea enim non obstante, homo liberè consentit & cooperatur, si ipsi libet, atque ita vti habitu vel non vti in ipsius liberâ est potestate, de quo plura videri possunt apud Suarez lib. 2. de gratia c. 17. num. 17. & sequentibus.

DISTINCTIO III.

Quomodo generetur habitus, & intendatur.

1. *Habitus generatur ex actibus.* 2. Ethic. c. 1. & 2. & est D. Thomæ 1. 2. q. 51. a. 2.] constat hoc experiẽtia & ratione: Experimur enim exercitatione & frequentatis actibus disponi nos & fieri prõptiores ad ea peragenda aut cognoscenda, quæ antea non nisi ægre ac difficulter peragi à nobis aut cognosci

poterant, quod sanè non esset, nisi ex illis actibus remaneret aliquid in potentia quod ipsam iuuaret ac disponeret, ad promptè & faciliter agendum & intelligendum, & hoc solet vocari habitus. Cæterum, hoc vti & sequentia axiomata, de habitibus naturalibus, deque ordinario acquisitionis modo intelligēda sunt: Nam habitus supernaturalis à solo Deo, vt à causâ efficiente producuntur, & Christus Saluator noster, licet quotidie degens in hac vita, actus omnium virtutum nobilissimos exerceret: eorum tamen frequentatio eum non facilitabat ad similes plures actus, nec virtutum habitus intendebat; quia Christus fuit semper æquè promptus ad virtutes; nec necesse fuit, vt hi actus intenderent habitum, quia statim initio habuit habitus tam intensos, vt superarent, vel saltem exæquarent omnem intensionem actuum, de quo fusiùs videri potest Suarez tomo 1. in 3. part. disp. 19. sect. 2. Vasq. disp. 42. v. 2. & alij.

2. *Habitus actualitate sui perficiuntur.* Aristoteles & D. Thomas loco citato.] Sensus est; habitus perficitur per actus: sicut enim habitus per actus generatur, ita per eosdem aggeneratur, & magis magisque perficitur; non solum quia ex statu dispositionis perducitur ad statum habitus; sed etiam, quia in ipso statu habitus perfectior euadit; tum per puram intensionem, tum etiam per modum aliquem extensionis, donec ad complementum perfectionis suæ perueniat. Vide Hurtado disp. 16. de anima sec. 5.

3. *Actibus remissis non intenditur Habitus.*] Ratio huius est; quia actio non procedit, nisi à proportione maioris inæqualitatis; sed in virtute quæ remissa est, & non intensior effectu, non est proportio prædicta sicut in calore æque intenso, non est proportio ad intendendum alium æqualem: ergo. Ita D. Thomas

1. 2. q. 52. ar. 3. vbi omnes Thomistæ consentiunt. Suarez disp. 44. sect. 10. n. 7. Addit loco citato S. Thomas, Actus remissos & minus intensos, non tãtùm noniuuare de se, ad intensionem habitus; sed contra disponere ad eius diminutionem, eò nimirum modo, quo cessatio ab actu disponit ad habitus corruptionem; scilicet non per se, sed per accidens: quia est occasio, vt aliæ causæ insurgant, siue alij actus exerceantur, quibus vel corrumpatur habitus, vel omnino obruatur; Intellige pronuntiatum de actu ac habitu naturali, nam de supernaturalibus controuersum est.

4. *Actus non intendit habitum, nisi sit intensior ipso habitu.*] Est & hoc tritum in Philosophia effatum, Ratio eius eadem est, quæ præcedentis, quia scilicet; Actio non procedit nisi à proportione maioris inæqualitatis: neque obstat, quod actus sint essentialiter perfectiores habitu; quia nulla forma etiam nisi sit essentialiter perfectior, potest dare vel efficere virtutem ad efficiendam formam sibi similem in essentia & intensiorem in gradu: habitus autem non est, nisi virtus quædam effectrix actuum, quæ virtus per ipsosmet actus fit; ergo nunquam potest ab ijs accipere vim ad efficiendos actus intensiores quam sint illi, à quibus & genitus & perfectus est habitus: licet fieri possit, vt actus æquales habitui disponant ad intensionem habitus. Ita Suarez in Metaph. disp. 44. sect. 10. n. 10. vbi in hoc etiam omnes Thomistas multosque alios Philosophos dicit consentire: licet nonnulli id negent, quia falso de habitibus nituntur fundamento, Vt ibidem ostendit Suarez. Atque hinc etiam docent Theologi, Christum Dominum, qui in hac vita quotidie exercebat actus nobilissimos virtutum, per eos non intendisse habitus ipsarum, quos per infusionem in suæ conceptionis in-

ſtanti acceperat : quia nimirum ſtatim ab initio habuit habitus intenſiſſimos. Lege, ſi placet, Suarez Tomo 1. in 3. p. diſp. 19. ſect. 2. Vaſquez diſp. 42. cap. 2. Raguſam, & alios.

5. *Intenſio per ſe non fit, niſi à ſimili in ſpecie.*] Senſus eſt, vt qualitates ſe mutuò intendant, debere eſſe eiuſdem ſpeciei. Ex hoc pronuntiato colligunt Philoſophi, calorem cęleſtem & elementarem, eſſe eiuſdem ſpeciei, eò quod ſe mutuò intendant ; & Theologi in diſputatione de lumine gloriæ, quomodo illud concurrat vna cum intellectu Beatorum, ad viſionem beatificam; probant à lumine gloriæ non intendi virtutem illius, eo quod luminis gloriæ habitus non ſit eiuſdem cum intellectu ſpeciei; ſed tantum perfici ab eo accidentaliter quatenus ſcilicet efficit, vt altiori modo poſſit intellectus verſari circa ſuum obiectum. Vide D. Thomam 1. parte q. 62. art. 3. ad 2. & q. 7. ar. 4.

DISTINCTIO IV.

Quomodo remittatur habitus, & corrumpatur.

1. *Remiſſio acquiſiti habitus fit per mixtionem contrarij.* 5. Phyſ. tex. 45. & 2. de Cælo, textu Commentatoris 37.] Intelligitur & abſolutè verum eſt, de remiſſione, qua minuuntur habitus naturales ſiuè acquiſiti. Sunt enim iſti ex natura ſua qualitates permanentes abſque actuali influxu, & efficientia actus. Vnde non minuuntur per ſolam ceſſationem ab actu; niſi per accidens, vt dictum eſt ſupra; ſed proprie & formaliter minuuntur & corrumpuntur per habitum contrarium, id quod propriſſimè locum habet in habitibus ſpiritalibus ; nunquam enim

hi corrumpuntur, nisi per introductionem contrarij. Vt bene docet Hurtado disp. 16. de Anima, num. 39: Habitus autem potentiarum materialium etiam cum ipsis intereunt. At verò habitibus infusis accommodari non debet: Licet enim isti paulatim augeantur & perficiantur: non tamen hoc modo sensim remittuntur; etsi amitti possint. Quod vtrum fiat demeritoriè dispositiuè, an etiam effectiuè controuertunt Theologi. Quoad alias autem qualitates, quæ non sunt habitus, verum est de ijs duntaxat, quæ habent contrarium: in reliquis locum non habet: sonus enim, verbi causa, & lumen remittuntur, non succedente qualitate contraria; quia talis non datur: Nisi intelligere lubeat contrarium priuatiuum, non quod tenebræ, verbi causa, lumini commisceantur, cum illud in aëre minuitur; sed quia succedit priuatio luminis intensioris, quæ est contrarium illius latè & impropriè sumptum. Vide D. Thomam 1. parte quæst. 89, art. 5. in Corpore.

2. *Actibus contrarijs corrumpitur habitus.* 2. Ethicorum cap. 3.] Vti habitus generatur per actus suæ naturæ consentaneos; ita corrumpitur per contrarios sibi, & repugnantes; siuè directe repugnent, per propriam contrarietatem, secundum specificas rationes; Vti, verbi gratia, Intemperantia Temperantiæ opponitur: siue per quamcunque repugnantiam siue incompossibilitatem formarum. Porrò actus immediatè expellit habitum contrarium in genere causæ efficientis; non quia sit forma proxima, à qua formaliter expellatur: nam actus non ita opponitur habitui, sed actui: Verùm quia est proximum principium efficiens talis corruptionis: Tales enim actus introducunt habitum priori contrarium,

qui illum formaliter expellit, cum sit forma illi immediatè incompossibilis. Ita Suarez disp. 44. sect. 12. num. 21.

3. *Scientia corrumpitur per oblivionem.* Aristoteles c. 2. de Longitudine & Breuitate vitæ.] Variis experientijs manifestò constat per non vsum amitti promptitudinem, quam habitus scientificus aut quicunque alius confert potentiæ. Et ratio est; quia habitus vt plurimùm dependent à memoria: memoriæ vero incolumitas conseruatur ab vsu; huic accedit quod homo vix possit ab operando cessare, quia semper vel his, vel illis actibus exerceatur; quo fit, vt si in alijs occupetur, sensim minuantur & quasi sopiantur species habituum priùs acquisitorum; per multitudinem & maiorem actualitatem specierum nouarum superuenientium. Vide Caietanum prima parte, quæst. 75. art. 5.

4. *Continuatio habitus non requirit continuitatem actus.* Traditur à D. Thoma 1. 2. q. 48. ar. 3.] Patet experientia. Nam in dormiente permanet habitus, etsi non continuetur eius actus. Quin etiam cum actu habitus contrarij potest permanere habitus. Vt v.c. Habitus scientiæ cum actu erroris, habitus temperantiæ cum actu ebrietatis. Ratio est; quia, vt ex eodem Angelico Doctore constat:

5. *Actus non contrariatur directe habitui, sed actui.* prima parte, quæst. 89. art. 5. & qu. 2. quæst. 53. a. 1.] Nam propriè dicta contraria sunt sub eodem genere habitus, siuè actus, siuè potentiæ, &c. quod verissimum est, in actibus & habitibus naturalibus. Vnde superueniente contrario actu, non statim habitus acquisitus excluditur; & licet per actum peccati mortalis, aliqui habitus infusi tollantur: id tamen non fit per propriè dictam contrarietatem; sed tantum demeritoriè: habitus enim infusi non habent propriè

contrarium; cum pendeant à solo Deo, qui eos & producit & tollit, vt docent Theologi. Itaque absolutè & vniuersaliter verum est pronuntiatum de actibus quibusvis in ordine ad habitus, non modo naturales, sed etiam supernaturales.

DISTINCTIO V.

Vnde specificentur habitus & actus.

1. HABITUS *specificantur ab actibus.* 2. Ethicorum cap. 1. & 2.] Dicuntur habitus specificari ab actibus; non quidem inadæquatis & partialibus sed ab adæquatis, id est ab aliqua communi ratione, quæ participatur ab omnibus actibus & adæquatur habitui. Sicut enim Potentia naturalis, sumit speciem non à singulis actibus, quos potest efficere, sed à communi quadam ratione, quæ potentiæ adæquatur & omnibus actibus quamuis specie diuersis conueniat; ita etiam habitus. Et hæc est ratio sufficiens, ad cognoscendum diuersos actus ad eundem habitum pertinere, si in obiecto formali, vel in communi aliqua ratione, pro habituum diuersitate conueniant. Est autem habitus generatim triplex, alius enim est simplex qualitas tam in essendo, quam in agendo; quia scilicet tantum est actiuus actuum sibi planè similium in specie, & solo numero distinctorum, vt sunt, v. c. omnes assensus vnius conclusionis vel principij, & in hoc clara est specificatio: Aliud habituum genus in esse quidem est qualitas simplex: in virtute tamen operandi multiplex est; quia est potens ad plures actus, ita inter se connexos, vt in ordine ad vnum obiectum formale necessariam connexionem inter se habeant, & in aliquo

primario actu quodammodo radicentur : & ideo talis habitus dici poteſt ſpecificari, vel à tali actuum ſerie, vel ab illo primario actu, in quo alij radicantur; quomodo, v. c. comparantur inter ſeſe in voluntate Amor, Deſiderium, Gaudium, de aliquo bono; & Odium, Fuga, Triſtitia de contrario malo. Omnes enim iſti actus (quacunque ratione inter ſe materialiter ſpectati diſtinguantur) in amore rádicantur ; Nam ex amore boni, ſi abſit, ſequitur Deſiderium, vel etiam Spes, ſi arduum ſit : Si autem poſſideatur, ſequitur Gaudium; & ex eodem amore naſcitur Odium, & deteſtatio contrarij & reliqua conſequẽter. Tertius modus vnitatis habitus eſt, ex collectione & ſubordinatione plurium ſimplicium qualitatum, quod genus vnitatis minus perfectum eſt, & ita ſumi poteſt ex collectione plurium actuum dicentium ordinem ad obiectum aliquo modo vnum, atque hac ratione vna dicitur, Scientia quæcunque totalis ; non quidem vnitate ſimplici ſiue indiuiſibili; ſed per aggregationem habituum partialium ex quibus conflatur. Sic Phyſica dicitur vna ſcientia, quamuis contineat plures habitus partiales ſpecie diſtinctos, & qui inclinant ad demonſtrationes ſpecie diſtinctas, vt ſunt de Materia, & Forma, de Quantitate, de Motu, de Cælo, Elementis, &c. Ratio eſt, quia hæc omnia dicunt ordinem vel attributionem ad obiectum totale Phyſicæ, id eſt, ad corpus naturale & tendunt ad exactam cognitionem illius. Vide Suarez diſp. 44. Metaph. ſect 11. pag. 49. Eadem eſt ratio in alijs.

2. *Actus Specificatur ab obiecto & modo tendendi in obiectum*, ibidem, & 2. Animæ text. 3. & refertur à D. Thoma 1. 2. quęſt. 28. art. 2. & 5.] Attingit actus immediatè ſuum obiectum, illudque vnit

actualiter potentiæ, vel repræsentatiuè, trahendo obiectum ad potentiam; vel impulsiuè & effectiuè trahendo potentiam ad obiectum: habitus verò attingit obiectum mediante actu, & hinc dici solet habitus specificari per actus; actus verò per obiecta, vt notat Suarez disp. 44. sect. 8. n. 15. Hinc quandocunque sunt obiecta siue termini per se ac totales, id est, non componentes vnum aliquem terminum primarium numero aut specie distinctum; tunc etiam actiones numero aut specie distinguuntur. Porrò actus non solum specificantur ab obiecto formali; sed etiam à modo tendendi in illud, quia manente eodem obiecto formali, variari potest modus, hoc solo, quod obiectum diuersimodè proponatur; nimirum vel vt absens, vel præsens, &c. vt patet per explicationem præcedentis. Vnde quando actus intellectus aut voluntatis absolutè & sine additamento dicuntur specificari ab obiecto, id non ita intelligendum est, quasi omnis actus omnem suam speciem sumat à solo obiecto præcisè, aut quod omnes actus specie differentes, diuersa specie obiecta respiciant,) possunt enim specificari, & specie variari ob diuersum modum tendendi in obiectum, vt dictum est,) sed sensus pronuntiati est, quod omnes actus, qui habent diuersa obiecta formalia, sint diuersæ speciei; licet possint etiam variare speciem ex diuerso modo, quo ex natura sua versantur circa idem obiectum formale. Vide Hurtado disp. 16. de anima, sect. 1.

DISTINCTIO VI.

De proportione inter habitum & actum.

1. *Habitus est proportionatus suis actibus.* Sumitur ex lib. 2. Ethicorum cap. 1.] Vbi dicitur habituum differentia consequi differentiam actuum similium, & similes habitus, similes reddere actus, & refertur à D. Thoma prima parte, quæst. 89. ar. 5. Ratio eius patet ex dictis. Quia enim habitus ex actibus generatur, ideo ijsdem conformis manet. Vt si actus sint studiosi, habitus quoque studiosus & virtuosus erit; si actus sint scientifici, habitus quoque erit scientificus, si opinatiui, opinatiuus & ita in reliquis. Est item proportio inter habitus & actus, quoad intensionem. Nam si ponatur habitus intensio vt quatuor, non elicientur actus intensiores ex vi habituum, etiam infusorum & supernaturalium. Quod si potentia eos aliquando intensiores eliceret, id esset ratione alterius auxilij diuini in supernaturalibus: in naturalibus verò soli potentiæ id adscribendum. Neque enim habitus tum concurreret ad intensionem actus, quæ excedit ipsum habitum, cum proportionem non habeat cum illa intensione: Posset tamen indirectè iuuare potentiam ad facilius & commodius illum actum efficiendum, quia dum potentia iuuatur ad actus inferiores, manet expeditior ad faciendam intensionem.

2. *Eo sunt actus nobiliores quo à nobiliore habitu procedunt.* Ibidem.] Ratio est, quia actus & habitus sibi mutuò sunt conformes & similes in dignitate. Sic actus Charitatis nobilior est actu Temperantiæ, quia Charitas Temperantiæ præstat; actus scientifi-

cus opinatiuo, quia scientia opinione perfectior. Hoc pronuntiatum magni est momenti in moralibus. Vnde si opus virtutis exercere libeat, si à cibis abstinere, si eleemosynam dare in animo est, illud ex optimæ virtutis, sc. Charitatis motiuo peragito, iuxta illud Apostoli: *Omnia vestra in charitate fiãt.* 1. Cor. 16. v. 14. Sic imitaberis Deum ipsum, qui omnia ex amore operatur, vt colligitur ex Sapientiæ 11. 25. & vt docet S. Dionysius de diuinis Nominibus, cap 4. cum inquit: *Amor est causa omnium rerum, & si amare desineret Deus interirent omnia.* Eo etenim actus virtutis est præstantior, quo nobilior habitus, à quo imperatur vel elicitur. Videri potest Ludouicus de Ponte, tomo 3. de perfectione Christiana, tract. 1. cap. 3.

3. *Actus est nobilior suo habitu.* Lib. 1. magnorum moralium, cap. 18. & lib. 2. Moralium Eudem. c. 2.] Ratio est; quia omnis actus continet in se totam perfectionem habitualem, & insuper est aliquid vitale; habitus verò neque per se vitalis est, neque totã actus perfectionẽ cõtinet. Ac licet habitus sit causa efficiens sui actus; non tamen est causa principalis, quæ solet esse dignior suo effectu; sed tantum instrumentalis, vel certè partialis causa: Actus verò non tantum est causa efficiens sui habitus, sed etiam finalis, ad quam tanquam suum finem habitus sua natura ordinatur. Itaque actus simpliciter est melior suo habitu (vt etiam docet Commentator in Epitome Met. tract. 13. vbi ait, actum secundùm omnes modos prioritatis esse priorem suo habitu) habitus verò potest dici perfectior secundum quid, nimirum secundum durationem. Vide D. Thomam 1. 2. q. 71. art. 3. Plura, quæ doctrinæ causa adferri hic possent, vide in explicatione illius: *Actus secundus est nobilior primo.* Titulo *de Potentia naturali in genere.*

4. *Habitus & potentiæ definiuntur per ordinem ad actus & obiecta.* Refertur à S. Thoma 2. Ethic. c. 7.] Ratio est, quia ab ijs speciem suam desumunt, vt diximus. Nota autem, licet habitus & potentiæ eosdem actus respiciant; alio tamen atque alio modo ordinem ad eos dicunt. Potentia enim per se respicit ipsum actum; habitus autem magis per se respicit modum actus, quam eius entitatem præcisè; nempe promptitudinem, delectationem, facilitatem in actuum exercitio, &c. vt rectè obseruat Alexander de Ales in 2. Metaphysicæ.

5. *Omnis Habitus cognoscitur ex suo actu.* Refertur ab Alberto Magno 6. Ethic. tract. 2. c. 9.] Ratio huius patet ex dictis, quia habitus ex naturâ suâ ordinatur ad actus, & est ijs proportionatus; sicuti autem se habet res ad esse, ita etiam ad cognosci. Vnde si facilè quis eliciat actus Prudentiæ, Iustitiæ, Temperantiæ, &c. Intelligitur prædituς esse earundem virtutum habitibus naturalibus, siue morales illi sint siue intellectuales: de supernaturalibus verò alia est ratio, vt colligitur ex supra dictis: Valet hoc pronuntiatum in eos, qui de multiplici Arte ac Virtute sine effectuum exhibitione vanè gloriantur.

TITVLVS XXIV.

De Virtute in Genere.

DISTINCTIO PRIMA.

Varia acceptio Virtutis.

VIrtus generatim est duplex, Intellectualis, & Moralis, 2. Ethic. cap. 1. Virtus intellectualis est, quæ infallibiliter inclinat ad cognoscendum

Digitized by Google

verum; Moralis est, quæ posita in affectu, inclinat ad rectè & sine defectu operandum. Solet etiam nomen Virtutis interdum sumi pro quauis facultate operandi; vt cum dicimus, virtutem mouendi, calefaciendi, &c. imò extenditur nonnunquam ad quamcunque rei perfectionem significandam, vt cum pulchritudo, sanitas & robur virtutes corporis appellantur. Propria virtutis acceptio est, cum eius nomine intelligitur habitus disponens potentiam rationalem ad perfectam operationem naturæ illius consentaneam, & in hac sumptione diuiditur in Intellectualem & Moralem.

DISTINCTIO II.

Quid sit Virtus.

1. *Virtus est, quæ bonum facit habentem, & opus eius bonum reddit.* 2. Ethicorum cap. 6.] Describit hoc pronuntiato Aristoteles non solam virtutem moralem aut intellectualem; sed etiam comprehendit quamlibet vim & facultatem, siue oculi ad videndum, siue auis ad volandum, siue equi ad currendum, &c. quod si verò nomine boni hîc intelligatur bonitas moralis, quæ consistit in conformitate cum recto rationis dictamine, ob quam nomen bonitatis principaliter sibi vindicat solis virtutibus moralibus definitio conueniet. Nam absolutè & per antonomasiam:

2. *A virtute boni denominamur & sumus.* M. Tullius l. 1. Officiorum & Orat. pro Quintio.] Est hoc virtuti morali proprium, vt ab hac absolutè & simpliciter dicamur boni. Ratio est, quia bonitas moralis, nomen boni principaliter sibi vindicat, cæteræ

virtutes, licet inclinent potentiam ad bene operandum in suo ordine : non tamen ab his absolutè & simpliciter dicimur boni. Sufficit enim in his actionem efficere bonam non simpliciter, sed in certo genere: Vt cum quis ex habitu Logicæ, quæ est virtus Intellectualis, rectè discurrit, & conclusionem aptè demonstrat, ob solam inanem gloriam; ille quidem actionem Logicam bonam exercet: opus tamen simpliciter bonum non facit; sed inani gloria vitiatum. Porrò à virtutis habitu præcisè sumpto non denominatur quisquam bonus absolutè; sed ab actu potius, vel in ordine ad actum. Habitus enim virtutis manet sæpè in illo, qui peccat mortaliter, sicut & habitus vitiosus in eo, qui per contritionem iustificatur, vt docēt Theologi: Et in tali casu, qui peccauit, simpliciter coram Deo malus est; etsi virtutis habitu præditus sit: Contra verò qui iustificatur, etiam bonus denominari absolutè debet: tametsi malis habitibus oneratus. Atque hinc vere dicitur tota virtutis laus in actione consistere vt explicabitur infra.

3. *Virtus est bona qualitas mentis, quâ rectè viuitur, quâ nemo malè vtitur.* S. Augustinus lib. 2. de libero arbitrio, cap. 18. & 19.] Conuenit hoc dictum omni & soli virtuti intellectuali & morali. Talis enim primo dicitur qualitas mentis, quia competit naturæ rationali, quatenus rationalis est. 2° dicimur eâ rectè viuere, quia est forma rectæ vitæ & principium boni operis. 3°. tali habitu nemo vtitur tanquam principio mali effectus; sed è contra ad se perficiendum ab eo dirigitur. Vnde rectè ab Aristotele dictum est:

4. *Virtus est dispositio perfecti ad optimum.* 7. Phys. cap. 3.] Quia scilicet perficit intellectum & voluntatem ad optimam operationem circa sua obiecta & propriam materiam : si dicas, scientia est virtus, scientia multi abutuntur : ergo virtute multi abutuntur

tantur: ergo virtus non est semper dispositio perfecti ad optimum.

Resp. Cum dicimus virtute neminem male vti, siue, non posse actum malum à virtute proficisci, sermo est de eâ prauitate, quæ directè opponitur illi bonitati, siue rectitudini, ad quam virtus illa inclinat, sic scientia nemo abutitur per se, ad eliciendum actum falsum, sed semper ad actum verum, qui est rectus rectitudine scientiæ, & perficit potentiam in ordine ad cognitionem veri.

5. Virtus est habitus electiuus in mediocritate consistens. 2. Eth. c. 6.] Est hæc definitio solis virtutibus moralibus propria, quæ proinde fusè in Ethicis tractari & explicari solet. Dicitur primo habitus Electiuus, ad excludendas virtutes intellectuales, ad quarum rationem non pertinet, vt actus ab ijs profecti, ex delectu & voluntariè fiant, dicitur secundo in mediocritate consistens, vt excludantur habitus vitiosi, addit eodem loco Philosophus, mediocritatem illam non necessariò & per se debere esse ex natura rei; sed ex comparatione ad subiectum, & comparatione iudicij Prudentis; vti mox pluribus explicabitur.

DISTINCTIO III.

De Actibus Virtutum.

1. *Omnis virtutis laus in actione consistit.* Tullius lib. 1. de Oratore, & lib. 1. Offic.] Duo sunt præcipua virtutum officia; alterum est, Animam vestire & exornare; alterum, Esse fontem & parentem actionis bonæ & studiosæ; prius etsi præclarum sit; præcipuum tamen splendorem habet in ordine ad

posterius; Virtus enim natura sua & essentialiter (vt ait S. Thomas) ad actionem dirigitur 1. 2. quæst. 55. artic. 2. vt non immeritò dixerit Sanctus Anselmus:

2. *Virtus sine exercitio est quasi lancea plumbea.*] Lib. de Similitudinibus, cap. 154. in eandem sententiam Claudianus ait, virtutem otiosam taciturnæ similem esse lyræ, aut naui ad profectionem ordinatæ, semper in portu consistenti. Absolutè enim:

3. *Virtuti, vt laudem virtutis mereatur, actio est necessaria.* Seneca Epist. 95.] Etsi à virtute boni denominemur & simus, vt Tullius inquit: non tamen propriè & præcisè ab ipso habitu virtutis; quia habitus operatiuus non est moraliter bonus vel malus; nisi per intrinsecam denominationem ab actu bono vel malo; quia scilicet inclinat ad actum bonum vel malum; neque ab habitu præcisè quisquam laudatur, aut denominatur bonus vel malus; sed ab actu; cum & habitus virtutis maneat in eo, qui peccauit, & vitiosus in eo, qui iustificatur. Vt dictum est supra.

4. *In via virtutis non progredi est regredi.*] Communne istud Patrum & Doctorum pronuntiatum indicatur à M. Augustino cap. 1. 143. ad Demetriadem Virginem, vbi: *Tamdiu*, ait, *non relabimur retro, quamdiu ad priora contendimus, at, vbi cœperimus stare, descendimus nostrumque non progredi, reuerti est, si volumus non redire currendum est.* Idipsum iisdem penè verbis astruunt, Sanctus Gregorius, Cassianus, Bernardus, & alij, explanantque hoc appositissima similitudine; Quemadmodum, si quis in medio rapidissimi fluminis positus, vellet consistere, nec vllo modo ad anteriora niti; hic submersionis interitusque periculo se præsen-

mo exponeret ; ita in turbulento hoc mundi salo, qui progredi in virtutis studio non elaborat, torrente passionum suarum retrò in interitum rapitur. Lege D. Thomam 1. 2. quæst. 134. art. 5. ad 2. Cæterùm hoc axioma non est intelligendum rigidè secundum Philosophiam Scholasticam : neque enim non progredi, formaliter est regredi ; sed consecutivè tantùm, & occasionaliter, secundum ordinarium vitæ humanæ modum.

5. *Operatio secundum virtutem perfectior est ipsa virtute.*] Refertur à D. Thoma 1. Ethicorum lect. 12. Sumiturque ex 9. Metaphys. text. 19. & 1. Mag Moral. cap. 18. Ratio eius est, quia; *Melius est bene agere, quam posse bene agere* : vt explicabitur infra. Deindè quia operatione secundum virtutem meremur, si aliundè nil obstet ; habitu virtutis non item. Denique, quia hic locum habet, celebre illud axioma : *Propter quod vnumquodque tale est, ipsum magis est tale* ; sed habitus virtutis est propter operationem, sicuti omnis habitus propter suum actum ; ac proinde ignobilior suo actu, vt explicatum est Titulo, *De Habitu in genere.*

DISTINCTIO IV.

De Functionibus virtutum.

1. *Eiusdem virtutis est, amare bonum, & odisse malum ei contrarium.*] Est hoc Principiũ communiter à Philosophis & Theologis receptum, quo in specie vtuntur Alexander, Durandus, Caietanus, Soto, Canus, citati à Suarez tomo 4. in 3. part. q. 85.

Digitized by

art. 1. disp. 2. sect. 2. n. 1. Eodem vtitur Vasquez ibidem, dubio vnico n. 9. & alij Theologi passim; & secundum hoc S. Thomas 3. part. q. 85. art. 2. ad 1. docet eiusdem charitatis esse, velle bonum Dei, & odio habere peccatum, quatenus illi bono contrarium est; & 2. 2. qu. 79. duas dicit esse partes Iustitiæ, Declinare à malo, & Facere bonum; quas dicit inueniri non tantum in Iustitia particulari, sed etiam vniuersali, & generatim sumpta; id est, in omni omnino virtute. Sicut enim Iustitia inclinat Iustum, non modò vt amet & procuret quod iustum est; sed etiam vt oderit & destruat iniustitiam, idque tam in alijs, quam in se ipso; ita etiam quælibet alia virtus inclinat subiectum, vt amet honestatem sui obiecti, & oderit vitium ei contrarium in se, & alijs. Contra hæc tamen obijci posset, quod cum detestatur quispiam peccatum infidelitatis, verbi causa, quatenus præcisè est contra honestatem Fidei, aut actum Imprudentiæ, quatenus præcisè est contra honestatem Prudentiæ non detestatur illa per actum Fidei & Prudentiæ; quia cum detestatio peccati sit actus appetitus, non potest esse actus Fidei & Prudentiæ, quæ sunt in intellectu; ergo non omnis virtus detestatur malum sibi contrarium; Sed.

Resp. Detestationem peccati Infidelitatis præcisè secundum specialem malitiam eius, esse actum illius virtutis, qua amamus honestatem Fidei; Duplex enim secundum plerosque est habitus Fidei, alter in intellectu, quo essentiam rebus à Deo reuelatis; alter in voluntate, quo volumus assentiri: sicut ergo per hunc habitum, qui est in voluntate, amamus honestatem, quæ est in actu credendi, Deo reuelanti; sic per eundem prosequimur odio turpitudinem, quæ est in actu contrario. Simili modo ratiocinandum est de Prudentia. Atque hinc patet di-

ctum Axioma accommodatum esse virtutibus moralibus; non verò etiam intellectualibus, vt sic: quia in his, vt tales sunt non est amor & odium, qui sunt actus appetitus.

2. *Omnis virtus principaliùs diligit suum bonum quam auersetur malum contrarium.* Vtuntur hoc pronuntiato citati Authores locis citatis. Veritas eius patet naturali exemplo; quia omnis facultas inclinatio & actio, principalius est, & prius ordinatur, ad terminum ad Quem, quam ad recessum à terminum à Quo: In virtutibus autem malum habet se, vt terminus à quo recedit siue separatur voluntas; bonũ autem, vt terminus ad quem tendit eadẽ voluntas. Et ratio est clara; quia malũ, cum sit priuatio boni, non habetur odio, nisi ratione boni oppositi; ergo omnis virtus, quæ odit malum aliquod, ideo odit; quia inclinat ad aliquod bonum.

3. *Eiusdem virtutis est appetere bonum absens & amplecti præsens.*] Sumitur ex Auctoribus paulò ante citatis & fundatur in illo de amore boni & odio mali. Eodem modo, eadem auctoritate.

4. *Eiusdem virtutis est vitare malum absens, & abijcere præsens.*] Ratio vtriusque est, quia in omni virtute quæ est in voluntate, siue Theologica illa sit, siue Philosophica, inueniũtur hi actus, Amor, Desiderium, Gaudium, & Odium, Fuga, Tristitia, vt docent Morales Philosophi ac Theologi. Vnde eadem virtus, sicut amplectitur bonum & detestatur malum vt præsens, ita etiam fugit malum & bonum desiderat vt absens: & denique illud odio, hoc amore prosequitur, vt sunt malum & bonum simpliciter & secundum se. Vide Becanum Theologiæ Scholasticæ, parte 2. tract. 1. cap. 3. quæst. 1.

5. *Eiusdem virtutis est, amare finem & ea, quæ sunt ad finem.*] Sumitur ex lib. 1. Eth. cap. 2. & refertur

à Lessio de Iustitia & Iure, lib. 2. c. 36. dub. 3. n. 19. Ratio est, quia finis est causa, & ratio volendi media, quæ sunt ad finem, & ipsius finis intentio implicitè & virtualiter includit volitionem mediorum. Oritur autem electio mediorum ab intentione finis; vel per connexionem quandam sine efficacitate & efficientia, vt volunt aliqui Thomistæ; vel vt ex efficiente, vt vult Gregorius in 1. dist. 1. quæst. 1. art. 2. in confirmatione primæ conclusionis. Vasq. 1. 2. disp. 33. num. 22. Quos vide, si placet:

6. *Eiusdem virtutis est, affectum moderari & effectum.*] Per affectum, intelligitur, Interna animi affectio siue passio; per effectum opus externum, ad quod ille affectus inclinabat. Sic eadem virtus Temperantiæ, quæ concupiscentiam voluptatum inordinatarum refrenat, etiam vsum externum temperat; Et eadem virtus fortitudinis, quæ timorem & audaciam moderatur, etiam fugam & aggressionem dirigit. Similis est ratio in aliis virtutibus, & vitiis earum contrariis. Vide D. Thomam 1. 2. quæst. 20. art. 4. Vasquez & alios ibidem.

7. *Virtutis proprium est, magis honesta agere, quam non facere turpia.* 4. Eth. c. 1.] Ratio est, quia præcipua laus virtutis in actione consistit, neque enim magnopere commendabitur aliquis, quod non rapiat aliena, nec impudicus sit, aut luxui deditus; si domi desideat otiosus, & quæ sui sunt muneris negligat. Itaque dictum Lactantij Firmiani Diuinarum Institutionum lib. 6. *Omnis virtutis officium est non peccare.* Simpliciter admitti non debet; potest enim quis aliquando non peccare, & nihilominus possibile aliquod virtutis officium prætermittere.

DISTINCTIO IV.

De medio virtutum.

1 *Virtus consistit in medio.* 2. Ethicorum cap. 6.] Duplici modo intelligi potest hæc propositio; priore quidem, quod virtus sit media quoad substantiam, inter duo vitia extrema: & hoc sensu vera est de virtutibus, quæ versantur primariò circa passiones; vt sunt Fortitudo, Temperantia, & aliæ his annexæ: posteriore verò, quod sit media quoad actū siue obiectum, quia scilicet producit actū, qui neq; excedit limites rectæ rationis, neq; deficit ab illis, & hoc sensu virtutes, quæ versantur primariò circa actiones, vt Iustitia & virtutes illi annexæ, consistunt in *medio rei*, quod respicit æqualitatem rei ad rem: quæ verò versantur circa passiones, consistunt in *medio rationis*. Quod spectatur in ordine ad personam.

2. *Omne nimium cedit in vitium.*] Sumitur ex eodē capite.] Nimirū id dicitur, in virtutibus, quod mediocritatem excedit, iuxta explicationē præcedētis: id autem in vitium cadere, ex eo manifestū est; quod virtus in mediocritate consistat, vt iam dictum est. Eodem modo omnis à virtute defectus in vitio reponitur. Vtrúque rectè proponit Flaccus isto carmine.

Est modus in rebus, sunt certi denique fines,
Quos vltra citraque nequit consistere rectum.

Lib. 1. Serm. Satyra. 1. Hic verò modus, siue hæc mediocritas Virtutis nō est Mathematica, neque in indiuisibili cōsistit, vt ferūtur voluisse Stoici; sed habet latitudinē aliquā, & suscipere potest magis & minus; cum obiectū virtutis nūc perfectiori modo, nūc minus perfectò attingi possit: satis tamē hinc perspicuū fit, virtutē non sine difficultate à nobis acquiri;

Digitized by Google

quia medium in quauis arte & exercitatione non facilè attingitur : longè facilius ab eo, & sæpius, in alterutram partem aberratur. In hanc sententiam est illud D. Bonauenturæ : *Virtus medium vitiosum tenet, & ab vtroque latere vitij est obsessa ; ita vt si modicè à discretionis tramite declinauerit, iam virtus non sit.*

3. *Modus est, quem mensura præfigit.* S. Augustinus super Genesin ad litteram l. 4. cap. 3.] Sumitur hic modus pro qualibet determinatione vel limitatione præfixa vnicuique rei finitæ, iuxta mensuram suam, tam in genere naturæ, quam etiam in genere moris. Quo sensu idem Diuus Augustinus libro de Naturâ boni, cap. 3. ex tribus necessarijs ad vniuscuiusque rei creatæ bonitatem, quorum duo sunt *species* & *ordo*, tertium dicit esse *modum*, id est, debitam commensurationem ad sua principia, vt explicuit D. Thomas 1. p. q. 5. art. 5. & 1. 2. qu. 85. ar. 4. & sæpe aliàs. Vide etiam illum, si placet, 1. 2. q. 49. art. 2. vbi refert effatum propositum. In hanc sententiam est illud Ciceronis de senectute : *Nam habet natura, sicut aliarum omnium rerum, sic & viuendi modum*; & lib. 1. Officiorum. *His enim rebus, quæ tractantur in vitâ, modum quendam adhibentes & ordinem, honestatem & decus conseruabimus.*

4. *Dimidium est plus toto.*] Prouerbiale istud Hesiodi ænigma refert & explicat Plato lib. 3. de Legibus, in hæc verba : *Tunc dimidium plus est toto, quando totum est immoderatum, & ideo noxium ; dimidium verò moderatum & salutare.* Monet itaque, auream in omnibus seruandam esse mediocritatem ; in quem sensum Apostolus ad Romanos scribens; *Dico enim per gratiam*, inquit, *quæ data est mihi, omnibus, qui sunt inter vos, non plus sapere; sed sapere ad sobrietatem*; cap. 12. v. 3. Veritas huius effati clariùs pro-

ponitur in hunc modum.

5. *Medium est nobilius suis extremis.* Desumitur ex 2. Eth. cap. 6.] Ac verum est eodem sensu, quo dictum præcedens: absolutè autem & vniuersaliter locum obtinet in moralibus, in quibus virtus inter extrema vitiorum in medio rei constituta, si primariò versetur circa actiones: in medio rationis verò, si circa passiones occupetur, semper nobilior est extremis vtrimque oppositis. Vt, v. c. liberalitas, auaritiâ & prodigalitate, fortitudo ignauiâ, & temeritate, & ita de cæteris, iuxta paraphrasin Axiomatis primi: In naturalibus verò tunc solum veritatem obtinet, quando medium salutare & moderatum est; extrema autem immoderata & noxia, vt dictum est.

6. *Iniquum petas, vt iustum feras.* Monet sententia in studio & exercitio virtutum, proposita & desideria nostra, sæpe esse altissimè intendenda, vt saltem ad iustam conuenientemque mediocritatem eò certiùs pertingatur. Ita callidi & prudentes negotiatores, merces suas distracturi, initio summum illis pretium imponunt, vt ad moderatum saltem, iustumque in fine deueniatur. Ita, quando arcus aliquis vel ballista remittitur, necesse est, ad contingendum scopum, vt conspicillum seu dioptra, vno alterovè palmo altius suprà scopum dirigatur. Funis siquidem remissus cum sit, ac proinde, eò, quò collimas, non pertingat; si dioptra sit altior, scopum facilius, certiusque attinget. Atque in hunc sensum rectè vsurpatur allatum prouerbium.

DISTINCTIO V.

De Virtutum connexione.

1. *Virtutes sunt inter connexæ.*] Est cõmune pronuntiatum Philosophorum, de quo fusè differit S. Ambrosius li. 1. de Officiis c. 27. Virtutes Morales, (de his enim propriè hoc loco est sermo) non ita inter se connectuntur, quin vna sine altera, quoad essentiam comparari possit; cum sint qualitates à se mutuò realiter distinctæ, & vnaquæque habeat suum obiectum ab alterius obiecto diuersum: sunt tamen ita inter se copulatæ, vt nulla quocunque casu in actum comitanter exire possit, nisi ab alijs adiuuetur; quia difficultates in exercitio aliquo virtutis, non tantum ab illius obiecto proueniunt; sed etiam aliunde occurrere possunt. Quod dum accidit, pendet virtus in productione sui actus, saltem per accidens ab alterius subsidio. Atque hoc sensu verum est pronuntiatum, ac rectè dixit Cicero: *Virtutes inter se connexæ copulatæque sunt, vt omnes omnium participes sint.* lib. 5. de Finibus.

2. *Virtutes sine Prudentiâ non sunt virtutes.* 6. Eth. cap. 3. & vltimo.] Vbi Philosophus docet, omnem eum habitum, qui propriè est virtus, non existere sine Prudentia. *Et Socrates,* (verba sunt Aristotelis ibidem) *partim rectè arguebat, partim peccabat: peccabat, quia virtutes omnes esse prudentias putabat: bene dicebat, quod non esse sine prudentia ipsas aiebat.* Refert autem hoc pronuntiatum Gregorius M. lib. 2. in Ezech. homil. 22. cui conformiter Plato, virtutes omnes ad Prudentiam reuocabat, easque sine huius præsidio quasi Dædali statuas solutas & instabiles

esse aiebat. Est enim Prudentia virtus Intellectualis, quæ morales virtutes omnes moderatur & dirigit immediate, dictans in quouis negotio, quid honestum sit & quid turpe.

3. *Athenienses bona quidem sciunt, sed non faciunt.* 7. Eth. cap. 10.] Ea est humani generis infelicitas, vt passim multi reperiantur mortales, qui siue in toto genere vitæ, ijsdem semper moribus, eodem in luto sese volutant; siue in quadam duntaxat affectionum suarum parte, iisdem imperfectionibus obnoxij viuunt, nec serio ijs euellendis operam nauant. Et licet meliora videant probentque; ad ea tamen sectanda & perficienda, nunquam generosè assurgũt: ij nimirũ, quos vel otiosa lentitudo deijcit, vel ignauiæ torpor frangit, vel amor inordinatus, aut praua voluntas, aut consuetudo sibi deuinctos tenet. Atque in huiusmodi homines locum habet effatum, De quo vide Aristotelem loco citato, vbi ait. Incontinentem similem esse ciuitati, quæ decernat quidem omnia, quæ sunt agenda, & leges probas habeat, sed non vtatur, vt Anaxandrides facete dixit: *Vrbs consultabat leges, quæ negligit almas.*

4. *Sola verba probitatem non adferunt.* Sumitur ex 10. Eth. cap. 9.] Vbi dicuntur verba non sufficere ad probos homines faciendos, licet incitare possint; *alioquin*, ait, *multas iure mercedes, secundum Theognidem & magnas afferrent, & comparare ea oporteret*: Secus autem rem habere, manifesta docet experientia. Proindè illi, qui virtutem, neglectâ operatione, laudant, rectè conferuntur cum ægrotis, qui Medicos quidem libenter audiunt: nil tamen eorum, quæ ab ipsis mandatur efficiunt. Et vt illi nunquã corpore bono valebunt, dum ita curantur; sic nec isti animo, dum ita Philosophantur, bene habebunt. Plura, quæ huc referri possent, commodiùs explicabuntur, Titulo *de Prudentia*, dist. 2. 3. & seqq.

DISTINCTIO VI.

Virtutem esse naturæ conformem & delectabilem.

1. *Virtus est homini naturalis.* Sumitur ex lib. 2. Eth. cap 1.] Naturale, quoad præsens institutum sumitur dupliciter, primò pro eo, quod innatum est à naturâ, vt vis nutriendi, ambulandi, &c. Secundò pro eo in quod propendemus naturaliter, in quantum homines sumus: hoc posteriore sensu virtus est homini naturalis; non autem priore. Ratio huius est; quia virtutes sunt & dicuntur habitus acquisiti, qui non insunt nobis à natura; sed exercitio comparantur. Et hoc sensu ait Aristoteles.

2. *Nulla virtutum moralium hominibus innata est.* 2. Eth. cap. 1.] *Neque enim à natura* (subiungit) *neque præter naturam in nobis insunt virtutes, sed nati factique sumus ad eas & percipiendas natura & efficiendas consuetudine.* Ratio est; quia homo ex natura sua est rationalis: ergo operari ex dictamine rectæ rationis, id est, operari ex virtute & secundum virtutem est ipsi connaturale: Etenim vnumquodque naturaliter inclinatur ad operationem conuenientem sibi secundum suam formam, sicut ignis ad calefaciendum, vt inquit D. Thomas 1. 2. q 49. ar. 3. ad 5. Vnde cum anima rationalis sit propria forma hominis, naturalis inclinatio inest cuilibet homini, ad hoc vt agat secundum rationem. Hinc in intellectu nostro sunt multa dictamina generalia insita naturaliter ad recte viuendum, & in voluntate naturalis est quædam inclinatio, ad rectæ rationis dictamina amplectenda; & secundum hunc sensum intelligendum est illud:

3. *Omnibus natura dedit fundamenta virtutum.*] Lucius Seneca Epist. 120. in eandem sententiam. Tullius lib. 3. Tusculanarum Quæstionum; *Sunt*, inquit, *animis nostris innata semina virtutum, quæ si adolescere liceret, ad beatam vitam nos perducerent*: in principio libri. Quare ad virtutis studium naturâ tenemur, & obligati sumus; Nam ea nihil agit frustra, nec quicquam patitur otiosum.

4. *Virtutum exercitia sunt per se delectabilia.* 1. Eth. cap. 8.] Vbi ait Philosophus: *Actionum eas, quæ à virtute proficiscuntur per se ipsas esse voluptati & iucundas.* Contrarium doceri videtur 3. Eth. c. 9. vbi ait: *Virtutum omnium iucundas non esse actiones, nisi quatenus finis copulatus coniunctusque adscisscitur.* Sed respondendum est, illum priori loco loqui per se, & quoad rei naturam præcisè spectatam; posteriore verò, quoad nos & secundum naturam corruptam. Item priore loco, agere de actibus virtutum iam plenè acquisitarum; posteriore de ijs, quibus virtutis habitus sit primo acquirendus; iuxta illud:

5. *Virtus difficulter acquiritur, at, quietè possidetur.* Sumitur ex 5. Eth. cap. 9.] Etsi hominis sit naturale, operari ex dictamine rationis, & virtus ei sit naturalis, eo sensu quod dictum est; tamen ob vitiatam naturam & animæ partem inferiorem, varias in eius exercitio & studio difficultates, & impedimēta multiplicia sentimus. Postquam verò frequentatis actibus, virtutis habitus est acquisitus, vsus illius & possessio quam maximè quieta est, & delectabilis. Vnde Philosophus loco citato, ait, *Iustè operari difficile esse homini iustitiam non habenti*: At verò, qui eam possidet, is & promptè operatur iustè, & cum facilitate delectabili.

Digitized by Google

DISTINCTIO VII.

Virtutem florere in arduo.

1. *Virtus vel maximè nitet in arduo.*] Alij ita proponunt: *In infortunijs maxime elucet virtus.* citantque ex 1. Eth. cap. 2. Sed nihil eo capite de hac materia habetur. Ratio pronuntiati est, quia cõtraria contrarijs elucescunt; & in aduersis frequens occurrit materia circa quam virtus probetur, & cum suo perfectione siue incremento exerceatur. Vnde illud:

Hectora quis nosset, felix si Troia fuisset,

Verè Plinius in Panegyrico Traiani: *Maris cælique temperiem turbines tempestatesque commendant, habet has vices conditio mortalium. Vt aduersa secundis, & aduersis secunda nascantur. Occultat vtrorumque semina Deus, & plerumque bonorum & malorum causæ sub diuersâ specie latent.*

2. *Mare tranquillo quilibet est gubernator.* Seneca Epist. 85. propiùs finem.] Neque enim magnæ virtutis est, vento secundo, naui firmâ, mari pacato, astris fauentibus, remigibus peritissimis portum in conspectu positum tenere: at luctantibus inter se ventis, naufragio lacero, fremente cælo, insidiantibus piratis, remigibus imperitis, sideribus ereptis, optatum nihilominus portum occupare, hoc demum facinus eximium est, & prædicandum.

3. *Virtus pressa prementes opprimit*: Traditur à T. Liuio Decade 3. lib. 2. à Cicerone exprimitur Orat. pro A. Cluentio in hæc verba: *Multorum improbitate depressa veritas emergit: & innocentiæ defensio inserclusa resurgit.* Veritas huius pronuntiati quam

plurimis in historiâ sacrâ æquè ac prophanâ exemplis comprobata est, vnicum illud de Regio Prophetâ Dauide hic satis sit, cuius virtutem cum inuidus premeret Saül, in insaniam primò & furorem incidit, ac deinde iusto Dei iudicio, extremâ oppressus calamitate occubuit.

4. *Marcet sine aduersario virtus.*] Ita habet symbolum C. Galetij Valerij maximi Imperatoris, vt videre est, classe 1. Symbolorum Imperatoriorum, num. 61. Ratio perspicua fit ex dictis; quia contrariorum contrariæ sunt causæ, vt explicatū est supra. Sic Romanorum fortuna tunc mutari cœpit, cum excisâ Carthagine, Perseoque capto, hostes non habere, & in otio viuere, ac insolescere cœperunt. Est in hanc sententiam illud Liuij: *Secundæ res segnitiem inducunt, & negligentiam creant.* Decad. 3. lib. 3. Etenim auctore Bernardo, prosperitas incautis est ad disciplinam, quod ignis ad ceram, quod solis radius ad niuem vel glaciem. Sapiens Dauid, sapiens Salomon; sed blandientibus secundis rebus alter de parte, alter ex toto desipuit. Vide Boëtium lib. 2. de Consolat. Prosâ 8. Contra vero vt palma imposito onere emittur; ita animus virtute formatus, quo plus negotijs premitur, quo magis sæuit fortuna, hoc est erectior.

5. *Virtutem colere non potest, qui vilibus detinetur officijs.* Sumitur ex lib. 3. Polit. cap. 3.] Verba Philosophi sunt loco citato: *neque enim virtutem colere potest is, qui vitam agit Sordidorum & Mercenariorum;* quibus nominibus eodem capite eos se intelligere dicit, qui mercenaria munia obeunt, eaque ad Reipublicæ commoda referunt; Dictum istud vt verum sit, magna restrictione indiget; nimirum vt intelligatur de iis duntaxat virtutibus, quæ ab eorum statu plane alienæ sunt, vt de Magnificentia,

Liberalitate, Prudentia gubernatrice, & alijs his similibus, libero & honesto ciui proprijs; de quibus agitur isto capite. Alioqui si verba sumantur, prout iacent, & vt à nonnullis non rectè vsurpantur, absolutè negandum est; nam & rectæ rationi & doctrinæ Christianæ repugnat. Constat enim, vt de alijs taceam, nobilissimam virtutem humilitatem in huiusmodi munijs & coli commodè & perfici; iuxta illud: *Humilis non est, qui humilibus non delectatur officijs*: Verum hæc virtus agnita non fuit à priscis Philosophis: quare mirum non est, si in eius materiâ minus rectè senserint.

6. *Virtuti locus est semper & vbique.*] Sumitur ex Seneca in Medea: vbi Medeæ inquienti, vers. 159. *Tunc est probanda, si locum virtus habet*, id est, tum conuenire vti virtute, vbi non desperes te aliquid ea consecuturum: Nutrix respondet, vers. 160. *Nunquam potest non esse virtuti locus*; quod verum est absolutè, spectatâ naturâ ipsius virtutis secundum se: hæc etenim seipsa contenta, & repulsæ nescia altior est, quam vt periculis impediri, aut terroribus frangi queat. Præclarè Tullius orat pro Sextio: *Virtus se ipsa contenta & in tempestate sauâ quieta est: Et lucet in tenebris, & pulsa loco, manet tamen: atque hæret in patria, splendetque per se ipsa semper; nec alienis tanquam sordibus obsolescit.*

7. *Fortuna opus auferre, non animum potest.* Seneca ibidem vers. 176.] Sumpsisse id Seneca videtur ex Attij Telepho, in quo de seipso Telephus, inquit: *Nam si à me regnum, Fortuna, atque opes eripere quit, at virtutem nequibit.* In eandem sententiam Tullius paradoxo tertio: *Si mihi eripuisses*, ait, *diuinam illam animi constantiam, curas, vigilias, consilia, quibus Respublica inuicta steterit: multo etiam magis, si illam mentem, vnde hæc consilia manarunt, mihi eripuisses; tum*

ego

ego accepisse me confiterer iniuriam, sed si hæc nec feci, nec facere potui, reditum mihi glorioſum tua dedit iniuria, non exitum calamitoſum. Verè & philoſophicè.

DISTINCTIO VIII.

Pretium & amabilitas virtutum.

1. *Nihil est melius virtute.* lib. 1. Mag. Moral. cap. 19. ſub finem.] Rationem addit Philoſophus ibidem: *Quia hujus*, inquit, *cauſa ſunt alia omnia*; nimirum bona naturalia, fortunæ, bona corporis & animi, quæ cum ſint in gradu inferiori dignitatis, ordinantur velut media ad virtutem: eſt autem verum effatum iuxta explicationem ſequentis.

2. *Nihil est amabilius virtute.*] Habet hoc dictum Tullius lib. 1. de naturâ Deorum, & lib. de Amicitia, vbi addit, *Nihil eſſe quod magis alliciat homines ad diligendum, quippè cum propter virtutem & probitatem eos etiam quos nunquam vidimus, quodammodo diligamus.* Intelligitur & verum eſt generatim, de bonis naturalibus, animi, corporis, & fortunæ; quibus in hac vita dotari poteſt homo: omnibus enim hiſce vti nobilior ex ſua naturâ virtus eſt, ita per conſequens etiam amabilior; ſiquidem bonitatem rei & præſtantiam ſequitur eiuſdem amabilitas. Ex quibus patet rectè ab Iſocrate dictum eſſe:

3. *Virtus diuitijs potior eſt, utiliorque generis ſplendore*; Oratione ad Demonicum.] Non autem intelligi poteſt, de omnibus bonis ſimpliciter, ſiue creata illa ſint, ſiue bonum increatum: Deus enim abſque comparatione amabilior eſt, cum infinitus ſit nobilior; iuxta illud.

Auro quid melius? iaspis, quid iaspide? virtus,
Quid virtute? DEVS, quid Deitate? nihil.

4. *Gratior est pulchro veniens è corpore virtus.*] *Errare mihi videtur* (ait Seneca Epist. 26.) *qui protulit istud dictum: non enim ullo honestamento eget virtus. Ipsa magnum sui est decus, corpus suum consecrat, potest ex casa vir magnus exire, & ex deformi humilique corpusculo formosus animus, ac liber & magnus.* Sed dicendum est, licet hæc censura secundum rigorem Philosophicum vera videri possit: dictum tamen istud excusari ab errore. Prolatum enim est à Virgilio lib. 5. Æneid. accommodatè ad captum vulgi, & ad commune iudicium hominum, qui pluris æstimant ornamenta corporis & animi simul, quam alterutrius duntaxat, & hisce gratiam aliquam & splendorem accedere ab illis putant; quomodo Euripides, formâ præstantes, si cætera sint paria, imperio digniores æstimat. Et reuerà, an non meritò gratior & laudabilior hominibus est castitas virginis nobilissimæ & pulcherrimæ, quam turpis rusticanæ? Nam & hic locum habet illud Ecclesiastici 31. v. 10. *Qui potuit transgredi, & non transgressus est; facere mala & non fecit; quis est hic, & laudabimus eum?* quanquam & hæc decoris excellentia gratiosa, ab internis animi ornamentis præcipuum splendorem habet. Agit autem Seneca loco citato, de Clarano quodam, suo condiscipulo, cuius animum vigentem in morbido corpusculo malè collocatum ait.

5. *Virtus est proprium hominis bonum.* Tacitus lib. 4. hist.] Dicitur virtus esse proprium hominis bonum, non tantum ea de causa, quod ex omnibus animantibus solus homo, vti rationis, ita & virtutis possessor sit; sed etiam quod inter omnia ea, quæ rationem boni creati participant, virtus quam maximè

homini conueniat. Pro quo recolligẽdum eſt, quod ſupra attigimus ; Bona creata eſſe triplicis generis ; Primi generis ſunt bona externa, ſiue bona fortunæ, vt diuitiæ, honor, poteſtas, &c. Secundi generis, bona corporis, qualia ſunt fortitudo, pulchritudo, &c. Tertij verò ſunt, bona animæ, quæ rurſus ſunt duplicia; alia naturalia, quæ à natura ipſa nobis conferuntur; vt ſunt acumen ingenij, propenſio ad virtutem, &c. alia acquiſita, quæ ſtudio comparantur; iſtiuſmodi ſunt ſcientiæ, virtutes, &c; quibus adde, quæ diuinitus homini conferuntur, vt virtutes Theologicæ, &c: horum omnium conueniẽtiſſimum hominis bonum ſunt virtutes, ſiue Morales illæ ſint, vt Iuſtitia, &c. ſiue, partim Morales, partim Intellectuales, vt Prudentia, & Fides Catholica; quia non ſolum hominem exornant; ſed ita etiam afficiunt; vt non poſſit illis malè vti tanquam principio operationis. Vide Leſſium de Iure & Iuſtitia initio.

DISTINCTIO IX.

De Vitijs in genere.

1. *Sæpe latet vitium ſub umbraculo virtutis.*] Effatum hoc ab Alberto Magno in Prologo Paradiſi Animæ, latè deducitur, & exemplis varijs manifeſtò comprobatur: cui conformiter Tullius; *Diligenter*, ait, *cernenda eſſe ea vitia, ne nos fallant, quæ virtutem videntur imitari.* Nam & prudentiam malitia; & temperantiam immanitas in voluptatibus aſpernandis; & magnitudinem animi, ſuperbia, ac diſplicentia in contemnendis honoribus; &

Digitized by Google

fortitudinem audacia, & iustitiam acerbitas, & religionem superstitio imitatur; studiisque bonis similia videntur ea, quæ sunt in eodem genere nimia.

2. *Virtute non tam multi præditi, quam videri volunt.* Cic. de Amicitia.] Pronuntiatum hoc quo verius est, eò, miserior est status rerum humanarum: *Virtus* enim *colenda est, non imago virtutis*, qui namque sic virtutem colunt, vt vmbram & imagines virtutum consectentur, ea ipsa quæ vera sunt, tenere non possunt. Valet maximè hoc pronuntiatum in piscos gentilium Philosophos (& fortè in Ciceronem ipsum) vtpote gloriæ animalia, & vilia popularis auræ mancipia, vt eos nominat S. Ecclesiæ Doctor Hieronymus.

3. *Vitia tenacius hærent quam virtutes.* Dicti huius Moralis veritas in corruptione humanæ naturæ fundatur, quæ, vt sic multò procliuior est, ad vitia, quam ad virtutes; & longè horum, quam illarum tenacior. Vnde etiam si beneficium alteri præstiteris facilè eius recordatio euanescit, sin autem in modico offenderis, ægrè admodum eius memoria obliteratur.

4. *Omnes homines vitijs nostris fauemus.*] Protulit hanc sententiam D. Hieronymus Epist. 147. verissimam sanè, & post lapsum parentis nostri protoplasti, hæreditaria quadam imitatione, hominibus propriam. Planè siquidem, *vsitatum generis humani vitium est*, (verba sunt Gregorij Magni lib. 22. Moral. cap. 9.) *latendo peccatum committere & commissum negando abscondere, & conuictum defendendo multiplicare: ex illo quippe lapsu primi hominis hæc augmenta nequitiæ ducimus, ex quo ipsam radicem contraximus culpæ.* Cum enim legem sibi positam primus hominum temerare esset ausus, confestimque audaciæ pœnas in corpore sensisset, aduenientes

Digitized by Google

omnium inſpectore Domino erubuit, fugit, latère voluit, qui non potuit, cumque admiſſi facinoris argueretur, tenuit cœptum, quod ſemel inceperat, ſui defendendi, & à ſe culpam amoliendi inſtitutum. Quid enim? *mulier*, ait, *quam dediſti mihi, ipſa dedit mihi* de ligno, & comedi. Sed & illa ſimiliter, quaſi eodem docta ludo: *Serpens*, inquit, *decepit me & comedi*. Gen. 3. capite.

TITVLVS XXV.

De nobiliſſima Virtutum Cardinalium Prudentia.

DISTINCTIO PRIMA.

Varia Prudentiæ acceptio & diuiſio.

1. PRudentia à prouidendo vel porrò videndo latinis dicta, primò accipitur generatim pro omni notitia veri; Secundo, propriè pro virtute proximè directrice morum; Quam definit Ariſtoteles 6. Eth. cap. 5. *Habitum agendi verâ cum ratione, circa ea, quæ homini bona ſunt vel mala*; Hæc diuiditur immediatè in *Perſonalem*, quâ quis in ſingulis actionibus ſpectat quid agere oporteat, proprium bonum intendens; & in *Gubernatricem*, cuius ſpecies ſunt, Oeconomica, Politica, Legiſlatrix, & Militaris. Perſonalis Prudentia abſolute, & ſimpliciter Prudentia dicitur, Gubernatrix non abſolutè, ſed cum adiuncto, vt Oeconomica, Ciuilis, &c.

2. Actus prudentiæ ſiue officia tria ab Ariſtotele numerantur 6. Eth. cap. 9. & 10. primum eius munus eſt bene conſultare, & inquirere media. Secundum bene iudicare de mediis inuentis; Tertium,

præcipere siue imperare, vt ea quæ iudicata sunt perficiantur; de singulis axiomata proponemus. De integrantibus autem prudentiæ partibus, & de subiectiuis, (vt & aliarum virtutum) distinctus Axiomatum titulus non proponitur; quia quoad rem cum ipsis virtutibus conueniunt. Vti etiam partes potentiales Prudentiæ, vt bene docet Lessius lib. 1. de Prudentia, cap. 2. dub. 3.

DISTINCTIO II.

De Prudentia absolutè.

1. PR*udentia primus est fons officij.* D. Ambrosius lib. 1. de Offic. cap. 27.] Vbi nomine officij intelligit omne opus honestum & bonum, sine prudentia enim neque iustitia, neque fortitudo, neque vlla virtus existere potest. Vnde in Euangelio vocari solet, *oculus* & *lucerna* corporis nostri, à quâ totum velut corpus virtutum debeat illuminari; ab Aristotele appellatur, ὄμμα τῆς ψυχῆς, id est, oculus animæ; quippè quæ intellectum rerum, quæ publicè priuatimque appetendæ aut fugiendæ sunt, ac delectum continet. Quod & Cicero testatur lib. 1. de Legibus: *Qui*, inquit, *exercuerit illam vt oculorum, sic ingenij aciem ad bona deligenda ac mala rejicienda, is prudentia prædituus est, quæ virtus ex prouidendo sic appellata est.*

2. *Prudentia est regula virtutum moralium.*] Istud commune pronuntiatum sumitur ex 2. Eth. cap. 6. Vbi prudentia collocatur in definitione virtutis moralis; eò quod omnes virtutes morales à prudentia dependeant tanquam generali regula, sinè

Digitized by Google

quâ nulla virtus moralis esse potest : Omnes enim virtutes morales regulantur & diriguntur à Prudentia velut regula & mensura sua : quia necesse est, actus voluntatis dirigi per actus intellectus sibi proportionatos, vt pluribus explicabitur Titulo *de Potentia Appetitiuâ*. Videri potest Lessius de Prudentia cap. 1. dubit. 2 n. 11. hinc etiam.

3. *Prudentia est forma virtutum moralium.*] Est commune axioma Philosophorum desumptum ex 6. Ethic. cap. vltimo : vbi Prudentia dicitur esse completiua virtutum moralium. Ratio illius est; quia ea virtus potest dici forma virtutum moralium, à quâ in illos deriuatur virtutum moralium formale principium, quo constituuntur formaliter in esse virtutis. Pro cuius explicatione notandum est, in virtutibus moralibus esse duo. Materiale & Formale ; materiale est inclinatio & appetitus ad passiones vel operationes, secundum certam rationem & modum ; & in Prudentia quidem est ipse actus rationis ; nempe, consilium, iudicium & præceptum : Formale autem est modus determinatus à ratione, vel vt inquit D. Thomas, *ordo Rationis*. Iuxta illud :

4. *Principium formale virtutis est bonum rationis.*] Traditur à Lessio loco citato, atque hoc principium primò reperitur in Prudentia, & ab ipsa deriuatur in morales. Nam dupliciter bonum rationis considerari potest ; primò, vt in ipsa rationis consideratione & operatione consistit, & sic constituit prudentiam : Secundo, vt ordo rationis circa aliquid aliud spectatur, & ita ab intellectu naturali, qui est in prudentia, vt est principium in principiato, deriuatur in appetitum & in operationes, vel passiones illius, dum ita sese habet, vt recta ratio præscribit. Atque hac

de causa, sicuti absque Logicâ, quæ Modus sciendi dicitur, aliæ scientiæ proprie dictæ obtineri perfectè non possunt; ita neque absque Prudentia cæteræ virtutes Cardinales. Imò quantus quisque in his est, aut esse desiderat, tantus omninò sit in illâ, simpliciter & absolutè necesse est; Cum hæ præsupponant illam in æquali inchoationis & perfectionis gradu.

5. *Prudentia est mater fortitudinis.*] Ita eam nuncupat S. Bernardus lib. 1. de Consideratione, vbi mox subiungens: *Bonus circuitus est*, inquit, *si Iustitia quærit, Prudentia inuenit, Fortitudo vindicat, Temperantia possidet, vt sit Iustitia in affectu, Prudentia in intellectu, Fortitudo in effectu, Temperantia in vsu.* Dicitur itaque prudentia mater fortitudinis (sicut eâdem ratione, dici potest cæterarum etiam mater virtutum moralium) quia sine ea nulla existit virtus: ea vero si adsit, progignit heroicos actus fortitudinis. Iuxta illud:

Prouida magnanimæ si adsit prudentia dextræ
Dic mihi quæ rerum pulchrior esse queat?

6. *Prudentia potest falli speculatiuè non practicè.*] Est commune axioma Philosophorum. Veritas eius patet exemplo; vt, v. g. si vir prudens iudicet, pauperem aliquem esse subleuandum, qui tamen reuera paupertatem simulat; illud iudicium practicum, quo iudicatur subleuandus, qui per aliud iudicium, licet falsum, morali diligentia adhibita, iudicatus est pauper, erit verum: sicut enim aliquid potest esse iucundum alicui in certâ dispositione quod tamen non esset in alia; ita fieri potest; vt aliquid sit alicui honestum, positâ aliqua circunstantia, quod tamen non esset illâ sublatâ, vt hîc accidit: posito enim illo errore speculatiuo, verum & rectum est iudicium practicum, quo iudicat talem pannosum esse subleuan-

dum. Videri poteſt Leſſius de Prud. cap. 1. dub. 1. n. 3. vbi id oſtendit exemplo Patriarchæ: de quo Geneſ. cap. 29. Ob hanc cauſam rectè à Galeno dictum eſt.

7. *Medicos oportet non tantùm eſſe prudentes, ſed etiam fortunatos.*] Licet enim prudentia in ſuo formali iudicio certa ſit, & nunquam errare poſſit: fieri tamen poteſt, vt in ipſo opere fallatur; quod frequenter contingit in Medicis, abſque culpâ quidem eorum: cum nimirum ſufficientem cautionem adhibuerint; Veruntamen non ſine detrimento patientis.

DISTINCTIO III.

Qui prudens dicendus? & quæ cuſtos Prudentiæ?

1. *NEmo eſt prudens, niſi qui eſt bonus.*] Hoc pronuntiato Philoſophus concludit caput 12. lib. 6. Eth. vbi varias adfert rationes; Iſtam ſub finem capitis. Ratiocinationes agendarum rerum, aliquod principium habent: hoc autem non niſi à bono viro perſpicitur: prauitas enim peruertit Iudicium, facitque vt circa principia rerum agendarum homo fallatur, nec veri finis bonitatem ſectetur; cum rectam electionem faciat virtus: Quare patet; prudentem neminem eſſe poſſe, niſi ſit bonus: rectè liquidem inquit Seneca, lib. de diſciplinâ.

2. *Bonam vitam ſcientia perfecta efficit.*] Intelligitur de bonitate morali, quæ à perfecta rerum agẽdarum & fugiendarum cognitione oritur; nam prudentia perfecta ſimpliciter, quæ hic nomine ſcientiæ intelligitur, trahit ſecum alias virtutes morales in

eodem gradu, vt loquuntur Philosophi: è contra verò vbicunque est defectus virtutis alicuius moralis; ibi etiam defectus est non prudentiæ modo; sed etiam scientiæ: Omnis enim peccans, est ignorans: vt explicabitur infra. In hanc sententiam Cicero l. 2. Tusculanarum Quæstionum inquit; *Sine prudentia ne intelligi quidem vlla virtus potest.* Contra verò: *Nullum numen abest, si sit prudentia*, vt habet Iuuenalis Sat. 10.

3. *Qui moderatur sermones suos doctus & prudens est.* Prouerbiorum 17.] Ex nulla re magis, ac linguæ vsu prudentia hominis vel imprudentia deprehenditur: nam & poma aurea in lectis argenteis, si quis loquitur verbum in tempore suo; & stultus etiam, si tacuerit, sapiens reputabitur: Quâ de causa viri prudentia ac rebus gestis illustres, quam diligentissimè moderationi linguæ advigilasse. Certè de Augusto refert Suetonius, neque in Senatu, neque apud populum, neque apud milites locutum esse vnquam, nisi meditata & composita oratione; quamuis non deficeret ad subita, ex temporali facultate: sermones quoque omnes grauiores, non nisi ex scriptis, & è libello habuisse, ne plus minusve loqueretur ex tempore.

4. *Custos Prudentiæ est Temperantia.* Sumitur ex 6. Ethic. cap. 5.] Vbi Philosophus inquit: *Temperantiam prudentię conseruatricem appellamus.* Ratio pronuntiati est; Quia virtus, quæ remouet, id, quod corrumpit prudentiam, rectè dicitur eiusdem conseruatrix; atqui temperantia remouet voluptates, & omnem luxuriam, quæ maximè inimica est prudentiæ. Iuxta illud:

5. *Intemperantia corrumpit æstimationem prudentiæ.* 6. Ethic. cap. 5.] Ratio est, quia prudentia consistit in bono rationis: atqui defectus rationis ma-

ximè oritur ex intemperantia ; præsertim verò ex luxuria, vt docet S. Thomas, & alij Theologi, ac Philosophi passim ex lib. 2. Ethic. cap. 9. vt videbitur infra, Titulo *de Temperantia* ; Cuius equidem virtutis hæc præcipuè facultas est, vt animus, extrita perturbationum vellicantium caligine, in seipsum conuersus veritatem clariùs intueatur; quoniam verorum omnium formæ, non quidem ingenitæ nobis, vt volebant Platonici ; sed sensim acquisitæ, serena mente nitidiùs promicantes prudentiam pariunt. Propterea rectè Plato Sophrosynem dici Temperantiam autumat, ὅτι σώζει τὴν φρόνησιν, quod Prudentiæ salus sit & conseruatio.

DISTINCTIO IV.

De Prudentia gubernatrice generatim.

1. PRudentia est virtus propria eorum qui præsunt. lib. 3. Politic. capite 3.] Nempe quoad vsum, & necessitatē præcipuam : *Reliquæ virtutes iis qui præsunt communes sunt cum illis, qui in eorum sunt potestate : in illo enim qui paret non necessariò prudentia : sed vera tantum eius opinio desideratur.* Vt inquit Aristoteles ibidem : at vero qui præest, sine veræ Prudentiæ forma nihil vnquam eximium rectè conficiet. Atque hæc causa est, quod Ægyptij olim in sceptro regio oculum suis hieroglyphicis designarunt, vt ostenderent in Rege aut Principe requiri Prudentiam, tanquam Reipublicæ vigilantem & prospicientem oculum. Quod enim est acies videndi in oculo,

hoc Prudentiæ est in animo, vt auctor est Sophocles. Cæterùm allata Philosophi verba intelligenda sunt de subditis qua subditi sunt; & de Prudentia, qua præcipiendi officio fungitur; siue de Prudentia gubernatrice, non verò personali. Si enim virtutes cæteræ subditis competunt, quomodo potest abesse virtus Prudentiæ? omnes siquidem virtutes sunt inter se connexæ & sine Prudentia ne intelligi quidem virtus potest; vt constat ex dictis.

2. *Virtutem perfectam habere debet qui imperat.* 1. Politic. cap. 8.] Recta siquidem ratio postulat, vt probitate emineat, qui dignitate? ideo Cyrus Rex, non censebat, cuiquam conuenire imperium, qui non melior esset ijs, quibus imperaret; vt de illo refert Xenophon, libro 7. Eâdem de causa Apostolus: *Oportet*, ait, *Episcopum irreprehensibilem esse*, &c. 1. ad Timoth. cap. 3. Item subditorum id conditio postulat, quibus pronum est, Principum suorum mores imitari.

3. *Beata est Respublica cui dominatur Princeps sapiens.* Plato lib. 6. de Republica.] Ratio est quia talis vigilanter solet, ad Reipublicæ gubernacula sedere, eamq; ad finem optatum & præfixum, id est, ad felicitatem dirigere: Finis namque Politiæ est feliciter viuere: vt docet Sanctus Thomas, contra vero: *Væ tibi terra*, ait Scriptura, *cuius Rex puer est*, Ecclesiastæ 10. vers. 16. Cæterum philosophia Christiana felicis Reipublicæ præsidium in eorum sapientum regimine ponit, qui diuinæ legis, ac voluntatis scientiam, velut felicis imperij ducem, ac potestatis suæ regulam recipiunt; adeoque sic imperant, vt humanæ Prudentiæ non æquo plus immixi, diuinæ potissimum sapientiæ consilia sequantur Deus enim est, per quem Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt.

4. *Integritas præsidentium salus est subditorum.*] Nempe causatiuè & occasionaliter; non verò formaliter. Nobile istud pronuntiatum habet sanctum Tridentinum Concilium sessione 6. cap. 1. de Reformatione, vbi docet: hanc ob causam perfectam Ecclesiæ & vniuersæ Reipublicæ Christianæ reformationem incipere debere ab ijs, qui ad gubernacula sedent: eò, quod illis reformatis, subditi faciliùs reformentur: Nam dicitur Eccles. 10. vers. 2. *Secundum iudicem populi, sic & ministri eius, & qualis Rector ciuitatis, tales inhabitantes in ea*: quia enim vita Regum & Principum, ac generatim omnium Prælatorum, in edito & perillustri loco sita est, præbetque sese spectandam omnibus; & quia procliue est, vt subditi magistratus sui mores imitentur, ordinariè videre licet, in populo virtutum regiarum, vel etiam vitiorum simulacra; omnes siquidem gloriantur & honori sibi communiter ducunt, ijsdem cum Principe suo moribus & coloribus imbui; quo magis in eius sint gratia & fauore. Notum illud vetus Lucilij:

5. *Præsul vt ampijruat, sic vulgus redandruat ipsum.*] A Salijs voces istæ desumptæ sunt, quorum Præsul inter saliendum motus edebat, qui ab aliis referebantur; illud ampijruare, hoc redandruare dicebatur, vt inquit Turnebus, commentarijs in Varronem. Quare summo semper studio enitendum Præsulibus est, vt dicta factaque eorum omnia eiusmodi sint, quæ non laudem modò, atque auctoritatem pariant; sed familiares & populares ipsos ad virtutem excitent; siquidem vt præclarè Claudianus in quinto consulatu Honorij:

6. *Componitur orbis, Regis ad exemplum.*] Vti in bonum; ita etiam ac longè proniùs in malum. Vnde verissimè Tullius lib. 3. de Legibus: *Non tantum,*

Digitized by Google

inquit, *mali est peccare Principes, quamquam est magnum per seipsum malum, quantum illud quod permultis imitatores Principum excitantur*: Neque enim solum vitia concipiunt ipsi Principes, sed ea plerumque infundunt in ciuitatem plusque exemplo quam peccato nocent. Causam assignat idem in epistola quadam ad Seuerum Sulpitium; quia vulgo:

9. *Quod exemplo fit, id etiam iure fieri putant.* Libro quarto ad familiares, epistola 3.] Imò, vt inquit, Quintilianus declamatione 4. Hæc conditio Principum est, vt quidquid faciant præcipere videantur. Ostendi hoc posset inductione magistratuum siue secularium, siue Ecclesiasticorum. Plurima siquidem huiusmodi exempla, in historia sacra iuxta ac profana, noua ac veteri, passim sunt obuia: Claudianus loco citato:

Nec sic inflectere sensus
Humanos edicta valent, quam vita regentis
Mobile mutatur semper cum mobile vulgus.

8. *Simia est in tecto, fatuus in solio.*] Sanctus Bernardus lib. 2. de considerat. ad Eugenium Papam, vbi rem explicat his verbis: *Audi nunc canticum meum, & quidem minus suaue sed salutare. Monstruosa res est, gradus summus, & animus infimus; sedes prima, & vita ima: Lingua magniloqua & manus otiosa, vultus grauis & actus leuis: ingens auctoritas & nutans stabilitas; admone speculum, fœdus se in eo vultus agnoscat: tu gaudet tuum dissimilem inuenire.* Hæc S. Bernardus ex quibus apparet, quod sicut monstra naturæ appellantur, quæ à sua specie notabiliter degenerant, vt si humano capiti ceruix addatur equina: ita sunt mõstra Reipublicæ, qui in excelso & illustri loco collocati, vitam ducunt abiectissimorum, defœdantes dignitatem suam maculis vitiorũ, quæ eo sunt turpiores, quo cadunt in vestem pretiosiorem.

DISTINCTIO V.

De Prudentia militari.

1. *Boni duces bonos creant milites.*] Dicti huius ratio eadem est quæ præcedentium. Quod enim de Prælato vel Principe in genere dicitur, idem etiam Duci militari, & alij cuicunque magistratum quempiam gerenti potest accommodari. Traditur autem à Plutarcho in vita Lycurgi, vbi inquit: *Populus vt dicte audiens sit, hoc discit à Principe; siquidem Dux bonus bonum reddit Comitem:* est in hanc sententiam illud Luciani; *Magnos tolerare labores, magna Ducis cogit virtus.*

2. *Gubernatio bona plura requirit, quam leges & litteras.*] Sumitur ex 3. Politicorũ, capite tertio, vbi ait Philosophus, Gubernationem optimam non esse per leges & litteras tantum; sed oportere gubernantibus rationem adesse vniuersalem; id est, perfectam Prudentiam. In eandem sententiam decimo Ethicorum, capite vltimo dicit, eos qui Rempublicam tractant, potentia id agere & experientia potius, quam mente vel scientia; valet hoc pronuntiatum in eos, qui cum deberent, politica, vel militaria Regni negotia tractare; toti se litteris vel alijs etiam inutilioribus immergunt occupationibus.

3. *Melior est exercitus Ceruorum, duce Leone quam Leonum, duce Cerua.*] Ita pronuntiauit Chabrias, vt in confirmationem symboli Marci Aurelij Cari refert Nicolaus Reusnerus, symbolorum Imperatoriorum classe primâ, symbolo quinquagesimo quarto. Significat autem, maximam in bellis vim habere, strenui Campiducis industriã, ac fortitudinẽ;

adeò vt totus ferè successus atque victoria ab eo dependeat. Etenim militaris sine duce turba, corpus est sine spiritu, vt scribit Curtius, vel vt auctor est Epaminondas, bestia sine capite. Vtitur hoc dicto Lessius, lib. 13. de Perfectionibus Diuinis, cap. 10. vbi docet regna Christianorum ingenti sæpe clade puniri, eò quod protectio & gubernatio diuina quæ Angelorum tutelarium ministerio impendi solet, exigentibus id hominum peccatis, subtrahatur: hostes verò, vt Turcæ hæretici, &c. iuuentur à dæmonibus, abiisque tanquam ducibus dirigantur & animentur.

4. *Tanti exercitus est, quanti Imperator.*] Verè id ab Antiquis prædictũ esse, inquit Florus in vita Scipionis, vbi studio periti ducis, redacto in disciplinam milite, commissam esse aciem scribit; quodque nemo se vnquam visurum sperauerat; factum esse, vt fugientes Numantinos quisque videret: & de Coriolano, ex Romano Volscorum Duce loquens, *Facilè apparere*, inquit, *Ducibus validiorem, quam exercitũ rem Romanam esse.* Et alibi; *Facilè conuenisse, inter Romanos Latinosque, vtrius partis Lucius Manlius dux fuisset, eius futuram haud dubie victoriam.*

5. *Nemo bene imperat, qui nunquam sub imperio fuit.*] Sumitur ex lib. 3. Politicorum cap. 3. vbi Philosophus docet, non contingere, vt bene aliquis principatum gerat, nisi prius sub alterius potestate fuerit; ac proinde, lib. 7. Politicorum à bono Principe requirit, vt aliquando fuerit subditus. Ratio effati est, quia nemo præesse nouit, nisi cognitum compertumque habeat, quid sit subesse; hoc autem debuit, qui præest (verba sunt Arist. loco citato:) tum, cum alteri parebat, discere; veluti præesse equitibus, qui præfecto Equitum subfuerit; & Imperatorium munus

rus ſuſtinere, qui Imperatori paruerit, & qui ita ſubeſſe didicit, didicit ſimul præeſſe: præeſſe enim, & ſubeſſe correlatiua ſunt; ac proinde quoad cognitionem, à ſe mutuo dependent.

6. *Nihil arma foris, niſi ſit conſilium domi.*] Prudentia militaris duabus veluti manibus omnia ſua opera perficit; Ratione ſcilicet prudentiali & robore: ratio vim occultam, robur apertam continet; Quarum quidem tanto inferior eſt iſta; quanto corpori antecellit animus. Etenim à conſilio ſiue ratione prudentiali omnis armorum pendet fœlicitas. Conſule, ſi placet, ſymbolum Rodulphi Primi. n. Symbolorum Imperatoriorum claſſe 3. n. 16. Innuit autē Pronuntiatum, Reſpublicas bene conſtitutas, ſi aut armorum robore, aut prudentiæ virtute deſtituantur, eſſe quaſi corpora manca, & altero brachiorum truncata.

7. *Imperator bonus, & idem robuſtus miles.*] Sumptum ex illo Iliadis γ.

Αμφότερον βασιλεύς, τ' αγαθὸς φοβερός τ' αιχμητής.
Dux bonus ac miles præpollens viribus idem.

Cui verſui inter omnia omninò Homeri carmina, palmam tribuit Alexander M. cum aliquando in conuiuio propoſitum eſſet, quiſnam ex verſibus Homericis maximè probandus videretur; vt refert auctor in commentario de fortuna Alexandri. Siue Plutarchus ille ſit, ſiue quicunque alius. Monet pronuntiatum, boni Principis eſſe, non verbo tantum, ſed ſuo etiam ſubditis præire exemplo. Etenim militum animi, non mediocriter accenduntur viſo in acie Imperatore, vt pluribus locis auctor eſt Liuius: cuius è contra aſpernati faciliùs ſolent ſegne imperium.

DISTINCTIO VI.

De eâdem & Politicâ, & quæ virtus vtrique amica sit, Quid inimicum.

1. PRinceps se habere debet ad subditos, sicut Pastor ad oues.] Sumitur ex libro nono Eth. cap. 11. & ex primo Dialogo Platonis de Republica, vbi docet; Sicut Pastor, qua Pastor, curat gregem ad ipsius gregis vtilitatem, non suam; id enim agit, vt id, quod custodit, quàm rectissimè habeat; sic eum, qui hominibus præest, nihil aliud propositum habere, quam eorum bonum, qui sub ipsius imperio sunt: ita nihilominus, vt locum habeat istud:

2. *Boni Pastoris est, tondere oues, & non deglubere.*] Ita Tiberium Cæsarem rescripsisse Ægypti Prætori grauia subditis vectigalia imperanti, auctor est Suetonius. Sumitur autem ex loco Platonis citato. Ad pleniorem huius & superioris Pronuntiati declarationem spectat diuisio illa duplicis Principatus 3. Polit. cap. 4°; Prioris quidem dominatiui, cuius natura est, vt Dominus præcipuè ac per se vtilitati studeat; subditorum autem per accidens; vt nimirum eorum vtilitas ipsi quoque domino vtilis sit: Posterioris Oeconomici, vt Patris in liberos, &c. in quo contra superiorem, subditi commoda per se procurat, sua ex accidenti; propterea quod ita fortasse cõtingat, vt eadem sibi quoque commoda sint; quomodo Gubernator nauis primo quidem ac præcipuè vectorum saluti consulit; suæ verò ex accidẽti: Quoniam ipse quoque ex ijs vnus est, qui naui vehuntur. Hæc ibi Aristoteles ferè ad verbum. Prior dominatus ordinem dicit ad seruos, posterior ad sub-

ditos liberos. Cæterum hæc comparatio Principis cum Pastore, non solum significat, eum debere esse eximiæ clementiæ & beneuolentiæ in populos, quos regit; sed etiam par esse, vt prudentia, & alijs virtutibus, sic inter eos emineat; vti homines ratione præditi inter greges ouium, quas pascunt. Ex quo sequitur, vt Nero, Vitellius, Heliogabalus, & alij eorum similes, non Pastores, sed lupi, vel vrsi, aut canes rabidi dici potuerint, vt notant historiographi.

3. *Apum reges aculeum habent, sed eo non vtuntur.*] Aristoteles de histor. Animalium, lib. 5. cap. 21. vbi addit quosdam existimasse eos carere aculeo, eò, quod ferire non soleant? Admonet hoc dictum, minus decere Reges ac Principes, vt si subditi in aliquo delinquant, sua ipsi manu eos puniant; præsertim cum id per subordinatos officiales commodiùs fieri possit.

4. *Apum Principes minimè irritantur & feriunt.*] 9. de historia Animalium cap. 40.] Monentur hoc morali dicto, omnes qui magistratum gerunt, suum id decere statum, vt maiore patientiæ laude conspicui sint, minusque ad Talionem reddendam parati, quam reliquum vulgus. Pulchrè Seneca: *Regnare qui vult, languida regnet manu.*

5. *Imperia crudelia magis acerba sunt, quam diuturna.*] Refertur à Carolo Scribanio in Politico-christiano, lib. 2. cap. 8. Neque enim quisquam à multis metuendus est, in quem non à multis formido recidat, & ferè semper cædem cæde, sanguinem sanguine expiatum esse tradunt historiæ; siquidem æternæ veritatis sententia est; *Omnes, qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Math. 26. vers. 52.

6. *Nihil tam vtile, quam amari.* Et,

7. *Nihil tam inutile, quam odio haberi.* S. Ambrosius lib. 2. Offic.] Ostendit hoc vtroque dicto

S. Doctor, maximopere curandum esse ijs qui imperant, vt amentur potius, quam timeantur: Si enim gubernator ametur à subditis; illi & obedientes erunt, & fideles ac fortes in obsequio atque constantes: Sin autem ita se gerat, vt odio ab ijs meritò haberi possit, nil arduum cum ijs prosperè conficiet. *Accipe*, ait S. Augustinus tract. 7. in epist. S. Ioannis, *breue præceptum. Dilige, & quod vis fac, si emendes, dilectione emendes; si parcas, dilectione parcas; radix sit intus dilectionis, non potest de ista radice nisi bonum existere; nec solum tibi erit bonum; sed ijs etiam, qui tibi sunt coniuncti*: Nam omnia illis erunt grata & vtilia: cum vident esse cum amore coniuncta. Quin & vitia virtutum propè nomen subeunt, si ameris; sicut è contra tantum odia possunt; vt virtutes etiam vitiorum imaginem sortiantur. In eandem sententiam Seneca:

8. *Vnum est inexpugnabile munimentum amor ciuium.*] Lib. 1° de Clementia cap. 19. *Non opus est*, ait, *instruere in altum editas arces, nec in ascensum arduos colles munire, nec latera montium abscindere, multiplicibus se muris turribusque sepire salutem Regem in aperto, clementia præstabit.* Quis enim huic audeat aliquid struere mali, qui viuit optantibus cunctis, vt quod illi contingit, sibi quisque euenire deputet, vt nihil cuiquam tam pretiosum sit, quod non salute præsidij sui commutatum velit: Est in hanc sententiam symbolum M. Aurelij Antonini Philosophi: *Regni clementia custos*, de quo videri potest Reusnerus classe prima, num. 18.

9. *Necesse est multos timeat, quem multi timent.*] Est hoc dictum Laberij Equitis Romani, de quo videri potest Cicero lib. 2. Officiorum, vbi cum plura in eandem sententiam dixisset, tandem subiungit, *nulla vis imperij tanta est quæ premente metu possit esse*

diuturna. Cuius ratio est illa quam in illo Hemistichio posuit Ouidius: quia,

Quem metuit quisque perire cupit.

Positam prius ab Ennio, cum ait, *quem metuunt oderunt; quem quisque odit periisse expetit.* Qua de causa Tyrannis nulla sine metu ac tumultû animi, dies aut nox abit; nullus non suspectus cibus, nullus somnus imperterritus; dum vbique ceruicibus impendentem vident mucronem; quem amico opes fortunasque suas miranti non ineptè monstrasse traditur Dionysius Tyrannus ille quidem; sed tyrannidis æstimator acutissimus.

10. *Regis obiectum est honestum, Tyranni quod placet.* 5. Polit. cap. 10.] Rex enim ex officio quærit communem patriæ tranquillitatem & pacem ac prosperitatem, quæ cum honestate coniuncta est: Tyrannus vero omnia brachio gladioque metitur, ac ius fasque contemnens, hostem se exhibet naturæ cunctorum.

11. *Reges volentibus, Tyranni dominantur inuitis.* 3. Polit. cap. 10.] Ratio huius & explicatio patet ex dictis; quia scilicet Reges, vtpote boni communis procuratores amantur à suis & proteguntur: at vero Tyrannos vtpote libertatis publicæ euersores nationes sponte non ferunt; distinctione tamen opus est etiam inter illos; nam

12. *Regum omnium non vnus est modus potestatis.* 5. Polit. cap. 10.] Et quidam maiori clementia quam alij prudentiaque regni negotia administrant: aliqui etiam hostilia subinde faciunt, vt Plinius inquit in Panegyrico. Quare mirum non est, aliquos minus amari, alios etiam timeri. Vide si libet plura apud Commentatores Politicorum Aristotelis.

DISTINCTIO VII.

De Prudentia gubernatrice œconomica.

1. *Economica prior est quam Politica.* l. 1. Oeconomicorum cap. 1.] Ratio est, quia ad hanc ordinatur illa, vti pars ad suum totum. Pars enim ciuitatis domus est, & Reipublicæ res familiaris, vt docet Aristoteles ibidem. Vnde sicuti Prudētia personalis præcedit Oeconomicam; ita hæc præsupponitur à Politica. Ea de causa Apostolus 1. ad Timotheum cap. 3. inter alias Episcopi conditiones, requirit versu 4. vt domi suæ bene præsit. Ex aptitudine enim & dignitate regiminis Oeconomici sumitur iudicium de aptitudine ad regimen Politicum & Ecclesiasticum. Nam qui domum suam bene moderatur, signum est, quod idem bene reget Ecclesiam, vel aliam Rempub. Et, *qui domui suæ præesse nescit*, inquit ibidem versu 5. *quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit.*

2. *Dominus qualis sit familia ostendit.* Sumitur ex 1. l. 1. Oeconomicorum cap. 6.] Veritas illius & experientia quotidiana, & communi hominum testimonio comprobatur. Ratio iam supra est explicata; quia nimirum vti Regis ad exemplum orbis componi dicitur; ita dominorum suorum mores pronum est domesticos imitari: ac proinde qualis dominus talis & seruus, ac tota illius solet esse familia.

3. *Oculus Domini pascit equum.* 1. Oecon. cap. 6.] Indicatur hoc dicto, vigilantiam & præsentiam Domini plurimum habere momenti ad rem gerendam. Huic conforme est, quod dicit, *Spiritus sanctus*,

Prouerb. 20. versu 8. *Rex qui sedet in solio iudicij dissipat omne malum intuitu suo*: vt enim ait S. Augustin. l. de correptione & gratia, cap. 13. *Ita verò quod malum est respicit, vt nullus in eius conspectum audeat illud facere.* Eodem modo oculus Regis, qui bona suorum omnium attendit, illos facit bonos, & eosdem reprimit ne mali fiant. Nam,

4. *Magistratuum præsentia veram gignit reuerentiam.* 7. Polit. cap. 12. Neque verò sola vultus asperitas à peccandi licentia subditos auertit; sumunt etiam suo tempore vindictam ac puniunt delinquentes, vt ceteri alieno cautiores fiant periculo.

5. *Impossibile est, non diligentis domini, seruos esse diligentes.*] Nempe moraliter, & secundum communem vitæ humanæ vsum; non autem purè naturaliter & physicè. Vt per se est manifestum. Sumitur ex 1. Oeconomicorum cap. 6. vbi addit, *Dominos debere ante lucem surgere. & prius expergisci, & posteriùs in cubile se quam seruos*; ratio patet ex dictis.

6. *Viri est acquirere diuitias, fœminæ conseruare.*; Polit. cap. 5.] Vbi ex eo probat, rationem tuendæ rei familiaris, aliam esse viri, aliam mulieris. Addit ibidem: Virum ignauum haberi, si vt mulier est, sic fortis sit: At mulierem secus ac debet facere, si ornata ac venusta sit, vt vir bonus. Intellige pronuntiatum secundum leges Oeconomicæ communes & secundum potiora vtriusque coniugis munia. Nam & fœminam pro statu suo aliqua posse colligere, dubium non est; Et patrem familias non modo quærere posse conuenit; sed etiam quæsita tueri, vt docet Aristoteles lib. 5. Oeconom. cap. 6. initio. De Prudentia Legislatrice commodiùs agetur, Tituló *de Legibus.*

DISTINCTIO VIII.

De primo officio Prudentiæ, quod est, bene consulere.

1. PRoprium *Prudentis est bene consulere.* 6. Ethic. cap. 5.] Ita quidem, vt soli & omni cõueniat. Ratio est, quia omnis ac solus qui habet rectam rationem agibilium, potest esse bonus consiliarius, siue bene consulere; sed omnis & solus prudens habet rationem agibilium: hæc enim ratio nihil aliud est, quam ipsa Prudentiæ definitio; vnde etiam Aristotelis testimonio, eodem cap. 6. Prudens non malè definitur, qui ad consulendum est idoneus, tanquam à proprietate, soli omni & semper conueniente; quo pertinet illud Senecæ: *Sine Prudentia nullum iniit Consilium.* Epist. 66. & 85.

2. *Consilium non est de præteritis.* 6. Eth. c. 1. & 5.] Sicuti neque de impossibilibus, aut de ijs, de quibus aliquis desperat, 2. Rhet. cap. 5. Imprudenter itaq; agunt, qui cum aliquid infelici successu peregerunt, molesta sese circa illud cogitatione fatigant, & cum Phrygibus sapientiam colunt: fit tamen id sæpius, & naturalis hominum inclinatio suopte pondere in præteritorum potius, quam futurorum considerationem impellit: Nam vt rectè Curtius lib. 7. *Malè humanis ingenijs natura consuluit. Quod plerumque non futura, sed transacta rependimus.* Ratio effati est, quia quod factum est infectum fieri nequit; ea enim quæ præterita sunt, in fatalem transiere necessitatem, quæ immutari non potest, iuxta illud: *Ad præteritum non est potentia.* De quo suo loco: Consilium autem de ijs institui solet, quæ in nostra sunt potestate, &

fieri à nobis vel omitti possunt.

3. *Facilè decipitur, qui respicit ad pauca.*] Monet effatum in capiendis consilijs, non quæ, primâ fronte occurrerint, mox esse amplectenda ; sed multa oportere considerari : præsertim in negotijs grauioribus & publicis à quibus salus multorum & incolumitas dependet. Qua etiam de causa monent sapientes, inconsultum videri, in huiusmodi, vnius tantum alterius ve consilijs vti : vix enim par esse omnibus vnus ad consilium potest. Consule, si placet, symbolum Cæsaris Gordiani, quod sic habet : *Princeps miser quem latet veritas*, classe 1. Symb. Imperat. n. 36.

4. *Gladiator in arena consilium capit.*] Monet adagium re nata capiendum aliquando & mutandum consilium, animumque sumendum in medijs periculis. Iuxta illud Senecæ : *Vir fortis non est, cui non crescit animus in ipsa rerum difficultate* : Fit autem id habitu Prudentiæ militaris, aut fortitudinis, aut alterius virtutis, potius quam fortuitò ; aut noua electione; Iuxta illud : *In repentinis actio fit ex præexistente habitu* : quia nimirum in huiusmodi subitis euentibus, minima datur longæ consultationi & inuentioni occasio, vt notat Aristoteles 3. Ethic. c. 8. Vnde desumptum est istud :

5. *Turpe & muliebre est dicere non putabam.*] Pronuntiatum hoc, quod in omni negotio locum habet. Valerius Maximus lib. 7. rei militari accommodat; quia *explorato & decusso*, vt inquit, *consilio, quæ ferro aguntur administrari oportet : Inemendabilis enim est error qui violentia Martis committitur.* Quamquam non ita perpendi omnia ac prouideri solent, vt semper consilijs prosper respondeat euentus : Sexcenta enim in fortuitis occurrere possunt discrimina, quibus consilia etiam prudentissima euer-

tantur. Vnde rectè dictum est istud:

6. *Consilij vim nescit, qui iudicat ex euentu.*] Id quod in omnibus alijs, tum verò bellicis negotijs, quam maximè manifestum est; Quorum ea sunt vicissitudines, vt ad victos sæpe redeat victoria, & qui nunc fortè falluntur, prosperam mox fortunam sortiantur. Ideoque etiam rectè dicit Cæsar lib.7. de Bello Gallico: errare eos, qui in bello, secundos omnes expectant euentus, & Poëta:

Careat successibus opto
Quisquis ab euentu facta notanda putet. Et

7. *In bello paruæ res magnum in vtramque partem momentum habent.* Cæsar. lib.3. belli Ciuilis, n. 445.] Difficillimum autem est, minutissima quæque prospicere. Itaque imprudenter agunt, qui prudentiam aliorum & consilia ab euentu metiuntur. Et ferè id commune plebeiorum ingeniorum vitium est; vnde non rarò eadem facta nunc sapientiæ ac roboris, nunc furoris ac temeritatis nomen accipiunt. Dictum pronuntiatum iisdē pene verbis refert Liuius. *In bello nihil tam leue est, quod non magna interdum rei momentum faciat.* Decade 3. lib.5. sub initium oppugnationis Capuanæ, vbi ex vno duello exercitum Romanum fuisse scribit animatum.

8. *Facile bellum sumitur, at ægrè consummatur.*] Pronuntiatum illud sumptum est ex Sallustio, de bello Iugurthino; Vbi omnia ait facile bella sumi, cæterū ægerrimè desinere; eoquòd non ab eiusdem potestate initium belli & finis sit, incipere enim cuiusvis etiam ignaui est; deponere vero cum victores velint.

9. *In via præcipiti periculosus est lapsus.*] Indicatur hoc dicto cautè & dextrè procedendum in rebus arduis, & nullo modo tutum esse labi, si enim vel semel erretur actum est de summa rei sæpe, nec da-

tur secundo errori locus; Patet id vel maxime in publicis Campiducum ac Principum negotiis, vbi sæpenumerò vel vnica cessatio, semelve præcipitatum consilium summas rerum omnium ruinas secum trahunt.

10. *Malo nodo malus quærendus est cuneus.*] Docet hoc dicto S. Hieronymus, ad Oceanum, licere subinde quid, pro quo, siue par pro pari rependere, & *cum vulpe*, vt dici solet *vulpinari*? cum astutis agere astutius, & cum care carizare? cum rustico rusticari, &c. non tamen est licitum, *cum Cretensi Cretizare*? aduersus mendacem vti mendacijs, aut aliud quodvis malum simili malitia rependere; quia hoc perfectioni Christianæ repugnat ac legibus cauetur; neque id voluit S. Doctor, etsi nonnulli eum ita similtèr interpretentur. Iuxta hanc sententiam verum quoque est istud: *Nunquam periculum sine periculo vincitur*; & ille Galeni Aphorismus; *Immoderatum ab immoderato contrario ad mediocritatem redigitur.* In arte medicinali cap. 8. 9.

11. *Facilè cum valemus recta consilia ægrotis damus.* Terentius in Andria.] Valet hoc dictum in eos, qui aliis in necessitate prospiciunt: sibi ipsis vero non item; id quod frequenter accidit: *Nam, admonendo sapimus omnes*, verùm vbi peccauimus ipsi proprios non videmus errores.

12. *Consilij non fraudulenti nulla est obligatio.*] Refertur hoc dictum ex Vlpiano lege 30. ad edictum, inter Regulas antiqui iuris, Regula 47. vbi additur, *Si dolus & calliditas intercessit de dolo actio competit*; Ex quo facilè intelligitur quo sensu accipiendum sit Pronuntiatum.

13. *Malum consilium consultori pessimum.*] Ratio, quia non solum eodem præcepto, quo quis tenetur, nihil contra aliquam virtutem sciens

Digitized by Google

facere, eodem tenetur, nihil contra illam suadere, aut docere; ita vt si suadeat falsum, sciens in materiâ Fidei vel Temperantiæ, v. c. peccet contra illas virtutes; cum non minus sit contra rectam rationem in malum scienter alterum inducere, quam facere: verum etiam quando fraude vtitur; id est, quando scit vel dubitat se malè docere, & alterum ex simplicitate decipi inuitum, peccat contra iustitiam. Sicut enim quisque habet ius, ne ab alio lædatur in corpore; ita etiam ne in anima lædatur errore, vt docet D. Thomas 1. 2. q. 6. art. 3. & 8. Atque has ob causas iusto Dei iudicio, quoad externa etiam incommoda, & sinistros euentus ferè ordinariè.

14. *Malum consilium in auctorem redundat.*] Sic Perillus artifex tauri Phalaridis, primus in eo mugijt: idemque Phalaris in eodem denique crematus est, Choroebus Æneidos lib. 2. primus auctor doli in armis & insignibus mutandis, primus non sine causa interimi dicitur. Similia passim sunt obuia.

15. *Consilium mulierum ἄκυρον.* 1. Politic. cap. 8. & 13.] Id est, inualidum & sine auctoritate, nempe communiter. Huc respexisse videtur Tacitus l. 14. Annal. vbi ait: *Plerumque muliebre consilium esse decretum.* Ratio, quia mulieres multum obnoxiæ sunt motibus & perturbationibus animi, quibus bona consilia vitiantur. *Varium enim & mutabile semper fœmina*, vt rectè cecinit Virgilius. Huc facit illud, ad Timoth. 2. versu 12. *Docere mulieri non permitto, dominari in virum*: vbi textus Græcus habet; οὐδὲ αὐθεντεῖν ἀνδρός? neque auctoritatem vsurpare viri; hac de causa, iuxta commune prouerbium ex iam citato capite desumptum:

16. *A mulieribus non regitur ciuitas.*] Traditur expressè regula 2. iuris antiqui, qua fœminæ & à magistratu gerendo, & ab omnibus officijs publicis

remouentur. Ratio est, quia & fortitudo illis & constantia atque prudentia deest, &, vt rectè Tacitus lib. 3. Annal. *Non imbecillus tantum & impar laboribus hic sexus; sed etiam si licentia adsit sæuus & ambitiosus.* Item,

17. *Inferiora reguntur à superioribus.* Traditur à D. Thoma lib. de Regimine Principum cap. 1. & sumitur ex lib. 1. Meteororum cap. 2. Ita si quidem diuina prouidentia disponit omnia suauiter, infima per media, media per summa, ad suos fines cuncta perducens. Hinc in Angelis vnius Hierarchiæ ad aliam subordinata series, hinc cælestium & omnium aliorum corporum naturalium certis locis ac sedibus inter se dispositio; vt superiorum influxus in inferiora rectè dispensentur. In vno etiam homine anima regit corpus, & inter potentias animæ, inferiores subordinantur superioribus, vt appetitus rationi: At verò masculinum genus naturaliter dignius est, fœmineo vt docet Aristoteles l. 1. Politic. cap. 8. vbi habet illa verba: τὸ τι γὰρ ἄρρεν φύσει τῆς θήλεος ἡγεμονικώτερον? nam quidquid masculum, id naturâ magis factum ad imperandum quam fœmineum: Verum hæc omnia non intelligas de illis, *quæ curis virilibus, fœminarum vitia exuerũt*, vt bene Tacitus lib. 6. Annalium.

18. *Superbiæ est, nunquam mutare velle consilium.* Traditur à Seneca l. 4. de Beneficiis cap. 34. circa medium.] Commendari solet in consiliarijs & consultoribus, vt simultatem deponant & omnem affectum, ac humilitatem docilitatemque præferant, ad iudicium suum corrigendum, & aliorum consilia sequenda; cum cognouerint illa esse meliora. Id enim non leuitatis; sed prudentiæ ac discretionis indicium est: imò ingentis est superbiæ, si nunquã velit homo, quod semel fecit emendare, aut iudicium

Digitized by Google

& consilium mutare; neque in vlla re magis eluxit S. Doctoris Augustini sapientia & humilitas; quam quod aliqua retractauerit, eorum quæ prius scripsisset. Idem laudabiliter fecit Robertus Bellarminus, in editione vltima suorum operum.

DISTINCTIO IX.

De secundo officio Prudentiæ, quod est bene iudicare & eligere.

1. *NEmo bene iudicat in causa propria.* Sumitur ex lib. 3. Politic. cap. 12.] Vbi Philosophus inquit: *Ægrotantes medici alios ad se medicos vocant, & magistri palæstræ alios magistros, quasi nequeant verum discernere, qui de proprijs iudicant; & in affectu constituti sunt.* Veritas huius dicti patet, cum in omnibus alijs, tam clarissimè in ferendo iudicio de propriis animi defectibus. Ratio est; quia amor proprius excæcat mentis oculum, ne quis se ipsum plenè cognoscat; & voluntatem emollit, vt nimium sibi placeat, & compatiatur. Quamobrem negligit sæpe homo curare vitia, quia ea non agnoscit, eaque quæ in se nouit emendare negligit, ne conuenientia media, eoquòd amara sint applicare oporteat. Ideo vtilis est animæ medicus, qui non habens tale impedimentum, circa res nostras, habet oculos ad nos cognoscendos, & efficacitatem ad nos curandos. Itaque verum est effatum quoties in rebus propriis homo iudicat, ex amore proprio, aut alio quouis inordinato affectu. Alioqui:

2. *Nemo est, qui sibi sapientiùs suadere possit, seipso.*] Cicero ad Curionem, si nimirum prudens aliquis sit,

& propriæ cauſæ ſtatum perfectè intelligat, & abſque inordinato affectu agat, ſed quia hoc rarum eſt, & plerique in cauſa propria cæcutiunt; ideo verius manet, & ſæpius locum habet effatum præcedens, & quod ſequitur:

3. *Securius eſt accipere conſilium quam dare.*] Intelligendum eſt iuxta ſenſum Axiomatis præcedentis: vtitur hoc diuerbio illuminatiſſimus Vir Thomas de Kempis lib. 1. de Imitatione Chriſti, c. 9. vbi ex illo Lectori perſuadere intendit, vt ſuo ipſius ſentire, licet bonum videatur, non nimium adhæreat, & aliorum conſilia libenter audiat. Eadem de cauſa in omnibus negotijs propriis, ſiue interna ſint & ſpiritualia, ſiue externa & temporalia, cenſent ſapientes, prudentis eſſe ſua minimè prudentiâ fidere, iuxta illud; Ne *innitaris prudentiæ tuæ.* Prouerbiorum 3.

4. *Electioni aduerſatur cupiditas.* 3. Ethic. c. 2.] Nomine cupiditatis intelligitur hic, quæuis inordinata animi paſſio, ſiue illa proſecutionis ſit, ſiue auerſionis actus: omni enim huiuſmodi affectuum genere voluntas à recti proſecutione, ac ratio à perfecta veri cognitione retrahitur & impeditur: Hinc monent ſapientes, ad electionem de quapiam re rectè faciendam, neceſſarium comprimis eſſe; vt animus ab omni in hanc vel illam partem inclinatione purgatus, quaſi in æqualibus conſtituatur. Sic enim omnibus bene conſideratis, faciliùs in eam partem feretur, quæ propoſito fini magis videtur accomodata.

5. *Id magis eligendum eſt, quod melior diſciplina præcipit eligendum.* 1. Top. cap. 2.] Vt quod Moralis Philoſophia, quam quod Medicina; & quod ſacroſancta Theologia, quam quod Politica præcipit, cæteris ſcilicet paribus.

6. *Id melius est, quod magis eligit Prudens.* Ibid.] Nempè, qua ratione talis est, vt curare magis æterna, quam quæ labuntur, cum tempore: velle potiùs iniuriâ affici, quam afficere, permittere minora quædam mala in Republica, ne maiora eueniant: & ita in aliis.

7. *Cuius consequens est maius bonum id potius est eligendum.* 3. Top. cap. 2.] Cæteris nimirum paribus, & habito respectû personarum & aliarum circunstantiarum; vt Consilia Euangelica cum præceptis communibus seruasse in hac vita; quam præcepta communia duntaxat.

DISTINCTIO X.

De tertio officio Prudentiæ, id est, de executione.

1. *Consulere oportet lentè, consulta exequi festinanter.*] Sententiam istam tanquam vulgò iactatam recenset Aristoteles lib. 6. Ethic. cap. 9. Primum illius auctorem fuisse Biantem testatur Laërtius in eius vita; consonat illi Sallustianum illud: *Antequam incipias consulto: vbi consulueris mature facto opus est vsus.* Itaque huius pronuntiati duo requirit maturam cunctationem in deliberando, & seriam festinationem in exequendo; Ratio huius est, quia iuxta vulgi sermone protritum adagium.

2. *Fronte capillata post est occasio calua.* Facilè enim elabitur negotij conficiendi commoditas, Curius dum in motu est trahitur facile & impellitur, vbi quiescere incœperit conatu opus habet, non modico, vt motui restituatur. Nauis similiter, quæ iam ferri cœpit, leui flante aura cursum tenet; quod si

ad littus

Digitized by G

ad littus adhæſerit, non ſine ingenti labore pelago iterum committitur. Ratio illius, quia iuxta communem ſententiam.

3. *Conſilia calida & audacia, prima ſpecie læta, euenta triſtia ſunt.*] Huiuſmodi namque feſtinationis comites eſſe ſolent error & pœnitentia: etenim multorum malorum cauſa eſt præcipitantia, vti nimia remiſſio & lentitudo plurima bona negligit. Hanc vitioſam animi mollitiem Homerus aſſingit Agamemnoni, vt nullum pene egregium illius & animoſum facinus celebret. Illum vero præcipitem calorem attribuit Achilli; vt quem introducit in frequenti Principum congreſſu, probris & conuitijs debacchantem, ſtrictóque gladio impetentem illum, penes quem rerum erat ſumma. Achillem imitatus eſt Alexander Magnus, imo planè vicit quippè quem eouſque egerit animi impetus, vt in amiciſſimos etiam ferrum diſtrinxerit. Et ſane periculoſior hic impotentis animi impetus eſt, quam remiſſio illa & mollities, vt rectè notat Leſſius lib. 3. cap. 1. dub. 6. de Iure & Iuſtitia. Igitur ad rem fœliciter perficiendam, eſt ſua & induſtriæ celeritas neceſſaria, & conſilij ac diligentiæ maturitas. Id quod Gellius exiſtimat commodè exprimi vnico verbo *matura*: Nam maturari dicitur, quod neque præproperè fiat, nec ſerius quam oporteat.

4. *Duo aduerſiſſima rectæ menti celeritas & ira.*] Semel etenim præcipitatum conſilium maximas ſæpe numero tempeſtates excitat, & ingentes rerum humanarum ruinas ſecum trahit, nec ſecundo relinquit errori locum. Quare monent ſapientes, nihil aggrediendum eſſe ante ſeriam maturamque deliberationem: præſertim in rebus maioris momenti vt in bellis videlicet in quam ſententiam eſt illud Mimi Publiani: *Din apparandū eſt bellum, vt vincas celerius.*

5. *Plura auspiciis geruntur & consiliis, quam telis & manibus.*] Dictum illud Taciti quam verum sit, & experientia docet quotidiana, & omnes historiæ sacræ ac profanæ : Verè atque fortiter Sallustius : *Omnia regna, ciuitates, nationes eousque prosperum Imperium habuerunt dum apud eos vera consilia valuerunt. Vbicunque autem fauor, Gratia, Timor, voluptas ea corripuêre, paulo post imminuta opes, deinde ademptum imperium, postremo seruitus imposita est.*

6. *Cupido & Ira pessimi cultores.* Sallustius in Iugurtha. Ratio est, quia his affectibus occupatus, nihil potest rectè cognoscere, potiendi enim & vlciscendi habilitas iudicium eius sanum corrumpit. Iuxta illud Catonis Romani : *Impedit ira animum, ne possit cernere verum.* Hominem iratum obserua, & audies quam ipse vltrò fateatur, se non esse apud se præ iracundia. Nihil enim minus in potestate habet, quam seipsum. Aspice libidinosum, hic oculos & animum perdidit in alieno vultu, non apud se est, deliberationem ignorat, ac ne domesticum quidem pectoris sui senatum in Consilium vocat. Omne horum consilium tanquam in medijs ignibus est, feciſſe his deliberasse est ; rem peregisse est perpendisse. Non eunt illi in rem sed prosiliunt, aut verius inuolant tanquam si quis ex ingenti præcipitio vno se saltu deturbet. Impatiens moræ in prudenti lentoq; lapsu consumendæ.

7. *Malè fiunt, quæ cum aliqua perturbatione fiunt.*] Indicatur à Cicerone lib. 1. Offic. vbi ait, omnia huiusce modi neque considerate, neque constanter, fieri posse, ac proinde, nec ab alijs, qui adsunt probari ? Iure itaque laudatur Archytæ Tarentini dictum, & Platonis factum, Quorum prior dum se studijs dedito possessiones suas culpa villici destructas aspiceret, in illum versus inquit : *Sumerem à te debi-*

eas pœnas, nisi iratus essem. Alter verò iratus seruo suo; non impunem dimisit, vt Archytas; sed amico commisit, vt supplicium exigeret, veritus ne se iræ impetus quo non deceret impellieret,

8. *Verbum in consilio valet in certamine factum.*] Sumitur ex illo Homeri versû Iliade μ.

ἐν χερσὶ τέλος πολεμοιο, ἐπέων δ' ἐν βουλῇ:

Id est, in manibus finis est belli, in consilio verborum: indicatur hoc dicto cum re opus fuerit, parum prodesse verba; ac proinde opere opitulandum magis esse, quam sermone.

9. *Maior animus est inferenti periculum, quam propulsantis.*] Adhibet hoc dictum ad milites incitandos Hannibal descensurus in Italiam: *Inferimus bellum*, inquit, *infestisque signis descendimus in Italiam; tanto audacius fortiusque pugnaturi, quanto maior spes, maiorque animus est, inferentis vim quam arcentis*: nimirum quia animus crescit partim spe prædæ in campo hostili; partim metu periculi ob occasiones fugæ difficiliores, &c. Qua etiam de causa, apud Antiochum, Hannibal prudenter negat, opprimi Romanos, nisi in Italia posse: Magnum siquidem ad victoriam momentum habet illa animi præsentia, quæ in milite cernitur vltro prouocante atque inuadente aduersarios suos. Etenim tueri se infirmioris est, inuadere fortioris.

DISTINCTIO XI.

De Imprudentia.

1. *Omnis peccans est ignorans.*] Ignorantia vel error oppontur aliquando prudentiæ; siue prudenti electioni, & sic omne peccatum, non tam oritur ex ignorantia; sed potius est ignorantia vel error; quia est actus imprudentiæ vel erroris, iuxta illud Prouerb. 14. vers. 22. *Errant qui operãtur malum.* Ratio est, quia nemo potest velle malum sub ratione mali, cum volũtatis obiectũ nõ sit res bona vel mala; sed solũ bona. Atq; idcirco qui eligũt malũ, semper eligũt sub ratione boni repræsentatũ: imò etiam plerumque sub specie maximi boni, quod tunc obtineri possit. Cuius rei causa est perturbatio partis inferioris, quæ offundit tenebras rationi superiori, & facit vt non discernat, nisi ad exiguum bonum, quod est in ea re quæ appetitur: Ita Bellarminus lib. 1. de 7. verb. Domini cap. 1. Sumptum est autem istud axioma ex 3. Eth. cap. 1. vbi Philosophus ait, *Quod: omnis prauus ignorat, quæ agere oportet, & à quibus est abstinendum*: Item ex tertio de Anima cap. 11. vbi docet rationem practicam illius, qui peccat errare in syllogismo præcedente electionem, malè subsumendo & concludendo. Aliqui tamen citatam ex Sapiente sententiam explicant de errore vel voluntatis, vel intellectus: non autem necessariò semper de vtriusque potentiæ simul. Quia multi peccant ex mera malitia (vti peccarunt Angeli) etsi nullus adsit defectus intellectus. Voluntas enim potentia libera est; ergo positis omnibus ad agendum necessarijs, potest agere & non agere: ergo etiam & pec-

Digitized by Google

eare poteſt, ſine defectu intellectus. Ita Martinus Becanus in Materia de Angelis; Suarez quoque lib. 7. de Angelis cap. 6. docet poſſe committi peccatum: etſi nulla ignorantia vel error, vel inconſideratio ſit in intellectu ſpeculatiuo, & tametſi conſcientia reclamet, iuxta illud vulgare: *Video meliora proboque, deteriora ſequor.* Ac proinde axioma illud moraliter intelligendum eſſe, & ſecundum ordinarium operandi modum: non metaphyſicè ac de abſoluta neceſſitate. Addit tamen; licet abſolutè fieri poſſit, Vt homo vel Angelus conſideratis omnibus circumſtantijs ſe liberè ad peccatum determinet: id tamen moraliter loquendo adeo eſſe difficile vt quaſi impoſſibile videatur; quæ moralis impoſſibilitas ſatis ſuit, vt dictum axioma tanquam infallibile ab Ariſtotele traditum ſit, & ab omnibus recipiatur.

2. *Incontinens bonesti ſcientiam habet, ſed non exercet.* 2. Moralium, cap. 7. & 7. Ethic. cap 10.] Vbi docet incontinentem eſſe ſimilem ciuitati, quæ bonas quidem leges habeat, omniaque prout fieri debent, probè decernat; ſed eis non vtatur, quod eſt proprium imprudentiæ: Licet enim propriè inſipientes non ſint, tamen ea faciunt, quæ agunt inſipientes, vt idem eodem lib. cap. 8. ait.

3. *Incontinens aſtutus eſſe poteſt, prudens eſſe non poteſt.* 2. Mag. Moral. cap. 2.] Licet enim habeat ſcientiam aliquam vniuerſalem de turpitudine eorum, circa quæ verſantur; non tamen in particulari cognoſcit, neque iudicio prudentiali diſcriminat, hæc vel illa improba; ſed appetitus eius ſenſitiuus, trahit ſecum & præcipitem agit rationalem. Vnde,

4. *Incontinens ex affectu agit non ex electione.*] 5. Eth. cap. 2.] Licet enim videat meliora, probetque, ſaltem in vniuerſali: nihilominus deteriora ſequitur: quippe appetitu ſenſitiuo vincente rationa-

iem; ac proinde, errat ratio eius practica, in syllogismo quem vel actu, vel certe virtualiter facit; vt docet Philosophus 3. Animæ, cap. 11. Non ex parte maioris: hæc enim cum sit vniuersalis, continet bonitatem finis vniuersalis, vt, v. c. Bonum est amplectendum; ac proinde non potest esse falsa; sed errat ex parte maioris, quam subsumit sub illa maiori, & consequenter ex parte conclusionis, dum practicè hic & nunc in particulari malè sese determinat ad id, quo trahitur ab affectu.

5. *Incontinens non est vitiosus, sed vitiosè agit.* 7. Eth. cap. 8.] Is enim dicitur incontinens, quem superat affectus ne recta siue prudentiali ratione vtatur: non tamen ita eum superat, vt talis euadat, qui inordinatis animi inclinationibus obtemperandum omnino, & voluptates effusè sibi sectandas esse persuasum habeat. Itaque sicut incontinentia propriè non est vitium, (quia hoc est cum electione, illa præter electionem) ita neque incontinens absolute dicendus est vitiosus, nisi ex aliqua parte fortassis, inquit ibidem Aristoteles. Nam vti Demodocus Milesios aiebat: *Insipientes non esse, ea tamen agere quæ faciunt insipientes;* ita incontinentes, iniusti quidem non sunt; iniuriam tamen agunt intellige materialem, vel omnino, vel certè carentem aliqua conditione, quæ ad formalem iniuriam requiritur.

6. *Iuuenes scientes quidem fiunt: prudentes non item.* 6. Eth. cap. 8.] Rationem addit; quia prudentia est particularium, quæ experientia nobis innotescunt: Iuuenis autem experientiam non habet. Nam experientiam temporis adfert longitudo, vt explicabitur suo loco. Scientia tamen iuuenes præpollere possunt, ob ingenij vigorem & acrimoniam, ac corporis & organorum viuidam cõplexionem. Ob hanc enim longè ad ratiocinandum promptiores

sunt, quam decrepiti senes, quibus solutæ languent in corpore vires.

TITVLVS XXVI.

De Iustitia & Iure generatim.

DISTINCTIO PRIMA.

Quid Iustitia? & quæ eius partes.

1. *IVstitia est habitus qui inclinat voluntatem ad constanter & perpetuo tribuendum cuique ius suum.*] Siue vt inquit Augustinus: Iustitia est virtus, quæ sua cuique tribuit lib. 19. de Ciuitate Dei cap. 1. Itaque Iustitia, licet versetur primariò, circa solas actiones, ritè ad alterum disponendas: nihilominus tamen versatur circa res ipsas, quæ sunt materia actionum: non autem versatur primariò circa passiones moderandas; sicuti Fortitudo & Temperantia, nisi quatenus istarum passionum moderatio est sæpe medium necessarium ad proprium finem iustitiæ consequendum.

2. *Partes iustitiæ subiectiuæ, siue species eius sunt Iustitia commutatiua & distributiua.*

3. *Integrales partes numerantur*: à S. Thoma 2. 2. quæst. 79. a. 1.] Istæ duæ, facere bonum & declinare à malo; vbi bonum non ea latitudine sumitur, quæ omnibus virtutibus competit: quibus vniuersè commune est bonum amplecti, & malum declinare; sed presse, prout bonum alteri, est debitum. Itaque facere bonum, vt est pars Iustitiæ, est, æqualitatẽ seruare in illis quæ ad alterũ spectant; Declinare autem à malo, est æqualitatem illam non corrumpere.

Digitized by Google

4. *Partes iustitiæ Potestatiuæ sunt duplices.*] Vel enim in ijs non est debitum legale & rigorosum; sed tantum morale, siue ex decentia: cui ex morum honestate satisfieri debet. Et huiusmodi partes sunt Gratitudo, Vindicatio, Veritas, Affabilitas, Liberalitas, & Æquitas: Vel non obseruatur omnino, absolutè æqualitas dati & accepti; sed tantum secundum quid; licet debitum sit verè legale, & maius ac altius, quam propriè dictæ iustitiæ, ita vt ob eius excellentiam, non possit reddi æqualitas: huiusmodi partes sunt Religio, Pietas, Obseruantia & Obedientia. Dicuntur autem hæ partes potestatiuæ: quia deficiunt à vera ratione iustitiæ propriissimè dictæ, in qua propriè seruatur æqualitas; & retinent tamen similitudinem aliquam illius.

DISTINCTIO II.

Quæ sint diuisiones Iuris, & quæ eius nominis acceptio?

1. IVs varias habet acceptiones. Primò significat idem quod *Iustum*, 2° ipsas leges, 3° ipsam artem & scientiam. Ita enim lib. 1. de Iure & Iustitia dicitur: *Ars boni & æqui.* Quartò dicitur ius quod æquum est, cui opponitur iniquum, quod solent definire. *Ius est iustum per æqualitatem vnius cum altero:* & hoc est obiectum iustitiæ particularis, quæ est virtus vna ex quatuor Cardinalibus.

2. Aliæ etiam acceptiones Iuris habentur lege penult. ff. de Iure & Iustitia: accipitur enim Ius, pro potestate Iudicis, vt si Prætor, v. c. iniustam ferat sententiam, ius tamen putetur dicere; item pro ipso loco, in quo fiunt iudicia, hinc dici solet ire in ius, &c.

3. Diuiſiones Iuris ſunt variæ. Primo aliud ius eſt diuinum, aliud humanum: diuinum aliud naturale, aliud poſitiuum. Humanum totum eſt poſitiuum, 2° Ius ab aliis generaliſſimè diuiditur in naturale & poſitiuum. Poſitiuum verò in diuinũ & humanum; nam omne ius naturale diuinum eſt: non enim illud eſt aliud, quam lux quædam inſita menti; quæ ſecernat noxia à bonis, & adhæreat principijs moralibus. Tertio, Ius poſitiuum iterum diuiditur in ius Gentium; quod omnibus nationibus eſt commune, & in ius ciuile, quod eſt proprium alicui vrbi, vel regno; idque turſus vel eſt Eccleſiaſticum, ſiue Canonicum; vel Politicum ſiue Seculare. Aliæ iuris diuiſiones videri poſſunt apud Theologos, & Iuriſperitos: de omnibus hiſce more noſtro axiomata proponentur.

DISTINCTIO III.

De Iure naturali, & poſitiuo in genere.

1. *IVs naturæ eſt immutabile.*] Ratio eſt, quia perpetuam, & immutabilem rectitudinem continet, quæ vti violari non debet, ita ius naturale abrogari non poteſt: etenim ius naturale ex ipſis rerum naturis oritur, ſcilicet ex natura rationali, & naturali conditione operum, de quibus hoc ius diſponit. Itaque ſicut naturæ conditio eſt immutabilis: ita lex naturalis immutabilis eſt manentibus ijſdem circumſtantiis rerum. Vnde S. Auguſtinus lib. 83. quæſtionum, q. 31. *Naturæ ius eſt, quod non opinio genuit, ſed quædam innata vis inſeruit; vt Religionem, Pietatem, Gratiam, Vindicationem, Obſeruantiam, Veritatem.* Et Seneca ad Lucilium Epiſtola 16. *Hæc diuina lex, quæ non libris inſcripta, nec in æs incisa; ſed pectoribus*

noſtris à natura eſt indita, æquum & bonum à Iureconſultis dicitur.

2. *Iure naturæ omnia ſunt communia.* cap. ius naturale diſt. 1.] Duplici titulo dicuntur omnia iure naturæ communia primo negatiuè; quia ius naturæ diuiſionem non fecit aut præcepit: ſecundo poſitiuè, quia omnibus poteſtatem fecit vtendi quavis re, & dominij capiendi, priuſquam ab alio ſit occupata, quod ius etiamnum perſeuerat.

3. *Iure gentium inducta eſt rerum diuiſio.*] Nomine iuris gentium intelligitur, hic commune hominum iudicium & gentium conſenſus, vel conceſſio. Et ius ex communi iudicio & conſenſu proueniens: hoc autem iure dicitur, inducta eſſe & facta, rerum diuiſio ſiue diſtinctio dominiorum, vt ſumitur ex ff. de Iure & Iuſtitia, *L. ex hoc iure dominia diſtincta*, & habetur diſtinct. 1. capite, cuius initium eſt, ſequens Pronuntiatum.

4. *Ius gentium eſt ſedium occupatio.*] Quia nimirum, ſpectata mortalium conditione, quæ ſui eſt amans, & alieni negligens, quæque cupiditati & ambitioni miſerè eſt ſubiecta, communi omnium iudicio optimum viſum fuit, diuiſionem rerum introducere, eamque expedire, tum ad pacem, tum ad meliorem rerum adminiſtrationem; ſiquidem communitas poſſeſſionum eſt ſeminarium diſcordiæ, vt rectè docuit Ariſtoteles 2. Politico. cap. 3. Nempe ſecundum præſentem mortalium ſtatum, in quo plurima iniquè & inordinatis reguntur affectibus, ſecus ſe res haberet rectum rationis dictamen vbique vigeret; tunc enim abſque diſcenſionis periculo rerum communium dominio ac poſſeſſione communiter frui liceret, ſicque futurum erat, vt docent Theologi, ſi genus humanum in innocentia perſtitiſſet.

Digitized by

5. *Ius gentium ſupponit ius naturale.*] Vtitur hoc dicto Leon. Leſſius l. 2. de Iuſtitia & Iure, cap. 12 n. 68. & ex eo deducit, quemuis in extrema neceſſitate conſtitutum poſſe accipere rem alienam qua extremè indiget ad vitæ ſuæ conſeruationem? quia nimirum finis rerum inferiorum eſt, vt in neceſſitate hominibus ſint ſubſidio: & vt homines per illas poſſint vitam ſuam conſeruare & tueri; ac proinde omnibus à natura hoc ius competit; neque diuiſio iure gentium introducta, potuit hoc ius adimere, quia ius gentium ſupponit, non euertit ius naturale. Cenſeri itaque debet diuiſio eſſe facta, reſeruato cuique iure naturali, quatenus erat neceſſarium ad vitæ conſeruationem.

DISTINCTIO IV.

De Iuſtitia abſolutè.

1. *Iuſtitia in ſe omnes virtutes complectitur.* 5. Eth. cap. 1.] Vbi ſub finem capitis hanc ſententiam velut antiquum & probatum axioma refert Ariſtoteles, *aitque iuſtitiam præclariſſimam eſſe virtutum, & neque Heſperum ita, neque Luciferum eſſe admirabilem*: Sumitur autem hic Iuſtitia pro generali quadam rectitudine voluntatis, conſurgente ex collectione omnium virtutum, quæ quidem acceptio multum vſitata eſt in ſacris litteris, & apud Sanctos Patres: omnis enim actus conſentaneus rectæ rationi, Dei voluntati, aut cuicunque legi ſæpius apud illas iuſtitia dicitur, vt cum S. Chryſoſtomus ait:

2. *Iuſtitia eſt omnium mandatorum plena cuſtodia.* Homilia 12, in Matthæum.] Hinc intelligitur, cur ſæpe in ſacris litteris dicatur Charitas iuſtificare,

id est immunes nos reddere, ab omnibus peccatis, & iustos acceptosque Deo: quia nimirum omni delicto repugnat, & ad omnia bona reddit compotem; Quanquam verò Leon. Lessius de Iustitia cap. 1. dubit. 1, existimet, Iustitiam secundum hanc acceptionem sumi pro complexione omnium virtutum simpliciter; melius tamen & magis propriè vsurpari videtur pro sola collectione omnium virtutũ moralium; vel earum certè, quæ subiectantur in voluntate, siue naturales illæ sint, siue supernaturales, iuxta illud Sancti Anselmi:

3. *Iustitia & rectitudo voluntatis seruata propter seipsum.* Dialogo de veritate cap. 13.] Quemadmodum enim sapientia dupliciter sumitur. Primò latè, pro quadam rectitudine intellectus generali, ad benè iudicandum de omnibus rebus, quæ consurgit ex collectione & perfecta adeptione omnium scientiarum, quo sensu à Cicerone dicitur 4. Tuscul. quæst. *Sapientia, est rerum diuinarum humanarumque scientia.* Secundo strictè & propriè, pro vno habitu intellectus, qui ob suam singularem perfectionem & eminentiam dicitur Sapientia; sic etiam Iustitia latè sumitur pro generali rectitudine voluntatis: strictè verò pro certo eiusdem potentiæ habitu, quem ita definit Vlpianus.

3. *Iustitia est constans & perpetua voluntas, ius suum cuique tribuendi.* l. Iustitia ff. de Iure & Iustitia.] Dicitur *primò constans & perpetua voluntas*, quia est propositum habituale deliberatum ac firmum, ad reddendum perpetuò: dicitur secundo, *Ius suum*, quod cuique stricta obligatione est debitum; debet autem reddi hocius ad æqualitatem, alioquin non perfectè redditur; ac proinde non erit Iustitia perfecta; quia iustitia, æqualitas quædam est; vel

certè æqualitatem inuoluit, vt ipsum nominis etymon insinuat.

DISTINCTIO V.

De homine iusto, & eius conditionibus generatim.

1. *Optimus est, qui ad se ipsum, & ad alios virtute vtitur.* 5. Eth. cap. 1. ob idipsum ait Aristoteles loco citato.] *Iustitia præclarissima persæpè virtutum esse videtur, & neque Hesperus ita, neque Lucifer admirabilis*: quia non ad se solum; sed ad alium etiam, qui ipsam habet, vti virtute potest. Intelligitur autem de Iustitia generali, de qua dicitur: *Iustitiam sese virtutes continet omnes*, & dicitur optimus respectiuè ad eos, qui vel sibi, vel aliis tantum sunt studiosi.

2. *Pessimus est, qui ad se ipsum, & ad alios prauitate vtitur.* Ibidem.] Est hoc pronuntiatum oppositum priori, & eadem vtriusque doctrina. Est namque in tali homine iniustitia vniuersalis, quæ non est vitium aliquod speciale, siue vitij *pars sed totum*, id est, generale vitium est, vt ibidem docet Philosophus.

3. *Homines frugi omnia rectè faciunt.*] Cicero l. 4. Tuscul. Quæst. *Vbi frugalitatis nomen*, ait, *tanquam ad eum referre volumus, quod nisi eo nomine virtutes continerentur, nunquam illud tam pervulgatum esset, vt iam Prouerbij locum obtineret. Homines frugi omnia rectè facere.* Itaque homines frugi dicuntur, qui generali Iustitia sunt prædicti, quæ vti in se omnes virtutes continet, ita homines frugi omnia cum virtute perficiunt.

4. *Nulla lis iusta est, nisi necessaria.*] Pronuntiati

huius (quod olim à magno quodam Iurisperito fusè ventilatum memini.) Ratio est illa; quia omnis contradictio, contentio aut iurgium, nisi iustâ de causâ suscipi oporteat, charitati fraternæ, ac rectæ rationi repugnat; multo magis omne litigium, illud enim leuior est dissensio inter beneuolos ac propinquos; hoc verò grauior inter inimicos disceptatio quæ proinde iusta, id est, bona & rectæ rationi consona non est, nisi necessitate assumpta? In quam sententiam non incongruè olim pronuntiauit Henricus III. Imperator: Qui litem aufert, execrationem in benedictionem mutat, Symbolorum Imperatoriorum classe tertia, num. 16.

5. *Agriculturæ possessio est potissima secundum naturam.* 1. Oeconom. cap. 2.] Ratio est, quia non officio modo & delectatione sui, naturæ in primis salutaris est, cum ordinatur ex sua natura ad vitæ humanæ conseruationem, ad eamque sit necessaria, magis quam honorum, aut scientiarum possessio; sed etiam saturitate copiaque omnium rerum, quæ ad victum hominum & cultum pertinent. Quare non malè Cicero l. 5. de Off. *Omnium*, inquit, *rerum, ex quibus aliquid acquiritur nihil est Agriculturâ melius, nil uberius, nil dulcius, nihil libero homine dignius.*

6. *Agriculturæ possessio maxime est iusta.* Ibidem.] Ratio est, quia vt ait Tullius pro Roscio Amerino: *Agricolæ ita viuunt, vt quæstum noscant nullum: fructum autem eum, quem labore pepererint.* Vnde Gelo Syracusanus suos ad Agriculturę studium hortabatur, partim, vt ad agri vsum homines meliores redderentur; partim etiam ne otio torpescerent. Ita Plutarchus in Regum & Imperatorum apophthegmatis.

7. *Optimus est populus, qui terræ colendæ est deditus.* Sumitur tum ex eodem loco: tum etiam ex alijs.]

Et verum est eo sensu, quo dicitur agriculturæ possessio esse maximè naturalis & iusta, comparatiuè scilicet ad alios hominum status, & officia; quia in hæc non tam frequens sit iniuria, quam in mercatura, militia aut alijs ciuilis vitæ statibus, ac iustitiæ commutatiuæ actionibus. Quod significat Aristot. ibidem, cum inquit: *Non enim ab hominibus, nec volentibus, vt cauponaria & mercenaria; nec inuitis quærit, quemadmodum bellicæ artes. Sed est earum ygrum, quæ sunt secundum naturam. Natura enim omnis educatio est à matre: quare & hominibus à terra.*

DISTINCTIO VI.

De Iniuria.

1. *VOlenti non fit iniuria. 5. Ethic. c. 9.*] Vbi sic ait Philosophus: *Iniuriam sua sponte patitur nemo, etiamsi possit sponte læsi & damno affici*: Intellige veram & formalem iniuriam; siue quæ est, & agnoscitur verè talis. Ratio est; quia nemo id vult, quod scit esse malum, vt sic; cum nihil appetatur nisi sub specie boni, vt explicatum est supra, Titulo *de Bono & Bonitate*; sed qui pateretur iniuriam veram & formalem volens, is sciret eam esse malam; ergo volens nemo non patitur formalem iniuriam; alioqui ferretur actu prosecutionis in malum sub ratione mali: eodem sensu vera est Regula 27. Iuris in sexto, quæ sic habet:

2. *Scienti & consentienti non fit iniuria, neque dolus.*] Nemo quippe pati potest iniuriam, nisi ius eius violetur; non potest autem violari ius alterius, nisi ipso nolente; vel expresè, si sciat, vel si nesciat, implicitè. Cuius ratio est; quia si velit, vel certe

positiue permittat, se lædi, iam cedit iuri suo, ac proinde licet ipse lædatur, ius tamen ipsius, qua ipsius est, non violatur. *Sicut*, inquit Lessius, *si concedam tibi vestem meam vt auferas, pono dominium rei meæ in tuo arbitrio, vnde si auferas non violas ius meum.* Iuxta hunc sensum explicari potest & illud.

3. *Nihil patitur à seipso. 9. Metaph. c. 2. tex. 2.*] Idcirco enim nemo sibi iniuriam facere, aut à se iniuriam accipere potest: quia non potest à se inuitus pati. Fieri namque non potest, vt quis sibi damnum velit inferre, & simul nolit à se pati: Vide D. Thomam 2. 2. q. 59. a. 3. in corpore, vbi docet etiamsi quis per se, & formaliter non possit pati iniustum, nisi nolens; posse tamen per accidens, & quasi naturaliter id quod per se iniustum est, pati volens: & ita fit ipsi iniuria solum materialis: quæ tamen respectu tertij, qui non consentit, poterit esse formalis. Sic qui se ipsum interimit, etsi sibi ipsi iniuriam non faciat: facit tamen iniuriam Reipublicæ, cuius est membrum; & etiam Deo, iuxta D. Thomam, qui solus est vitæ humanæ Dominus. Cæterùm præsens dictum non repugnat illi axiomati: *Nemo læditur nisi à seipso.* Vt patet per illius explicationem infra, Tit. *de Passionibus in genere.*

4. *Iniuriam inferens lęditur potentiùs quam lædat.* Traditur à D. Chrysostomo Homilia 62. in Matth.] Ratio est, quia ipsa nocendi voluntate coram Deo vulnerat animam suam, coram hominibus vero dedecori & infamiæ se exponit: tibi verò cui nocumentum infert maiores texit coronas & multos patientiæ tuæ constituit prędones. Itaque commiseratione potiùs, quam ira dignus est. Sicuti si quis, vt talentum tibi inferat, vel pomum eripiat, per medios ruetet enses, & in spicula se induceret, miserandus potius esset quam plectendus.

5. *Longe*

5. *Longè ſatius eſt ignoſcere iniurias, quàm vindicare.*] Intellige de Perſonis & iniurijs priuatis. Ratio eſt, quia appetitio vindictæ ob priuatam iniuriam, ex amore proprio, vt plurimum oritur. In condonatione autem, imitatio Chriſti Domini, & Dei, ſui victoria & proximi ædificatio exercetur. Interdum tamen vindicta expetenda eſt, tum vt malefactor in poſterum coërceatur, tum in exemplum aliorum, præſertim ſi iniuria publica ſit, aut Perſona. Traditur hoc pronuntiatum, & pluribus explicatur à D. Baſilio, Epiſtola ad Candidianum.

DISTINCTIO VII.

De Iudice Arbitro, Accuſatore, Reo.

1. *Boni Iudicis eſt, audire rationes vtrimque oppoſitas.* 3. Met. cap. 1. tex. 1.] Vbi Philoſophus ait: *Neceſſe eſt melius ſe habere ad iudicandum illum, qui tanquam aduerſarias omnes vtrimque rationes oppoſitas audiat.* Ratio manifeſta eſt; quia eo modo rectiùs in veritatis cognitionem peruenitur, ſine cuius inueſtigatione, ius dicere, aut ſententiam ferre temerarium eſt, & periculoſum. Atque hac de cauſa etiam lege ſtatutum eſt, vt nemo priuſquam auditus ſit, à Iudice condemnetur, iuxta illud:

2. *Nemo damnari debet, antequam audiatur.*] Vtitur hoc dicto Dominicus Sotus l. 1. de Iuſtitia & Iure, qu. 6. art. 6. aitque illud eſſe ſtatutum legis naturalis. Eſt autem intelligendum de ſententia damnationis lata, vel ferenda per Iudicem, vt docuit Vaſq. Tomo 2. in 1. 2. diſp. 168. nu. 41. Ratio eſt quia iudex, vt iuſtè aliquem damnet, prius ſcire debet meliori modo, quo poteſt, vtrum ille tale cri-

Digitized by Google

men commiserit, an non: hoc autem sola testium depositione constare, ei rectè non potest, nisi ipsemet qui accusatur, audiatur prius, an habeat legitimam accusationem: non vero intelligi debet de sententia lata per legem; quia cum damnatur aliquis per legem, vt soluat siue patiatur aliquid, conscientiæ eius relinquitur, pœna sibi infligenda; & ita non est opus, vt ipse prius ab alio audiatur; quia ipse debet esse Iudex & Reus. Hæc verò præcipuè intelligenda sunt de ijs legibus quibus decernitur pœna ipso facto, vel ante sententiam incurrenda, cuiusmodi sunt leges inhabilitatis, siue Ecclesiasticæ, siue Ciuiles.

3. *Iudex procedit secundum allegata & probata.*] Communne istud apud Theologos, & Iurisconsultos, axioma, nititur auctoritate S. Ambrosij; qui supra Psalm. 118. serm. 20. *Index*, ait, *nihil ex arbitrio suo agit, sed iuxta leges & iura pronuntiat, Statutis iuris obtemperat, non indulget propriæ voluntati*, &c. Rationem assignat Couarruuias variarum resolutionum, lib. 1. cap. 1. n. 6. quia Iudicem oportet in conuersiis definiendis scientia publica vti; non his quæ vt priuato ei sunt manifesta, eoquòd publicam in Iudicio, non priuatam personam sustineat. Vtrum vero iudicis sit, ita iudicare tanquam publicam; non verò tanquam priuatam personam; vt possit condemnare reum, qui per testes legitimè probatus est criminosus, verbi causa, homicida, quem tamen nouit innocentem, grauis est controuersia inter auctores; Affirmat Couarruuias, Sanctus Thomas, & multi Theologi ac Iuristæ: Negant Nicolaus Lyranus & alij, quos citat Lessius. Prior sententia probabilis videtur, ob grauium Doctorum auctoritatem; Posterior longè probabilior; quia humana auctoritate innocentem occidere est intrinsecè

malum, & ſacris litteris repugnat, Exod. 23. *Innocentem & Iuſtum non occides* : Dicendum ergo eſt Iudicem procedere ſecundum allegata & probata, ordinariè & regulariter quando ei non conſtat manifeſtè de contrario. Vide Leſſium lib. 2. de Iuſtitia & Iure, cap. 29. dubit. 10.

4. *Arbiter æquum magis intuetur : Iudex legem.* 2. Rhet.] Arbiter is dicitur, qui à litigantium partibus libera deſignatione eligitur, & ab ijs controuerſiæ terminandæ poteſtatem accipit. Dicitur is æquum potius intueri quam legem ; quia officium eius eſt, non ex rigore legum ; ſed ex æquo & bono ; prout hic & nunc expedire viſum fuerit, lites componere ; ſicut è contra Iudicis eſt, ſimpliciter ſecundum iura, ſiue leges procedere ; Quàm bene ſibi conſulerent multi, hodiéque controuerſijs forenſibus implicati, ſi contentione ſepoſita, prudentium Virorum arbitrio negotia decidenda committerent ? Non enim ſine cauſa Pius II. Pontifex Maximus : *Litigatores Anes, Forum. Aream, Iudicem, Rete, Patronos ancupes dicebat.* Ita refert Platina in ipſius vita ſub finem.

5. *Accuſans melior vult eſſe eo qui accuſatur.* 2. Rhetor.] Vult quidam & præſumit ordinariè : non tamen ſemper verè ; licet id planè videatur honeſtati conueniens. Decet ſi quid eum, qui accuſare alterum vel condemnare velit, non eſſe ſimilibus, aut maioribus etiam criminibus obnoxium : Nam *Turpe eſt Doctori, cum culpa redarguit ipſum.* Huius etiam Chriſtus nos commonefacit, in hiſtoria de muliere in adulterio deprehenſa. Ioan. verſ. 3. Vbi Phariſæorum eam accuſantium vitia perſtringit, iubetque vt is, qui inter illos ſine peccato ſit, *primus in illam lapidem mittat.*

Digitized by Google

6. *Proditio placet, displicet proditor.*] Veritas huius pronuntiati, communi mortalium sententia comprobatur; quia licet proditiones, non rarò bono suo veneantur, & probent, & pretio etiam parent: proditoris tamen nomen execrantur. Quorum infami omni retro ætate apud omnes nationes, omnique seculorum memoria nomen est, quoque vnaquæque generosior gens est, hoc proditoris nomen maiore in horrore habet, ita Carolus Scribanius in Medico Religioso, lib. 3. cap. 13.

DISTINCTIO VIII.

De iudicio in rebus dubijs.

1. *Dvbia in meliorem partem sunt explicanda.*] Sumitur ex D. August. lib. 2. de serm. Domini, in monte cap. 18. vbi ad illa verba: *Nolite iudicare*, &c. *Hoc loco*, ait, *nihil aliud nobis præcipi existimo: nisi vt ea facta quæ dubium est, quo animo fiant in meliorem partem interpretemur.* Et refertur cap. 1. de reg. Iuris in 5. decretalium libro: potest autem hæc interpretatio fieri 1° de rebus, 2° de Personis. Dubia de rebus non sunt in meliorem partem interpretanda; sed suis æstimanda momentis; dubia de personis ad bonam vel malam æstimationem pertinentia, sunt in meliorem partem explicanda, & de his intelligitur pronuntiatum; non de illis: Ratio vtriusque est; quia in Iudicio Rerum, tantum id agitur, vt attingatur veritas, nec timetur ne cuiquam iniuria inferatur: In iudicio autem personarum, ita quæritur veritas; vt maximè cauendum sit; ne proximo iniuria irrogetur, & ille de possessione bonæ famæ in re dubia deturbetur. Huic verò non obstat,

quod quando intendimus alicui malo adhibere remedium, expediat ſubinde, ad meliorem intentionis noſtræ ſucceſſum, vt ſupponatur id, quod eſt deterius; quia etiam hîc fit reuera interpretatio in meliorem, ſiue vtiliorem partem; quia remedium quod eſt efficax contra maius malum, multò magis conueniens & efficax erit contra minus malum. Vide D. Thomam 2. 2. q. 60. ar. 4. Eodem ſenſu verum eſt iſtud.

2. *In dubio non eſt præſumendum delictum.*] Eſt commune Doctorum proloquium, quod colligitur ex l. *Merito.* ff. *pro ſocio.* De eo fusè agit Couarruuias, cap. *ſi furioſus*, parte 2. §. 2. n. 1. Idem clarè indicat Seneca, lib. 2. de Ira, cap. 24. Vbi, *Simplicitate opus eſt*, inquit, *& benigna rerum æſtimatione, vt nihil niſi quod in oculos incurrit, manifeſtumque erit credamus.* Et magis Chriſtianè S. Bernardus ſerm. 40. in Cantica, ſub finem: *Etiamſi*, ait, *perperam quid factum deprehendas, ne ſic iudices proximum; magis autem excuſa; excuſa intentionem, ſi opus non potes, puta ignorantiam, puta ſubreptionem, puta caſum*, &c. Si queras vtrum in huiuſmodi dubio ſufficiat negatiuè ſe habere, & ſuſpendere iudicium; an verò neceſſe ſit actu poſitiuo iudicare eſſe innocentem, &c. Reſpondeo: per ſe loquendo ſufficit ſe habere negatiuè, iuxta illud monitum Senecæ:

3. *In dubijs non facilè definias, ſed ſuſpenſam teneas ſententiam.* Lib. de Formali vita.] Ratio eſt, quia nemo tenetur ad aſſenſum, aut ad modum aſſentiendi, in quo ſe exponit notabili periculo errandi: talis enim aſſenſus non eſt actus virtutis, neq; ad actum virtutis neceſſarius; ſed eſt aliquid errori obnoxium, quod ſapienti vitandum eſt, quantùm commodè fieri poteſt; ſi tamen velimus ſic & nunc ſtatuere apud nos, quo loco proximus habendus ſit,

Digitized by Google

apud animum noſtrum; tenemur actu poſitiuo dubium in potiorem partem interpretari, iudicando, illum loco viri probi habendum.

DISTINCTIO IX.

De Vario in iudicijs affectu.

1. *Quilibet iudicat prout eſt affectus.* 5. Eth. c. 4.] Sic iuſtitiæ, v.c. affectus inclinat Iudicem, vt velit ſententiam iuſtam ferre; & facit, vt id quod iuſtum eſt, intellectui Iudicis appareat bonum, & amplectendum, ſic etiam affectus temperantiæ facit opera temperata videri pulchra & conuenientia homini: & fortitudo opera fortia, ſiue illa exterius cernantur, ſiue ſola imaginatione comprehendantur. Ita Leſſius de Iure & Iuſtitia, lib. 2. cap. 29. dub. 1. numero 13. Enimverò, quemadmodum affectus animi, phantaſiæ apprehenſionem naturaliter ſequuntur, & hæc corporis diſpoſitionem ſiue temperamentum, vt dicetur Titulo *de Paſſionibus in genere*; ita Iudicium intellectus non quidem neceſſariò; ſed naturali inclinatione, affectus animi & paſſiones ſequitur: præſertim ſi ipſæ vehementes ſint & à recta ratione non dirigantur, iuxta illud:

2. *Affectio excellens obfuſcat indicatoriam actionem.* Refertur à Simplicio l. 3. de Anima ſect. 2.] Hinc eſt quod homo bilioſus, v. c. ad quidlibet ferè indignetur, iuret, maledicat, clamet, vociferetur, &c; quia bilis rectum iudicium mentis peruertit; ſimili modo proportionaliter contingit in melancolicis, phlegmaticis, ſanguineis. Vide D. Thomam, in 3. Polit. lect. 7. Vbi docet, vnumquemq; nimium

affici erga ſeipſum, & ex inordinato illo affectu, iudicium prudentiale vt plurimum peruerti. Verum itaque eſt, & intelligi debet pronuntiatum, ſecũdum vitæ humanæ communem vſum; Quo etiam ſenſu intelligendum eſt iſtud:

3. *Amor, odium, & proprium commodum ſæpe faciũt Iudicem non cernere verum.*] Sumitur ex l. 3. Polit. cap. 11. & clarè proponitur lib. 1. Rhetoricorum c. 1. ante medium. Quia ſcilicet his efficitur frequenter, vt iudicet prout affectus ſuadet, & non prout Iuſtitia dictat. Quemadmodum enim ictericis omnia flaua apparent propter bilis flauedinem, quâ illorum oculi perfunduntur, & quemadmodum ijs, qui per vitra tincta perſpiciunt, res viſæ eodem colore tinctæ videntur; ſiquidem lumen dum rerum formas per vitrum defert, eius colore fœdatur, & ad oculos profectum eorum humores, tunicaſque inficit; ex quo tandem fit, vt eadem affectio rebus ipſis quæ cernuntur aſperſa eſſe videatur; Ita contingere ſolet mortaliũ pleriſque, qui inordinatis obnoxij affectibus, iudicia ferunt. Quare rectè à Tullio dictum eſt:

4. *Plura homines iudicant, amore & odio, aut aliqua permotione mentis, quam veritatis præſcripto.* lib. 2. de Oratore.] Ratio horum generalis eſt, quia affectus tam voluntatis, quam appetitus ſenſitiui mouere poteſt intellectum, & alias potentias cognoſcitiuas, vt fortius illas rationes apprehendant, quæ inducãt ad aſſentiendum illi rei, ad quam homo afficitur, & ſimiliter idem affectus auertere poteſt intellectum, ne conſideret rationes contrarias, aut contra, vt has rationes magis apprehendat, quã illas; & ita moueatur ad aſſenſum vel diſſenſum, prout mouetur ſecundum affectum: hinc etiam ordinariè, qui habet habitum temperantiæ, facilius & promptius intelligit, quæ ad temperantiam pertinent,

quam alius qui caret isto habitu. Vide Lessium de Iure & Iustitia, lib. 1. cap. 1. dub. 4. Vbi hac de causâ rectè docet, prudentiam in suis functionibus pendere ordinariè, à virtutibus moralibus, & perraro accidere, vt aliquis de honesto, hîc & nunc prudenter iudicet, si voluntas eius prauè ad illud sit affecta; adeoque moraliter fieri non posse, vt quis crebro prudenter iudicet in particulari sine virtute morali. Hac etiam de causa:

5. *Nemo potest esse Iudex in causa propria.* Sumitur ex l. 3. Polit. cap. 12.] Axioma istud Iuridicum verum est absolutè, si altera pars sit inuita, potest tamen iudicare aliquis, in causa propria, si altera pars consentiat. Ratio autem cur in iure hoc statutum sit, præcipua est; quia ordinariè in causis proprijs homines cæcutiunt, ob amorem inordinatum, quo quilibet fertur in se ipsum; Iuxta illud: *Nemo bene iudicat in causa propria*, de quo supra Titulo, *de Consilio & Consultatione*

TITVLVS XXVII.

De Virtutibus Iustitiæ annexis.

DISTINCTIO PRIMA.

De Religione & Pietate.

1. DEVS colitur Fide, Spe & Charitate.] S. Augustinus cap. 30. Enchiridij, quod de his tribus virtutibus scripsit ad Laurentium vrbis Romanæ Primicerium; & ex illo D. Thomas 2. 2. q. 81. art. 5. Religio & cultus dupliciter accipitur primò generatim, pro omni virtutis officio, quo ordinamur

Digitized by Google

ad Deum, quodque instar sacrificij Deo est acceptum, sic potest intelligi illud Iacobi 1. *Religio munda & immaculata apud Deum, & Patrem hæc est, Visitare pupillos, & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum se custodire ab hoc sæculo.* Passim etiam in Scripturis pro eodem accipiuntur, colere Deum, & seruire Deo: Seruitus autem (Græci λατρείαν vel δουλείαν vocant) est nomen generale ad omnia bona opera, quibus Deo obedimus & placemus, vt ex plurimis locis constat, Psalm. 2. 21. 99. Lucæ 2. Matth. 6. & alibi : & hoc modo explicandum est dictum Augustini de cultu generatim sumpto, pro quolibet exercitio virtutis. Eodem sensu lib. 10. de Ciuitate Dei c. 6. ait :

2. *Sacrificium est omne opus bonum quod geritur, vt in sancta societate Deo inhæreatur.*] Describit enim eo loci S. Doctor, Sacrificium laxè & vulgariter sumptum, quo etiam sensu Magnus Gregorius, Homilia 12. in Ezechielem : *Nullum*, ait, *omnipotenti Deo tale esse sacrificium quale est zelus animarum.* Nam sacrificium propriè dictum non est quodlibet opus, rectæ rationi consonum ; sed oblatio externa legitima auctoritate instituta, qua res aliqua immutatur per legitimum ministrum, legitimo loco, & ritu, Deo vero facta, in protestationem summi ipsius in res omnes dominij & subiectionis nostræ. Eadem ratione, non quilibet cultus est actus Religionis, pressè sumptæ, propriè enim & specialis.

3. *Religio est virtus, qua exhibet cultum Deo tanquam primo rerum omnium principio.* S. Thomas 2. 2. q. 81. art. 3. vbi docet; Religionem exhibere cultum & reuerentiam Deo, non ex quocunque motiuo; sed ex eo tantum ; quia Deus est primum principium Creationis & Gubernationis rerum omnium, & hoc modo sumpta Religio est particularis quædā virtus.

Digitized by Google

ab omnibus alijs, siue Moralibus, siue Theologicis distincta. Eãdem doctrinam habet Lessius de Relig. dub. 1. & 2.

4. *Pietas est caput omnium virtutum.*] Pronuntiatum illud ex Cicerone desumptum, refert Lipsius Centuria Miscellanea 4. Epistola 7. vbi addit, *Quisquis eã caret, aut negligit, quid veri non dicam Christiani hominis, sed hominis habet, ad eam nati omnes, nos quoque* (nempe Christiani) *peculiari Dei gratia instituti sumus, teneamus & amplectamur vnicam quietis anchoram, vnicam ad perpetuam salutem viam & viaticum.* Verus huius pronuntiati sensus idem est qui præcedẽtis. Sumitur enim hic pietas latè prout idem est cum Religione; specialis autem est propriè dicta.

5. *Pietas est virtus, quâ parentibus, patriæque benenolis cultus debitus exhibetur.*] S. Augustinus lib. 83. Quæstionum, q. 3. ex Cicerone. Pietas dignitate proximè sequitur Religionem, quia parentes sunt velut secundarij quidam dij, repræsentantes filiis ipsum quodammodo Deum, ex eo pręcisè, quod sint secundaria principia vitæ & esse nostri: ratio itaque formalis obiectiua huius virtutis est duplex, vna in obiecto *Quod*, & est ratio debiti; altera in obiecto *Cui*, & est ratio principij ortus nostri. Hanc posteriorem remotè & mediate respicit pietas; priorem immediatè; sed priori posterior tribuit suam speciem, ac proindè ipsi etiam virtuti.

6. *Optimus animus perfectissimus Dei cultus est.*] Est hoc Senecæ dictum, quo animum excolendum significat, & Deum pura integraque mente & voce esse venerandum. Cui conformiter Lactantius lib. 3. cap. 9. Christianæ Religionis esse docet, sine scelere & sine macula viuere. Sumitur autem hic cultus latè & impropriè, vt patet per explicationem præcedentium.

Digitized by Google

7. *Fulcrum Imperiorum est Religio & Pietas.* Sumitur ex l. 7. Politicorum c. 8.] Rationem huius duplicem assignat Lipsius lib. de vera Religione. Quia libenter religiosi subditi parent ; & miti fractaque ceruice humanum iugum ferunt, qui semel illud diuinum : sed fideliter etiam parent ; Quia pietas & Dei metus quasi frenum est, & exercitium ab omni rebellione & metu insolenti. Hæc vna fulciẽdi ratio: altera ab ipso Principe : Deus enim illi pro clypeo & tector : pulchrè Trismegistus.

8. *Vna Custodia pietas.* Apud Lactant. lib. 2. Instit. cap. 10.] *Pium enim virum non malus genius*, inquit, *non fatum ipsum deuincit : Deus enim illum liberat excipitque ex omni malo.* Verè itaque dictum est istud.

9. *Nulla vis maior est pietate verâ.*] Ad omnem videlicet bonæ beatæque vitæ vel acquirendam, vel tuendam prosperitatem, vt explicat S. Augustinus initio libri de verâ Religione cap. 1. Ratio patet per explicationem præcedentium. Et sanè si multitudo impotens, alioquin & mutabilis, vbi vana religione capta est, melius Vatibus, quam Ducibus suis pareat : vt inquit Curtius l. 15. quæ non vis Reipublicæ accedet siue ad Patriam tuẽdam, siue ad hostiũ conatus infringendos, à pietate vera & orthodoxa.

10. *Rectè nouit vivere, qui rectè nouit orare.* Sumitur ex Hom. 4. ex 50. quæ nomine S. Augustini circumferũtur.] Significatur hoc dicto orationis non necessitas modo ; sed dignitas etiam, & excellentia; quia nimirum eius beneficio, tanquam per medium efficacissimum, componitur ordinaturque vita nostra, & peruincuntur difficultates omnes, quæ in virtutis stadio currenti sese obijciunt. At verò sine illa, religio omnis est arida imperfecta & ad ruinam prona. Vt meritò dixerit S. Thomas ;

Digitized by Google

Religiosum sine oratione, militem esse sine armis. Ratio est quia, vt docet S. Augustinus Hom. 30. in Genesim: Basilius, Gregorius & alij, quæ Deus ab æterno dare hominibus in tempore constituit, ea per orationem, tanquam per medium vtilissimum ordinariè confert, iuxta illud Ioan. cap. 16. *Petite & accipietis*

DISTINCTIO II.

De Obseruantia & Obedientia.

QVoniam obseruantia est virtus, per quam homines aliqua dignitate antecellentes, cultu quodam & honore dignamur, vt ex Cicerone refert M. August. l. 83. Quæstionum, q. 31. Et quia de honore fusè suo loco agendum erit: ideo nobis in idipsum eatur, videatur Titulus *de Honore*.

1. *Obedientia sola virtus est, quæ cæteras menti inserit, insertasque custodit.* S. Greg. l. vltimo Moralium cap. 12.] Ratio huius est, quia ex motiuo obedientiæ homo impellitur ad officia & functiones omnium virtutum, vt v. c. nunc ad ieiunium, nunc ad frequentenda sacramenta, nunc ad eleemosynam, &c. per quas functiones illæ virtutes generantur, augéturque & conseruantur, & hac de causa iuxta communem sententiam.

2. *Obedientia est mater virtutum.* Sicut enim Charitas est finis omnium virtutum; Ita obedientia dicitur, efficiens earum; prout scilicet sunt in præcepto: Respicit enim debitum siue obligationem, ex præcepto prouenientem, in omni virtutis materia, & inclinat ad omnium virtutum exercitia, quibus illæ in animis nostris generantur & conseruantur, iuxta

Digitized by Google

explicatum modo magni Gregorij pronuntiatum; Et hinc est, quod tam illustribus sacratum litterarum testimoniis & exemplis in Testamento æque nouo & veteri obedientiæ virtus comprobatur; vt cum dicitur,

3. *Obedientia melior est quam victimæ.* l. 1. Reg. 15.] Licet enim oblatio victimarum sit actus Religionis, virtutis ex omnibus moralibus præcipuæ, vt docet S. Thomas 2. 2. q. 61. ar. 6. tamen subiectio suæ voluntatis, sub Deo, in quo consistit obedientia, est etiam actus Religionis, si fiat ex voto aut ex reuerentia erga maiestatem diuinam: vel actus charitatis, si studio gratificandi Deo. Deinde per hanc res nobilior, quam per illam exhibetur: Nam, vt ait Gregorius Magnus l. vltimo Moralium cap. 12. Hunc locum ad suum propositum exponens.

4. *Per victimas aliena caro, per obedientiam propria voluntas mactatur.*] Id est, propter Deum deseritur; Itaque si obiecta istarum duarum virtutum, conside. rentur, obedientia sacrificijs ipsis antecedit: ratio tamen & forma virtutis Religionis quæ propiùs attingit Deum quam obedientia, eam reddit præstantiorem; vt rectè notauit Salianus, Tomo 3. Annal. Eccles. vet. Test. ad annum mundi 2968. num. 46. Quamuis alium sensum videatur habere dictum istud Samuëlis; scilicet, Melius esse, vt omissis victimis non præceptis faciat homo, quod Deus præcepit; quam vt omisso diuino præcepto, offerat victimas voluntarias, aut etiam ptohibitas sicut fecit Rex Saül, qui propterea à Propheta reprehenditur. Nam obedientia per se virtus est, & natura sua censetur in bonis: occidere autem animalia, eaque vel integra, vel dimidiata flammis consumere, natura sua non plus habet bonitatis, quam per agros lapides spargere, inquit Abulensis in illum locum.

5. *Quodlibet inferius perficitur ſubiectione ad ſuum ſuperius.*] Intelligitur hic omne id eſſe ſuperius, quod vel ratione ordinis, vel honoris vel cauſalitatis eſt ſuperius ; ſic v. c. materia perficitur, per hoc quod informetur à ſua forma; corpus quod viuificetur ab anima ſua, aër quod illuminetur à ſole. Ciuis per hoc quod gubernetur à ſuo Magiſtratu, mens humana per hoc, quod ſubijciatur Deo, & omnis cauſa ſecunda ac minus principalis. Per hoc quod adiuuetur à prima & principali, ſumitur hoc dictum ex illo :

6. *Virtus cuiuſlibet ſubiecti eſt, vt bene ſubdatur principanti.* l. 1. Polit. cap. vlt.] Cum enim proprius effectus virtutis ſit, quod bonum faciat habentem, & opus eius bonum reddat ; & cuiusvis ſubditi virtus in eo conſiſtat, quod bene ſubjiciatur ei à quo gubernatur ; ſequitur eos bonos effici, & perfici in bono, qui benè ac legitimè ſubiiciuntur. Tantoque magis cæteris paribus, res quælibet per ſubiectionem perficitur, quanto nobilius eſt bonum, ad quod talis ſubiectio per ſe ordinatur : Magis enim, v. c. perficitur, qui ad acquirẽdas ſcientias, quam qui ad opificiũ aliquod mechanicum addiſcendum ſuo bene ſubditur directori. De hoc vtroque pronuntiato vide S. Thom 1. 2. q. 921. art. 1. in Corpore, & 2. 2. q. 81. art. 7. in Corpore.

7. *Obedientiæ vis eſt infinita.*] Sumitur ex D. Bernardo lib. de Præcepto & diſpenſatione, ſub initium columnæ 4. vbi ait : *Perfecta obedientia legem neſcit : terminis non arctatur, neque contenta angustijs profeſſionis, largiori fertur voluntate, in latitudinem charitatis, & ad omne quod iniungitur ſpontaneo vigore liberalis, alacriſque animi, modum non conſiderans, in infinitum extenditur.* Dicitur autem infinita eius vis, non quia caret omni ſimpliciter fine aut termino? quoniã

tale infinitum non datur in creatis, ſed quia intra limites ſuæ honeſtatis, in omnem partem latiſſimè promptiſſiméque porrigitur.

8. *Verus obediens eſt ſicut inſtrumentum in manu artificis.*] Significat hoc dicto D. Baſilius ſuarũ conſtitutionum c. 23. ad obedientiam perfectam requiri plenam reſignationem, in voluntatem ac manus ſuperioris, ad obſequendum ei promptè & indiſcriminatim in omnibus, in quibus peccatum non cernitur. *Quemadmodum enim oues* (verba ſunt S. Baſilij lo. cit.) *Paſtori ſuo obtemperant, & viam quamcumque ille vult ingrediuntur; ſic qui verè virtutis obedientiæ cultores ſunt, moderatoribus ſuis obſequi debent, nihil omnino eorum inſſa curioſius perſcrutantes, quando libera ſunt à peccato.* Eodem ſpectat illud:

9. *Neſcit inditare quiſquis perfectè didicerit obedire.*] S. Gregorius l. 2. cap. 4. in 1. lib. Regũ. Vbi explicãs illud ipſum & probans: *Vera*, inquit, *obedientia, nec præpoſitorum diſcutit intentionem, nec præcepta diſcernit; quia qui omne vitæ ſuæ iudicium maiori tradidit, in hoc ſolo gaudet: ſi quid ſibi præcipitur operatur.* Indicatur itaque hoc dicto, conditio in obedientia, valdè commendari ſolita, vt ſcilicet obediens non curiosè inquirat cauſas, cur aliquid præcipiatur, ſed ſatis habeat præcipi à legitimo ſuperiore; dummodo conſtet rem per ſe non eſſe illicitam. Ratio huius ex eo peti poteſt, quia vt dicitur in Regula D. Benedicti.

10. *Obedientia quæ maioribus præbetur, Deo exhibetur.*] Colligitur ex Apoſtolo ad Epheſios cap. 6. vbi iubet etiam ſeruos, obedire dominis ſuis ſicut Chriſto; & ex verbis Chriſti, Lucæ 10. *Qui vos audit me audit*, &c. In quam ſententiam D. Bernardus lib. de præcepto & diſpenſatione, colũ. 6. *Siue Deus*, ait, *ſiue homo Vicarius Dei mandatũ quodcunque tradiderit, pari profectò obſequendum eſt cura, pari reuerentia*

deferendum, vbi tamen Deo contraria, non præcipit homo: cuius rationem mox subiungens: *Quid enim interest*, ait, *vtrum per se, an per suos ministros, siue homines, siue Angelos, hominibus innotescat suum placitum Deus?* Idem passim docent alij Patres, & in primis præclarè S. P. Ignatius in aurea sua de obedientiæ virtute Epistola.

DISTINCTIO III.

De Liberalitate.

1. *VIRTVTIS proprium est magis, beneficio afficere, quam affici.* 4. Eth. c. 1.] Ratio huius est, tum quia generatim, agere nobilius est, quam pati, vt infra dicetur; tum quia virtus ex sua natura inclinat ad eliciendos actus studiosos: atqui beneficiis afficere, actus Liberalitatis est; affici autem beneficio, nullius vt sic virtutis est actus, quin potius sæpe fomes est auaritiæ. Vsui esse solet, tum in acceptandis, tum in recusandis etiam beneficiis. In eandem ferè sententiam verum est istud:

2. *Beatius est dare, quam accipere.* Act. 20. vers. 35.] Ratio tum patet ex dictis: tum quia ordinariè, dare est diuitis, accipere indigentis; tum quia beneficium libenter præstare, in hac vita, maiorem habet similitudinem, cum Deo, qui dat omnibus affluenter, & à nemine accipit: estque genus quoddam beatitudinis, posse omnibus benefacere. Et ita verum est dictum Apostoli. Vnde locum non habet in diuinis, vbi Pater dat esse, & Filius accipit, qui nec indigens est, nec imperfectus; sed per omnia Patri æqualis, vt pulchrè explicat Diuus Augustinus l. 3. contra Maximianum, cap. 14. his verbis; *Scriptum est quidem: Beatius*

Beatum est magis dare quam accipere; sed in hac vita, vbi est inopia, qua vtique melior est copia: melius enim est habere, quam egere, & melius est donare, quam accipere, erogare quam mendicare, vbi autem qui dedit gignendo dedit; & qui accepit, nascendo accepit, non inopi subuentum est, sed ipsa copia generata est: nec potest, qui accepit, ei qui dedit, esse inæqualis, quia & hoc accepit, vt esset æqualis.

3. *Beneficium magis in affectu consistit, quam effectu.*] Indicatur à Seneca lib. 1. de Benef. cap. 6. vbi ait: *Beneficium non in eo, quod fit aut datur, consistit, sed ipso dantis & facientis animo*; Ratio, quia minus iure æstimatur, nuda doni quantitas, quam beneuola largientis voluntas, vt testimonio Christi patet in vidua, quæ in gazophylacium misit minuta duo, Vnde rectè Thomas de Kemp. lib. 1. de Imitatione Christi, cap. 15. *Deus magis pensat, ex quanto quis agit quam quantum facit, multum facit qui multum diligit,* &c. Simili modo:

4. *Beneficij compensatio, magis in affectu consistit, quam in effectu.*] Ratio huius eadem quæ præcedentis; quia nimirum in primis ponderari solet ac debet, quo quisque studio aut beneuolentia conferat aut compenset beneficium, vt rectè docet Tullius lib. 1. de Officijs. Vnde rectè monet Seneca l. 2. de Beneficijs cap. 22. *Qui gratè beneficium accipit, primam eius pensionem soluit: quod gratè autem ad nos, beneficia peruenerint, indicamus effusis affectibus.* Sed de hoc fusiùs infra, Titulo *de ingratitudine*. Vide D. Thomam 2. 2. q. 106. art. 5. & 6.

5. *Ingratum est beneficium, quod diu inter manus dantis hæsit.* Sen. l. 1. de Beneficiis cap. citato.] Ratio est, quia ex affectu potius, quam effectu, beneficij magnitudo pensatur. Signum autem est animi illiberalioris, cunctabundum esse, in humanitatis ac

Digitized by Google

beneuolentiæ officiis exhibendis : vnde illud ; *qui citò dat bis dat, qui tarde vix semel is dat.* Monet itaque effatum , benignè ac promptè succurrendum amicis quando res ita postulat, nec ad precum vsque defatigationem esse cunctabundum.

6. *Carò emitur, quod precario accipitur.*] Pronunciati huius meminit Suarez lib. 1. de prædestinatione c. 6. n. 40. & secundum hoc docet beneficium collatum alicui petenti, gratuitum quidem esse, vt hæc vox excludit debitum iustitiæ, vel gratitudinis : ipsa tamen petitione minui rationem liberrimæ donationis, quia non fit ex sola voluntate , & quasi interna dispositione donantis: sed ob causam aliquam ex parte petentis. Vnde ait, vulgo dicitur, carò emi quod petitur : id quod vel maximè verum est , respectu Dei , intuitu petitionis humanæ , quia oratio verus Dei cultus est, & obsequium ; & sub ea ratione habet vim impetrandi ; ideoque quod sic impetratur participat rationem cuiusdam retributionis. Ita ferè Suarez loco citato.

7. *Beneficium accipere , est libertatem vendere.*] Ratio huius pronunciati perspicua fit ex iis, quæ docet S. Thom. 22. q. 106. a. 3. in corpore quia, vt inquit, *Benefactor in quantum huiusmodi est causa beneficiati, & is qui beneficium accipit, ad benefactorem connectitur tanquam ad suum principium.* Eadem de causa secundum Theologos virtus gratitudinis in Deo propriè & formaliter non reperitur ; quia in suo conceptu formali supponit imperfectionem in persona illius capace ; eius enim officium est , recompensare acceptum beneficium vt ait D. Thomas quæst. citato ar. 1. Vnde respicit eum à quo beneficium accepit , in quantum benefactor est, tanquam suum superiorem, cui ex virtute gratitudinis obligatus est, & obstrictus : & propterea beneficij acceptio dicitur esse li-

bertatis venditio, non quidem formaliter, vt patet, sed causaliter & consecutiuè.

8. *Blanda negatio pro beneficio est*;] Monet adagium benignè & comiter neganda esse, quæ concedi non possunt: inuitus enim negare creditur, qui quantum ratio permittit, ostendunt se se in dona paratum: cõtra verò, *manifestè negare, est irreuerentia* l. 2. Rhet. si namque rem alteri neges, nonne humanitas & morum ciuilitas suadet, saltem verbi beneuolentiam concedere?

9. *Inuito non datur beneficium.*] Est hæc Regula 69. Iuris antiqui Cæsarij sumpta ex Paulo, lege singulari, de assignatione libertorum; huius vsus valet in illos, qui ita inciuiles & difficiles sunt moribus, vt præ morositate non patiantur se beneficiis præueniri, ab illis, qui alioquin & beneuoli forent in ipsos, & benefici.

10. *Liberales, ex omnibus virtute præditis, maxime amantur.* 4. Eth. cap. 1. non procul ab initio:] Rationem assignat ibidem; quia vtilitatem proximo afferunt, ex ipso virtutis actu, & omnes naturaliter amant suos benefactores. Hac de causa, principibus & magnatibus virtus ista cum primis vtilis, & necessaria est: quia ad bonam gubernationem nihil æque conducit quam amari à subditis: liberalitas autem maximè inter omnes alias virtutes reddit possessores suos amabiles, eoque magis, quo maiori cum magnificẽtia, bona distribuunt pretiosiora, & ampliora cõferunt beneficia; hinc intelligitur rectè pronuntiatum esse à Pio II. Pontifice maximo. *Vitia hominum liberalitate tegi, auaritia nudari.* Ita refert Platina in vita ipsius. Ceterum domini liberalis non debet esse dispensator auarus.

DISTINCTIO IV.

De Auaritia, & Prodigalitate.

1. *Auaritia facit homines odiosos.* Boëtius l. 2. de Consolatione, Pros. 5.] Veritas huius patet experientia quotidiana : & ratio est ; quia omnes amicitiæ, vel vtilitate probantur ; vel aliqua honesti aut delectationis spe; quorum nihil est in auaris reperire. Vt non immeritò dixerit Æneas Syluius: *nulla in re auarum placere hominibus, nisi in morte* : ita refert Platina in vita Pij II. Pontificis Maximi, qui ante Æneas Syluius dicebatur, atque hac de causa Auari assimilantur porcis qui & natura sordidi sunt, & quibus quandiu viuunt, nihil penè commodi sperari potest. Vide D. Thomam 1. 2. q. 29. art. 4. ad 3.

2. *Senes naturaliter sunt auari.* 4. Ethic. c. primo.] Vbi docet Philosophus, senectutem & imbecillitatem omnem, siue defectum auaros efficere : nempe secundum naturalem, & ordinariam naturæ inclinationem. Quæ etiam de causa Eth. 8. cap. 3. docet, maximè apud senes vigere amicitiam vtilem, eò quod non sequantur iucundum sed vtile : Ratio naturalis est ; tum quia ordinariè profecerunt præ cæteris multum in isto habitu vitioso : tum quia senes propter naturæ defectum, auidius vndique inquirunt vitæ suæ deficientis subsidia. Sicut & omnis indigens, quærit suæ indigentiæ supplementum, vt docet D. Thomas 2. 2. q. 118. a. 1. ad 3. Eorum tamen auaritia magis vituperanda est, quam iuniorum : absurdum enim est, eo plus quærere viatici, quo minus reliquum est viæ.

3. *Tam deest auaro quod habet, quam quod non habet.*]

Refertur à ſancto Hieronymo ſub finem Epiſtolæ ad Paulinum Presbyterum, quæ ſacris Bibliis præfigi ſolet; vbi id vetus eſſe, & vulgare pronunciatum affirmat: Ratio eſt, quia auaritia non permittit eum frui etiam præſentibus bonis. Vnde 4. Eth. c. primo, dicitur auarus nec ſibi, nec aliis prodeſſe: neque enim ſua diſtribuit in alios, neque dependere audet in vſus proprios. Pulchrè Seneca, Epiſt. 108. *Non vides quemadmodum Theatra conſonent, quoties aliqua dicta ſunt, quæ publicè cognoſcimus, & conſenſu vera eſſe teſtamur. Deſunt inopiæ multa, auaritiæ omnia. In nullum auarus bonus eſt, in ſe peßimus.*

4. *Auaro nihil eſt ſceleſtius:* Eccl. 10. cap.] Nimirum quia paratus eſt, quamuis iniuriam facere propter pecunias: facilè enim amor inordinatus diuitiarum ita creſcit, vt propter illas, homo parui pendat omnia præcepta ſiue diuina ſiue humana: paratus nil non patrare, dummodo id cui inhiat aſſequatur. Vnde additur eodem capite. *Nihil enim iniquius quam amare pecuniam. Hic enim & animam ſuam venalem habet, quoniam in vita ſua proiecit intima ſua.* Eadem de cauſa ab Apoſtolo dictum eſt.

5. *Auaritia eſt idololatria.* Ad Epheſios 5. cap.] Quia auarus auro afficitur præ Deo, omnia paratus propter aurum agere & pati. In eundem ſenſum primo ad Timoth. cap. 6. *Qui volunt*, ait, *diuites fieri, incidunt in tentationem & laqueum diaboli, & deſideria multa inutilia & nocina quæ mergunt homines in interitum, & perditionem.* Nam.

6. *Radix omnium malorum eſt cupiditas.* Ibidem.] Quemadmodum enim radix arborem totam nutrit ramos, folia, & fructus; ita, inquit S. Thomas, 1. 2. quæſt. 84. artic. 1. Vita peccatorum eſt arbor quædam: huius rami ſunt habitus vitiorum; folia, verba mala; fructus verò praua opera: omnia tamen

Digitized by Google

aluntur & fouentur à cupiditatè, quia nullum est malum, ad quod cupiditas aliquo modo non impellat. Vnde meritò auaritia inter peccata capitalia numeratur, quæ sunt veluti fontes & radices cæterorum. Et in hanc sententiam illud Salluſtij in Catilinario: *Pecuniæ, imperij que libido sunt quasi materiâ omnium malorum. Namque auaritia fidem, probitatem cæteraſque bonas artes subuertit: proque his superbiam, crudelitatem, Deos negligere, omnia venalia habere docuit.*

7. *Prodigus longè melior est auaro.* 4. Eth. cap. 1.] Rationem huius assignat ibidem triplicem; prima est, quia & ætate & inopia facilè curatur prodigus: ætate quidem, quia quo euadit maturior, eo fit ordinarie ad tenacitatem pronior; vt patet per explicationem secundi pronuntiati: inopia verò, quæ ex prodigalitate consequitur; quia illa superfluam largitionem reddit impossibilem. Secunda ratio est quia prodigus facile reduci potest ad medium virtutis, ob conuenientiam quam habet cum illa: libenter enim sua distribuit, vt homo liberalis. Tertia est qua multis vtilis, propter suam profusionem; at auarus, nec vlli aliis nec sibi ipsi prodest; vt docetur ibidem, & constat ex dictis.

DISTINCTIO V.

De Gratitudine & Ingratitudine.

1. *QVi grate beneficium accipit, primam eius pensionem soluit.* Seneca lib. 2. de beneficiis cap. 24.] Gaudio enim afficitur liberalis donator videns beneficium suum gratum esse; & aliquid commodi vel oblectationis adferre illi cui donauit, siue donatario, vt vocant; quia tunc censet. non frustra se

collocasse, & fructum quem principaliter, intendit retulisse. Vnde eodem lib. 34. ait: *Vis reddere beneficium? accipe benignè*: nam si benignè acceptes, ipso acceptionis modo illum honoras, & affectui eius quodammodo satisfacis: sin autem repudies, & absque iudicio, ac grati animi significatione acceptes, videris contemnere; vel certè parui facere beneficium. & affectum donantis.

2. *Recusare non decet, quod donatur.*] Monet pronunciatum, boni consulendum esse & benignè acceptandum, qualecunque id demum sit munus, quod gratis offertur ab amico. Item minimè negligendam esse, sed ambobus, vt aiunt, manibus arripiendam quamlibet occasionem commoditatis iuxta illud vulgare: *accipe quam primum, breuis est occasio lucri.*

3. *Hostium munera non sunt munera.*]. Nempe in quantum procedunt ab hostibus, vt tales sunt, etenim illi nocere intendunt, non benefacere. Obseruandus est igitur animus largientis, ne specie beneficij inferatur maleficium. Id quod rectè insinuat Maro lib. 2. æneidos. *Quidquid id est, timeo Danaos & dona ferentes*, translatum vero est dictum propositum ex celebri illo Græcorum prouerbio ἐχθρῶν ἀδώρων δῶρα.

4. *Ingratissimus omnium est, qui beneficiis oblitus est.* Senec. lib. 3. de benef. cap. 1.] Rationem addit ibidem; quia is, cui totum beneficium elapsum est gratus fieri nunquam potest; neque enim talis gratias aget vnquam; neque habebit, neque referet.

5. *Qui festinat reddere, non habet animum grati hominis sed debitoris.* Sen. 4. de beneficiis in fine;] Talis namque non videtur æstimare, id quod in beneficiis est præcipuum, scilicet gratuitum animum benefactoris: ita autem soluit, ac si ille non gratis, sed intuitu compensationis dedisset, deinde ostendit

illud beneficium non esse gratum, & se animo id ipsum reijcere. Nam vt inquit Seneca ibidem: *Reijciendi genus est, potiùs aliud in vicem mittere: & munus munere expungere,* Denique ingratus eiusmodi est in benefactorem; dum videri beneficio affectus non vult, aut illi beneficij ratione obstrictus. Vnde Seneca loco citato.

6. *Qui minus cito cupit soluere, inuitus debet;* &

7. *Qui inuitus debet ingratus est;*] nimirum quia non vult agnoscere beneficium. Sed hæc intelligenda sunt, nisi alter expectet statim remunerationem, vt quando intuitu illud confertur; vel nisi aliæ circunstantiæ aliud poscant: quamquam hoc ingratitudinis genus, hoc æuo minus frequens est. Longe sæpius planè non referendo, quam importunè referendo peccatur.

8. *Benefactori potius retribuendum est, quam largiendum amico.* 9. Eth. c. 2.] Rationem addit ibidem, quia sicuti homo magis tenetur reddere mutuum, quam gratis aliquid donare amico, ita cæteiis paribus, magis oportet retribuere benefactori, quam elargiri alteri cuicunque sodali. *Iustum enim est facere gratiam ei, qui gratiam facit,* Et eodem modo obligatur homo, secundum moralem honestatem, ad retribuendum benefactori, quo secundum legalem iustitiam tenetur ad reddendum mutuum: dixi cæteris paribus, quia ob necessitatem, vel alias circunstantias, donatio gratuita aliquando præponenda est retributioni; vt docet Aristoteles ibidem.

9. *Deo, & parentibus non redditur æquivalens.*] Sumitur ex lib. 8. Ethic. cap. 14. & vlt. sub finem capitis, vbi docet Philosophus amicitiam id exposcere, quod fieri potest, non verò necessariò, quod esset pro dignitate: eò quod non semper exhiberi id possit, *Sicuti in honoribus qui diis & parentibus,* ex-

hibentur; nemo enim secundum dignitatem, ait, *viris-que aliquando retribuit*; Ratio huius patet ex iis, quæ dicta sunt Titulo *de Religione & Pietate*, nomine autem parentum non intelliguntur naturales modò genitores: sed etiam spirituales, qui vel sapientiæ nos, vel virtuti ac Christo genuêre, vt elicitur ex eodem capite, & distinctius ex 9. Eth. c.2. Notat autem rectè D. Thomas, licet parentibus non reddatur æquiualens; si affectus consideretur aliquid etiam maius retribúi posse, & huiusmodi bonam voluntatem sufficere ad gratiæ compensationem. Vide illum. 2. 2. q. 106. art. 6.

DISTINCTIO VI.

De Affabilitate & vitiis oppositis.

1. *Affabilitas est amicitiæ similitudo.*] Ita eam nominat Aristoteles 4. Eth. ca. 6. in eandem sententiam S. Thomas 2. 2. q. 113. ar. 1. ad 1. *Non enim*, inquit, *est amicitia propriè loquendo; sed quædam eius similitudo, in quantum aliquis decenter se habet ad illos, cum quibus conuersatur.* Dicitur affabilitas, esse similis amicitiæ, quia exterius ita se ad omnes gerit, tanquam ad amicos; differt tamen ab amicitia propriè dicta: quia hæc nihil aliud est, quam mutua quædam beneuolentia, in peculiari quadam cõmunione fundata: affabilitas autem est virtus quæ procurat vt conuersatio nostra, in rebus seriis cum quouis homine sit grata, & tempori, locoque ac personis conueniens. Dico in rebus seriis; quia vt in iocis nostra conuersatio grata sit, præstat alia virtus, quam Aristoteles 4. Eth. cap. 9. εὐτραπελίαν vocat.

2. *Quod frequenter dicitur, conturbat audientem.* 5. Topicorum cap. 4.] Rationem huius assignat Isocrates, oratione ad Demonicum, vbi ipsum monet, ne sæpius eosdem, neque verbosius iisdem de rebus alloquatur: *quoniam*, inquit, *omnium rerum est satietas*, verba illius sunt: πλησμονὴ γὰρ ἁπάντων.

3. *Quidquid dicturus es, antequam aliis dixeris tibi dices.* Seneca libr. 1. de moribus.] Monitum istud præstantissimum est, ad discretionem in verbis seruandam, & cauendas aliorum offensas. Vide supra Titulo *de prudentia*, dist. 3. vbi pluribus egi demoderatione sermonis.

4. *Omnis herus, seruo monosyllabus.*] Commune istud pronunciatum, à Græcis acceptum, significat, Magnatibus ac potentibus viris breuissimo sermone opus esse, vt vel imperent aliquid, vel vetent; nec magnam eos decere verbositatem ad subditos, quando sola voluntas iis pro ratione tenenda est. Valet etiam in homines morosiores, qui sibi plus iusto sumentes, vix vno alios dignantur verbo.

5. *Sancta Rusticitas solum sibi prodest.* S Hieronym. Epist. 103. ad Paulinum.] Communis sententia est, magnam affabilitati vim esse, non modo ad amicitiam pacemque generandam & conseruandam; sed etiam ad salutem animarum procurandam: docet enim hæc omnia omnibus fieri, vt omnes Christo lucrifiant. Quod fecit Christus Saluator noster, & Apostoli ac Apostolici viri: at vero sancta Rusticitas in se quidem vtilis ac laudabilis est: in proximos tamen non est ita fructuosa,

6. *Multas amicitias dissoluit inaffabilitas.*] Refert hoc antiquum & commune pronunciatum Aristoteles 8. Ethic. c. 5. verba eius sunt: πολλὰς δὴ φιλίας ἀπεσημείᾳ διέλυσεν. Vox Græca, ἀπεσημείᾳ, non ita commodè reddi latinè potest, neque enim simpli-

citer significat taciturnitatem vel silentium, vt quidam interpretantur; sed illud silentium, cum quis non appellat, nec salutat amicum. Vti enim per mutuas salutationes, & alia beneuolentiæ signa, foue-tur amicitia; ita per eorum intermissionem dissoluitur. Vnde Aristoteles ait ibidem, per diuturnam absentiam etiam necessitudinis obliuionẽ afferri. Itaque sensus huius pronunciati est; amicitias extingui, nisi conuersatione & alloquio mutuo nutriantur.

DISTINCTIO VII.

De Veritate & Vitiis oppositis.

VEritas quoad hunc locum, dupliciter accipitur, primo prout est conformitas intellectus, cum re intellecta, 2o. prout est virtus potestatiua Iustitiæ, qua aliquis ita se exhibet verbis & aliis signis, vt reuera sentit in animo; & dicitur ab aliis veracitas. De ea secundum priorem acceptionem egimus supra Titulo quarto; de ipsa secundum posteriorem hîc agetur.

1. *Veritatis potius ratio, quam opinionis habenda est.* 4. Eth. cap. 3.] Vbi viri magnanimi esse docet Philosophus, veritatis potius habere curam, quam opinionis, aut variæ hominum existimationis, ideoque addit, magnanimos suo loco omnia agere & dicere aperte. In eandem sententiam lib. 1. magnorum moralium cap. 23. ait: *Magnanimos non ita se abijcere, vt minore quam par sit, honore velint honestari, nec rursum quam deceat maiori.* Similia habet loco citato 4. Eth. cap. 3. Monet autem effatum, germanum vbique candorem esse colendum, & hipocrisim ab omni prorsus humana conuersatione liminandam.

Digitized by Google

2. *Exemplorum non requiritur veritas, sed claritas*] Sumitur ex primo priorum Analyt sect. 3. c. 39. vbi dicuntur litteræ A, B, C, nihil ponere, ex quo sequatur secundum illas aliquid veri aut falsi: nam vt recte notat S. Thomas, in librum 2. de generatione & corruptione: Aristoteles non multum curauit, vtrum exempla secundum rei veritatem, talia essent: modo rem bene declararent, ac proinde monet in 7. Met. lect. 2. text. 7. exempla Aristotelis, non semper accipienda esse secundum veritatem, sed secundum similitudinem proportionis. Ratio est quia exempla vsurpari solent, non quod ipsa sint vera, sed vt veritas rei, quæ proponitur, per ea suo modo euadat manifesta.

3. *Mendacium per se improbum est & vituperabile* 4. Eth. cap. 7.] Sensus est omne mendacium esse intrinsecè & ex natura sua malum, ita, vt nulla talis possit contingere circunstantia; in qua mentiri liceat. Vnde Eccles. 7. 14. dicitur: *Noli velle mentiri omne mendacium*, & 1. Ioan. 2. 21. *Omne mendacium ex veritate non est*: ac propterea Ioan. 8. 44. diabolus dicitur *Pater mendacij*. Ratio est; quia mendacium ex suo obiecto, quod est loqui contra mentem, habet intrinsecam deformitatem & malitiam, inseparabilem ab omni mendacio: in quo differt multum ab aliis actionibus, vt est acceptio rei alterius, occisio hominis, iuramentum, &c. quæ possunt aliquando honestè fieri: quia potest eorum ratio formalis obiectiua mutari. Atque hinc docent SS. Patres, aliique Theologi. Hæreticum esse, si quis dicat, Deum vel per se vel per alium mentitum fuisse, aut falsum dixisse: imò ne quidem de potentia absoluta mentiri posse, quia directè repugnat vni attributo Dei, quod est esse primam veritatem. Ita Diuus Augustinus lib. 15. de Trinit. c. 15. & alibi. Anselmus lib. 1.

Digitized by G

Cur Deus homo cap. 12. & alij. Vide Suarem disp. 3. de fide sect. 5. n. 9. & seqq.

4. *Mendacem oportet esse memorem sui.*] Vetus istud pronunciatum refertur à Quintiliano, Institutionum oratoriarum lib. 4. item ab Apuleio, Hieronymo & aliis. Indicat autem perdifficile esse, vt qui mentitur semper sibi constet, nisi magna sit memoria & iudicio, nam & rerum fictarum memoria, non paulo difficilior est quam veratum: Et.

5. *Mendacij & verisimilitudinis difficilis est coniunctio.*] Huius effati veritas, satis superque comprobata est, exemplis non veteribus modo; sed viuis etiam & quotidianis; dum enim occulti facinoris rei vel examinantur ab aliis, vel sua ipsi sponte eius mentionem faciunt; aut casu in sermones de eo incidunt; Ita ex iusto Dei iudicio, sui immemores sunt & inconstantes, ita in dicendo offendunt, vt facile de crimine à se admisso, aliis suspicionem moueant, ipsique prodantur; vt pulchre ostenditur l. 1. vitæ S. Caroli Borromæi, sub finem, vbi hoc refertur pronuntiatum, & aliquot exempla huiusmodi quorundam facinorosorum, qui in necem sancti Viri, conspirauerant, enarrantur que. Ratio huius naturalis est; quia plura falsis repugnant, quam veris: veris siquidem sola ea, quæ falsa sunt, aduersantur: at falsis non vera solum; sed etiam falsa, quare qui falsum dicit, facilè sibi contradicit, nisi defendendo mendacio valde inuigilet. Quocirca rectè ab Augustino dictum est.

6 *Laboriosa sunt figmenta mendacij.*] Est hæc sententia 66. inter eas, quas ex operibus S. Augustini collegit D. Prosper: *qui autem verum vult dicere, non ita laborat*, vt refertur eodem numero: quietiores enim sunt boni quam mali, & absolutiora sunt verba veridicorum, quam commenta mendacium. Iux-

ta illud Euripidis.

7. *Veritatis est simplex oratio.*] Fallere enim non vult, sed ex suo animo vir bonus candidè omnia metitur; idcirco oratio illius non fucata est, non ad gratiam composita; sed artis expers, vt cum re ipsa aiens neganſque consentiat, & ficum, vt veteri verbo dici solet, ficum appellet.

8. *Facilè enunciant qui ad pauca respiciunt.* Elicitur ex 1. lib. de gen. & corr. cap. 2. 4. 5. & 6.] Vbi Aristoteles Platonem & alios antiquos carpit Philosophos, quod de generatione & corruptione, aliisque mutationum generibus, non nisi superficie tenus definierint, & communi quadam persuasione ac superficiariâ ratione ducti, leuiter multa de rerum natura non sine errore pronunciarint; præter solum quem laudat, Democritum. Valet effatum in eos, qui rudi aliqua cognitione inflati temerè de re quahbet differunt, & in varios errores miserè impingunt.

9. *Falsum qui dicit, nihil dicit.* Refertur à Michaële Ephesio, in 10. Ethic. cap. 2.] Rationem addit ibidem, quia falsum est id quod non est, quod autem non est, nihil est, vnde rectè dicitur illud, mendacium vnius non meretur responsum alterius.

10. *Obsequium amicos, veritas odium parit.* Terentius in Andria.] Hoc effatũ quo verius esse quotidiana experientia cognoscitur, eo magis fucata omnia, ac inania, virtutum manifestantur, non enim amicitia, nisi vulgaris est & plebei, quæ solis obsequiis gignitur, & vtilitate probatur; neque virtute prædītus est is in cuius animo veritas odium generat; siquidem veritas omnis bonitas est, quæ bono vt sic, displicere non potest. Quod si vir probus, ob rei veræ narrationem aliquando iure offendatur, non ob id veritatem præcisè, sed propter narrantis fiet

Digitized by Google

imprudentiam, quâ sublatâ, tametsi veritas in cuiuspiam animo non amorem sed odium paritura videatur, eius tamen potior quam opinionis aut fucatæ amicitiæ ratio habenda est, iuxta primum pronunciatum; & iuxta illud: amicus Plato, magis amica veritas. De quo suo loco.

DISTINCTIO VIII.

De Fidelitate & vitiis oppositis.

1. *Omne promissum cadit in debitum.*] Commune istud axioma iuridicum, refertur à Leonardo Lessio, de iure & iustitia cap. 18. dub. 8. num. 52. Intelligo omne promissum de re licita, qualiscunque illa sit: erit autem de re licita, si nec honestati aduersetur, nec legibus aut canonibus contrarium sit, nec bono publico pernicioſum. Alioqui nec obligat, neque seruandum est: iuxta illud: *In malis promissis rescinde fidem.* De quo vide Becanum lib. 3. Manual. cap. 15. & 22. Porro secundum honestatem ex quâlibet promissione, homo homini obligatur; & est hæc obligatio iuris naturalis, quæ dicitur debitum morale: vt autem aliquis obligetur ex aliqua promissione; obligatione ciuili, siue vt contrahat debitum ex iustitia, quædam alia requiruntur, vt docet D. Thomas 2. 2. q. 88. a. 3. ad 1. quem consule si placet.

2. *Promissio sub conditione operis inducit obligationem iustitiæ.*] Istud commune dictum, verum est, iuxta sensum Axiomatis præcedentis, in rebus licitis, & intelligitur de obligatione iustitiæ aliqualis, & secundum honestatem, siue de cõgruo; non autem

semper iustitiæ proprie dictæ, & rigorosæ, in qua seruatur æqualitas rei ad rem. Vnde licet Deus, exempli gratia, promiserit homini peccatori pœnitentiam agenti remissionem peccatorum: non tamen consequitur homo peccator remissionem peccati mortalis, ex iustitia propriè dicta; neque illa promissio Dei sub illa conditione operis agendi pœnitentiam, inducit proprie obligationem iustitiæ; quia opera hominis peccatoris non habent proportionem ad promerendam de condigno gratiam diuinam, quam habent opera hominis iusti, vide Becan. part. 2. Theologiæ Scolasticæ Tomo 1. tra. 4. c. 5, q. 5.

3. *In malis promissis fidem non expedit obseruare.*] Est Regula 69. iuris in Sexto, pro cuius explicatione notandum est; aliud esse mala promissa, aliud male promissa, illa sunt quæ rectæ rationi & legibus repugnāt, vt si quis promittat se permansurum in hæresi, &c. Et in his rescindenda est fides; quia promissio rei turpis de iure nulla est: non enim censenda est virtus fidelitatis, quæ verbum & promissum implet iniustum, cum ipsa iustitia exigat, ne illud impleatur, vt ait S. Augustin. de bono coniugali, c. 4. Qui proinde in tali casu vult esse fidelis homini, non erit fidelis Deo. Vnde Ambr. l. 1. officiorum cap. 50. & libr. 3. cap. 18. ait: Herodem imprudentem fuisse, in promittendo saltatrici, quidquid vellet; & multo peiorem in implendo promisso; quia nunquam potest esse legitima fidelitatis materia, quæ simul est iniustitia. Malè promissa sunt; cum quis per dolum, vel metum ad rem alioqui licitam promittendam, vel etiam iuramento confirmandam, inducitur, & hæc interdum seruari oportet vt si v. c. latroni pro vitæ conseruatione seriò quis promittat, & iuramento confirmet se daturum certam summam pecuniæ.

4. Non

4. *Non est obligatorium contra bonos mores præstitum iuramentum.*] Est Regula 58. Iuris in 6. & intelligitur de bonis moribus naturalibus, quibus homo denominatur bonus, & quorum contrarium est peccatum: non autem intelligitur de bonis moribus ciuilibus, quos tantum expedit esse in republica: vt illa bene sit ordinata politicè. Ratio est, quia accessorium sequitur suum principale; sed non tenet conuentio turpis, siue pactum contra bonos mores, cum ea quæ contra bonos mores sunt impossibilia dicantur de iure; ergo nec ipsum iuramẽtum obligat, quod est accessorium. Item .

5. *Iuramentum non est vinculum iniquitatis.*] Est commune Theologorum, ac Iuris doctorum axioma, quo significant, quandocunque id quod iuramento alicui promittitur, sine promittentis peccato fieri nequit, iuramentum esse inualidum & irritum; vel, vt loquuntur Iura; *non esse seruandum iuramentum, quoties vergit in dispendium salutis æternæ.* Vergit autem si eius obseruatio, de se peccatum sit mortale, vel veniale. Ita colligitur ex capite, *Cum contingat* de Iure iurando, & c. 2. de Pactis, in 6. Ratio huius & superioris axiomatis est, quia nemo obligari potest ad vllum peccatum, id siquidem inuoluit contradictionem. Lessius de Iure & Iustitia, lib. 2. cap. 17. dub. 7. n. 50.

6. *Bona fides non patitur, vt semel exactum iterum exigatur.*] Est regula 83. Iuris in sexto, vbi intelligitur & explicatur, de pœnis & debitis, ad quæ est quispiam obligatus, v. c. Petrus & Paulus si obligati sint alicui, ad soluendam aliquam summam pecuniæ, & Petrus debitum totum persoluat, non poterit iuxta hanc Regulam peti à Paulo pecunia soluta. Hoc scitum moraliter ad multa alia pulchrè accommodari potest.

7. *Frustra sibi fidem quis postulat ab eo seruari, cui ipse non seruat.* Est hæc Regula 75. Iuris in sexto.] Ratio est, quia æqualis vtrimque ponitur obligatio. Sic v. g. non minus obstrictus est Dominus Vasallo, quam Vasallus Domino suo: nam sicuti Vasallus debet suo Domino fidelitatẽ; ita similiter Dominus ex sua parte debet esse fidelis Vasallo; & sicut Vasallus priuatur feüdo propter infidelitatem commissam in Dominum, ita etiam Dominus priuatur superioritate, ob similem causam. Vnde non malè inquiebat ille: *Tu mihi non es consul, nec ego tibi ciuis sum.*

8. *Studiosè agendum est, vt quæ promittuntur, opere compleantur.* Istud M. Gregorij dictum refertur cap. *Qualiter*, de pactis.] Ratio est, quia id necesse est, ad hoc, vt totius Reip. bonum consistere possit, omnesque rectè suis officiis ac muneribus fungantur, & eorum obligationibus plenè satisfaciant, superiores erga subditos, & hi erga illos, paréque erga pares, vnde merito Tullius, *Fidelitatem iustitiæ fundamentum*, appellat. In eandem sententiam Seneca inquit:

9. *Fides sanctissimum humani pectoris est bonum.*] Ad Lucillum Epist. 89. explicat ibidem & probat; nulla, inquiens, necessitate ad fallendum cogitur, nullo corrumpitur præmio, Vre, cæde, occide, non prodet, sed quo magis secreta quæret dolor, hoc illa altius condet.

10. *Fidem qui perdit, nihil vltra potest perdere.* Seneca in Prouerbijs.] Turpissimum enim est, fidem fallere, vt qui semel iustæ fidelitatis limites excessit, nihil amplius honesti possidere iudicetur, in quem sensum rectè pronuntiauit Demetrius, mendaces etsi vera dicant, non tamen fide dignos haberi: omni siquidem auctoritate destituti sunt, siue in agendo cum alijs, siue in dicendo.

DISTINCTIO IX.

De Iustitia vindicatiua.

1. *Vigor Iustitiæ necessarius est in ciuitate.*] Sumitur ex l. 7. Polit. cap. 8. & intelligitur potissimè de Vigore actuum Iustitiæ vindicatiuæ, vt sunt pœnæ & supplicia, quibus coërcentur mali. Verum etiam nihilominus est, de omnibus aliis iustitiæ, distributiuæ & commutatiuæ actionibus. Sine his enim Reip. salus & incolumitas conseruari nequit.

2. *Vbi rigor, ibi etiam est vigor.*] Quam verum sit istud prouerbium, videre licet non modo in gymnasijs & palęstris, ac cuiuscunque ordinis conuentibus, verùm etiam in rebus publicis, & generis cuiusuis Dynastijs. Nam si Magistratũ aut Principem nactæ sint languidum, & vitijs indulgentem, languere solent & illæ, & turpitudini & dedecori seruire: sin autem Dynasta vigilans sit, & serius in rebus gerendis, rigidusque legum obseruator, ac iustitiæ vindex ijs iura dicat. Vigilant & illæ vt plurimum, ac vigent in ijs & negotia publica, & studia virtutum; vt perspicuum fit ex ijs, quæ diximus supra *de Prudentia Gubernatrice.*

5. *Bonis nocet qui parcit malis.*] Ita habet symbolum D. Cælij Imperatoris, vt videre est classe prima Symbolorum Imperatoriorum, num. 35. Ratio patet ex dictis. Etenim vt verissimè Tullius inquit, l. 3. de natura Deorum: *Nec domus, nec Respublica stare potest, si in ea nec recte facta præmia existant vlla, nec supplicia peccatis.* Eodem sensu verum est dictum vetus: *tam omnibus parcere crudelitas est, quam nulli.* Deus lenis & misericors appellatur Ionæ 4. 2. Exod. 34. 6.

& alibi. Ad eiusdem in contumaces, iram, hoc est puniendi voluntatem passim describunt Sacræ litteræ. Numerorum 14.18. Rom.13.4. Et huius iræ minister constitutus est Magistratus. Rom.13.4 Moyses ab eximia mansuetudine commendatur: at idem pœnas de sontibus exegit, etiam capitales.

4. *Qui vehementer emungit, elicit sanguinem.*] Sæpe inquit Gregorius, subiectos frangimus, dum plus iusto vigorem Iustitiæ tenemus, qui profecto vigor iustitiæ non erit, si iusti moderaminis cancellos egrediatur, iuxta illud:

5. *Iustitia sine compassione crudelitas est.*] Medium igitur, vt in aliis virtutibus: ita hic quoque studiosè tenendum est. Tenebitur ab illo superiore, qui in toto gubernationis cursu Deum imitabitur attingentem omnia fortiter, suauiterque disponentem vniuersa.

6. *Pronius est iniuriæ, quam beneficio vicem reddere.*] Pronuntiatum hoc ita verum est, vt probationis minimè indigeat. Ratio eius sumitur à peruersa hominum, & corrupta natura, quâ ad malum procliuiores sunt quam ad bonum.

7. *Melius est sanare vitiosas partes, quam exsecare.*] Dictum hoc, si sensum literalem spectes, medicum est: at si moralem non medicis modò, sed omnibus omnino accommodatur. Indicatur quoad sensum à Cicerone l. 2. ad Atticum Epist. 1. vbi de noxijs Reip. membris disputans, non minus probandam esse, ait medicinam, quæ sanat vitiosas partes, quam quæ exsecat. Pulchrè in hanc sententiam digreditur Maximilianus Sandæus in Auiario verbo: *Phœnix* vbi de Immaculata Beatæ Virginis conceptione disserit. Quod si vulnus immedicabile sit, ense recidendum est, ne pars sincera trahatur.

8. *Dij lanteos habent pedes, at ferreas manus.*] Indicat

hoc dictum, Deum lentè quidem procedere, ad vindictam peccatorum: eam tamen metuendam esse, atque terribilem si ad Dei patientiam nulla emendatio consequatur. Exemplum huius luculentum habemus in Heli summo Sacerdote ac filiis eius, quibus ob grauia multorum annorum scelera, cum ingenti Israëlitarum clade subito interitu extinctis palam factum est tardè ad vindictam diuinam iram procedere, sed tarditatem supplicij grauitate compensare. Vide, si placet, Salianum Annalium Ecclesiasticarum To. 3. Anno Mundi 2939.

DISTINCTIO X.

De Æquitate.

1. *Æquitas est quædam Iustitia, 5. Eth. cap. 10.*] Æquitas virtus est, quæ inclinat ad agendum, contra verba legis, eò quod bonum commune vel ratio virtutis id postulet. Hæc dicitur esse quædam iustitia, quæ satisfacit menti Legislatoris, estque melior iustitia legali, si hæc accipiatur pro ea, quæ solum satisfacit legi scriptæ: melius enim est sequi mentem Legislatoris, secundum altiorem finem, quam sequi verba secundum finem inferiorem: si autem iustitia legalis accipiatur generatim pro virtute, quæ satisfacit verbis legis, vel menti Legislatoris; sic æquitas est pars Iustitiæ legalis, vt rectè docet S. Thomas 2.2. q. 120. a. 1. ad 2. Eodem modo

2. *Æquum est quoddam iustum. 5. Eth. c. 10.*] Dicitur æquum esse quoddam ius, siue iustum, quia est conforme menti Legislatoris, quæ est legis anima, vel potius altior quædam lex, quam ipsis verbis continetur. Vnde etiam:

Digitized by Google

3. *Æquum est melius quamuis legitimum.* Ibidem.] Quia nimirum altiorem finem respicit, vt paulò ante dixi: legitimum enim ius verbis legis & proximo legis fine continetur: æquum verò continetur sola mente Legislatoris, & ex altiori motiuo operatur. Vnde etiam dicitur:

4. *Æquitas est correctiua iusti legitimi.* Ibidem.] Nam ius legitimum prætermittitur, vt æquitatis ratio seruetur; Exempli causa: Lex esto nemo mœnia transcendat; incidit casus, vbi nisi mœnia transcenderis, hostis vrbe potietur: Item lex instituit, vt deposita reddantur, contingit autem, vt qui gladium deposuit, repetat eum dum est in furia; in his igitur & similibus præceptis, siue affirmatiuis, siue negatiuis, æquitas iubet facere contra verba legis; siue quod idem est, iubet corrigere ius legitimum, & præstare id quod vtilius est, ac virtuti conformius. Vide Lorinum in Psalmum 118. v. 1. in fine.

5. *Epiɣκια supplet, quod scriptis legibus deest.*] Sumitur ex eodem libro 5. Ethic. cap. 10. & traditur ab Augustino Hunnæo in 2. 2. quęst. 120. art. 1. Quoniam leges statutæ sunt ad directionem actuum humanorum, qui infinitis modis in individuo variari possunt, fieri non potuit, aliquam legis Regulam instituui, quæ in nullo casu deficeret. *ἐπιείκεια* igitur siue æquitas, communem iustitiæ æquabilitatem tuetur, supplendo, ex recta ratione, quod verbis scriptarum legum deest, vt constat ex dictis.

6. *In legem committit, qui verba legis amplexus, contra Legislatoris nititur voluntatem.*] Traditur à D. Thoma 2. 2. quæst. 120. artic. 1. ad primum: & sumitur ex Codice lib. 4. Titul. 17. de legibus & constitutionibus Principum. Quia enim Legislatores, attendentes ad id, quod in pluribus accidit,

Digitized by Google

leges posuerunt vniuersales ; vt docet Aristoteles lib. 1. Rhet. cap. 1. paulò ante medium : & quia Regulæ vniuersaliter positæ multas patiuntur exceptiones ; dubium non est, quin pluribus in casibus, sequi verba legis contra æqualitatem iustitiæ sit, & & contra bonum commune, quod lex intendit, vt patet in exemplis paulò ante allatis.

7. *Summum ius, summa iniuria.*] Celebrem hanc Iuris antiqui sententiam refert Franciscus Patricius de Regno lib. 2. cap. 17. vbi de æquitate agit, & necessarium esse vt illa in iudiciis dominetur ostendit. Alioqui si extremo Iure, iuxta scriptas leges agatur, iniuriæ & iniustitiæ malum incurritur. Itaque per summum ius iniqua & rigorosa nimis contra mentem Legislatoris iuris administratio intelligitur. Aliàs enim, *Qui ius suum quærit, non facit alteri iniuriam.* Si nimirum absque violentia vel dolo, ordinaria via iuris procedat ; vt docet Paulus lib. 56. ad edictum, & refertur Regula 155. Iuris antiqui.

8. *In omnibus quidem : maximè tamen in iure æquitas spectanda est.*] Est hæc Regula 90. Iuris antiqui, cuius ratio perspicua fit ex dictis ; quia nimirum æquitas ex natura sua est correctiua iuris legitimi, quod videlicet vel lege scriptum est ; vel ex lege scripta subtili, & stricta interpretatione deducitur ; & quia summum ius summa est iniuria, vt explicatum est.

Digitized by Google

TITVLVS XXVIII.

DE TEMPERANTIA.

DISTINCTIO PRIMA.

Quid Temperantia & quæ eius Partes?

1. TEmperantia est virtus, quæ inclinat ad seruandam mediocritatem, circa voluptates & dolores, qui gustu & tactu percipiuntur: ita tamen vt frequentius in voluptate moderanda, quam dolore versetur: versatur autem circa dolores, non vti fortitudo, quæ elucet, in ijs constanter perferendis; sed facit ne temperans nimium doleat, ob absentiam delectationum.

2. Temperantiæ generatim opponuntur duo vitia. Intemperantia scilicet, & stupor. Intemperantia est excessus, in fruendis delectationibus gustus, vel tactus. Stupor est talis fuga delectationum, vt nolit quis eis vti, quando vel vbi, vel quantum secundum rectam rationem oportet.

3. Partes integrantes Temperantiæ sunt duæ. Honestas & Verecundia: Nam officium temperantiæ totum integrant, amor decoris temperantiæ, & fuga turpitudinis intemperantiæ; ad priorem actum spectat honestas, ad Posteriorem verecundia: Sumitur autem hic honestum, non prout virtuti commune est; sed presse, vt in eo elucet, peculiare decus temperantiæ.

4. Partes subiectiuæ, siue species Temperantiæ sunt 4. Abstinentia, Sobrietas, Castitas, Pudicitia.

5. Partes poteſtatiuæ Temperantiæ ſunt 6. Continentia, Humilitas, Manſuetudo, Clementia, Modeſtia morum, & Modeſtia cultus.

DISTINCTIO II.

De Temperantia generatim.

1. *Temperati eſt, appetere quæ oportet, & ſicut oportet.*, Sumitur ex 3. cap. 11. vbi circa finem capitis dicitur.] Vir Temperans mediocriter, & quemadmodum oportet, eas res appetere, quæ voluptate quidem afficiunt: ad ſanitatem autem & bonã corporis habitudinẽ faciunt; quæque honeſtatis cancellos, ac facultatis metas non egrediuntur. Ratio eſt; quia cum omnis virtus in mediocritate conſiſtat, Temperantis eſt, in appetendo, medium cum diſcretione ſeruare. Vti enim viuẽte puerum ſub pedagogi præceptis oportet, ſic & cupiendi vis cupere debet, perinde ac ratio iubet. Ita Ariſtoteles eodem li. c. 12. ſub finem cap. & totius libri.

2. *Temperantia optimum eſt vitæ tuendæ medium.*] Traditur à Galeno, ad Trajanum c. 42. Ratio eſt; quia tollit omnium morborum in corpore ſano pullulantium cauſas, & ipſos pletoſque morbos. Quemadmodum enim omnes pene ægritudines oriuntur ex nimia repletione. Sic contrà ex victus parcitate, acquiritur humorum omnium ſymmetria, quæ vbi eſt, ibi morbus ab intrinſeco bonum non habet. Nam vt rectè idem Galenus ait:

3. *Nemo morbo corripietur, qui caverit accuratè cruditates.*] Lib. 1. de cibis, boni & mali ſuccꝰ: atqui per intemperantiam, maximè cruditates generantur: ſicuti per ſobriam dietam vel præcauẽtur; vel etiam,

Digitized by Google

si contractæ sint, attenuantur, cum tempore, & absumuntur. Facit enim dieta sobria, vt perfecta fiat concoctio, & facilè digeratur, quidquid ex prima vel secunda, vel tertia concoctione superfluum est, quod alioqui variorum morborum seminarium est, vt docent Physici. In eandem sententiam rectè Hippocrates.

4. *Studium sanitatis est, comedere citra sanitatem.* Lib. Epidem. sect. 4.] Quia nimirum, ita plurimi vel arcentur, vel etiam præcauentur humores noxij, qui naturam alioquin grauant, & calorem natiuum opprimunt, vis item naturalis & animalis conseruatur integra, & sui iuris, vitamque extendit, quamdiu naturaliter produci potest. Addit verò ibidem Hippocrates; *Et impigrum esse ad labores.* In quem sensum Aristot. sect. 19. Problem. 38. *Cum ordinate,* inquit, *laboremus, bibimus, edimus, naturam, viresque nostras conseruamus: cum verò inordinatè agimus, depranamus naturam, atque de suo statu dimouemus*: Cuius ratio ex eo fit perspicua. Quia:

5. *Ordo est aptarei conformitas cum natura.* Galenus l. 3. de causis pulsuum c. 14.] Vnde id quod inordinatum est, in quantum tale, non habet conformitatem cum natura: quod autem naturæ conforme non est, diu subsistere non potest. Vulgi opinio est, homines ordinato siue temperato victui assuetos, faciliùs lædi à casibus inordinatis, vt ab aëris intemperie, &c. quam illos qui nullam seruant dietam: sed omnino erronea est, & rectę rationi cõtraria: licet enim huiusmodi faciliùs intẽperiẽ sentiãt. Vti in veste splẽdida, conspicua fit macula etiam minima: minus tamen læduntur, ac ij, qui viuunt inordinatè; cuius ratio est, quia, qui morbo viciniores sunt, facilius infirmãtur: atqui inordinatè viuentes, morbo sunt viciniores, & magis eidẽ obnoxij. Item quod perfectius est, hoc in

neceſſitate firmius; ſed quod ordinatum eſt, id perfectius, & naturæ accommodatum magis. Iuxta illud: *Corpora ſana permultos ferunt errores*: hinc verò non obſtat, quod facilè id dicatur lædi quod tenuium eſt partium, vt explicabitur ſuo loco.

6. *Temperantia omnium virtutum eſt fundamentum.*] Inde iam àpriſcis ſeculis ita appellatam eſſe teſtis eſt Philo, in libello de ſupplicum virtutibus, vbi *Continentiam*, inquit, *primum tanquam fundamentum in anima collocant, deinde cæteras virtutes ſuperſtruunt.* Ratio, quia omnia ad virtutum acquiſitionem, & vſum neceſſaria ſiue quoad corpus, ſiue quoad animum, ab ea dependent. Etenim corpus reddit agile, vegetũ, & ad omnia bene diſpoſitum: morbos pellit, vitam longæuam & florentem adducit: ſicut è contra. *Intemperans adoleſcentia effœtum corpus reddit*, vt inquit Cicero de Senectute. Præterea ſomnos illa placidos inducit, epulas communes reddit ſuaues, ſenſibus incolumitatem, memorię vigorem, ingenio perſpicuitatem confert; affectus animi & paſſiones mitigat, ac domat. Denique corpus & animam maximis bonis replet, vt non immeritò, ſcientiæ, ſapientiæ, & omnium virtutum principium dici poſſit, ac veriſſimum ſit illud S. Cypriani, ſerm. de Ieiunio. *Quotquot viros ad culmen virtutis vidimus pertigiſſe, ſine ieiunio non legimus aſcendiſſe, nec aliquid magnum moliti ſunt, niſi prius abſtinentia præceßiſſet.*

DISTINCTIO III.

De Speciebus Temperantiæ.

1. *Abſtinentia eſt mater ſanitatis.*] Nimirum ſi rationabilis illa ſit, & ordinata: hæc

enim & ad bonam concoctionem iuuat, & à crudita-te præcauet, & morbos debilitat contractos. Est cõmune Medicorum pronuntiatum, quod sumitur ex Galeno lib. 6. de sanitate tuenda cap. 13. & lib. de attenuando victu cap. 1. vbi fusè docet, victus parcitate sanari omnes fere morbos, & præpediri contrahendos. Idem præclarè ostendit Lessius, in suo Hygiastico: melior autem est rationabilis quotidiana, cum moderatione refectio; quam per interualla arduum longumque Ieiunium. Per hoc enim & mentis labefectatur constãtia, & lassitudine corpus eneruatur; vt rectè notat Cassianus, & alij de hac virtute. S. Augustinus ad Deum loquens: *Hoc me docuisti*, ait, *vt quemadmodum medicamenta, sic & alimenta sumpturus accedam*, l. 10. Confess. cap. 31. Cæterum quod de abstinentia propriè dictâ hic dicitur, idem de cæteris Temperantiæ speciebus congruè intelligitur.

2. *Natura paucis est contenta.* Boëtius l. 2. de Consolatione. Prosa 5.] Veritas huius quotidiana patet experientia, in plebeis & rusticanis, qui cum simplicissimo vtantur alimento: maximè tamen robusti sunt & vitales. Persas olim, Xenophon negat quidquam præter panem adhibere solitos, & præter nasturtium; & nihilominus optima valetudine vtebantur, ac diutissimè viuebant, vt refert Muretus in sua Ethica, pag. 255. sic hodiéque Iaponij, Sinenses & alij multi temperatissimo victu, vitam in tertium vsque seculum incolumes producunt; vt notat Lessius in suo hygiastico. Et ratio est; quia varietas ciborum, qualitatibus contrariis pugnantium, conturbat ventriculum, & impedit digestionem: vt docet Aristoteles in problemat. sect. 10. tex. 15. vbi ait, *Cibi qui inter se distant, corrumpere se solẽt; nã varius cibus grauis est, turbulenta enim, nec æqualis eius cõcoctio egunt.*

3. *Subtilitas animi ciborum copia impeditur.* Seneca Epistola 92.] Ratio est, quia ob nimiam alimenti copiam, anima tota circa vegetationem distinetur, vt intelligendi officio satisfacere non queat. Pulchrè id explicat Horatius his verbis. l. 2. serm. Satyr. 2.

Quin corpus onustum
Hesternis vitijs, animum quoque prægrauat ipsum
Atque affigit humo diuinæ particulam auræ.

4. *Pinguis venter non gignit sensum tenuem,*] Monet hoc dicto S. Hieronymus, luxu corporis hebescere mentis aciem, iuxta explicationem præcedentis. Etenim officium hominis maximè diuinum; quod est sapere & intelligere, difficilè redditur, si vasta corporis moles assideat: *Quoniam pondus tardiorem reddit & mentem & sensum communem*, vt docet Aristoteles l. 4. de Part. animalium cap. 10. atque hac de causa, antiquo diuerbio, homines luxui dediti, & crasso iudicio, lucerna pinguiores dicuntur, quod licet quàm maximè edaces sint nihilo tamen inde habiliores; sed potius sordidiores euadant. Vide Lessij Hygiasticum, numero 22. vbi & illud habet: *Sapientia in ficco residet, non in paludibus & lacunis.*

5. *Cœnæ Platonicæ etiam postridie sunt iucundæ.*] Per Platonicas intellige Philosophicas, & quales à sapientibus frequentari solent ac debent. Protulit autem hoc effatum Timotheus Athenienſis; verissimum, sanè non ex Philosophorum modo; sed & Medicorum sententia: Neque verò postridie, modo iucundæ sunt; sed insuper per totam vitam, etenim nihil penè in vita naturali iucundius est, bona & vegeta valetudine. At hæc per illas in suo vigore, ad extremum vsque senium, conseruatur: sicut è contra intemperantium Cœnæ sæpe in totam vitam noxiæ sunt, & iniucundæ. Vide, si placet, scholam Salernitanam cap. 5.

DISTINCTIO IV.

De vitijs Temperantiæ oppositis.

1. *VOluptas est pestis virtutum capitalis.* Elicitur ex 2. Eth. c. 9.] Vbi, inter media ad virtutem obtinendam idonea, principe loco ponitur fuga voluptatis; vtpote quæ corruptrix est sinceri iudicij, & inimicissima virtuti; vnde Tullius: *Nulla capitalior pestis, quam voluptas corporis hominibus à natura data est, nec in voluptatis regno virtus potest consistere: Impedit enim consilium voluptas, rationis inimica, & mentis, vt ita dicam, perstringit oculos, nec vllum habet cum virtute commercium.* Vide D. Thomam 2. 2. q. 33. art. sexto in Corpore. Eodem spectat istud Taciti:

2. *Animo per libidinem corrupto nihil honestum ineſt.* l. 11. Annal.] Ratio, quia ibi nulla est honestas, vbi nullus est vsus pudicitiæ: atqui, vt docet Philosophus 7. Ethic. cap. 2. Prudentiam impediunt voluptates, eóque magis, quo magis quisque delectatur; quare animus cupiditatum illecebris totus immersus, vti nulla est prudentia præditus, ita prorsus omni honestate est destitutus. Rationem huius insinuat D. Thom. 1. 2. quæst. 72. art. 2. ad 4. quia, vt ait, *in hoc peccato in tantum anima inſeruit corpori, vt nihil aliud in ipso momento cogitare homini liceat.* Intelligitur itaque vtrumque pronuntiatum de voluptate sensitiua, vt præcipuè rei venetiæ, vt perspicuum est ex dictis.

3. *Indulgere voluptati initium malorum est.* Seneca Epist. 3.] Ratio est, quia cum voluptas mentem excœcet, vt virtutis pulchritudinem, ac vitiorum

Digitized by Google

deformitatem non consideret, & ex altera parte suis blanditijs vehementer hominis affectum alliciat; fit, vt nullum sit peccatum, nullum crimen adeo detestabile, in quod hominem non præcipitet. Vnde diuinè Plato escam malorum appellat voluptatem, quod ea scilicet homines capiantur, vt hamo pisces. In eandem sententiam Clemens Alexandrinus, Pædag. lib. 3. cap. 7. *Voluptas*, ait, *naufragium est vitæ spiritualis.*

4. *Plures gula occiduntur quam gladio.*] Veritatem dicti istius experientia manifestat, videmus enim longè plures quam vllus auferat gladius, perire quotidie apoplexia, paralysi, phtysi, colica, dissenteria, diarrhœa, obstructionibus in mesenterio, in hepate, in splene, calculis in renibus, morbis articularibus, & sexcentis alijs, siue febrium, siue aliorum morborum generibus. Hi omnes sunt nobilissimi gulæ effectus, quos comitantur varij capitis dolores, tusses, asthomata, cruditates, & lancinationes in stomacho, & mille alia pectoris, ac totius corporis mala, vt non minus doctè quam verè ostendit Lessius in suo Hygiastico. Porrò effatum propositum desumptum videtur ex illo Eccles. c. 37. v. 34. *Propter crapulam multi obierunt, qui autem abstinens est adijciet vitam.*

3. *Nunquam inuenit finem libido.* Tull. l. 5. Tusc. Quæst. paulò ante medium.] Ratio est, quia appetitus hominis nulla in re terrena perfectè satiari potest. Ideo Heliogabalus, ei qui noua iura dapibus condiendis inuenisset, maximum dabat præmium Xerxes etiam Persarum edicto, ei præmium proposuit, qui nouum voluptatis genus reperisset, quæ nimia deliciarum cupiditas, amplissimi Imperij ruina fuit. Plura de hac re inuenies apud Tiraquellum, lib. de Nobilitate c. 31. n. 430.

DISTINCTIO V.

De Continentia.

1. *Continentia non est virtus, sed quiddam virtutis habet admixtum.* 4. Eth. c. vlt. in fine.] Ratio est, quia voluntatem quidem rationi suo modo conformat; sed appetitum inferiorem contra quem pugnat, rationi non perfectè subijcit, ac domat: & ita à perfectione virtutis moralis deficit, atque idcircò non tam virtus est, quam inchoatio virtutis. Si tamen accipiatur nomen virtutis communiùs, vt passim accipi solet, pro dispositione animi, ad opus rectè rationi consonum; sic continentia virtus dici potest: licet enim non completè perficiat potentiam: disponit tamen eam, ad rationis dictamen sectandum, & passionibus resistendum, quod honestum est & laude dignum, iuxta illud:

2. *Continere omnes cupiditates, praclarum magis quam difficile.* Cicer. ad Q Fratrem Ep. 1.] Nimirum & si difficile sit, nulli seruire cupiditati: regium tamen est, adeoque magnificum, vt illa difficultas, cum hac excellentia in comparationem venire non debeat: nam vt idem ait pro Marco Cælio, siquis hoc robore animi est, atque hac indole virtutis, ac continentiæ, vt respuat omnes voluptates, omnemque vitæ suæ cursum, in labore corporis & animi contentione conficiat, quem non quies, non remissio, non æqualium studia, non ludi, non conuiuia delectent, nihil in vita expetendum putet, nisi quod cum laude & honore, & cum dignitate coniunctum, hunc, mea sententia, diuinis quibusdam bonis instructum atque ornatum puto. Sumitur autem hic à Tullio,

Tullio, continentia latè, & non ſecundum rigorem philoſophicum, prout eſt pars poteſtatiua Temperantiæ. Plura vide diſtinctione de Imprudentia.

DISTINCTIO VI.

De Humilitate & Superbia.

1. *Humilitas eſt laudabilis ſui ad ima deiectio.*] S. Thomas 2. 2. quæſt. 161. art. 1. ad 2. declaratur hoc dicto, ipſa Humilitatis etymologia, Humilitas enim ab humo dicitur; quia per illam ad ima, & veluti ad humum vſque deprimimur; quod poteſt fieri dupliciter, primo ſi contra voluntatem ab alio quiſpiam deprimatur, & hoc modo humilitas eſt pœna, eoque ſenſu dictum eſt, *Omnis qui ſe exaltat humiliabitur*; ſecundo ſi quis ſua ſponte ex conſideratione ſuorum defectuum ſeſe deprimat, & hoc modò eſt virtus, ac rectè dicitur, laudabilis ſui ad ima deiectio, aptiſſimèque à S. Bernardo, lib. de Gradibus Humilitatis, in principio definitur hoc modo.

2. *Humilitas eſt virtus, qua quis veriſſima ſui cognitione ſibi ipſi vileſcit.*] Supponit enim humilitas cognitionem ſui, quæ comparatur optimè, ſi quis coram Deo ſe ſtatuens, conſideret, qualis ſit, tum animo, tum corpore; quia *ad illud Lumen veritatis* (verba ſunt D. Bernardi, ſerm. 42. in Cantica) *conſtitutus homo ſeipſum, & ſine diſſimulatione inſpicit, & ſine palpatione diiudicat.*

3. *Noverim te, noverim me, vt amem te, & contemnam me.*] Aureo iſto M. Auguſtini dicto, indi-

catur fundamentum humilitatis, nempe notitia sui, quæ vt sit perfecta, postulat etiam cognitionem Dei. Vnde fit, vt coniunctissimæ sint Humilitas & Charitas; sicut cognitio sui & cognitio Dei, non possunt à se mutuò separari. Humilitas enim sequitur cognitionem sui; Charitas cognitionem Dei.

4. *Summè humilis, summe est magnanimus.* Indicatur à sancto Gregorio lib. 6. in 1. Reg. cap. 3.] Ratio est, quia etsi ex seipso, nihil se posse, nulloque bono aut honore, dignum se esse agnoscat: tamen ex dono & auxilio Dei plurima potest: (iuxta illud Apostoli ad Philipp. 4. *Omnia possum in eo qui me confortat*) & maximis donis honoribusque dignus est, declarat hoc Gregorius loco citato, dum explicat illa verba, cap. 16. adhuc reliquus est parnulus, & pascit oues: *Meritò*, inquit, *Parnulus iste dicitur oues pascere*, quia

5. *Electus quisque humilis est, sterilis non est.*] Siquidem tantùm abest, vt humilitas reddat hominem segnem, aut timidum, aut pusillanimum, vt ad veram potius summamque animi magnitudinem disponat. Exemplo nobis sint Apostoli, virique Apostolici; qui sola Dei ope confisi stupenda aggressi sunt, & perfecerunt; nam vt verè subdit Gregorius:

6. *Humilis magna agit, sed de se magna non sentit.*] Meritò igitur non solum Paruulus; sed etiam Pastor asseritur, vt concludit Sanctus Doctor ibidem: quia qui verè humiles sunt foris se deijciunt; sed per internam societatem, in summis & æternis pascuis commorantur; nam scriptum est, *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam*: quæ autem gratia nisi vt summa videant, & cognoscant, & diligant, atque ad ipsa dilecta quasi forces

& pingues currant. Hactenus Sanctus Gregorius. Idem porro cernitur in omnibus beatis: sunt enim ex se humillimi, & ex donis Dei summè magnanimi. Imò nulli sunt magis magnanimi, quam illi qui verè humiles sunt: cum enim non suis viribus, sed Dei tantum auxilio nitantur, eiusque omnipotentiam & bonitatem assiduè cogitent, nihil est quod hac ratione impossibile, aut valdè arduum videatur: ac proinde etiam quiduis aggredi cum honor Dei id postulat non reformidant. Vnde illud:

7. *Nihil humilitate altius, nihil arrogantia depressius.*] Sumitur ex citatis paulò ante verbis Magni Gregorij. Ratio, quia cor superbum & arrogans subijcitur stultæ ac vanæ hominum opinioni, & voluntati; eóque magis deprimitur, quo fastuosius inflatur: cor autem humile opinionibus & dictis hominum longè superius est; & cum res magno honore perficiat, nihil minus quam honorem aut gloriam curat; nisi quatenus media sunt, ad opera præclara melius facienda, & proximos adiuuandos. Id enim voluit sapiens, cum dixit; *Curam habe de bono nomine*, Eccles. 41. 15. & ad Romanos Apostolus: *Quandiu ego sum gentium Apostolus, ministerium meum honorificabo*, cap. 19. v. 13. non dixit me ipsum honorificabo: sed meum ministerium; illud superborum est: hoc verò humilium atque magnanimorum.

8. *Virtutum stabile fundamentum est humilitas.* S. Bernardus lib. 5. de Consideratione in fine.] Dicitur humilitas fundamentum virtutum, non quidem directè. (Sic enim sola fides, est virtutum supernaturalium fundamentum, iuxta illud Apostoli, ad Hebræos 11. *Credere enim oportet, accedentem ad Deum quia est.*) Sed indirectè & dispositiuè; in-

directè quidem, quatenus remouet impedimentum virtutum, quod est superbia: dispositiuè verò, quia facit hominem Deo subiectum, & paratum ad eius gratiæ influxum recipiendum, qui est virtutum semen, origo & conseruatio: Eadem de causa Basilius Constitutionum Monast. cap. 17. vocat eam ἀσπαγεφυλάκιον virtutum; quo nimirum tutissimè virtutes custodiantur.

9. *Verè humilis, vilis vult reputari, non humilis prædicari.*] D. Bernardus sermone 16. in Cantica. Talem enim (quantum quidem in se ipso est) ab alijs iudicari se cupit & æstimari, qualem se veritatis sententia, & in oculis Dei nouit esse. Dixi quantum in ipso est, quia non semper expedit, vt alij nostros defectus nouerint, aut nihil nos æstiment, propter ædificationem & fructum aliorum, vt bene notat Sanctus Bernardus sermone 42. in Cantica.

10. *Superbia est radix omnium vitiorum.* D. Gregorius lib. 35. Moralium cap. 35.] Sumitur ex illo Eccles. 10. *Initium omnis peccati est superbia: qui tenuerit eam, implebitur maledictis, & subuertet eum in finem* Et illo Tobiæ 4. *Superbiam nunquam in tuo sensu aut in tuo verbo dominari permittas: in ipsa enim sumpsit initium omnis perditio.* Nam primum peccatum fuit Luciferi, qui peccauit superbia, diuinam similitudinem peruersè appetendo. A peccato autem Luciferi reliqua manarunt, tum in alios Angelos, qui & primò superbia dicuntur peccasse, tum in genus humanum. Cuius & primum peccatum fuit superbia, vt communiter tradunt Theologi. Neque verò tantum radix est, sed etiam regina. Iuxta illud:

11. *Superbia est regina omnium vitiorum.* S. Greg-

lib.31. Moralium,& alibi paſſim.] Etſi ſuperbia ſpeciale vitium ſit, vt communiter docent Theologi ob ſpeciale obiectum & functiones ſibi proprias: Ponitur tamen regina & mater vitiorum omnium, & quadam ratione dici poteſt vitium generale, ob vniuerſalem influentiam, quam habet in omnia vitia, & quia interpretatiuè in omni vitio includitur. Omne enim peccatum tacitam quandam ſuperbiam continet, ipſo opere; quia magna eſt præſumptio, Deum offendere, & velut contra ſe laceſſere. Videri poteſt Sanctus Thomas 2. 2. qu. 162, art. 2. Vbi plures huius rei adfert rationes. Suarez lib. 7. de Angelis cap. 7. 8. & ſeqq.

DISTINCTIO VII.

De Clementia & crudelitate.

1. *Clementia eſt moderatio, aliquid ex debita pœna remittens.* Seneca lib. 2. de Clementia c. 3.] Inſinuatur hac definitione, tria ad Clementiam, vt in actum externum exire poſſit, requiri: primo potentiam puniendi, quæ tantum reperitur in Superioribus. Nam

2. *Clementia eſt propria ſuperiorum.* Seneca ibidem.] Omnium quidem ſed maximè Principum, qui pœnas legibus definitas poſſunt mitigare: ſecundo ad Clementiam requiritur, vt mitior pœna irrogetur, quam iure irrogari poſſit. Eſt namque Clementia quædam gratia & condonatio, non perfecta; quia diſtinguitur à venia; ſed ex parte, itaut iuſtitiæ vindicatiuæ officium non excludat; tertio vt id proueniat non ex amicitia, vel timore, vel ob pe-

cuniam ; sed ex animi lenitate & benignitate. Porrò quam propriè hæc virtus Principibus & Regibus conueniat, bene olim declarauit Fl. Leo 1. Imperator, qui cum alijs virtutibus ornatus, tum clementia in primis, sæpe dicere fuit solitus : Perinde vt sol, quibus affulserit, ijs calorem suum impertiri soleat ; ita ab Imperatore clementiam ijs tribuendam esse, quos aspexerit. Ita refert Zonaras in eius vita.

3. *Sanctius est nocentem absoluere, quam innocentem condemnare.* ff. de pœnis, *absentem* ; cæteris scilicet paribus.] Ratio est, quia in illo elucet virtus clementiæ, & misericordiæ : in hoc verò nulla virtus exercetur, cum sit actus iniustitiæ, vel ignorantiæ, aut etiam alterius vitij. Ab hoc dicto non alienum est Alphonsi, Aragonum Regis: *Malo multos clementia seruare, quam paucos sententia perdere.* Et illud Caroli Quinti, Imperatorum maximi. *Malo vnum Christianorum seruare, quam mille Mauros, Turcasque perdere.* Et illud Rudolphi Caroli Nepotis : *Seuerum fuisse pœnituit, placabilem nunquam.*

4. *In pœnis benignior est interpretatio facienda.* Est hæc Reg. 49. Iuris in sexto.] Cuius ratio est ; quia id fauorabilius & rationi humanæ est conuenientius : proinde in hanc potius, quam in contrariam partem inclinandum ; iuxta illud :

5. *Odiosa restringi, fauores conuenit ampliari.* Est hæc regula 15. Iuris in sexto.] Cuius veritas declaratur exemplo. Esto quidam Doctor Parisiensis ob suam contumaciam eiectus è collegio aliorum Doctorum, & commodis doctoralibus priuatus ; idque simpliciter, sine additione, vtrum in perpetuum, an verò quandiu duraret illa contumacia.

Dubitatur ergo, vtrum illam pœnam oporteat esse perpetuam necne: Respondetur, secundum proposita statuta iuris, illam pœnam censeri debere temporalem, quamdiu scilicet ipse perseueraturus erat, in sua contumacia.

6. *Cum sunt partium iura obscura, reo fauendum potius quam actori.* Est regula 10. Iuris in sexto.] Ratio eius patet ex superiore; quia nimirum secundum fauorabilia est procedendum. Quare vera est hæc regula: nisi actor foueat fauorabiliorem causam. Tunc enim fauendum esset actori, iuxta regulam præcedentem: dicuntur autem hic, iura esse obscura, quando non constat de altertutra parte: Plura de hac materia. Vide supra Titulo *de Prudentia Politica.*

7. *Primis erroribus benignior est Clementia.* Vtitur hoc dicto Salianus in Apparatu ad Annales veteris Testamenti, cap. 10. art. 11.] Vbi de peccato & pœna Angelorum disputans, ait, hanc eorum primam fuisse culpam, & eorum apud quos nullum extat vllius animaduersionis exemplum; quo possint in officio contineri: nulla supplicij minitatio, qualis postea Adamo & Euæ intenta est; proinde si humanum iudicium consulendum esset, lenitate potius quam seueritate opus videretur? Primis enim culpis, ait, non immeritò solet agnosci. Sed dicendum, id locum in ijs maximè culpis defectibusque habere, qui ex passione seu fragilitate, vel ex ignorantia committuntur: non in ijs qui ex mera malitia: de hac autem in Angelos peccantes, seuera Dei animaduersione, illud dicere sufficiat, *Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum.* Psalm. 118.

8. *Crudeles causam puniendi habent, modum non habent.* Senec. lib. 2. de Clementia cap. 4.] *Sicuti in*

Phalari, addit *quem aiunt, non quidem in homines innocentes, ſed ſuper humanum & probabilem modum ſæuiſſe.* Eoſque ita crudeles vocari dicit, qui excedunt in pœnis ob delicta ſumendis: Crudelitas enim propriè reſpicit aliquam culpam, & prætendit ſpeciem quandam iuſtitiæ: at verò, qui non vindictæ aut punitionis cauſa in alios ſæuiunt, vt Buſiris ille, & Procuſtes, & alij, de quibus Seneca loco citato; feri potius & immanes, quam crudeles dicendi ſunt.

9. *Hominum naturæ maximè inimica eſt crudelitas.*] Vt homo placidus, manſuetus, & clemens omnibus eſt amabilis; ita morioſus, aſper, & crudelis vatiniano communitatis odio eſt expoſitus, vt patet experientia quotidiana: Et ratio eſt, quia ſummum inter ſe hominum vinculum eſt humanitas: quod vel maximè lædunt, qui ſine cauſa oderunt hominem, & crudelibus eum ſupplicijs excarnificant: vt fusè oſtendit Seneca l. de Clementia ad Neronem. Proinde pro belluis potius immanibus habendi ſunt, quam pro hominibus, quibus volupe eſt contra leges humanitatis ſæuire: ſicut enim illæ hos dilaniant, nullam iuſtitiæ aut rationis ſpeciem attendentes; ſed ſolam voluptatem, aut ferain naturæ inclinationem: ita qui mera nocendi libidine cruciatus inferunt, & quod truculentius eſt, ſanguine humano delectantur, feris ac belluis quam hominibus, affectu & truculentiâ, ſunt ſimiliores.

Digitized by Google

DISTINCTIO VIII.

De Manſuetudine, & iracundia.

1. *Vir manſuetus maximè eſt compos ſui.*] Vt ira maximè perturbat liberum rationis vſum & exercitium : ita manſuetudo quæ iram moderatur, maximè facit hominem compotem eſſe ſui : eſt enim quieta animi dulcedo, quam nulla vincit aut turbat amaritudo, de qua dicitur Eccleſ. 10. *Fili in manſuetudine opera tua perfice, & ſuper hominum gloriam diligeris.*

2. *Manſueti ingenio quieto ſunt & ſtabili.*] Ratio eſt, quia manſuetudinis eſt, ferre moderatè iniurias, nec rapi celeriter in vltiones, & moribus mitem eſſe, ac ingenio quietum & ſtabilem : ſumitur ex 4. Ethic. cap. 5. vbi addit : *Manſuetum eſſe illum, qui perturbatione vacat, & ab affectu minime ducitur ; ſed vt ratio ipſa ſtatuerit, & quod ad veniam dandam ſit promptior quam ad vltionem.*

3. *Improuidus eſt omnis, qui operatur ex ira.* Sumitur ex 7. Ethic. cap. 8.] Ratio eſt, quia in ipſo non eſt principium talis actionis ; ſed in eo à quo prouocatus eſt ad iram. Item prouidentiam & omne ſanum conſilium ira peruertit, vt quid agendum ſit homo perſpicere non poſſit. Vnde Greg. lib. 1. Moralium cap. 31.

4. *Per iram ſapientia perditur.*] Vt ſcilicet, quid quove ordine agendum ſit, neſciatur, ſicut ſcriptum eſt : *Ira in ſinu ſtulti requieſcit.* Eccleſ. 7. 10. Quia nimirum intelligentiæ lucem ſubſtrahit cum mentem permouendo confundit. Nam iræ ſuæ ſti-

Digitized by Google

mulis accẽsum cor palpitat, corpus tremit, lingua se præpedit, facies igneſcit & nequaquam homo quid agat recognoſcit. Lingua quidem clamorem format; ſed ſenſus quid loquatur ignorat.

5. *Ira eſt omnium vitiorum ianua.*] Videri poteſt de hoc dicto gloſſ. ord. ſuper illud Prouerb. 29. *Vir iracundus prouocat rixas*; vbi dicitur: *Ianua omnium vitiorum, eſt iracundia, qua clauſa, virtutibus intrinſecus dabitur quies: aperta autem ad omne facinus armabitur animus.* Dicitur itaque ira eſſe ianua vitiorum, quia inter cæteras paſſiones propter impetum ſuum magis impedit vſum & iudicium rationis, vt docet S. Tho. 12. q. 48. art. 5. 4. cap. & 2. 2. quæſt. 41. artic. 2. ad tertium, & qu. 157. art. 4. cap. Ideóque indirecte & per accidens eſt principium vitiorum; quia ſcilicet remouet prohibens, id eſt, impedit vſum rationis, per quem homo retrahitur à peccatis. Directe enim & per ſe, eſt cauſa aliquorum ſpecialium peccatorum, quæ dicuntur eius filiæ, de quibus Sanctus Gregorius 31. Moralium, cap. 31.

6. *Patientiæ ignis bonos purgat, malos abſumit.*] Veritas huius dicti compluribus S. Paginæ firmatur teſtimonijs. Præclarum eſt iſtud Iudith 8. v. 22. *Memores eſſe debere quando Pater noſter Abraham tentatus eſt, & per multas tribulationes probatus, Dei amicus effectus eſt. Sic Iſaac, ſic Iacob, ſic Moyſes, & omnes qui placuerunt Deo, per multas tribulationes tranſierunt fideles: Illi autem qui tentationes non ſuſceperunt cum timore Domini, & impatientiam ſuam, & improperium murmurationis ſuæ contra Dominum pertulerunt, exterminati ſunt ab exterminatore, & à ſerpentibus perierunt.* Huc vſque verba Scripturæ, ex quibus etiam clara eſt explicatio propoſiti effati;

de quo plura videri possunt apud Nicolaum Serarium, commentario in verba allata.

DISTINCTIO IX.

De Modestiâ & Immodestiâ.

1. *Vitæ compositio plurimum confert ad existimationem boni viri.* Aristoteles Rhetoricorum ad Alexandrum cap. 27.] Ratio est; quia animus hominis & virtus interiùs latens, oculis cerni non potest: at gravitas, prudentia, moderatio in negotijs & actionibus externis, vitæque ac morum exterior compositio per sese in omnium oculos incurrunt, suntque signa quædam ac notæ ordinariæ, quibus interior animi status declaratur, vt etiam docet Aristoteles, Poët. cap. 4. Hinc quoque Pictores, qui suo alios penicillo delineare solent, non exhibent ipsam carnium, ossium, neruorum & corporis naturam; sed figuram, colorem, situm, pulchritudinem vel deformitatem; idque solum quod sese foras in oculos euibrat, colorum similitudine referunt, neque vllus est, qui possit ab ijs plura iure postulare.

2. *Mores ex motionibus discernuntur.* libro 4. Ethic. cap. 8.] Pronuntiatum explicat D. Thomas: & probat huiusmodi similitudine ex citato capite desumptâ: *Quemadmodum per motus corporales exteriores, discernuntur interiores corpore dispositiones, ita mores interiores ex operationibus cognoscuntur exterioribus.* 4. Ethicorum lect. 12. Eustratius in caput citatum, per motiones intelligit

facetias & iocos, quibus quaſi aptis motionibus ac geſtibus animi elegantia concinnitaſque cognoſcitur; ſed vniuerſim de quibuſcunque motibus exterioribus intelligi poteſt: nam vt rectè Tullius inquit, lib. 1. Officiorum: *Ex oculorum obtutu, ſuperciliorum aut contractione aut remiſſione, ex mœſtitiâ, ex hilaritate, ex riſu, ex locutione, ex reticentiâ, ex contentione vocis, & ſubmiſſione, ex cæteris ſimilibus facile iudicabimus, quid apte eorum fiat, quid ab officio naturáque diſcrepet.* In eandem ſententiam eſt illud D. Ambroſij.

3. *Habitus mentis in corporis ſtatu cernitur.* lib. 1. Offic. cap. 18.] Rationem aſſignat ibidem; quia, vt inquit: *Vox quædam animi eſt corporis motus.* Idem inſinuat Eccleſiaſtici, cap. 19. *ex viſu cognoſcitur ſenſatus amictus corporis & riſus dentium, & ingreſſus hominis annuntiant de illo*: cum enim corpus noſtrum naturali vinculo ſit cum animâ arctiſſimè coniunctum, naturaliter quoque ſecundum ſui capacitatem ab illâ bonum malumque participat. Præclarè Cicero lib. 5. Tuſcul. q. *Qualis cuique animi affectus eſt, talis eſt homo: qualis autem homo eſt, talis eius oratio: orationi autem facta ſimilia ſunt, & factis vita.* Intellige autem hæc abſolutè, & niſi alicuius rei gratiâ ſimulatoriè quiſpiam agat, vt docet Ariſtoteles lib. 4 Ethic. cap. 7. & explicatum eſt ſupra Titulo 2. diſtinct. 3. num. 16. Quanquam & in huiuſmodi quoque non admodum difficile eſt, ex verbis & geſtibus, quid in animo verſent, intelligere: Etenim, vt bene notat Scribanius; alia ferè oratio candidi pectoris, alia ſimulati & fraudulenti eſt: effuſior illa, retractior hæc eſt; illa fiduciâ ſui, tanquam nihil timentis, latè ſe ſpargit, & quaſi per plana decurrit offenſione nullâ; hæc ſiſtit ſæpe cur-

ſum, & dum prodi metuit, variè interſcinditur; cumque inſidias, quas ſtruit, metuit, omnia tuta timet, nuſquam proinde certò pedem figit; ſed tanquam per ſubiectas prunas ſpinaſque graditur, nulli fidens, quia nulli fidit.

4. *Solutè viuentes deſpicabiles fiunt.* Lib. 5. Politicorum cap. 10.] Verba Ariſtotelis ſunt, ἀπολαυστικῶς ζῶντες εὐκαταφρόνητοι γίνονται. Tales autem ſunt, qui non ex regulis prudentiæ; ſed ex paſſionum ſuarum impetu temerè feruntur, vt qui luxui & ſaginæ ſunt mancipati, vel in venerem ac libidinem proiecti; quorum omnium (vt rectè Seneca de breuitate cap. 6. ait) *inhoneſta labes eſt*: quare cum deſpectus ſiue contemptus nihil aliud ſit, quàm opinionis actio in id, quod nullius aut perexigui videtur eſſe pretij, mirum non eſt, ſi ſolutè viuentes deſpicabiles fiant, & ſi in publicis officijs ſint, multas præbeant occaſiones inſidiantibus, vt loco citato, ſubiungit Philoſophus: Rationem aſſignat cap. ſequenti. Nec enim facilis aggreſſu aut contemptu eſt ſobrius; ſed ebrioſus: nec vigilans & excitatus; ſed ſomnolentus, &c.

Digitized by Google

TITVLVS XXIX.

DE QVARTA VIRTVTE CARdinali, Fortitudine.

DISTINCTIO PRIMA.

Varia Fortitudinis acceptio & explicatio.

1. FOrtitudo accipitur, primo pro robore corporis. 2° pro generali constantia. Quomodo accepit Ambrosius lib. primo de Officijs cap. 36. Vbi *Iure*, ait, *ea fortitudo vocatur, qua vnusquisque seipsum vincit, iram continet, nullis illecebris emollitur, atque inflectitur.* 3° accipitur strictè pro dono Spiritus sancti. 4° pro virtute morali, quæ constituit mediocritatem circa timores & audacias; & definitur: *Firmitas animi, in sustinendis & repellendis ijs, in quibus animum regere & statum rationis tenere est difficile.* Huiusmodi sunt pericula & mala mortis, mutilationis, exilij, vinculorum & aliarum calamitatum.

2. Quatuor vitia opponuntur Fortitudini: quia sicut peccatur excessu & defectu timoris, ita etiam excessu & defectu audaciæ. Primum vitium est timiditas, siue excessus timoris, quo reuocatur secundum vitium; quod est defectus audendi, & dicitur propriè ignauia. Tertium vitium est intimiditas, siue vacuitas iusti timoris. Qbartum est

audacia, siue temeritas, quæ consistit in excessu audendi.

3. Magnanimitas, Magnificentia, Patientia, & Perseuerantia sunt partes potestatiuæ huius virtutis, quatenus ipsam virtutem principalem in materia secundaria imitantur: quatenus verò versatur in materia propriâ fortitudinis, ad partes integrantes reuocari debent.

4. Partes subiectiuas propriè fortitudo secundum D. Thomam non habet: quia ipsa est species specialissima, cum versetur circa pericula mortis, quæ omnia sunt eiusdem generis, etsi alia sint alijs maiora.

DISTINCTIO II.

Axiomata de fortitudine secundum se.

1. *Fortitudo est considerata periculorum susceptio & laborum perpessio.*] Ita ex Cicerone, Fortitudinem definit Magnus Augustinus lib. 83. Quæst. qu. 3. vbi per consideratam laborum susceptionem intellige prudentem, congruam viro forti, & eo nomine amatam: si enim suscipias periculum amore patriæ, erit actus pietatis; si amore veræ fidei erit confessio fidei; si amore commodi, non erit opus virtutis, sed amoris sui commodi; si ex audacia, & timoris vacuitate, erit actus temeritatis. Itaque vt sit formaliter opus fortitudinis, debet adiri periculum amore boni fortitudinis, quod in illo opere obiectiue elucet.

2. *Monoceros interimi potest, capi non potest.*]

Istud de Monocerote dictum viris fortibus accommodatur (vti idem de se dixit Epictetus Enchiridij cap. 29.) qui licet corpore vulnera excipere possint, ac sanguinem vitamque fundere : animus tamen eorum vulnera nesciet, nesciet sanguinem, imo gloriæ suæ primam partem in vulnere ponet & sanguine; memor veteris dicti :

Namque in corpore fortium virorum
Laus est amplior, amplior cicatrix.

Magis etiam memor Christi ducis ac Domini nostri cuius summa laus à vulnere & sanguine est, memor etiam illius: *maximum remedium est interioris hominis, si in hac area mundi, varijs passionum flagellis tritu-retur exterior.* Porro Monocerotem belluam esse ferociſſimam, quæ viua capi non possit, auctor est Plinius lib. 8. cap. 21. quem consule si placet.

3. *Fortes in opere feruidi sunt : antea verò quieti.*] 3. Ethic. cap. 7.] Discriminat hoc dicto Philosophus verè fortes ab ijs, quos θρασυδείλους vocat; quasi dicas audaci-timidos; quia audaciam cum timiditate coniunctam habent : Isti enim, vt ibidem Aristoteles ait, sunt perpropari, & antequam res vrgeat, adire pericula volunt, adeoque veluti, leones in pace sunt, in prælio cerui, iuxta prouerbium Tertulliani, in libro de Corona Militis statim post principium. At viri fortes in factis ipsis sunt acres & celeres, ante facta sedati & quieti.

4. *Martyrem non pœna, sed causa facit.* Magnus Gregorius Concion. 2. in Psalmum 34.] Explicat ibidem, & probat : Pœna autem inquit *communis est, latroni & Martyri, hæretico & Catholico ; sed causa dispar.* Nec refert quod hæretici aliquando putent, se causam iustum habere & pro doctrina Christi occidi ; tum quia error est culpabilis; tum quia suppli-

cium

rium non infertur odio veritatis Christianæ; sed hæreseos, & ita moriendo non dant testimonium veritati; Tum denique quia etsi mori videatur, pro aliqua veritate fidei; vt si Anabaptista à Turcis captus ob confessionem Christi mortem subeat: tamen quia veritatem illam non credit fide supernaturali, reuera non moritur pro fide, nec ex motiuo fidei, sed tantum ex humana aliqua persuasione. Cuius indicium est, quia eodem modo paratus esset ad mortem, pro quacunque alia re, quam simili modo credit: etsi contingeret eam Catholicæ veritati repugnare. Vide Suaren tomo 3. in 3. parte dist. 24. 5. 2.

5. *Fortes fortuna adiuuat*:] Non fortuna modo, vt est in communi Prouerbio; sed multo magis ratio, at bene notat Cicero Tuscul. Quæstionum li. 2. Alij ita dictum proponunt: *Audaces fortuna iuuat*; inducti vt credibile est, ex illo lib. 10. Æneidos, vbi pro dictione *fortes*, metri causa, *audentes* ponit Virgilius: sed illud in meliorem partem, non de Audaculorum vitio; verum de virorum fortium generositate intelligendum est; audaces enim temeritate proiecti, in exitium sese præcipitant: at viri fortes quæ prudenter incipiunt ea generosè, ac constanter, quantum in se est, perficiunt.

6. *Vir fortis, subitis in terroribus, magis interritus est, quam in prouisis.* Lib. 3. Ethic. cap. 8.] Rationem assignat ibidem. *Est enim ex habitu magis ac minus ex apparatu: Nam antea visa, cogitatione & ratione quispiam eliget; at ea quæ repente eueniunt, habitu.* Quibus verbis significat, argumento esse, quod in eius animo magis roboratus sit fortitudinis habitus, qui malis subitis minus commouetur, quam exspectatis. Nam, vt rectè Tullius lib. 1. de Officijs, fortis animi & constantis est, non perturbari

in rebus asperis, nec tumultuantem de gradu dejici, vt dicitur, sed præsentis animi vti consilio, nec à ratione discedere: quanquam hoc animi, illud etiam ingenij magni est, præcipere cogitatione futura, & aliquando ante constituere, quid accidere possit in vtramque partem, & quid agendum sit, nec committere aliquid, vt aliquando dicendum sit, non putâram.

7. *Canibus senescentibus vox redditur grauior.* Aristoteles de historia animalium lib. 5. cap. 12.] Docet effatum iuuenes agilitate corporis præpollere; at senes in stataria pugna ac viribus superiores esse. Idem est sensus istius:

8. *Bos lassus fortius figit pedem.*] Vtitur isto sanctus Hieronymus scribens ad Augustinum Epist. 18. lib. primi Epistolarum, à Canisio selectarum: vbi inquit: *Puerilis esse iactantiæ quod olim adolescentuli facere consueuerunt, accusando illustres viros, suo nomini famam quærere*; monétque Augustinum, vt in scientiarum campo, iuuenis senem non prouocet, memor vulgaris illius Prouerbij, quod bos lassus fortius figat pedem.

9. *Bonum est fulciri duabus anchoris.*] Monet hoc dicto Aristoteles, Bonum esse pluribus muniri præsidijs, vt si alterum destituat, altero nitamur: nam vt habet metrum vulgare. *Mens miser est antro qui solo clauditur vno.*

10. *Leoni mortuo & lepores insultant.*] Sumptum est ex Homerica Iliade χ, vbi Hectorem ab Achille iam interfectum, circumsidere scribuntur Græci, mortuo insultantes, nec quisquam erat, qui extincto non aliquod vulnus infligeret. Hoc sensu clara etiam est veritas illius: *Melior est canis viuus leone mortuo.* Eccles. 9. 4.

Digitized by C

DISTINCTIO III.

De vitijs Fortitudini oppositis.

1. *Vrioſorum eſt nihil metuere.* 3. Ethic. cap. 7.] Ex ſtoliditate nimirum; quia furor ſeu inſania facit, vt non concipiant quid ſit periculum, & quæ poſt mortem ſequantur, ſic milites quidam cæco quodam impetu in pericula ſeſe proijciunt; & perſiſtunt, etſi parua ſit ſpes victoriæ; hos Ariſtoteles vocat *εἰ-ſοχυνδύνους*, id eſt, proiectæ audaciæ homines, qui mortis pericula luſum faciunt & iocum; & inſtar belluarum depugnant. At verò, *vir fortis pro dignitate, & vt ipſa ratio iubet, tam patitur, quam etiam agit*, vt inquit Ariſtoteles ibidem.

2. *Fortes non ſunt, qui ira vel dolore in periculum ruunt.*] More videlicet plebeiorum militum, qui temerè ſeſe periculis ſæpius obijciunt, vitamque pro paruo emolumento perdunt, vt ait Ariſtoteles 3. Ethic. cap. 8. ſub finem. Vnde iſtud pronuntiatum deſumptum eſt, additque Philoſophus ibidem: nihil forte prohibere, quando tales præſtantiſſimi milites ſint: & ſi minus ſint fortes. *Vir enim verè fortis quò maiori virtute pollet, & felicior eſt*, inquit, *eo magis mortem timebit*; cum maxime dignus ſit vita, maximiſque per mortem bonis priuetur: Quanquam in hoc vtpote Chriſtianæ fœlicitatis ignarus hallucinatus eſt.

3. *Fortitudo non adeſt hominibus maximè efferatis.* Sumitur ex 8. Politic. cap. 4.] Vbi docet Philoſophus, neque in aliis animalibus, neque in hominibus fortitudinem adeſſe maxime efferatis; ſed po-

tius manſuetioribus, & leoninis moribus, multæque, ait ſunt gentes, quæ ad cædes hominum, & ad eorum coneſtionem inſultant, vt circa Pontum Achæi, &c. quæ quidem gentes clanculum per inſidias latrocinantur: ad bellica tamen opera nihil valent; & infra. *Itaque honeſtas non feritas eſt in certaminibus inferenda*: neque enim lupus, neque beſtia honeſtum periculum ſubiret pugnando, ſed magis vir bonus. Plura de hiſce vide in materia de paſſionibus.

DISTINCTIO IV.

De Magnanimitate & Magnificentia.

1. *Magnanimitas eſt omnium virtutum ornamentum.* 4. Ethic. c. 3.] Etſi quælibet virtus, habeat quendam decorem ſiue ornatum, ex ſua ſpecie, qui eſt proprius vnicuique virtuti: ſuperadditur tamen alius ornatus ex ipſa magnitudine operis virtuoſi per magnanimitatem; *quæ omnes virtutes maiores efficit, & ſine illis ipſa non poßidetur*, vt docet Philoſophus ibidem.

2. *Magnanimi eſt id, quod in quaque virtute eſt magnum.* Ibidem.] S. Thomas in 4. Ethic. cap. 3. exponens hoc dictum Ariſtotelis: *Per hoc*, ait, *magnitudo eſt ſpecialis virtus diſtincta ab alijs, quia tendit ad rationem magni*, in cuiuſlibet virtutis opere, v. c. Fortitudo intendit fortiter agere: magnanimitas intendit magna operari, in fortiter agendo, & ſic de aliis. Indicatur itaque hoc dicto *magnum* ſeu *arduum*, in operibus aliarum virtutum eſſe rationem formalem obiectiuam Magnanimitatis, ob quam ad illam

inclinat, & quam in illis efficere, & velut in ſua materia imprimere conatur.

3. *Magnanimi eſt, neque ſecundis inſoleſcere, neque dejci aduerſis.* Cicer. lib. 1. Off. & Ariſtoteles 4. Ethic cap 3.] Vbi docet Magnanimi eſſe, ſiue in proſpera ſiue in aduerſa fortuna vtrumque contigerit; moderatè ſeſe habere, vt neque proſperis ſucceſſibus lætitia geſtiat, neque in aduerſis vehementiore triſtitia obruatur. Enim verò, vt Olympi cacumen rerum naturalium ſcriptores quietum ſemper eſſe aiunt, propterea quod altius ſit, quam vt eo vis ventorum tempeſtatumque perueniat; ſic animus viri fortis ſublimior & excelſior eſt, quam vt iſtos flatus ſentiat furentium, & de rebus abiectiſſimis inter ſeſe humi digladiantium cupiditatum: ſtat ille, vt in medio mari edita, & altiſſimis defixa radicibus rupes, cuius ſumma fluctus ne attingunt quidem: infima ſic verberant, vt eam non commoueant, ſed vt ipſi frangantur. Eandem doctrinam habet Philoſophus lib. 2. Oeconomicorum cap. 1. vbi docet, animi celſi eſſe, in magnis calamitatibus & iniurijs nihil inconſtanter, & iniuſtè facere. Eodem ſenſu verum eſt iſtud:

4. *Magnanimi eſt magna contemnere.* Seneca lib. 1. de Moribus.] Si magna; multò etiam magis ea, quæ pauca, ſpernuntur, vt ſunt diuitiæ, voluptates, honores huius mundi: & reliqua ad vitam iſtam corporalem & temporalem pertinentia: nihil enim in rebus humanis verè magnum eſt, præter virtutem quæ ſola eſt hominis bonum, & ornamentum quâ homo eſt; animum perficiens, & æternùm permanens æternamque vitam concilians.

5. *Magnanimi eſt, dignum ſe magno honore æſtimare.*] Intellige ſpectato honore quod gerit, vel do-

nis Dei quibus est ornatus : cum hoc tamen stare potest, vt sit humillimus coram Deo, dum considerat, se ex seipso nihil habere boni, nihil posse, nihil esse; sine Deo in profundum malorum, imò in nihilum ruere, &c. Sic sancti in cœlis & humillimi sunt, & tamen ab hominibus coli volunt.

6. *Magnanimi est, acceptum beneficium maiore compensare.*] Ibidem, rationem addit; quia, *accipere beneficia inferioris est, conferre superioris*; ideoque magnanimus maiora beneficia conferet, vt fiat debitor is, qui accepit. Vnde fit, vt non multum meminerit beneficiorum acceptorum, quia maioribus illa beneficijs obruit. Quod intellige de beneficijs humanis & vulgaribus, quæ ipse facile potest vincere.

7. *Magnanimi est neminem aut vix quemquam rogare.*] Vel enim parua sunt, quæ ab illis potest accipere; & ita non curat; vel certè sua industria potest consequi, & sic non vult ab alio pendere, nec alteri molestus esse.

8. *Magnanimi est, non posse alicuius nutu viuere nisi amici.* Ibid.] Seruile enim, id est, ne sine assentatione fieri potest; à qua ille longissimè abest, quod si amici nutû viuere potest, multò etiam magis superioris qui & maximè amicus est, loco Dei præsidet. Vnde patet, religiosam modestiam cum Magnanimitate non pugnare; sed ei consentaneam esse.

9. *Magnanimus aperiè omnia dicit & agit.* Ibidem.] Intellige intra limites Prudentiæ. Addit Aristoteles: amat autem orationis libertatem, quia ad alios instruendos est propensus, id est, cum res humanas parui faciat, facile ita se gerit, vt alios etiam parui pendere videatur. Quod intellige, quando de veritate vel iustitia agitur: Exempla habemus, in martyribus, & alijs viris sanctissimis.

zed by Google

10. *Magnanimus non est contentiosus.* Sumitur ex eodem 4. Ethic. cap. 3. & refertur à D. Thoma 2. 2. q. 132. art. 2. ad 3.] Ira non causat discordiam & contentionem, nisi ob negotium magni momenti, vel secundum rem, vel certè secundum opinionem illius, qui irascitur; Et ferè cum adiunctione inanis gloriæ, cuius filiæ sunt contentio & discordia, vt docet idem sanctus Thomas 2. 2. qu. eâdem 132. a 5. toto: at verò vir magnanimus, vti cætera huius mundi, bona parui pendit, ita neque magni æstimat honorem & gloriam: nec ei est curæ, vt ab aliis laudetur, vt docet Aristoteles ibidem, ideo pro istis cõtendere non solet. *Nemo* enim *contendit, nisi pro re quam æstimat magnam.* Quin etiam

11. *Leo ad latratus canum vix lentè respicit.*] Permittit quidem Aristoteles loco citato, vt vir magnanimus rependat κακολογίαν, id est, probrum seu conuitium, accepta contumelia ab inimico: tunc enim non videtur esse contra virtutem, si moderatè & absque scandalo fiat; vt sic contumelia repellatur: plerumque tamen melius est dissimulare, ne videamur reddere malum pro malo, & maledictum pro maledicto, contra præceptum Apostoli; idque maioris animi signum est, iuxta propositum de leone pronunciatum; cuius doctrinam tradit Aristoteles lib. 9. de historia animalium cap. 44.

12. *Magnanimus pauca facit, sed magna.* Ibidem.] Ratio est, quia ad magna respicit, eaque sola æstimat, & cogitat: parua negligit & despicit: hinc etiam probat, eum quietem agere, & cunctari, nisi res magna sit proposita; item habere motum tardum, vocem grauem, orationem stabilem ac sedatam; quia festinare non solet, qui paucis rebus intendit, nec vehementer contendere, cui nihil ma-

gnum videatur.

13. *Magnifici est, vt quidquid fecerit, magnificè faciat.* Sumitur ex 4. Ethic. cap. 2.] Magnificentia propriè mediocritas est, circa pecunias & sumptus externos, quos magnificum facere par est: In hoc siquidē à magnanimitate distinguitur, quod hæc intendat magnitudinem in actione virtutis: illa verò in opere externo, vt in palatijs, magnificè extruendis, conuiuiis apparandis, &c. quo sensu D. Augustinus lib. 83. Quæst. q. 31. ex Cicerone: *Magnificentia*, inquit, *est rerum magnarum & excelsarum, cum ampla quadam & splendida propositione cogitatio, atque administratio.* Potest nihilominus præsens effatum, in aliorum etiam rerum genere locum obtinere; vt is omnis dicatur magnificus, qui magnificè faciat, quidquid in quocunque rerum genere fecerit. Ita satis manifestè insinuat Aristoteles loco cit. & Lessius de Magnificentia num. 31. vbi ait, Magnificentiam parum à Magnanimitate distingui; verum hæc impropria est Magnificentiæ acceptio. In eandem cum effato proposito sententiam, monet Ecclesiasticus: *In omnibus operibus tuis præcellens esto.* Eccles. 33. v. 23.

DISTINCTIO V.

De Vitijs Magnanimitati oppositis.

1. *Dominandi cupiditas raro bonos habet euentus.* Thucidides lib. 6.] Antonius volens solus Monarcha esse orbis terrarum, infœlix infert bellum Augusto. Atius appetens gradum Episcopi Alexandrini & repulsam passus, mouet pernicioſum

dogma de Filio Dei. Similes exitus sortita est ambitio Catilinæ, Marij, Pompeij, Lutheri, Caluini & similium. Pulchrè Seneca Epistola 85. *Quid C. Cæsarem in sua fata pariter ac reipublicæ emisit? gloria & ambitio, & nullus supra cæteros eminendi modus? unum ante se ferre non potuit cum Respub. duos ferret.*

2. *Aliena concordiæ, & fera est omnis ambitionis materia.* Plutar. in Pyrrho.] Quàm inimica concordiæ sit, patet ex dicto præcedenti: meritò autem fera dicitur; quia nihil acriùs cruciat, nihil molestiùs inquietat, non ambientes modo, quorum crux est ipsa ambitio; sed & alios, quos istud malum quolibet modo concernit.

3. *Timida est ambitio, & sollicita cupiditas magistratus.* Cic. orat. pro Milone:] In eandem sententiam Seneca, *Relinque*, ait, *ambitum, tumida res est, vana, ventosa, nullum habet terminum, tam sollicita, ne quemquam ante se videat, quam de se laborat invidia.* Rationem addit Cicero ibidem: *Nihil*, inquiens, *tam molle, tam tenerum, tam aut fragile, aut flexibile, quam voluntas erga nos, sensusque civium qui non modo improbitati irascuntur candidatorum, sed etiam rectè factа sæpe fastidiunt.* Plura de vitijs Magnanimitati & Magnificentiæ oppositis afferuntur Titulo *de Passionibus*, & Titulo *de Honore*.

Digitized by Google

DISTINCTIO VI.

De Patientia & Longanimitate, ac de Impatientia.

1. *Patientia eſt Galea virtutum.*] Patientia virtus eſt, quæ animum firmat, & triſtitiam moderatur in aduerſis; quod ſi fiat ex affectu ſolius honeſtatis, in illa relucentis, ita patientia eſt virtus ſpecialis: ſin autem fiat ex affectu ſpecialis cuiuſdam virtutis, quæ per triſtitiam & afflictiones oppugnatur, patientia non erit diſtincta à cæteris. Quælibet enim virtus, ſicuti amat honeſtum ſui generis; ita ex vi huius amoris reſiſtit ijs, quæ illi quoquo modo aduerſantur: & de hac virtute Patientiæ intelligitur præcipuè effatum; Qui verò ob afflictionem aliquã, ad impatientiam concitatur, is nec habet virtutem patientiæ ſpecialem, nec eam poſſidet quæ per afflictionem oppugnatur. Notant autem Theologi & Philoſophi Chriſtiani, patientiam quammaximè eſſe neceſſariam; vtpotè fideliſſimam Galeam & Clypeum, ſine quo vita hominis Chriſtiani defendi & conſeruari non poſſit; iuxta illud: *In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras*, lib. 21. 19.

2. *Omnis qui ſe præſtare cæteris ſtudet, iniurias meminiſſe non debet.* Sumitur ex 4. Ethic. cap. 3.] Cui conformiter Seneca: *Quo quiſque*, ait, *honeſtior genere, fama, patrimonio eſt, hoc ſe fortiùs gerat; memor in prima acie altos ordines ſtare; contumelias & verba probroſa, & cætera inhoneſtamenta, velut clamorem hoſtium ferat.* Et planè illi viles ſunt & abiectæ indolis, qui omnem ſuam dignitatem verbo vno labe-

factatam credunt : nam ſicuti debilis ſtomachi eſt, cibum duriorem non poſſe concoquere ; ita hominis puſillanimis eſt, verbum duriuſculum non poſſe ſuſtinere. Quanto generoſius eſt, ſtatum ſuum extra fortunæ aleam repoſitum ducere, & non ab alio, niſi à ſeipſo lædi poſſe ? Merito Tullius Iulium Cæſarem laudat, quod nullius obliuiſceretur, niſi acceptarum iniuriarum, & Auguſtinus Epiſt. 5. ad Marcellinum, omnes gentes benè moratas magnanimitati tribuiſſe notat, iniurias non meminiſſe. Eſt in hanc ſententiam ſymbolum L. Domitij Aureliani : *Quò maior eò placabilior.* Claſ. prima ſymb. Imperat. nu. 50.

3. *Iniurias contemnere, nobiliſſimum victoriæ genus eſt.*] Carolus Scribanius in Politico-Chriſtiano, lib. 5. cap. 13. & ex illo Hieremias Drexelius ſigno Prædeſtinationis 9. §. 1. Ratio, quia iſto præliandi genere, qui iniuriam intulit luculentiſſimam ſæpe plagam reportat : maius enim à contemptu conuitium, quam à ferro conuitiatori rependitur. Sumptum videtur ex illo Senecæ : *Magnanimi eſt iniurias deſpicere*, lib. 2. de Ira cap. 32. Vbi addit : vltionis contumelioſiſſimum genus eſt, non eſſe viſum dignum, ex quo peteretur vltio ; Multi leues iniurias altiùs demisêre, dum vindicarunt, ille magnus & nobilis eſt, qui more magnæ feræ latratus minorum canum ſecurus exaudit. Eodem pertinet illud Lipſianum : *Optimum conſtantiæ præſidium eſt : non curare.* Contra verò vindicare ſe, non eſt actus fortitudinis, ſed abiectionis & timiditatis, vt bene notat Ambroſius lib. 1. Offic. cap. 36. Videndum nihilominus eſt, vt debitus charitatis ordo ſeruetur ; & ne veterem languidè ferendo iniuriam inuites nouam.

4. *Fulgentiſſima victoria eſt vincere patiendo.* S.

Chryſoſtomus hom. 85. in Matthæum.] Sic ſcopuli fluctibus cæſi facilè ipſos diſſoluunt: ſic omnes Sancti præclaro coronati præconio, trophæa præclara ſtatuerunt, hanc victoriam laboris expertem conſecuti: *Non enim* (inquit) *luctari te, aut laborare oportet; Deus eas vires tibi conceſſit, vt non manuum conſertione; ſed patientia vincas.* Ratio eſt, quia iniuriam inferenti non modo luculenta, per patientiam plaga infertur, vt patet ex præcedente; ſed ſæpenumero ipſa etiam hoſtilitas, & omnis malitia ſuperatur; vt fiat in perſecutione ſocius, qui habebatur infeſtus. Itaque hoc pronuntiatum Chriſtiano dignius eſt, quàm præcedens: Contemptus enim ſæpe inordinationem adiunctam habet; at patientia opus perfectum habet.

5. *Patientia martyrij genus eſt.*] Sumitur ex ſancto Chryſoſtomo in Pſalm. 127. circa medium, vbi: *Non leue*, inquit, *martyrium eſt, quod quis inter grauiſſimos dolores, qui ad iras & blaſphemias prouocant, ita ſeipſum contineat, & refrenet, vt nec faciat, nec dicat aliquid homine Chriſtiano indignum.* Et paulò poſt: *Fer ergo forti & generoſo animo quę accidunt: hoc enim eſt tibi martyrium.* Propterea ſanctus Iob martyris laudem promeritus eſt, quod dolores & calamitates forti animo perpeſſus eſt.

6. *Patientia vincit omnia.* S. Auguſtinus ſerm. 32. ad fratres in Eremo.] Non enim hoſtes modo omnes & aduerſarios vincit: ſicut olim martyres Tyrannos vicerunt, & eorum carnifices; ſed eâdem (vt S. Gregorius perpendit 3. p. Paſtoralis, admon. 10.) qui alios vincebat, vincit ſeipſum, atque de ſuis perpeſſionibus, ac animi perturbationibus triumphat. Quamobrem dixit Sapiens. Prou. 16. 32. *Melior eſt patiens viro forti, & qui dominatur animo*

Digitized by Google

suo, expugnatore vrbium: Pulchrè id Seneca Epistola. 113. declarat Exemplo Magni Alexandri, qui cum victor esset tot legum, ac populorum, iræ tristitiæque succubuit. Id enim egerat, vt omnia potius haberet in potestate quam affectus, ignarus quod imperare sibi maximum imperium sit.

7. *Patientia vincit non colluctando, sed sufferendo.* Sumitur ex eodem Augustt. serm. 32. citato.] Vbi per Apostrophen: *O patientia*, ait, *tu vincis omnia aduersa, non colluctando, sed sufferendo, non murmurando, sed gratias agendo*: Siquidem hac sufferentia labores fiunt tolerabiles, & dolores minus hominem premunt, sicut è contra impatientia omnia facit grauiora & molestiora, & causa est, cur etiam sint prolixiora; ita Deus pœnã protrahit, quemadmodum ipsa culpa dilatatur. Quam ob causam dolor, in inferno & intolerabilis, & æternus est, eo quod damnatus, qui illum sustinet sit impatientissimus. Cæterum hanc patientiæ victoriam fusiùs deducit Bellarminus concione 6. de tribulatione parte 2. quem vide.

8. *Impatiens dum pati repugnat, non se liberat à malis, sed ea facit grauiora.* S. Augustt. lib. de bono patientiæ c. 2.] In quem sensum Sapiens. Prouerb. 19. *Qui impatiens est*, inquit, *sustinet damna.* Ratio perspicua fit ex dictis. Nam & à suis affectibus inordinatis, ac perturbationibus animi, veluti mancipium, victus trahitur, & conscientiam suam lædit ac cor suum tanquam acerbum & turbatissimum mare inquietum reddit; vnde plurimæ deinceps pullulant miseriæ. Plura de Impatientia videri possunt Titulo *de Ira & Iracundia.*

DISTINCTIO VII.

De Constantia & perseuerantia.

1. *Quod semel placuit, amplius displicere non potest.* Est hæc regul. 2. Iuris in 6.] Quę locum præcipuè habet in ijs, quæ scienter placent, cum perfecta cognitione omnium circumstantiarum; nec deinceps in circumstantijs accidit mutatio, & quæ nihilominus talia sunt, vt non improbentur ab animo, nec certa de iis sit facultas resiliendi: alioqui

2. *A Constantia alienum non est, seruire tempori.*] videlicet quantum salua honestate Christianâ fieri potest. Nam & bonus gladiator in arena consilium capit. Et ratio est; quia in omni materia indifferente, vbi nulla est obligatio, licitum est mutare propositum, & relinquere suum exercitium dummodo id non fiat inordinata passione, vt notat Lessius de fortitudine, cap. 2. dub. 6. n. 49. & Nauarchus ad ventorum vicissitudinem sæpe sinus obliquat, *& mutari consilia ac sententiæ ad Reip. salutem flecti possunt* vt inquit M. Tul. oratione pro Plancio. Est in hanc sententiam symbolum Philippi tertij Imperatoris: *Satius est recurrere quam malè currere.* Symb. Imper. classe 3. n. 23.

3. *Et post malam segetem serendum est.*] Monet hoc dicto Seneca, constanter insistendum esse incœptis operibus, ac licet minus ex voto succedant, sæpius tentanda; Futurum enim, vt iterum iterumque periclitanti fœlicius aliquando cedat.

4. *Pulchrorum etiam autumnus pulcher est.*] Dictum hoc quadrat in aduersis etiam, tristibusque re-

bus ſibi ſimiles manent, & non ſimul ac cadit pruina, animo ac vultu conſidunt. Item in eos, qui belle ferunt ætatem, & ſenio accedente, vigorem membrorum ac formam retinent. Vnde non malè Brabantis hoc dictum accommodabitur: Gens enim adeo hilaris natura ac humana eſt; vix vt grauem triſtemque ſenectutem ſentire videatur.

5. *Nemo poteſt res inſtabiles amare, & ipſe ſtabilis permanere.*] Sumitur ex M. Gregorio lib. 2. Moraliũ cap. 3. intelligiturque de amore nimio in res caducas & inſtabiles. Quiſquis enim huiuſmodi affectui obnoxius eſt, immutatus permanere, & conſtantiam in virtute habere non poteſt: Rebus ſiquidem terrenis immutatis, neceſſe eſt, & ipſum cũ eis mutare. Vnde ſi nimirum fortunæ bona, honorem aut delitias ames non es illis ſuperior, ſed inferior: ac proinde etiam illis mutatis tu mutaberis. Contra verò magnam firmitatem & immutabilem obtinebis ſi te ſupra omnia creata, proſpera & aduerſa ſuſtuleris, Deoque ſoli, qui nec mutatur, nec mutari poteſt, arctè coniunxeris: *Inſtum* enim (ait Sapiens Prouerb. 12.) *non contriſtabit, quidquid ei acciderit: quin potius; quaſi leo confidens abſque terrore erit creaturarum.* Ibid. c. 28. Etiam dicere tibi cum Apoſtolo licebit Rom. 18. 35. *Quis nos ſeparabit à charitate, tribulatio, an anguſtia? an fames, an nuditas, an periculum, an perſecutio, an gladius? Certus enim ſum, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura aliqua poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro.*

Digitized by Google

TITVLVS XXX.

DE SCIENTIA IN GENERE.

DISTINCTIO PRIMA.

Varia ſcientiæ acceptio.

SCIENTIA accipitur primo pro quacunque cognitione, ſiue certa illa ſit, ſiue incerta, quo modo ſcire dicimur etiam ea, quæ opinione tenemus.

2. Pro ſolâ cognitione intellectus certâ & euidenti, ſiue ſenſitiua illa ſit, ſiue intellectiua. Hoc modo dicimus nos ſcire id quod certò cognoſcimus.

3. Pro ſolâ cognitione intellectûs certâ & euidenti, ſiue illa ſit definitiua, ſiue diſcurſiua, aut demonſtratiua.

4. Pro ſolâ cognitione diſcurſiua euidenti, ſiue illa habeatur per cauſam, & ſit à priori; ſiue à poſteriori habeatur per effectum.

5. Pro solâ cognitione demonstratiua à priori per causam, quæ est acceptio proprijssima.

Rursus alia scientia est speculatiua, quæ etiam dicitur sui gratiâ, id est quæ intrinsecè & vltimatè ordinatur ad cognitionem sui obiecti: alia est practica, quæ cognitione sui obiecti non contenta, vlterius ordinatur ad praxim.

DISTINCTIO II.

Quid sit scientia.

1. *Scientia est cognitio rei per causam.* Sumitur ex l.6. Ethicorum c.3. & ex l.1. Poster. c.2. t.7. Vbi ita loquitur Philosophus: *Scire vnamquamque rem simpliciter arbitramur, cum causam, ob quam res est, & illius causam esse, & fieri non posse, vt res aliter se habeat, cognoscere arbitramur.* Ex quibus verbis alij clarius ita definiunt scientiam: *Est cognitio vera, euidens & certa rei necessariæ per causam;* quæ definitio conuenit omni scientiæ demonstratiuæ, tàm actuali, quàm habituali. Dicitur 1. cognitio *vera*, quo distinguitur ab errore, qui est cognitio falsa. 2. dicitur *certa*, quo distinguitur ab opinione, quæ est incerta, seu probabilis tantum. 3. *Euidens*, quo distinguitur à fide diuinâ, quæ est vera quidem & certa; sed ineuidens seu obscura. 4. *Rei necessariæ*, siue, vt inquit Aristoteles, *quæ aliter se habere non possit.* Rerum enim mutabilium, & variabilium, vt sic, non est scientia; ob quam causam singularia & entia per accidens sub scientiam per se non cadunt, vt docet Aristoteles locis citatis, & 7. Metap. c.15 t.5. *Per causam*, propriam videlicet rei, ita vt rem cognoscamus per suam causam, & simul intelligamus, illam

Digitized by

esse propriam rei causam. Porro hanc definitionem Aristoteles l. 1. Poster. c. 2. probat communi omniũ persuasione, ac modo loquendi: Omnes enim, tam sapientes, quàm ignari, tunc scire se arbitrãtur, cum causam cognoscunt, ob quam res est; cum hoc tamen discrimine, quod hi fallantur, illi verò rei veritatem assequantur.

2. *Scire est rem per causam cognoscere.* Sumitur tum ex loco citato, tum ex l. 1. Phys. t. 1.] Vbi ait Aristoteles: *Vnumquodque tum scire arbitramur, cum primas causas, primaque principia nouimus, vsque ad ipsa elementa.* Quoniam verò plura sunt causarum genera, quæ ad scientiã concurrere possunt, vt videre licet ex iis, quæ diximus, Titulo *de causis in genere*, breuiter dico, scientiam definitiuam perfectam in certo tantum genere, requirere per se notitiam causarum internarum ad essentiam definiti pertinentiũ in illo genere scientiæ; demonstratiuam insuper requirere, notitiam causarum externarum in eodem genere; neutram verò postulare notitiam causarum per accidens: Denique scientiam comprehensiuam rei præter causas tum internas, tum externas per se, requirere notitiam omnium effectuum specie distinctorum, quos illa res potest producere, item proprietatum ac virium, quæ rei essentiam consequuntur; omnium demum perfectionum, quæ in naturali potentia rei continentur.

3. *Nihil scitur sine causâ.*] Sensus est, nihil cognitione definitiuâ, vel discursiuâ haberi posse, nisi ipsum habeat causas, per quas fit, vel cognoscatur. Est commune dictum Philosophorum, ex citato iam capite desumptum, eiusque ratio patet ex dictis; quia videlicet *scire est rem per causam cognoscere*; siue illa sit causa essendi; qualis requiritur ad scientiam perfectam, & demonstrationes potissi-

colligiturque apertè ex ratione quam ibidem subiungit Aristoteles; ait enim: *huius signum est sensuum dilectio*, ac si dicat: inde colligimus, homines naturaliter desiderare scire, quia videmus quemlibet hominem diligere suos sensus. Ex amore igitur elicito, quo naturaliter ferimur in sensus, infert ille desiderium elicitum scientiarum, idem sentit Suarez loco citato: Pronuntiatum istud aliis verbis exprimit eleganter M. Tullius l. 1. Tusculanarum Quæstionum hoc modo.

2. *Naturâ ineſt mentibus noſtris incredibilis quædam cupiditas veri videndi.*] Quomodo autem hæc cupiditas impleatur; cum desiderium innatum toti alicui speciei non debeat esse frustra, dicetur Titulo *de Potentiâ intellectiuâ*. Breuiter hic respondeo, id impleri non in omnibus, sed in aliquibus tantum, neque simul, sed successiuè, idque vel in hac, vel etiã in alterâ vitâ, pro quantitate luminis gloriæ, omnibus Beatis conferendi, iuxta illud, *satiabor cum apparuerit gloria tua.* Psal. 16. 15. Nam vt rectè Gregorius l. 4. Dial. c. 33. *Quid non videt, qui videntem omnia videt?* Ceterum quid appetitus innatus sit, ac quid elicitus, vel etiam elicitiuus, explicabitur Titulo *de Potentiâ appetitiuâ*. Secundum propositi axiomatis interpretationem intelligendum est etiam illud.

3. *Addiscere omnibus hominibus est iucundissimum.* Aristot. Poetica c. 1.] Ratio est; quia omnis homo incredibili tenetur cupiditate sciendi; *iucundissimum* autem *est, potiri illo quod cupias*, vt docetur 1. Ethic. c. 6. & explicabitur, Titulo *de Passionibus, in specie*, dist. 4. ex se videlicet, siue ex naturâ scientiæ & desiderij humani, & præscindendo à difficultatibus illis, quas experimur in medijs ad scientiam obtinendam. Nam ex accidente multi homines

nullo tenentur scientiæ desiderio; quia vel animi mollitie & difficultatum timore, vel ignorantiâ, & aliis inordinatis affectibus deprimuntur, iuxta illud vulgare.

4. *Scientia non habet osorem, nisi ignorantem.*] Multos enim hodieque videre licet, qui palam & affectatè gloriantur de suâ in scientiis ruditate; quia scilicet minimè percipiunt, quanti sint Scientiarum thesauri, quàm honesta in illis oblectatio, &c. Etenim desiderium sequitur cognitionem sicuti vmbra corpus; &, vt in prouerbio est: *Ignoti nulla cupido*, de quo, vide, si placet, quæ dicemus, Titulo *de Potentiâ appetitiuâ*. Licinius Imperator nemini ex Eruditorum numero amicus fuit: ipse siquidem, (autore Egnatio) adeo rudis erat, vt ne quidem suum nomen litteris posset subscribere. Simili ratione, licet omnes homines naturaliter beatitudinem & summum suum bonum appetant: Plurimi tamen mollitie quâdam animi refugiunt laborem & molestiam, quam sibi in eâ persequendâ imaginantur, & propter illam veræ beatitudini, summoque bono renunciant, temporali voluptate contenti: Malunt enim tempore huius vitæ indulgere suis cupiditatibus, & aleam futurorum subire, quam eas hic coërcere, & postea vitam præstolari æternam.

DISTINCTIO IV.

Quomodo gignatur scientia.

1. *Omnis doctrina omnisque disciplina διανοητικὴ ex præcedente fit cognitione.*] A celebri hoc pronunciato auspicatur Philosophus librum primũ

Posteriorum. Idemque repetit li. 6. Eth. c. 3. & li. 1. Metap. c. 7. posui autem in pronunciato Græcam dictionem διανοητικὴ, qua in suo textu vtitur Aristoteles; quia de illâ inter auctores nonnulla est controuersia, pertinens ad axiomatis interpretationem: quidam enim intelligi volunt quamlibet cognitionem intellectiuam; sed non rectè, neque ad mentem Aristotelis; cum propriè intelligi debeat sola notitia discursiua, seu ratiocinatiua, vt egregiè ostendit Zabarella & alij in hunc locum, & probatur ex rationibus, quibus vtitur loco citato Aristoteles. Probat enim hoc primo inductione scientiarum speculatiuarum; quia Mathematicæ, inquiens, præmittunt quædam communia principia, ex quibus deinde suas inferunt conclusiones demonstratiuas. idem faciunt reliquæ scientiæ. 2. idem probat inductione omnium specierum discursûs, Syllogismi scilicet, Enthymematis, Inductionis, Exempli. Ratio generalis est; quia ad rationem veri discursus causalitatis, de quo hoc loco agit Aristoteles, duo requiruntur, vt rectè docet D. Thomas 1. p. q. 14. a. 7. alterum est, vt sint duo saltem obiecta, quorum vnum per aliud cognoscatur, iuxta illud vulgare.

2. *Ignota per nota nobis innotescunt.*] Elicitur ex textu citato, & traditur à D. Thoma in lib. 1. de anima, lect. 3. t. 19. quandoquidem si vnum duntaxat obiectum sit, non cognoscetur vnum ex alio, vel per aliud: alterum est, vt sint duæ cognitiones, quarum vna sequatur ex alterâ; quia si vna tantum cognitio sit, non dicetur vnum cognosci ex notitiâ alterius: nam particula *Ex* in dicto axiomate significat causalitatem effectiuam, quoniam cognitio præmissarum, quæ est iudicatiua, efficit cognitionem conclusionis discursiuam, & hæc per se pendet ab illa.

commune dictum Philosophorum, in quo nomine naturæ intelligitur series, siue concursus causarum naturalium, per quas quia varia rerum genera in hoc vniuerso producta sunt, à quibus scientiæ suam vnitatem & distinctionem numericam & specificam accipiunt, ideo natura scientiarum varietatem genuisse dicitur, nempe fundamentaliter & obiectiuè producendo varia scientiarum obiecta: formaliter verò scientiæ (loquimur secundum cursum naturæ ordinarium) vsu & experientiâ generatæ sunt, & hactenus generantur, vt iam patebit.

DISTINCTIO V.

Quid dubitatio ad scientiam & admiratio conferat.

1. *Dubitare de singulis non est inutile*, capite de relatione.] Dictum istud locum habet, non in iis, quæ per se planè manifesta sunt, & aut determinata. Vt sunt res Fidei, axiomata communissima, & similia; sed in iis, quæ aut sunt, aut videntur probabilia, aut quorum veritas, nec omninò certa & definita est, neque manifesta dubitanti apparet. In huiusmodi enim dubitare, & argumenta in vtramque partem inquirere ac ponderare, veritatis inueniendæ gratiâ, non modo non inutile; sed perquam vtile est: Talis siquidem.

2. *Dubitatio primus ad scientiam gradus est.* Sumitur ex l. 1. Metap. c. 2. & attingitur à D. Thomâ 1. 2. q. 32. a. 8.] Etenim ex eiusmodi rationum disquisitione, & argumentorũ, quæ in quamque partem se offerunt, inter sese collatione, veritas paulatim cognoscitur, & scientia cõparatur, vt patet ex iis, quæ docet Aristoteles l. 1. Topicorũ, atque hoc sensu verũ est, quod M. Tullius & Fabius prodiderunt ex Ari-

ſtotele, Philoſophiam ex admiratione fluxiſſe, vt mox explicabitur. Contra vero.

3. *Qui non dubitat, ille aut nihil ſcit, aut omnia intelligit.*] Nempe reſpectu eorum, de quibus nullo modo dubitat. Frequens huius dicti vſus eſt apud liberalium artium Profeſſores, præcipuè cum auditores reuera ambigui hærent, & ne ſuam prodant ignorantiam, dubia in medium proferre verecundantur. Vide D. Auguſtinum lib. 5. Confeſſ. cap. 10.

4. *Admiratio ſignum eſt ignorantiæ*, lib. 1. Metaph. c. 2.] Duplex eſt admiratio, alia enim adiunctam habet dubitationem, alia non habet: de priore intelligendum eſt pronunciatum, vt perſpicuè colligitur ex verbis Ariſtotelis, loco citato. Ait enim non ſimpliciter; qui admiratur; ſed, *qui dubitat & admiratur, planè ſe ignorare exiſtimat*: Et hoc modo admirari ſolent, qui à primo limine Philoſophiam, aliáſque ſalutant reconditas ſcientias; tales ſiquidem, vtpote omnium ignari, dubij mirantur & ſtupent. De poſteriore vero non debet intelligi: neque enim neceſſarium videtur, vt omnis, qui hoc modo admiratur, ignoret: fieri namque poteſt, vt ex occurſu obiecti inſoliti excitetur quiſpiam ad cauſam illius nouo modo, vel cum noua animi applicatione intelligendam, etiamſi eam minimè ignoret, aut de illâ dubitet. Solum igitur admiratio ſignum eſt ignorantiæ in illis, qui, dum admirantur, dubitant, & qui neſcientes cauſam rei inſolitæ, eam intelligere geſtiunt. Hinc licet in Chriſto ſeruatore noſtro vera fuerit admiratio, non tamen ſignum erat ignorantiæ; quia cum dubitatione non fuit coniuncta. Conſule, ſi placet, Suarez tomo 1. in 3. part. in Commentario articuli 6. quæſt. 15. D. Thomæ. Raguſam diſp. 117. Vaſquez in 3. part. diſp. 62. c. 4. & alios, iuxta prius ad-

mitationis genus explicandum est istud.

5. *Propter admirari & nunc & primò homines cœpere philosophari*, ibidem.] Sumpsisse illud Aristoteles videtur ex doctrinâ sui præceptoris, qui in Timæo de Philosophiæ primordijs loquens: *siquidem Philosophi*, inquit, *altitudinem cæli suspicientes, & astrorum nitorem, ornatissimamque mundi machinam mirantes, tanti operis causam inuestigare cœperunt.* Indicatur itaque præsenti effato, primam originem & causam præcipuam, cur homines philosophari cœperint, ipsumque Philosophiæ studiũ ad altissimarũ vsque causarum inquisitionem persecuti sint, fuisse admirationem ex ignorantia natam. Cum enim principiò minus difficilia mirarentur homines, eorumque causis inuentis, difficiliotibus quæstionibus operam darent, eò tandem progressi sunt, vt summas & vniuersalissimas rerum causas inquirerẽt, à quibus tota rerum vniuersitas dependet, id, quod eodem loco Philosophus expressit in hæc verba: *à principio quidem admirando ea, quæ de dubitandis faciliora erant: deinde paulatim vlterius procedentes, etiã de maioribus dubitando, vt de passionibus lunæ, & eorum, quæ circa solem & stellas fiunt, & de generatione vniuersi.*

DISTINCTIO VI.

De vsu & experientiâ, ac quo modo ad scientiam conducant.

1. *Experientiam temporis adfert longitudo. 6.* Ethic. c. 8.] Vbi ex eo probat, adolescentes in primo ætatis flore, scientes quidem esse posse; prudentes verò non item; quia prudentia est rerum particu-

remota modo; sed etiam propinqua: imò plerisque euentibus ipse adest, interest, præst. Quocirca ad omnem quidem artem & scientiam perutilis est; sed imprimis ad conuersationem ciuilem. Nam, vt rectè Arist. inquit l. 10. Eth. c. vlt. *Quisquis in re ciuili intelligēs haberi volet, ei opus est experientia.* Dicitur autē vis notitia rerū humanarū ex visu, vel tractatu, quemadmodū memoria est notitia similis ex auditu vel lectu.

6. *Experientia in armis plus valet, quā virtus.*] Iudicatur hoc dictū à D. Thomâ, in l. 5. Politicorum lect. 7. vbi docet, exercitûs ducem, illum creandum esse potius, qui habet experientiam, quā illum, qui habet virtutem; quia, vt inquit, *experientia semper, in armis, potest magis pertingere ad finem Reip. quā virtus.* Sumpsit hoc D. Thomas ex 5. Polit. c. 9. vbi docet Aristoteles, in eligēdis magistratibus militaribus, potius ad scientiā rei militaris, quā ad probitatē esse attendendum. Intelligendū est hoc dictū, secundū naturalem & humanū loquendi modū considerando præcisè monasticam, siue priuatā alicuius hominis probitatem, & experientiam alterius militarem, in ordine ad gerenda bella. Nam per gratiam Dei, & extraordinaria de cælo auxilia, sæpe feliciores successus habuit virtus & confidentia in Deo, quam longa in armis experientia, vt constat ex plurimis, non veteris modo, sed noui etiam testameti historiis.

7. *Cuiusque facultatis perfectio, naturâ, disciplinâ, & exercitatione cōparatur.*] Vulgatissimū illud Philosophi axioma, refert Laertius l. 5. in Aristotelē, veritas Rhetorū iuxta & Philosophorū auctoritate probatur, potestq; exēplo nobiliorum artiū, & doctrinarū inductione demonstrari, alij quarto loco *imitationem* adijciunt; sed in prioribus, vt species in genere continetur, vnde eam communicatiuam l. 3. c. 5. arti, seu disciplinæ, Cicero l. 1. de orat. Exercitationi subijcit. Eodem spectat etiam illud,

8. *Omnis res propriis ac domesticis exercitiis augetur.* S. Ambrosius l. 1. offic. c. 10.] Explicat ibidem bellicæ disciplinæ & aliarum artium exemplo. *Qui enim militarem*, ait, *artem assequi cupiunt, præludere solent præliis in umbra, qui nauigandi maris scientiam, præludere in fluuio, qui luctandi coronam, in palæstra labori consuescere. Sed & ipsa natura nos in paruulis docet, quod prius sonos meditantur loqui, vt loqui discant.* Atque hac de causâ S. Doctor ibidem anteponit Pythagoræ Dauidem, quod Philosophus ille, quinquennij silentio discipulis imperato, non loquendo loqui doceret: hic vero Propheta sapientius præciperet, vt loquendo magis differemus loquij cum non tolleret naturæ munus; sed adderet ori sermonis proferendi custodiam: *quomodo*, inquiens, *sine exercitio doctrina, aut sine vsu profectus!* iuxta hunc sensum vera sunt ista vulgaria.

9. *Scribendo discimus scribere.*

10. *Fabricando fabri fiunt.*

11. *Conuersando discimus bene conuersari.*

Etenim exercitatio & vsus assiduus, artis ac scientiæ cuiuslibet perfectionem absolutionemque consummat, dummodo necessaria non desint naturæ subsidia. Quocirca permagni interest, studium & ardorem quendam amoris assumere, sine quibus nihil vnquam egregium in vllâ quispiam facultate assequetur. Vide, si placet, Rudolphum Agricolam li. 3. de inuentione Dialectica c. 16. vbi rem hanc pulchra inductione prolixiùs declarat.

12. *Docilis ab alio, solers sit sapiens à seipso.*] Nempe in sensu formali, siue reduplicatiuè, declaratur siquidem præsenti effato, formale discrimen docilitatis & solertiæ, quod illa sit promptitudo animi ad acquirendam rerum cognitionem ab alio: hæc vero recta animi dispositio ad promptè & facilè inue-

niendam verâ agendarum & cognoscendarum rerũ æstimationem per seipsum, per vsum videlicet & exercitationem, vt dictum est. Vide, si placet, D. Thomam 2.2. qu. 49 a. 3. in corp. Est in hanc sententiam illud D. Hieronymi in cap. 3. Isaiæ, *Græci Poetæ laudabilis & admiranda sententia est; primum esse beatum, qui per se sapiat: secundum qui sapientem audiat: qui autem vtroque carcat, hunc inutilem esse, tàm sibi, quàm omnibus.*

DISTINCTIO VII.

De obiecto scientiarum in genere.

1. *Vnius vt vnum, vna est scientia.* Sumitur ex l. 2. Post. cap. 3.] Sensus est, circa vnumquodlibet scientiæ obiectum, prout sub certâ aliquâ ratione formali consideratur, vnam versari scientiam determinatam: ratio enim formalis, per modum formæ alicuius physicæ, determinat obiectum materiale, alioquin ex se indifferens & indeterminatum instar materiæ, & dat illi vnitatem, speciem ac distinctionem: quemadmodum forma hominis facit, vt homo sit vnum ens, ab aliis distinctum. Et hac de causâ passim vsurpatur istud vulgare.

2. *Obiectum materiale est commune scientiis, formale non item.*] Sic v. c. idem homo est obiectum Physicæ, Ethicæ, & Medicinæ, sed rationes formales sunt diuersæ: Physica enim considerat hominem, vt est ens naturale, Ethica, vt beatitudinis capax, Medicina, vt capax sanitatis. Veritas huius effati clara est per explicationem præcedentis: quis obiectum materiale dicitur res illa, quæ sub scientiam cadit, siue, *quæ obijcitur scientiæ, vel arti*, vt in-

tur esse, non pertinebit illa probatio ad aliam scientiam. Vnde etiam eodem libro t. 32. docet, scientem quid est, hoc ipso etiam scire, quia est. Concedit ergo Philosophus scientem vtrumque scire, idque non tantum in sensu materiali; sed etiam formali & composito.

4. *De essentia habetur scientia definitiua, de proprietatibus demonstratiua.*] Alij ita proponunt: *Essentia est definitio, proprietatum demonstratio*, sensus est, ipsas rerum essentias non posse demonstrari, demonstratione videlicet perfectâ & propter quid, à priori; sed tantum cognosci definitiuè: proprietates verò non definitiuè modo; sed etiam demonstratiuè cognosci. Ratio est; quia ad scientiam demonstratiuam necessariæ sunt præmissæ constantes ex veris, primis immediatis, notioribus, prioribus & causis conclusionis, quales non possunt haberi de essentiâ; sed tantum de proprietatibus rerum. Elicitur effatum ex lib. 1. Poster. cap. 8. t. 36. vbi etiam dicitur, *Principiorum non esse demonstratio*, de quo suo loco.

DISTINCTIO VIII.

De conditionibus obiecti scientiæ.

1. *Non ens, non est scibile.* Sumitur ex 4. & 11. Metap.] Ratio est, quia non ens non habet proprietates, quæ demonstrentur, neque causas, per quas demonstretur, neque essentiam, quæ definiatur. Eâdem de causâ ens rationis, cum non sit verum ens, sed vmbra entis, non est per se intelligibile; sed tantum per aliquam analogiam, & connectionem ad verum ens: Ergo nec per se scibile;

sed indirectè tantum & secundariò.

2, *Solum ens reale est scibile.*] Ratio, solum ens reale per se est cognoscibile, seu obiectum nostri intellectûs: ergo etiam solum ens reale est scibile, colligitur ex li.5. Metap. t.14. & 6.Metap. t.18. & fusius explicabitur ad illud axioma: *Res in tantum est cognoscibilis, in quantum ens est.* Titulo *de potentiâ cognoscitiuâ generatim.*

3. *Falsi non est scientia*, l.1. Poster.t.9.& 10.] Nomine falsi hic intelligitur falsum complexum, siue propositio falsa, qualis est ista: *Diameter est commensurabilis lateri quadrati*: tale autem falsum non potest sciri, nempe formaliter & positiuè, id est quod sit verum, siue per modum conclusionis, vt loquuntur Philosophi. Nam hoc modo.

4. *Nihil scitur, nisi verum*, ibidem.] Clarum est per se ex terminis: potest nihilominus falsum sciri materialiter, siue per modum obiecti, & negatiuè, quod videlicet careat veritate, quo modo etiam de non ente incomplexo, potest haberi scientia, vt v.c. de Chymæra, quod non existat à parte rei, quod sit impossibilis, &c. Ratio horum eadem est; quæ præcedentium: quia falsum est non ens complexũ, non Entis autem, non datur scientia: Quomodo enim scias diametrum esse commensurabilem lateri quadrati, cum non sit commensurabilis, nec possit esse commensurabilis?

5. *De accidentibus non est scientia demonstratiua* 1. Poster.c.6.] Vbi hoc pronunciatum ita declarat Aristoteles: Conclusio, quæ per demonstrationem scitur, est necessaria; quia, *scientia est eorum, quę aliter se habere non possunt.* 1. Poster.c.3.t.7. Ergo conclusio necessaria pendet ex præmissis necessariis, ergo non habetur de accidentibus, nempe quinti prædicabilis, quia hæc nec necessaria sunt, nec propria, sed con-

tingentia, quæ aliter & aliter habere se possunt. Eodem sensu verum est istud.

6. *De Ente per accidens non est scientia. 6.* Metap. c. 2.] Et alibi, nempe in actu exercito, id est, de illâ re, quæ est subiecta huic denominationi. Ratio est, quia *scientia est de necessarijs*, 1. Poster. c. 3. Ens autem per accidens non est necessarium, sed fortuitum & contingens, vt quod per fossionem inueniatur Thesaurus, quod pictor canat musicam, quod temerè cumuletur aceruus lapidum, quod Henricus fiat albus, & ita de cæteris, item:

7. *Obiectum scientiæ est ens per se.* 1. Poster. c. 15.] Ratio est, quia alioqui non haberet proprietates, siue passiones per se & necessariò sibi cõuenientes, ac per consequens non posset de illo fieri demonstratio, qui est syllogismus efficiens scientiam. Dixi autem de ente per accidens non haberi scientiam in actu exercito; quia potest esse scientia de illo in actu signato, siue de ratione formali illius: de hac enim potest aliquid demonstrari; cum non minus necessaria sit hæc propositio: Ens per accidens est incertum & fortuitum, quam hæc, homo est discursiuus. Sunt enim causæ necessariæ, ob quas illud attributum & similia conueniunt enti per accidens, in actu signato. Hoc sensu Physica v. c. agit de casu & fortuna, & potest demonstrare has propositiones: Casus est causa per accidens, Fortuna est causa per accidens.

8. *Scientia est eorum quæ aliter se habere non possunt.* 1. Poster. t. 7.] Veritas huius clara est, & sequitur ex dictis. Nam ex prædicato seu effectu per se (qui scilicet pendet à causâ per se) fit propositio necessaria, quæ aliter se habere non potest, id est, quæ habet inuariabilem connexionem prædicati cum subiecto, vt homo est discursiuus: sicut è con-

tra ex effectu per accidens fit propositio contingēs, vt paries est albus.

9. *Obiectum scientiæ est ingenerabile & incorruptibile.* 1. Poster. t. 62. & 64.] Ratio est, quia scientia est eorum, quæ aliter sese habere non possunt, quæque certa sunt & necessaria; talia autem generationis & corruptionis expertia sunt: Nam quæ generantur & corrumpūtur, possunt esse & non esse, ac proinde nec certa sunt, nec necessaria, neque de illis est scientia, nisi considerentur in vniuersali, & incorruptibiliter, vt loquuntur Philosophi.

10. *Scientiæ omnes sunt vniuersales.* l. 3. Metap. t. 20.] Id est, habent vniuersalem rationem versandi circa suum obiectum, quo modo Physica v. c. in vniuersali considerat passiones corporis naturalis, quæ semper ipsi conueniunt, & necessariam cum illo connexionem habent. Semper enim verum est, corpus naturale, secundum se, esse mobile, sicuti semper verum manet, omne triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis. Atque hinc perspicuum euadit, non facere contra propositum axioma, quod quidam obijciunt: corrumpi posse, nihil aliud est, quam amittere posse suam existentiam: res autem physicæ (& similis est ratio de aliarum scientiarum obiectis) amittere eam possunt, etiam quoad vniuersales sunt; cum vniuersalia aliam existentiam non habeant, quam singularia: horum autem existentia facillimè deperdatur. Neque enim requiritur immutabilitas & ingenerabilitas existentiæ, sed essentiæ & veritatis obiectiuæ, vt pluribus explicatum est supra, Titulo *de veritate.*

11 *Ipsum scibile est æternum.* 6. Ethic. li. 3.] Ratio est, quia est necessarium: *quæ autem necessaria sunt, æterna sunt omnia: æterna ingenita sunt & incorruptibilia,* ibidem. Verumque itaque est eodem

sensu, quo dicitur obiectum scientiæ ingenerabile esse, & incorruptibile. Pro maiore tamen explicatione notandum est. Obiectum scientiæ esse duplex, complexum & incomplexum: Complexum vocatur tota conclusio, de qua habetur scientia, quo modo ista propositio v. c. Omnis demonstratio gignit scientiam, dicitur obiectum complexum scientiæ: Obiectum incomplexum vocatur subiectum conclusionis scientificæ, de quo demonstratur prædicatum, seu passio. Quando ergo dicitur scientia esse de iis, quæ aliter se habere non possunt, siue de incorruptibilibus & æternis, non est sensus, quod sit de iis tantum obiectis incomplexis, quę semper necessariò existunt: nulla enim res existit hoc modo, præter Deum optimum maximum, sed sensus est, quod sit de obiectis complexis, seu conclusionibus necessariis, id est, quæ habent necessariam, & inuariabilem, & semper veram connexionem prædicati cum subiecto. Vide, si lubet, quæ diximus supra, de Propositionibus æternæ veritatis, Titulo *de veritate*.

12. *Scibile quod est, demonstrabile est. 6.* Eth. c. 6.] Ratio, quia vt scibile quodpiam obiectum, proprie dictâ, ac perfectâ scientia cognosci possit, requiritur aliquod saltem verè demonstrationis genus, quo in illius notitiam veniatur. Nam, vt docetur l. 1. Poster. c. 2. *Demonstratio est Syllogismus, qui scientiam generat. Et scientia perfecta discursiua*, (de qua pronunciatum intelligi debet) *est vnius demonstrationis effectus.*

13. *Scious non est, qui non habet rationem, propter quã res est.* 1. Poster. c. 5. t. 17.] Ratio, quia vt docetur eodẽ libro c. 2. *tunc solum vnamquamque rem simpliciter*, (id est, perfectè & non vt Sophistæ) *scire arbitramur, cum causam, ob quam res est, & illius causam esse, & fieri non posse, vt res aliter se habeat, cognoscere*

arbitramur. Cæterum pleraque axiomata proposita intelliguntur de obiecto scientiæ demonstratiuæ & discursiuæ, non autem illius quæ solâ definitione, aut sensu obtinetur, vt perspicuum est ex dictis.

DISTINCTIO IX.

De *muniis scientiæ.*

1. *Eiusdem scientiæ est, considerare totum & partes.* 1. Poster. c. 22. & 23.] Sensus vetus est, ad eandem scientiam pertinere, vt consideret genus & species, aut alias etiam partes essentiales, vel integrales sui obiecti, quoad ea, quæ participant eandem rationem scibilis, id est, quatenus conueniunt in eâdem abstractione à materiâ, vel in eâdem formalitate obiecti. Sic Metaphysica considerat ens, vt ens est, & omnes species entis, secundum eos gradus & prædicata, quæ non excedunt abstractionem metaphysicam, vel rationem formalem obiecti metaphysici. Physica contemplatur materiam & formam, & omnia ex illis composita, quatenus participant rationem entis naturalis: Mathematica speculatur quantitatem, & quamlibet illius partem, quatenus terminata est, & quatenus rationem habet æqualitatis, inæqualitatis, & aliarum similium proportionum: non autem quatenus ens est præcisè, aut quatenus ens naturale, aut sub aliâ qualibet ratione formali, alioqui transcenderetur de genere in genus, quod non est licitum in scientiis, vt explicatur infra.

2. *Eiusdem scientiæ est, considerare finem, & ea, quæ ordinantur ad finem.* 2. Phys. c. 23.] Vbi probat, non solum formam, sed etiam materiam à Physico con-

ſiderari, ex illo, quod hæc ordinetur ad formam, vti ad ſuum finem & perfectionem, & ratio eſt: quia quemadmodum *efficax intentio finis eſt implicita volitio mediorum*, vt dictum eſt, Titulo *de causâ Finali*, diſt. 8. ita nihilominus ſcientia quæ per ſe Finem, vt Finis eſt conſiderat, rationem quoque habet mediorum, quæ ordinantur ad finem: Nam & hic locum habet iſtud vulgare: *Relatiua ſunt ſimul cognitione*, Titulo *de Relatione*.

3. *Eiuſdem ſcientiæ eſt, conſiderare ſubiectum & accidentia ſubiecti.*] Verum eſt eodem ſenſu, quo effatum præcedens, & ſumitur ex 3. Metap. t. 5. Vbi inquit Philoſophus: *Itaque eiuſdem ſcientiæ eſt circa idem genus eadem per ſe accidentia ex iiſdem ſententiis contemplari*: & ſupra ibidem. *Omnis demonſtratiua ſcientia, ex communibus ſententiis ea conſiderat, quæ per ſe alicui ſubiecto accidunt.* Sicuti enim eiuſdem ſcientiæ eſt, conſiderare totum & partes, & item principia ex quibus illę demonſtrantur; ita ſimiliter ad eandem pertinet contemplari, & demonſtrare ex huiuſmodi principiis accidentia omnia, quæ eiuſmodi ſubiecto in ſeipſo, & in ſuis inferioribus conueniunt, aliqui propoſitum axioma citant ex lib. 4. Metap. cap. 1. ſed licet ibi ſimilia verba habeantur, aliam tamen doctrinam tradere intendit Philoſophus.

4. *Eiuſdem Facultatis eſt, verum & veriſimile videre.* 1. Rhet. c. 1.] Ratio eſt, quia illa, quæ veris ſimilia ſunt, iuuant ad cognitionem eorum quæ verè ſunt talia. Cum hoc pronunciato coincidit illud.

5. *Eiuſdem ſcientiæ eſt, agere de eo, quod eſt tale, & quod viuitur tale.*] Sic Metaphyſica, quæ per ſe agit de ente reali, vt ens eſt, per accidens quoque agit de ente rationis; in quantum videlicet illud habet

aliquam similitudinem cum vero & reali Ente, & quatenus illius explicatio, quod habet solam vmbrã veri Entis, facit ad melius & clarius intelligendam naturam & proprietates veri Entis realis. Simili modo cæcitas, tenebræ & cæteræ priuationes ac negationes pertinent secundariò ad Physicam; quia dicunt quandam quasi habitudinem ad visionem & lumen ac ceteras formas atque essentias, de quibus per se agit Physica.

DISTINCTIO X.

De Specificatione & distinctione scientiarum.

1. *Scientiæ specificantur ab obiectis.* Sumitur ex 2. Ethic. c. 1. & ex 2. de animâ t. 33. & ex l. 3. de animâ t. 33.] Vbi cum dixisset, scientiam esse quodammodo res ipsas, quæ sub scientiam cadunt; & sensum ipsas res sensibiles, virtute videlicet & repræsentatiuè, vt explicatur suo loco; subnectit hæc verba: *scinditur igitur in ipsas res scientia, & sensus*, ideſt, scientia distinguitur & specificatur, pro formali & specificâ diuersitate rerum, circa quas occupatur; mediatè videlicet & remotè inã immediatè & proximè scientiæ habituales, de quibus communiter intelligitur pronũciatum, specificantur à suis actibus: actus verò suam specificationem accipiunt ab obiectis. Vide, quæ diximus ad illud Axioma, *Habitus specificatur ab actu*, & ad illud: *Actus specificatur ab obiecto, & modo tendendi in obiectum.* Titulo *de habitu in genere.* Dist. 5.

2. *Omnis scientia sumit nobilitatem suam ab obiecto.* Sumitur ex l. 1. de animâ c. 1. & ex 11. Metaph. summâ 3. c. 1.] Quemadmodum specificatio scientia-

Digitized by Google

rum ab obiecto desumitur, ita etiam dignitas earum & præstantia, vt quem dignitatis locum obiectum cuiuslibet scientiæ inter alias res & obiecta sibi vindicat, eandem scientia, quæ circa tale obiectum versatur, inter alias scientias, cæteris paribus, obtinere censetur. Hinc est, quod Metaphysica, ex omnibus scientiis naturalibus habeatur nobilissima, vt docebitur Titulo sequenti.

3. *Scientiæ subalternæ non faciunt numerum in scientijs.*] Est commune dictum Philosophorum. In propriâ & essentiali distinctione scientiarum, dicuntur non facere numerum subalternatæ, eò quod reuocentur ad subalternantes. Nam propriè dicta subalternata, (de qua præsens dictum intelligitur) 1. habet idem subiectum cum subalternante, cui solum addit differentiam aliquam accidentalem: Quo modo Arithmetica, quæ est subalternans, & Musica quæ subalternata est, ambæ pro obiecto habent Numerum; huic tamen Musica addit conditionem accidentalem, videlicet, esse sonorum, sine quâ Musica numerum non considerat. 2. subalternata accipit sua principia à subalternante; quia non potest esse certa & euidens, nisi propter principia euidenter probata à subalternãte. Vnde si quis det operam scientiæ subalternæ, v. c. Musicę, & de eius obiecto, seu numero sonoro demonstret aliquid ex Principijs à subalternante, ideſt, Arithmeticâ mutuatis, quæ nec ex terminis, nec ex causâ cognoscat; sed quæ ob solam Magistri auctoritatem credat, is fide, non scientiâ tenebit conclusionem. Debet enim is, qui sciens vult nuncupari, in seipso, & non in alio, habere claram principiorum notitiam, vt conclusionem euidentem scientificè ex illis inferre possit.

4. *Omnis cognitio practica fundatur in aliquâ speculatiuâ.* Sumitur ex 2. Metaph. t. Com. 3.] Quemadmodum omnis actus voluntatis præuium habet actum intellectus proportionatum, vt dicetur infra Tit. 42. distin. 3. ita proportione quâdam omnis cognitio intellectûs practica præsupponit aliam speculatiuam: Prius enim de re qualibet cognoscendum est, an sit, & quid sit, quàm intelligatur, quomodo & qualiter circa eam sit operandum. Ratio petitur ex diuerso fine scientiæ speculatiuæ & practicæ.

5. *Practica finis est opus, speculatiua veritas.* 2. Metap. c. 1. t. 3.] Hæc enim ex naturâ suâ sistit in solâ contemplatione veritatis, vt in fine adæquato & vltimo, ac proinde dicitur, *esse sui gratiâ*, ideſt, ipsius scire & speculationis gratiâ, circa suum obiectum: illa verò contenta non est solâ cognitione sui obiecti; Sed ex naturâ suâ vlteriùs refertur ad praxim, vt ad finem suum vltimatum; id quod non malè expressit Auerroës his verbis.

6. *Per speculatiuam scimus, vt sciamus, per practicam scimus, vt operemur.* 2. Metap. Com. 3.] indicatur hoc dicto, vnicum esse speculatiuæ scientiæ finem, nimirũ cognitionem nudam, siue contẽplationem, scientiæ autem practicæ esse duplicem, proximum scilicet, siue immediatum, qui est speculatio sui obiecti, & remotum siue vltimatum, qui est praxis, seu actio illa, ad quam intrinsecè & ex suâ naturâ refertur scientia practica, mediante præuiâ speculatione.

7. *Intellectus extensione fit practicus.*] Dictũ hoc (ait Suarez Disp. 44. Metaphylica, Sec. 15. n. 21.) supꝑtum esse creditur ex l. 3. de anima c. 10. t. 50. Vbi Aristoteles distinguit intellectũ practicũ à speculatiuo, ex vtriusq; line; quia ait, *practicus alicuius gra-*

tia ratiocinatur, & est principiū agendi, ac proinde fine differt à contēplatiuo: Hæc tamen verba in quibusque editionibus habentur Textu 49. Sensus pronunciati verus est intellectum per iudicium practicum nō sistere vel requiescere in solâ cognitione & speculatione sui obiecti; sed potrò se extendere ad actionem seu praxim aliquam dirigendam; siue illa actio, quā dirigit, sit ipsiusmet intellectus, siue alterius distinctę potentiæ. Vide, si placet, D. Thomam 2.2.q.4.a.2. ad 3. vbi citat hoc dictum ex 3. de animâ, & secundū illud docet, habitum fidei, esse partim speculatiuum partim etiam practicum, quia inquit. *Fides est in intellectu speculatiuo, sicut in subiecto; sed quia veritas prima quæ est fidei obiectum, est finis omnium desideriorum, & actionū nostrarum; inde est, quod per dilectionē operatur, sicuti etiā intellectus speculatiuus extensione fit practicus.* Vide etiam, si lubet Dom. Bannes ibidē.

DISTINCTIO II.

De Ignorantiâ in genere.

IGnorantia, quoad præsens institutum: generatim est triplex, prima dicitur *prauæ dispositionis*, per quam intellectus contra suam naturam malè disponitur, vt positiuè aliquid opinetur falsum. 2. *nescientia*, earū rerum, quas quēq; iuxta suum officium scire conuenit, quamuis non habeat errorem positiuum contrarium. 3. *Ignorantia puræ negationis* id. Negatio scientiæ, seu nescientia eius, quod quis non tenetur scire, vt si Religiosus nesciat ludere aleis.

1. *Longius homo in Ignorantia viuit quam scientia.* Vulgare istud sumitur ex l. 3. de anima t. 151. Vbi docet Philosophus, errorem ac deceptionē magis esse

propria animaliũ, quam scientias, plusque id tẽporis esse, quo anima in iis versatur, vt docet experientia. Intellige de exacta rerum scientia, vt mox pluribus explicabitur, & de illo tẽpore, quo animâ in hac vitâ cũ corpore degit, vt rectè notauit Simplicius in hũc locũ. Ratio pronunciati est; quia ad veritatis cognitionẽ vix ægrè peruenit homo, post longi temporis studium (vt notat D. Thomas lectione 4. lib. & text. citatis) multisque impeditur, affectionibus, vsibus ac necessitatibus huius vitæ.

2. *Maxima pars eorum, quæ scimus, est minima eorum quæ ignoramus.*] Dictum istud Themistij in l. 2. de animâ, verum est, quoad distinctam determinatãque specierum omnium scientiam: Cum enim *Ars longa* sit, *& vita breuis*, vt verissimè dixit Hippocrates, cumque ad exactam rerum scientiam varia causarum, effectuum & aliarum affectionũ cognitio requiratur; Et deniq; cum plurimæ rerum differentiæ, in abstruso ignorantiæ puteo demersæ lateant; rectè dictum est, maximam partem eorum, quæ scimus, esse minimam respectu eorũ, quæ ignoramus: vt etiam significat D. Augustinus l. 12. Confess. cap. & seqq. Nõ autem intelligi debet, quoad confusã & generalem cognitionem Entium in communi; Nã de omni Ente, in vniuersali, sciri potest, & scitur à plerisque doctis, quod sit vnum, verum, bonum &c. Item generatim scitur, *quidlibet esse vel non esse*, &c. At verò naturam vniuscuiusque Entis in particulari penitus habere perspectam & in omni omnium omniuò rerum scientiã perfectum esse, humanæ vitæ conditio neutiquam permittit.

3. *Scientes vniuersale sæpe ignorant ipsum singulare.* 1. Polit. t. 30.] Veritas huius perspicua est, per explicationem proximè antecedentis. Sensus modus eius valet in illos, qui generatim bona mul-

ta proponunt, non autem in particulari hic & nunc, quid sibi agendum sit, attendunt ac proinde licet scientiam aliquam in communi adipisci possint, imprudenter tamen in suis actionibus procedunt.

4. *Scire possumus in vniuersali, & simpliciter nescire.* l. 1. Poster. c. 1. t. 3.] Ratio est; quia possumus in præmissis seu principijs cognoscere electionem aliquam vel conclusionem confusè & in potentiâ, quam tamen actu & in particulari, quoad proprium conceptum ignoramus, atque hoc loco citato docere voluit Aristoteles, ait enim. *Antequam ex principiis ratiocinatio facta est, partim nos scire, partim verò nescire. Omnisque, qui hoc tantum scit modo, is quidem scit vniuersaliter; simpliciter verò nescit.* Ita loco citato Aristoteles, id-est, omnes, qui huiusmodi rerum cognitionem habent, scientiam habent secundum quid; ignorantiam verò simpliciter.

5. *Ignorare, quam parum sciamus, est ipsam ignorantiam ignorare.*] Est hoc perillustre D. Gregorij Nazianzeni eloquium, oratione 2. de Theolog. quo congruè ostendit, pauca omninò esse, quæ sciat homo, respectu eorum quæ ignorat: Cum etiam frequenter, quam parum sciat, ignoret, quod equidem eò turpius est, quo maioris stultitiæ & superbiæ est argumentum. Multa in hanc sententiã tradit, Philo libro de somniis, & S. Augustinus l. 21. de ciuit. c. 5. quos vide, si lubet.

6. *Turpe est ignorare, quod omnibus scire conuenit.*] Scire præcipua doctrinæ Christianæ capita, conuenit Christiano, intelligere Matheseos elementa decet Mathematicum; Aristotelem habere familiarẽ & disputandi argumẽtandiq; modos callere pertinet ad Philosophum, & ita de cæteris. Turpe itaq; est

ignorare, quæ cuilibet in suâ facultate scire cõuenit. Et generatim. *Scire aliquid laus est, pudor nil discere velle.* Vide, si placet, quæ diximus ad illud: *Miserum est artem profiteri, & ad eius perfectionem non aspirare.*

7. *Ibi præsumitur ignorantia, vbi scientia non probatur.*] Est hæc regula 47. Iuris in sexto, quæ intelligitur, non de qualicunq; sed de illâ duntaxat ignorantia, quæ est causa vel occasio alicuius actus aut omissionis; quia remouet prohibens, ideſt, quâ positâ, talis actio vel omissio non fuisset secuta; & vera est in iis quæ quis scire, vel indagare non tenetur: in ijs autem, quæ quis tenetur scire, vel indagare, locum non habet, & ideo ibi præsumitur scientia, nisi probetur ignorantia.

8. *Quædam ignorare melius est quam scire.*] S. Augustinus in Enchiridio c. 17. Tomo 3. & sumitur ex 12. Metap. t. 51. vbi Philosophus inquit: *Quædam melius est non videre, quam videre.* Intelligitur & verum est pronunciatum, de obiectis malis, & de aliis etiam quibuscunque rebus ob vilitatem inutilibus: huiusmodi enim non cognoscere expedit, in quantum per illa impedimur à contemplatione rerum magis præstãtium, iuxta illud. *Pluribus intentus minor est ad singula sensus*, & in quantum cogitatio malorum peruertit interdum hominis voluntatem in malum; quo etiam sensu dixit Auerroës.

9. *Ignorare vitia melius est quam scire.* 12. Metap. commento 51.] quia scilicet ob corruptionem naturæ, ex cognitione rei turpis facile oriri potest aliqua inutilis vel noxia delectatio, vel alius affectus inordinatus ad rem cognitam vel cogitatam, alioquin.

10. *Omnis rerum notitia bona est*,] nempe secundum se absolutè, vt talis est, siue obie-

ctum eius bonum sit, siue malum & inhonestum Ratio est, quia obiectum intellectus est verum. quod proinde reperitur in rebus moraliter bonis & malis. Vnde nihil alienum à naturâ intellectûs committitur, cum applicatur ad cognoscendum malum; sicuti committitur alienum à naturâ voluntatis, quando applicatur ad volendum malum; eò quod proprium eius obiectum sit bonum, quatenus bonum. Vide, si placet. D. Thomam 1. p. q. 22. a. 3. ad 3. Itaque ex his explicatum relinquitur dictum Aristotelis. *Quædam melius est non videre, quam videre.* Itaque cum S. Hieronymũ in caput 1. Abacuc docet, absurdum esse, ad hoc deducere Dei maiestatem, vt sciat per momenta singula, quot nascantur culices & moriantur, &c. intelligendũ est, de scientiâ per cognitionem, quam de nouo Deus acquirat, per momenta singula: Nã idẽ S. Hieronymus ad illa Christi verba. Matt. 10. *Nonne duo passeres &c.* apertè tradit Deum habere scientiã rerum omnium etiam minutissimarũ, iuxta illud Hebræ 4. 13. *Non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius.*

11. *Raro magni errores, nisi ex magnis prodiere ingenijs.*] Veritas sententiæ huius, quam tradit Franciscus Petrarcha dialogo 7. de Ingenio sacris & profanis clarescit historijs. Arius, Nestorius, Macedonius, alij Hæresiarchæ ingenij magnitudine in superbiam elati, notissimas illas in Ecclesiâ concitarũt tragœdias. Lucium Catilinã Salustius magnâ vi animi fuisse ait; sed ingenio malo prauoque, ac proinde ex illo tam nefaria in Remp. Romanam prodijsse molimina. Pulchre super hac veritate discurrit M. Augustinus in Psalmum 124. ad illa verba: *Montes in circuitu eius*, quem consule, si placet.

TITVLVS XXXI.

De scientiis in Particulari.

DISTINCTIO PRIMA.

De Philosophiâ.

1. *Philosophia est cognitio rerum, vt sunt.* 10. Metap. c. 3.] Verba illa, *vt sunt*, idem valent, atque per suas causas: sicuti enim res sunt per suas causas, ita per eas perfectè cognoscũtur, idque dupliciter, 1. in certo tantum genere, 2. in omni genere simpliciter. Qui ẽ scit in certo genere per causas certas & determinatas, dicitur Philosophus in illo genere: qui rem scit simpliciter per omnes causas, dicitur Sapiens seu Philosophus simpliciter.

2. *Philosophia est mortis contemplatio.* Plato in Dialogo de sapientiâ.] Mors est duplex, vna in abcessũ animæ à corpore consistit, altera est, qua mẽs in corpore quidẽ manens, sed à vitiis cupiditatibusq; seiuncta diuina meditatur. Hanc posteriorẽ præcipuè considerat & docet Philosophia, ac proinde mortis contemplatio dicitur, nõ quod hæc sit propria Philosophiæ definitio; sed descriptio aliqua à certo affectu desũpta. Philosophi dici possunt veri Religiosi; vt qui assiduè, quo modo rectè moriantur cogitant. Etenim præcipuus Religionis scopus est, ita viuere, vt omni hora ad mortem, & rationem æterno Iudici reddendam sis paratus.

3. *Phi-*

Digitized by G

3. *Philosophia dominatur Fato.*] Est commune effatum Philosophorum. Ratio illius est; quia Philosophia aliter hominem formare potest, ac per naturam est inclinatus. Atque hac de causâ, sui cuique mores dicuntur fingere Fortunam, & ipsa virtutem sequi dicitur, vt explicatum est, Titulo *de Casu & Fortunâ.* Notandum autem ex Suarez, liberum hominis arbitrium propriè non subesse Fato; quia immediatè subest Deo, non autem causis naturalibus, vt astris, cælo, aut influentijs; nisi indirectè & per accidens, ratione corporis & temperamenti, quod variè potest affici à cælo, &c; & cuius constitutionem animus, vt plurimum sequitur. Dicitur ergo Philosophia omninò dominari Fato; quia non solum liberum hominis arbitrium ex virtutis præscripto dirigit; sed etiam passiones & perturbationes animi ex corporis complexione, & alijs causis naturalibus orientes moderatur. Et hoc ferè sensu, nomen Fati vsurpare possumus: non autem simpliciter, ne videamur cum Ethnicis asserere absolutam & fatalem necessitatem omnium euentuum, etiam liberorum.

4. *Philosophia est præstantissimum animi humani bonum.*] Elicitur ex lib. 1. Metaph. c. 2. & refertur à Boëtio, in Porphyrium. Pro explicatione illius bene notandum est, quod dicitur, *animi humani*, nempe secundum naturalia considerati. Si enim spectetur in ordine ad finem supernaturalem, ad quem à Deo eleuatos nos esse Fide certum est; multa haud dubiè bona, & charismata longè nobiliora, animis nostris diuinitus infunduntur, vt patebit ex Titulo *de Habitibus supernaturalibus.* Eâdem restrictione intelligendum est, quod docet Tullius, de creatione Cæli, & Mundi: *Nullum*, inquiens, *bonum Philosophiâ præstabilius, neque datum mortalium generi Deorum consessu & munere, neque dabitur.* Ratio huius excellen-

tiæ ex eo petitur; quia animum possidentis non modo illustrat atq; exornat cognitione rerum omnium intelligibilium, quæ amplissimo huius mundi ambitu continentur; sed etiam per contẽplationem veritatis eum diuinæ naturæ quodammodo assimilat & conformat; Atque non secus, ac forma aliqua substantialis physica, materiam primam nudam in se ac deformem, sua informatione perficit splendoremque ei ac ornamentum confert; ita Philosophia vera forma, perfectio, & naturalis Entelechia mentis humanæ eam (nobilem quidem in se; sed veluti tabulam rasam, nullis picturis insignium naturæ habituum adornatam) omnium rerum intelligibilium imaginibus, luminibusque scientiarum ad omnem pulchritudinis excellentiam & varietatem adumbratam & perpolitam reddit, eamque incredibili quodam atque inusitato splendore fulgere facit, non secus, ac si diuina supremi artificis manu depicta & expolita foret.

5. *Philosophiæ imperitus, nec se scit, nec aliquid aliud.* Albertus Mag. de Intellect. & Intellig. c. 6.] Notatur hoc dicto miseria hominis, qui animum studijs philosophicis excolere negligit: neque enim alios modo, quibuscum agit; sed & seipsum miser ignorat; insuper neque cibi & potus quibus vtitur, nec aëris quem haurit, nec aliorum naturæ commodorum, quibus fruitur, operationes & causas compertas habere potest: sed in tantâ, tamque multiplici hac rerum naturalium pulchritudine oberrat, non aliter, ac brutum aliquod in syluarum ac saltuum occultis vagatur, nullam neque frondium virescẽtium, neque arborum fructificantium, neque fructuum luxuriantium notitiam habens.

6. *Philosophia mirabiles parit voluptates.* Sumitur ex l. 1. de partibus Animal. c. 15.] Vbi Aristoteles

ait, *Philosophantibus ingenuè, & ijs, qui causas intelligunt, naturam parentem mirabiles excitare voluptates*: easdem & puritate, & stabilitate eximias esse, docet lib. 1. Eth. c. 7. & alibi. Ac sanè quid delectabilius à natura homini obtingere possit, quam rerum tum maximarum, tum occultissimarum naturam atque affectionem contemplari? *scire dispositionem & virtutes elementorum* (verba sapientis sunt Sap. c. 7.) *initium & consummationem & medietatem temporum, vicissitudinum permutationes, anni cursus & stellarum dispositiones, naturas animalium, & iras bestiarum, vim ventorum & cogitationes hominum, differentias virgultorum, & virtutes radicum, & quæcunque sunt abscondita & improvisa*: omnium enim horum, atque adeo conditoris eorum, (quoad homini fas est) contemplationem docet Philosophia, animumque à terrenis affectibus ita abstrahit, vt nulli perturbationi obnoxius in contemplatione veritatis feliciter conquiescat.

7. *Philosophari non potest animus curis occupatus.* Albertus Mag. in Metaphys. tractatu 2. c. 3.] Ratio est; quia per illas à contemplatione veritatis abducitur. Vnde meritò diuinus ille Plato, eum, qui futurus est Philosophus, iubet sedatas habere omnes perturbationes, & appetitum rationi obedientem, qui nisi perdomitus fuerit, & veluti iniecto freno in gyrum rationis ductus, magnam partem animi sæpe detorquet, & à contemplatione cognitioneque veritatis abducit.

DISTINCTIO II.

De Logica.

1. *Logica vtilissima est ad omnem Philosophiam.* Boëtius in Porphyr.] Nomen Philosophiæ latè hic sumitur pro quauis facultate superiore, siue humana illa sit & naturalis, siue diuina & supernaturalis; nam vt rectè Clemens Alexandrinus ait, l. 1. & 6. Stromatum: *Dialectica velut manu ducit ad veram ac beatam sapientiam, & ad cognitionem supremæ veritatis.*

2. *Logica est disciplina disciplinarum.*] Sumitur ex M. Augustino l. 2. de Ordine, vbi præclarè ostendens, quam vtilis, quamque necessaria Logica sit ad omnes alias scientias rectè percipiendas. Quomodo, ait, intellectus aut ratio transiret ad alia fabricanda, nisi ipsa prius sua quasi machinamenta quædam & instrumenta distingueret, notaret, dirigeret, proderetque ipsam disciplinam disciplinarum, quam Dialecticã vocant? Hæc docet docere, hæc docet discere; in hac seipsa ratio demonstrat, & aperit, quid sit, quid velit, quid valeat, scit scire, sola scientes non solum vult; sed etiam potest.

3. *Sine Logica, qui videntur scire, nesciunt se scire.* Albertus M. Tractatu 1. in Prædic. c. 3.] Ratio effati est; quia vt aliquis dicatur apodictice, siue demõstratiuè & perfectè scire, (de cuiusmodi scientiã intelligi debet) necesse est, vt certè & euidenter cognoscat, suam ratiocinationem esse necessariò & infallibiliter bonam, & vt possit reddere causam huius infallibilis bonitatis: hoc autem non potest sine Logicã; quia hæc sola docet, quæ sit vera demonstratio, & quid ad eam requiratur.

4. *Absurdum est, simul quærere scientiam & modum sciendi.* 2. Metaph. cap. 3. t. 15. per modum sciendi intelligitur Dialectica siue Logica.] Sensus itaque pronunciati est, absurdum esse, si quis simul discere velit alias scientias & Logicam; cuiu hanc ante illas addiscere oporteat, eò quod tradat modos & instrumenta sciendi, atque ita viam paret ac muniat ad scientias acquirendas. Eâ de causâ Aristoteles Logicam primo inter omnes libros suos loco collocauit; quod eius cognitionem ceteras scientias anteire cõueniat; & 4. Metaph. t. 8. docet, eos qui ad scientias accedunt, debere esse doctrinâ analyticâ instructos, quæ præcipua pars est Logicæ, quam ipse tum Priorum, tum Posteriorum de resolutione libris pertractauit. Ita quidem propositum axioma interpretantur plerique recentiores, quos sequitur Hurtado. Verum si attentè legatur Aristoteles, eo loci per modum sciẽdi intelligere videtur methodum tradendi scientias. Cùm enim dixisset, varios esse Auditorum gustus, & alios alia methodo ac ratione procedendi delectari; subiungit, Auditores debere ad Doctoris methodum sese accommodare; & absurdum esse, quærere à doctore scientiam, & simul illi præscribere methodum tradendæ scientiæ.

DISTINCTIO III.

De Mathematicâ.

1. IN *Mathematicis non est materia, sed forma.* Sumitur ex 8. Metaph. c. 8. t. 15.] Idem clarioribus verbis explicat Philosophus & probat, l. 7. Metaph. c. 13. t. 37. Vbi docet materiam non esse de substãtiâ rei in formis & obiectis mathematicis; idque ex eo

apparere ostendit: *Quoniam*, vt inquit, *nihil substantiæ circulis æs, neque lapis est: propterea quod ab eis separetur.* Id est, æs, aut lapidem, aut aliud quodcunq; corpus figuratum, non esse de essentiali conceptu figuræ circularis, aut alterius cuiuscunque quam recipit: abstrahit siquidem Mathematica, ab ipsâ rerum sensibilium materiâ, eamque physicæ considerationi relinquit: Quo modo enim Metaphysica circa res materiales non versatur, nisi in ordine ad propriam abstractionem; vt scilicet declaret, quâ ratione in ijs reperiantur communia & transcendentalia prædicata Entis. Ita Mathematica easdem non considerat, nisi prout quantæ sunt, & certis figuris terminatæ. Et hac de causâ alibi Philosophus inquit:

2. *Mathematici versantur circa formas*, lib. 1. Post. c. 10. t. 30.] Non quidem circa omnes; sed circa illas duntaxat, quæ rationem obiecti formalem participant, & à materiâ, ratione abstrahunt. Obiectum namque Mathematicarum scientiarum est quatitas, quatenus terminata. Id est, prout in Quantitate continuâ sunt lineæ, superficies, & solida. Certa seu determinata, ex quibus variæ figuræ existunt, vt circulus, triangulus, pyramis, conus, cylindrus, &c. quæ omnia etiam in quantitate discretâ proportionaliter reperiuntur; solos enim terminatos, seu finitos numeros Arithmeticus considerat. Tametsi verò quatitas reipsâ non existat, nisi in materiâ sensibili: Mathematica tamen eatenus illam non considerat, sed prout ratione vel intellectione illam abstrahit à materiâ, vt clarum est ex dictis. Vide, si placet, Suarez disp. 1. Metaph. sect. 2. num. 12.

3. *Entia Mathematica non sunt substantiæ.* Refertur ab Alexandro de Ales in 3. Metaph. t. 17. & in 5. Meta. t. 15. & à D. Thoma in 3. Metaph. lect. 13.] Per abstractionem à materiâ sensibili, fit, vt obiecta Ma-

theſios perfectionem quandam acquirant, quam vocant Mathematicam : v. c. triangulum ratione abſtractum, eſt omninò planum, ex tribus lineis omninò rectis, tribuſque angulis & punctis omninò indiuiduis conſtitutum ; quale in rerum natura (exceptis forte cæleſtibus) vix reperiri poteſt. Atque hac de causâ dicuntur entia mathematica non eſſe ſubſtantiæ; quia prout à Matheſi conſiderantur, omni materialitate, & inſuper reali exiſtentia carent : Id tamen illis eſt omninò per accidens ; ſufficit enim, quod tam in mente Auctoris naturæ, quam in humanâ eorum ideæ, tanquam exactiſſimi rerum typi, & tanquam exacta Matheſios obiecta exiſtentiã habeant. Quamobrem dicendum eſt, Entia Mathematica omnibus numeris abſoluta eſſe entia per ſeſe, & vera : Figuræ autem, quæ in rebus exiſtant, ſunt entia per accidens, & imperfecta, & falſa : v. c. triãgulum in chartâ depictum non eſt verum triangulum à Mathematico per ſe intentum; ſed verũ triangulum eſt, quod in ideâ diuinâ eſt. Vnde Plato dicere ſolebat, *Deum Geometrizare*, id eſt, tanquam verum Geometram, non niſi perfectiſſimas Ideas contemplari. Adde hæc entia eſſe poſſibilia : quis enim neget, Angelum aut Deum, hæc efficere poſſe : ad obiectum autem ſcientię ſatis eſt eſſe poſſibile; ſcientia namque abſtrahit ab exiſtentia obiecti.

4. *Puer poteſt eſſe Mathematicus ; Sapiens autem, aut Naturalis non poteſt.* 6. Eth. c. 8.] Ratio eſt; quia magna ingenij & iudicij maturitate opus eſt, ad acquirendam ſapientiam, quæ princeps eſt, & dominà ſcientiarum, traditque primas & vniuerſaliſſimas rerum cauſas ; atqui *Vniuerſaliſſima ſunt cognitu difficillima.* 1. Metaph. c. 2. quia à ſenſu remotiſſima ſunt. Similiter Phyſica cum reconditam naturæ vim ſcrutetur, & à vagâ atque errabundâ variorum effe-

ctuum notitia dependeat, longi temporis obseruationem & experientiam requirit, proindeque multò est difficilior & operosior, quàm sit Mathesis, quæ eruditi ore Magistri facilè percipitur; eò quod agat de Quantitate, quæ est sensibile commune, & pluribus sensibus percipitur: neque occultas rerum causas curiosiùs indaget: & ideo olim primo loco proponebatur pueris addiscenda. Vnde Plato l. 7. de Repub. Mathematicas disciplinas vocat προπαιδείας, quasi priores institutiones, quibus adolescentum animi ad reliquos doctrinæ fatus præexercentur & excoluntur. Hæc tamen accipienda sunt, non de Mathematicâ omnibus numeris absolutâ; sed rudioribus adhuc lineis ductâ: Rectè enim & sapienter ex Plutarcho Fonseca demonstrat, exactissimam illam Mathematum disciplinam, florentibus ingeniis dignissimam, maturiori ætati fuisse reseruatam.

5. *Arithmetica & Geometria sunt primæ Mathematicæ.* Sumitur ex 4. Metaphys. t. 4.] Vbi inquit Aristoteles: *Philosophus namque est, vt ille, qui Mathematicus dicitur; & hæc enim habet partes ac primas quædam, & secundas scientiæ est: ceterq; quoque consequenter in Mathematibus.* Dicuntur itaque Geometria & Arithmetica inter scientias Mathematicas, *primæ*; quia ipsæ à ceteris nullâ ratione dependent: ceteræ autem illis innituntur, quæ, *secundæ* hoc loco appellantur, & sunt Astronomia, Perspectiua, Musica, Mechanica; quæ in varias rursus species subdiuiduntur, vt videre licet apud Clauium, Tomi primi initio. Primæ duæ etiam *puræ* Mathematicæ appellantur; quia tantum vtuntur demonstrationibus Mathematicis, neque considerant vllam materiam, cui quantitas inhæreat. Reliquæ omnes dicuntur *mixtæ*, quia vtuntur rationibus tum Mathematicis, tum Physicis, & attingunt materiam sensibus obnoxiam.

Digitized

Hæ verò à primis illis ita necessario dependent, vt non videantur illæ concidere posse; quin hæ simul omnes eodem casu labefactatæ corruant: Neque enim aut Astronomus, aut Perspectiuus (& eadem est ratio de omnibus aliis) theoremata in vulgus probabit sua, vt non solum veritatem; sed etiam voluptatem habeant cum vtilitate coniunctam, qui vniuersam numerorũ & proportionum geometricarum naturam non habeat exploratam. Quod si vel modicum, in numeris putandis, & proportionibus inueniendis lapsus fuerit, necessario omnis corruet demonstratio, atque hac de causâ princeps ingenij Plato, duas illas voluit esse vestibulũ quoddam, & veluti Isagogen omnium aliarum scientiarum, iuxta illud: *οὐδεὶς ἀγεωμέτρητος εἰσίτω.*

6. *Sine Arithmetica societas hominum non potest consistere.*] Traditur à Platone in Epimonide, & intelligitur de politicâ hominum coniunctione, quæ mutuis commerciis conuentisque ferè continetur. Plurima enim in his tempora incidunt, vt rationes accepti & expensi reddendæ repoſcendæne sint, tabulæ conficiendæ, numerus æqualiter vel inæqualiter certâ quâdam proportione seruatâ, in plures partes diuidendus, summa subducenda, &c. in quibus rebus circumueniri & circumuenire æquè turpe est, & perniciosum: Itaque audacius illud quidem; sed tamen verè dixit Plato, *prudentiam atque adeo humanitatem omnem è mundo eos tollere, qui Arithmeticam è vitâ tollant*, Ibidem, & in 7. de Repub.; cum sine illa neque publicæ, neque priuatæ res subsistere possint.

7. *Geometria est subtilissima scientiarum.* Traditur à Cardano l. 16. de Subtilitate.] Veritas illius patet ex admirandis operibus Archimedis, ex plurimis demonstrationibus Euclidis, ex subtilissimis proportionalium inuentionum proprietatibus & effectibus;

vt non immeritò diuinus ille Plato dicere solitus fuerit Deum Geometrizare; ob summam videlicet excellentiã, & purissimas veritates, quas docet Geometria. His accedit, quod omnia, de quibus demonstrationem Geometræ instituunt, euidentissimis rationibus certissimisque ita subtiliter ostendant, vt verè scientiam in animo Auditoris gignant, omnemque prorsus dubitationem tollant; id, quod alijs scientijs vix tribuere possumus; cum in eis sæpenumerò intellectus multitudine opinionum ac sententiarum varietate, in iudicandâ conclusionum veritate suspensus hæreat atque incertus. Atque hac de causâ Aristoteles de Geometris loquens, Antonomasticè & per excellentiam inquit:

8. *Geometra est Speculator veritatis.* l. 1. Eth. c. 7.] Reliquæ enim scientiæ rarò euidentiam pariunt; sæpe etiam veritatem non assequuntur, vt ex opinionum & sententiarum diuersitate constat; sed fere semper opiniones tantum generant; vnde illas Plato non scientias, sed opiniones voluit appellari. Testantur id tot Peripateticorum sectæ, quæ ab Aristotele exortæ, adeo inter se, & nonnunquam etiam ab ipso Aristotele dissident, vt prorsus ignores, quidnam sibi velit Aristoteles, num de Nominibus, an de rebus potius disputationem instituat. Hinc fit, vt pars interpretes Græcos, pars Latinos, atque Arabes, alij Nominales, alij denique Reales tanquam ductores sequantur; qui omnes tamen Peripateticos se esse gloriantur: quod equidem à Geometricis demõstrationibus, aliisque quæ in vniuersâ Matheſi illis instituntur, longissimè abest. Theoremata enim Euclidis, & cæterorum Mathematicorum, eãdem hodie, quam ante tot annos, in scholis retinent veritatem & certitudinem. Quapropter verè à Cardano dictum est, l. 16. de Subtilitate: *Duæ sunt præcipuè laudes Euclidis*

dis : inconcussa dogmatum firmitas libri elementorum, perfectióque adeo absoluta, vt nullum opus iure huic comparare audeas.

9. *Arithmetica & Geometria sunt sorores.*] Adagiũ istud vulgare traditur apud Eutocium in Comment. Apollonij, hisce verbis : ταῦτα γὰρ Μαθήματα, δοκοῦντα εἶδος ἀδελφά. Ratio est ; quia eodem prorsus modo in suis demonstrationibus procedunt, & quod hæc facit in quantitate continuâ, illa eadem prorsus ratione præstant in quantitate discretâ, vt planè ex l. 7. 8. & 9. Elementorum videre licet. Itaque quæcunque hactenus de altera dicta sunt, siue quoad subtilitatem, siue quoad euidentiam & certitudinem, de vtraque intelligenda esse iudicamus.

10. *Nemo bonus Astronomus, qui non & Physicus.*] Indicatur ab Alberto Magno de Somno & Vigiliâ l. 3. Tract. 1. c. 11. Ratio est ; quia Astronomia in multis scientiæ Physicæ suo modo subalternatur, & in veritate ac certitudine suorum principiorum ab illa dependet, vtiturque rationibus non physicis modo ; sed & mathematicis, & contra, ac proinde est, & dicitur scientia ex vtrisque *mixta*. Atque hæc vna inter alias causa est, cur multos hodieque reperire sit scientiæ Astronomicæ cultores, qui de ordine cælorum, & vniuersi dispositione, aliisque similibus materijs plausibiles quidem, vtipsi autumant, hypotheses proponunt : Verum quia physica & peripatetica principia vel ignorant, vel certè ijs se conformare non laborant, in varios errorum scopulos grauissimè impingunt. Quod autem de Astronomia hic dicitur, idem de omnibus mixtis Mathematicis pari ratione intelligendum est ; sicut etiam, quod paulò ante de laudibus Geometriæ & Arithmeticæ dictum est, intelligi debet comparatiuè ad alias disciplinas Mathematicas, & scientias Philosophicas, has enim

certitudine, euidentiâ, ac subtilitate præstant, vt testatur Aristoteles 1. Eth. c. 3. & 2. Metap. Auerroës eodem loco, & Ptolomæus in Procœmio magnæ compositionis. At verò si duæ istæ inter se comparentur, Arithmetica simpliciter excellere iudicanda est, nobiliorem enim demonstrationis certitudinem habet, vt probat Aristoteles, 1. Meta. c. 2. quia disputat de ijs, quæ priora ac simpliciora sunt, hoc est, de numeris, qui absq; partium situ percipiũtur: Geometria verò de Magnitudine, quæ sine eiusmodi situ nõ cognoscitur; ratio quoque numeri abstractior est à materiâ, quàm ratio magnitudinis. Lege, si placet, quæ in hanc sententiam scripsit Aristoteles in Problematis sect. 30. num. 5. & Iulius Scaliger Exercit. 321. in Cardanum.

DISTINCTIO IV.

De Physica & Medicina.

1. *Physica est secunda Philosophia.* 7. Metaph. c. 11. t. 39.] Non modo quoad dignitatem, quæ ab obiecto sumitur; prima siquidem dignitate est Metaphysica, 2. Philosophia naturalis, 3. Mathematica, sed etiam quoad ordinem naturæ: Nam & hoc ordine; prima est Metaphysica, quia agit de vniuersalissimis principiis & causis, 2. Physica, quia agit de substantiâ, quæ prior est accidentibus: 3. Mathematica, quæ Quantitatem considerat, (licet hæc etiam ratione abstractionis, euidentiæ, & subtilitatis præcellat, vt patet ex distinctione superiori.) Denique etiam quoad prioritatem secundum nos: Prima etenim hoc ordine est Mathematica, vt dictum est, tum quia agit de Quantitate, quæ est sensibile com-

mune, id est, pluribus sensibus percipitur; tum etiã quia est scientia facillima, & nullius propemodum egens experientiæ: vnde etiam puer euadere potest mathematicus, vt dictum est. 2. est Physica quia agit de rebus materiâ constantibus, mutationique obnoxiis, quarum cognitio magis recondita est. 3. Metaphysica, quæ agit de maxime vniuersalibus & abstractis, ad quorum contemplationem mentis nostræ acies perinde ac noctuæ oculus in solis splendore hebescit, vt docet Aristoteles, 2. Metaph. c. 1. t. 1. & 1. de partibus animalium. c. 5.

2. *Si non essent substantiæ immateriales, Physica esset prima Philosophia.* 6. Metaph c. 1. t. 3.] Ex hoc Aristotelis pronuntiato quidam probare voluerunt, obiectum Metaphysicæ esse solas substantias immateriales quarum consideratione duntaxat Metaphysica differat à Physicâ; sed non secundum mentem Philosophi. Tantum enim ille dicere intendit, quod sublatis immaterialibus, id est, quæ planè separatæ sunt ab omni materia, ens naturale reciprocaretur cum ente in commune sumpto: *Tolleremus enim omnes rationes entis vel substantiæ communes rebus materialibus & immaterialibus* (inquit Suarez disp. 1. Metaph. sect. 1. n. 14. (*Sicuti enim nulla essent entia immaterialia, ita nullæ essent rationes entium abstrahentes à materiâ secundum esse.* Et ideo non esset necessaria alia scientia: ac per consequens Physica non esset secunda, sed prima Philosophia.

3. *Medicina incipit, vbi Physica desinit contemplatio.* Aristoteles de Sensu & Sensili cap. 1.] Alij ita proponunt: *Ibi incipit Medicus, vbi Physicus desinit.* Tritissimo hoc pronunciato innuitur dependentia Medicinæ à Physiologia: Physicus enim considerat essentiã ac proprietates corporis humani, item vires herbarum ac lapidum, &c. prout sunt na-

turales quædam qualitates è causis naturalibus ortæ, idque solum eo fine, vt sciat: Medicus verè naturalem rerum cognitionē vlterius dirigit ad praxim; & circa corpus ille humanum, ac vires herbarum, &c. versatur, vt morbos pellat & sanitatem conseruet. Ex quibus perspicuum euadit, Medicinam ibi debere incipere, vbi Physica desinit, eamque ratione Principiorum suorum dependere à Physicâ, iuxta illud:

4. *Sanitatis & ægritudinis Principia cognoscere Naturalis est.* Aristoteles de Sensu & Sensibili c. 1. sub initium.] Id est, ad Philosophum naturalem, siue ad Physicum pertinet, bonæ & aduersæ valetudinis primas causas, & principia inquirere, adinuenire, & comprobare, vt loco citato docet Aristoteles; solo videlicet studio inquirendę & perspiciendæ veritatis, & prout huiusmodi affectiones à naturâ proficiscuntur. An autem Medicina propriè & in rigore scientiæ, sit subalternata Physicæ, controuertunt Philosophi, Pererius negat, alij affirmant, cuius determinatio non est huius loci. Illud certum est, perpetuum & necessarium cognitionis vinculum esse, quo ab hac illa dependet.

5. *Philosophia & Medicina sunt sorores.*] Ita eas appellare fuit solitus Aristoteles, & ante illum Democritus, vt refert Isidorus Peluſiota Epistolarum l. 1. Epist. 437. Ratio appellationis est; quia vti hæc corporibus, ita illa medetur animis. Priuatim verò Physiologiam inter & artem medicam non parua est affinitas, quatenus illa naturam contemplatur, hæc è naturæ legibus medendi præceptiones eruit, illa circa magnum, hæc circa paruum mundum versatur: ac denique vbi illa desinit, hæc incipit, vt dictum est. Vide Fernelium, Præfatione in lib. 1. Therapeutices, vbi multis ostendit; Naturæ legibus esse Medicinæ leges consentaneas.

Digitized by Google

6. *Qui bonus est Medicus, idem & Philosophus.*] Veritate huius pronunciati demonstrat Galenus pleno libello, qui Tomo primo operum illius est ordine secundus, iuxta editionem septimam Iuntarum, Venetiis; eidemque opusculo præsens effatum veluti titulum ac materiam declarãdam præfigit. Ratio est clara ex dictis; quia nimirum ibi Medicus incipit, vbi Physicus desinit, & Medicina nititur rerum naturalium cognitione veluti basi ac fundamento.

7. *Natura opifex, Medicus est minister.* Galenus in lib. Artis Medicæ c. 77.] Sumitur hoc loco natura, pro vi curatiuâ insitâ herbis & aliis medicamentis, & pro natiuo calore & temperie, ac vegetatrice facultate cuiusque animantis: huius enim est, alimenta, ac medicinas ad vitæ conseruationem disponere, quas Medicus subministrat: iuxta illud.

8. *Natura optimus est suipsius Medicus.* Sumitur ex eodem Galeni capite.] Ratio ex eo petitur, quia longè efficacius & certius natura in suipsius medelam incumbit, quam alius Medicus quicunque. Nam etiam, teste Aristotele l. 1. Top. c. 2. Medicus suo satagere officio censetur, si ex contingentibus nihil omiserit eorum, quæ ægrotis conducere videntur, etiamsi omninò non sanet, & morbi qualitatem ignorans, speculatiuè loquendo imprudenter agat: absque suâ quidem culpâ, si diligentiam sufficientem adhibuerit; verumtamen non sine incommodo patientis, vt pluribus dictum est, ad illud: *Prudentia potest falli speculatiuè, non practicè.* Titulo *de Prudentia.* Lege, si placet, D. Thom. in 2. Phys. lect. 14. t. 86. Vbi congruè ad hunc sensum, ait, *Naturam maximè assimilari medico curanti semetipsum.*

9. *Vbi sanitas per dietam restitui potest, fugienda sunt pharmaca.* Traditur à Cornelio Celso l 3. c. 4.] Ratio est; quia omnia fere medicamẽta stomachum

lædunt, malique succi sunt, vt idem docet l. 5. in principio & Galenus l. 1. de sanitate tuenda, & alibi vide, si placet, Tiraquellum l. de Nobilitate. c. 31. n. 492. vbi pluribus hoc argumentum persequitur.

10. *Non est in Medico semper velenetur vt æger.*] Vulgare istud citatur & approbatur à Glossa in lege, Illicitas, §. sicuti Medico, ff. de offic. Præsid. vbi additur; *quod Medico non debet imputari euentus mortalitatis.* Ratio huius patet tum ex dictis: tum etiam, quia vt communiter dici solet: *Contra vim mortis non est medicamen in hortis*: Atque hac de causâ curâ ægrotum habere, non necessariò curationem semper facere iubet Euangelium. Valet hoc dictum in illos, qui negligentiæ incusare & negligentiæ Medicum solent; si non medicetur omnibus, qui curæ ipsius committuntur: sæpe enim contingit, vt suo ille satisfaciat officio, licet minimè exitum optatum sortiatur; vel ob vitium illius, qui est sub curâ, vel ob aliud quodcunque ab extrinseco aduenies impedimentum. Id quod experientia quotidiana docet, in Medicis non corporis modo, sed animi etiam, vt sunt Parochi & Curatores animarum, iuuentutis Magistri, &c.

11. *Quod ignorat Medicina, non sanat.*] D. Hieronymus in illud Eccles. 10. 11. *Si mordeat serpens in silentio.* Monet sententia, necesse esse, vt tuam Medico ægritudinem declares, si eum tibi medicinam facere velis: Non enim curari à Medico poterit, qui suam illi plagam non detegit. Quinimò si multis languoribus & morbis simul tenearis, eos ad vnum omnes reueles oportet. Si namque vel vnum celes, tale forte medicamentum illé tibi præscribet, magis vt tibi noceat, quoad id, quod tacuisti quam conferat, quoad id quod declarasti, Quod enim salutare est hepati, v. c. noxium est spleni. Vnde te necesse est

omnia

omnia mala tua declarare, quo ita ſuum Medicus medicamentum temperet in vno, vt minimè noceat in altero. Intelligitur itaque pronunciatum non ſolum de Medico corporali; ſed etiam, & non minus primariò de Medico ſpirituali, iuxta illud: *Qui abſcondit ſcelera ſua non dirigetur.* Prouerb. 28. v. 13.

12. *Remedia non proſunt niſi immorentur.*] Nobilis hic Aphoriſmus à Seneca traditur, Epiſt. 40. approbatur à B. Petro Damiani ſermone 66. in hæc verba: Epithema ſiquidem curare non poteſt, niſi tamdiu tumori iaceat ſuperpoſitum, donec vel vigorem ſuum, per occultos meatus in corporis interiora transfundat, vel humorem peſtiferum virtutis ſuæ potentia ad exteriora trajiciat. Antidotum verò, quod ore percipitur, neceſſe eſt, vt eatenus moras faciat, quouſque per venas & poros occulta viſcerum funditus penetret. Eundem minimè improbat S. Bernardus l. de Vita Solit., vbi remedia crebrò mutata nocere docet. Et ſanè veriſſimus eſt in morbis inueteratis, qui radices altas in corporibus egerunt.

13. *Boni Medici non pecuniam ægroti, ſed valetudinem quærunt.*] Eſt hoc dictum Æneæ Syluij (qui poſt eſt Pius ſecundus nominatus) vt refert Bap. Platina in eius vitâ. Veritas illius certiſſima eſt, ſi intelligatur de intentione primaria, vti oportet. Poteſt nihilominus ſecundariò, vna cum ſalute patientis, lucrum etiam honeſtè quæri: quemadmodum rectè poteſt quiſpiam ordinare maius bonum ad obtinendum minus, ita vt hoc ſit finis illius proximus aut ſecundarius; iuxta ea, quæ diximus ad illud Axioma, *Bonum maius non ordinatur ad minus*, Titulo *de Cauſâ Finali*, Diſtinct. 4. In huiuſmodi enim, lucrum, ſtipendium, aut merces tantum ſunt cauſa im-

pulsiua, & finis minus principalis, quo mouetur voluntas ad operandum.

14. *Medici non fiunt ex libris.* 10. Ethic. c. vltimo, sub finem.] Ratio est; quia experientia medendi artem perficit: *Qui namque in singulis experti sunt* (inquit ibidem Philosophus) *rectè opera indicant, & quibus & quomodo perficiuntur, & quæ sunt his consona, comprehendunt.* Verus itaque pronunciati sensus est, ad Medicam scientiam perfectè obtinendam non sufficere, speculationem & studium litterarium; sed insuper requiri vsum & experientiam. Vnde vulgò etiam magis amari dicuntur Medici experti, quàm scientes. In eandem sententiam 3. Politicorum c. 3. dicitur, Gubernatio bona plura acquirere, quàm leges & litteras, vt explicatur Titulo *de Prudentiâ.* Consule, si placet, D. Thomam in Boëtium de Trinitate q. 5. art. 1.

DISTINCTIO V.

De Metaphysica siue Scientiâ.

1. *Metaphysica est princeps & Domina scientiarum.* Desumitur ex 1. Poster. c. 7. & ex 6. Metaph. c. 1. & l. 11. c. 6.] Ratio est; quia habet nobilissimum obiectum, tam in esse rei, propter nobilissima entia, quæ includit, vt Deum, & intelligentias; quàm in esse scibilis, propter summam abstractionem à quâ re & ratione abstrahit: Contemplatur enim Metaphysica Ens reale, quâ Ens est, & prout est scibile secundum abstractionem à materiâ re & ratione. Intelligitur autem pronunciatum de dignitate simpliciter, & secundum se, non autem de qualicunque prioritate certitudinis aut euidentiæ quoad

nos, vt patet ex ijs, quæ de Mathematicâ diximus. Intelligi item debet de scientiis, quæ humano ingenio comparantur: dari enim scientias supernaturales Metaphysicâ nobiliores, & Theologiâ certum est. Consule, si placet Auicennam 1. suæ Metaphysicæ cap. 5. D. Thomam 1. contra Gent. c. 4. Suarez & alios.

2. *Metaphysica est naturalis Theologia.* Sumitur ex l. & cap. citatis, & ex 1. Metaph. c. 2. & 1. de Partibus Animalium c. 5.] Ratio est; quia agit de Entibus tranſnaturalibus, vt de Deo, qui est Ens entium, & de rebus diuinis, in quantum naturali lumine cognosci possunt. Vnde etiam inscriptionem Metaphysicæ Aristotelicæ, τὰ μετὰ τὰ φυσικὰ, aliqui vertunt, *supra naturalia*; quia in illis libris agitur de rebus nobilissimis, quæ in altissimo gradu positæ sunt, & supra ordinem, classem, ac dignitatem rerum physicarum. Hac quaque de causâ Philosophiæ cultores per alias scientias gradatim ad Metaphysicam ascendunt, eò quod illarum notitia ad altissimam hanc diuinamque Philosophiam animum præparet & acuat, vt D. Augustinus l. 2. de ordine edisserit aiens, humanam rationem, cum ad ea, quæ supra naturam sunt, agnoscenda aspiraret, ne ascensum frustra moliretur, neve de alto caderet, inferiores disciplinas sibi tanquam gradus parasse.

3. *Metaphysica est naturalis Sapientia.* lib. 1. Metaph. c. 1. & 2. & l. 3. cap. 2.] Ratio est; quia tradit primas atque altissimas rerum causas. Pro maiore autem huius explicatione notandum est, Sapientiam dupliciter sumi, 1° latè, pro rectitudine intellectus generali adiudicandum de omnibus rebus, quę cõsurgit ex collectione omnium scientiarum, quo sensu describitur à Cicerone: *Sapientia est rerum diuinarum atque humanarum, causarumque, quibus hæ continen-*

tur, *scientia*. l. 4. Tuscul. q. & 2. Officiorum. 2. strictè & propriè pro vno certo habitu intellectûs, qui ob suam singularem perfectionem & eminentiam dicitur Sapientia. Et est duplex; secundum quid, & simpliciter: *Sapientia secundum quid* est quæuis particularis ars vel scientia perfecta, quam qui perfectè tenet, per supremas causas illius generis, dicitur Sapiens secundum quid, vt sapiens Architectus, sapiens medicus: *Sapientia simpliciter* est vna ex virtutibus intellectualibus, ab Aristotele enumeratis 6. Ethic. l. 6. quam qui habet, vocatur Sapiens simpliciter. Et hoc sensu dicitur Metaphysica esse Sapientia, scilicet simpliciter: ad quod probandum Aristoteles affert 6. conditiones Sapientiæ simpliciter, quas omnes dicit excellenti quâdam ratione conuenire Metaphysicæ; prima est versari circa omnia, & esse scientiam rerum omnium, quantum possibile est. 2. versari circa res maximè difficiles, seu arduas, & à sensibus ac vulgaribus hominibus remotas. 3. esse cognitionem certissimam & euidentissimam. 4. esse aptissimam ad docendum, & reddendas causas rerum altiores. 5. esse propter se maximè expetibilem. 6. præesse aliis scientiis tanquam dominam, iisque principari. De his singulis consule, si placet, Suarez disp. 1. Metaph. sec. 5. num. 6. & seqq.

4. *Signum sapientis est, posse docere*; 1. Metaph. cap. 1.] Ratio est; quia Sapientia aptissima est ad docendum, & reddendas causas rerum altiores & vniuersaliores. Vnde etiam Metaphysica dicitur *Scientia maximè doctrinalis*, Vt notauit Albertus M. in 1. Metaph. tractatu 2. c. 4. ex Aristotele ibidem c. 2. In qualibet item arte vel scientia, is sapientior existimatur, qui rerum causas intimius & vniuersalius, comprehendere ac tradere nouit, vt obseruat Suarez loco ante citato. Quemadmodum enim ex effectu

cauſa cognoſcitur, & ex partu conceptio, ita ex doctrinâ Magiſtri congruâ reconditam in illo ſapientiã æſtimamus. Contra verò,

5. *Occultæ Muſices nullus reſpectus.*] Senſus eſt, quamuis egregias animi dotes, ſi non proferantur, perinde eſſe, ac ſi nullæ; iuxta illud: *Scire tuum nihil eſt, niſi te ſcire hoc ſciat alter.* Et iſtud: *Tu licet & Thamyram ſuperes, atque Orpheacanitu, Non erit ignotæ gratia magna lyræ.* Intellige ſecundum communem hominum vſum & æſtimationem: Sæpe enim, talenta ſua noſſe occultare prudentiæ eſt, & veræ humilitatis argumentum: ac proinde in Axiomate non dicitur; Sapientis eſſe, *actu* docere ſemper; ſed *poſſe* docere; ſuo videlicet loco & tempore.

6. *Docentis eſt reddere cauſas eorum, quæ docentur.* Sumitur ex 1. Metaph. c. 2.] Vbi pro quarto Sapiẽtis munere Ariſtoteles aſſignat, reddere cauſas eorum, quæ cognoſcit & docet. Ad hoc autem requiritur, vt habeat non popularem modo & adumbratam notitiam rerum; ſed exquiſitam & omnibus numeris abſolutam, quam & ipſe rectiſſimè teneat, & alios rite docere valeat; explicãdo videlicet eorũ omnium, quæ in vnaquâque re inſunt, cauſas omnes, non proximas modo; ſed etiam generales, vt ibidem inquit Ariſtoteles. Sic viciſſim diſcentis eſt, ſanæ Magiſtri doctrinæ acquieſcere, & importunè ea etiam, quæ plana ſunt, inquirere, iuxta illud Philoſophi: *Quærere rationem eorum, quæ ſenſu patent, infirmitas quædam eſt intellectus.* 8. Phyſicorum t. 22.

7. *Sapientis eſt loqui ſententias.*] Sententia eſt æqui & boni viri iudicium rectum, vt definit Ariſtot. 6. Ethic. c. 11. Hiſce veluti floribus dictionem omnem exornare decet cumprimis Sapientem: Etenim ſententiæ ſi loco proferãtur, vera ſapiẽtiæ ſigna ſunt, & magnam dictioni auctoritatem conciliãt, vt docet

Aristoteles in 2. Rhetoricorum. Verum itaque pronunciatum est, secundum ea, quæ diximus nu. 4. & 5. Sumiturque ex citato ibidem libro & capite.

8. *Quando vita contemnitur etiam doctrina vilipenditur.*] Dictum hoc Magni Gregorij notent præcipuè illi, qui neglectâ veterum & solidarũ virtutum acquisitione, toti in vanæ eruditionis studiũ incumbũt, præsertim si ex officio teneãtur, salutaribus alios doctrinis ac moribus instituere: vel enim eorum institutio ob virtutis defectum parui æstimabitur. Nam, vt S. Petrus Chrysologus ait: *Magisterij auctoritas constat ex vitâ*, Serm. 167: vel omninò negligentur, vt de S. Malachiâ, D. Bernardus commemorat; quod cum iuuenis ille esset, nunquam potuerit persuaderi, vt cuiusdam Magistri scholam ingrederetur, eò quod semel vidisset eum aliquid, quod non decebat, faciẽtem, vel denique, quod deterius est, vnà cum scientiâ, vitiosi mores addiscentur: Væ autem scientiæ nisi ei dominetur charitas, vt ait D. Augustinus. Atque hac de causâ Apostolus Timotheum monet: *Attende tibi & doctrinæ: hoc enim faciens & teipsum saluum facies, & eos, qui te audiunt.* 1. Timot. 4. 16. Hæc etenim duo sunt munia cuiusuis Doctoris, vt primum sese, deinde alios doceat; Qui namque seipsos negligunt, & totos se in aliorum curam effundunt; euanido spiritu laborant, & neque sibi, neque alijs prosunt.

9. *Sapientis est ordinare & non ordinari.*] Est hoc postremum ex attributis Sapientis, quæ refert Philosophus 1. Metaph. c. 2. Sensus illius est, rationi consentaneum esse, vt Sapiens iura potius ferat, quàm ab aliis lata accipiat: quemadmodum enim Sapientia, Domina est & Regina scientiarum. Ita Sapientem decere, non subesse aliis minus sapientibus & inferioribus; sed iisdem imperare. In eandem senten-

tiam l. 1. Politicorũ dicuntur, *ratione & intellectu vigentes naturaliter esse Domini & Rectores aliorum.* Ratio est; quia, *hominum genus arte & rationibus vivit*, vt docetur 1. Metaphysicorum : *Primum autem in vnoquoque genere regula est & mensura cæterorũ*, vt explicuimus, Titulo *de Causis in genere.* Congruum igitur est, vt qui rerum vsu & sapientiâ præpollent, clauum potius Reip. teneant, quam remum.

10. *Sapientis est, non discepture de nominibus.* Sumitur ex citato iam sæpius c. 2. libri 1. Metaphys.] Vbi pro secundo Sapientis officio tradit Aristoteles, versari circa res maximè difficiles seu arduas, & remotas à sensibus. Nam faciliores & obuiæ non ad sapientes ; sed ad vulgares homines pertinent: sic proprium Grammaticorum est, de nominibus ac verbis contendere. Ad Sapientem verò, siue ad Philosophum pertinet, relictâ altercatione triuiali, de substantiâ rerum seu essentiâ sapienter differere: &, vt ait D. Augustinus, lib. 4. de Doctrina Christianâ, capite 11. *In verbis verum amare non verba.* In quam sententiam Fabius lib. 3. Oratoriarum instit. cap 6. scribit, non interesse discentium, quibus quidque nominibus appelletur, dummodo res ipsa manifesta sit, similia habet l. 5. c. 10. sed de hac re pluribus agetur infra ; de Nomenclatione rerum. Valet pronunciatum in illos Philosophos, ac Theologos, qui plenis subinde disputationibus de litterâ inaniter litigant. Vide, si placet, D. Thomam, 1. p. q. 54. ar. 4. ad 2.

11. *Sapientia non inest homini à naturâ.* 6. Ethicorum c. 11.] Ratio huius est manifesta ; quia mens hominis est veluti tabula rasa, cui nihil inscriptum est; & omnis nostra cognitio pendet à sensu, vt docetur in libris de Animâ, & explicabitur Titulo *de Potentia cognoscitiuâ.* Atqui Sapientia est vltima, &

perfectissimâ hominis cognitio, vt patet ex dictis; quæ proinde magno labore & vsu est acquirenda. Idem dicendum de Sapientiâ latius acceptâ, ac de quauis arte vel scientia: Imò etiam suo modo de Intellectu ipso seu habitu Principiorum: licet enim insit ille nobis à naturâ, secundum inchoationem; ab experientiâ tamen est, secundum perfectionem, vt docet S. Thomas. Quia ad iudicium mentis duo tantum requiruntur, primo lumen intellectus (nam *Iudicium mentis fit secundum vim luminis intellectualis*; vt habet D. Thomas 2. 2. quæst. 173. artic. 2.) Secundo applicatio obiecti ad lumen: In actu autem habitus Principiorum, totum lumen & substantia actus est à natura ipsius intellectûs, applicatio verò Principij ad mentem, & ad singularia; confirmatio etiam & quasi manus extrema est per sensum & experientiam: In aliis tamen magis & in aliis minus; Nam ad habitum Principiorum communissimorum tantum experientia est necessaria, vt illa applicentur ad mentem, & illa videat per experientiam quasi in exemplari: In aliis verò magis contractis principiis requiruntur multæ experientiæ, partim vt perspiciatur connexio terminorum, partim vt per istã connexionem sine dubitatione illis credatur.

DISTINCTIO VI.

De Sapientia generaliùs sumptâ.

1. *Sapiens fit alius ab alio.*] Vetus istud prouerbium refertur à Clemente Alexandrino l. 9. Stromatum §. 9. & ab alijs siue Ecclesiasticis, siue profanis scriptoribus: Significat autem, Sapientes mutuâ conuersatione sese vicissim docere; & mo-

net, vt ne facilè quiſpiam aut doctrinam, aut ſententiam alterius contemnat ; ſed inquirat potius, nam quid eruditionis inde haurire queat: imò docilem ſe aliis pro opportunitate oſtendat: *Ego*, ait M. Auguſtinus Epiſt. ad Auxentium, *licet Epiſcopus adeo ſenex & prouectus ſim ; paratus ſum nihilominus vel à puero, vel à quolibet collegâ meo, etiam vnius anni nouitio, quidquid ignoro, doceri.* Nam, vt veriſſimè Sapiens dixit:

2. *Vbi fuerit Humilitas ibi & Sapientia.* Prouerb. 11.] Maximè autem in his, quæ ad propriè dictam Prudentiam ſpectant, indiget homo ab aliis erudiri, & præcipuè à ſenibus, qui ſanum intellectum adepti ſunt, circa fines operabilium. Vnde etiam Philoſophus ait 6. Ethic. c. 11. *Oportet attendere expertorum, & ſeniorum, & prudentium indemonſtrabilibus enunciationibus & opinionibus, non minus, quam demonſtrationibus*: Propter *experientiam enim vident principia*: Vnde & Prouerb. 3. dicitur: Ne *innitaris prudentiæ tuæ*; Et Eccleſiaſt 6. *In multitudine Presbyterorum* (id eſt ſeniorum prudentium) *ſta, & ſapientiæ illorum ex corde coniungere.* Ratio huius neceſſariæ docilitatis eſt; quia Prudentia eſt habitus agendi verâ cum ratione, circa ea, quæ homini bona ſunt vel mala, vt docet Ariſtoteles 6. Ethic. cap. 5. verſaturque circa particularia & contingentia in quibus ſunt infinitæ quaſi diuerſitates: Quæ omnes cum ab vno homine ſufficienter conſiderari non poſſint; indiget in plurimis aliorum conſilio & manuductione.

3. *Probrum non eſt probos auctores imitari.*] S. Hieronymus, cum ex Origenis ſcriptis, plurima notatu digna in ſuos libros transfudiſſet, & huius quaſi furti ab æmulis accuſaretur, in hunc ſeſe modum defendit: Quod illi dicunt, me Origenis ſcripta compi-

lare, & vitio vertunt, id ego laudi mihi duco maximæ. Volo enim illum imitari, quem, prudentibus placere non dubito. Quod si criminis est, Græcorum bene dicta transferre, accusetur Ennius, Maro, Terentius, Tullius, &c. Sed & Hilarius noster furti reus sit: *Horum omnium imitari exopto diligentiam: Potiùs quàm obscuram istorum negligentiam.* Hoc sensu composito ex Terentianis versibus quasi centone, defendit se vir Sanctus in Præfat. Comment. in Micheam. Monet itaque pronunciatum, non vitio vertendum, sed laudabile esse, Doctorum virorum lectione & imitatione scientiæ thesauros locupletare. Etenim cum duplices sint Sapientiæ Magistri, viui alij; alij verò muti; libri videlicet & scripta posterirati consignata; vti illorum, ita horum quoque familiaritate Sapientia comparatur. Porro quid curandum sit, vt imitandi labor sit totus saluber, docet præclarè Franciscus Sacchinus in libello de ratione libros cum profectu legendi, quem consule, si libet.

4. *Id sapit quisque, quod quisque didicit.*] Sententia clara est, sed bene aduertenda: cum enim quilibet id sapiat ac sentiat, vt inquit Seneca, de moribus, ea discere conuenit, quæ sapere prudentia est, & intelligere vera sapientia, quæque statui cuiusuis & ingenio sunt maximè accommodata; iuxta illud vulgare:

5. *Aulœdus fit, qui Citharœdus esse non potest.*] Monet boni consulenda esse humiliora, vbi meliorum nulla est copia. Rectè dicetur in eos, qui malùt in inferiore ordine alicuius esse momenti, quam inter excellentes negligi; cuius olim animi fuisse scribitur Iulius Cæsar.

6. *Nemo mortalium omnibus horis sapit.*] Dictum istud Plinij l. 7. Nat. Hist. c. 15. vel citra interpretem liquet; nempe neminem esse, qui non aliquando

Digitized by

desipiat, siue, vt verbis vtar viri cuiusdam doctissimi, mei quondam in Theologiâ Professoris, Neminem esse tantâ præditum scientiâ & prudentiâ, qui non admixtas habeat aliquot vncias stultitiæ. Hinc illa vulgaria: *Quandoque bonus dormitat Homerus: Labitur & quadrupes: Nihil est ab omni parte beatum*, &c. Nemo in hac fragili & mortali vitâ, numeris omnibus ita existit vel in scientiâ, vel virtute absolutus, quin alicunde in defectum nonnullum incidat: *Optimus ille est, qui minimis vrgetur*. Solus fuit Dominus noster Iesus Christus, & Beatissima eius mater, quorum in actionibus nullus vnquam error inueniri potuit, aut næuus; Et si qui forte sint, aut extiterint viri omninò perfecti, gratiâ Dei supra morem ordinarium illuminati & præuenti. Quapropter non bene sibi consuluntilli, qui ita in verba cuiuspiam, aut facta curare solent, vt planè nusquam ab eo sibi recedendum esse, obstinatè putent: Etenim rectæ rationi minimè congruum est, vt quem propter eximias animi dotes in multis miraris, eundem pariter in iis, quæ ex ratione fiunt, & suspicias & imiteris. Minus verò rectè faciunt illi, qui quando præstanti alicui viro vel libro insperſam notam à vero vel recto aberrationem, eius mox auctoritatem absolutè respuunt, & oculi maligni aciem à plurimis præstantissimis auersam, ad pauca vitiosa conuertunt. Vide, si placet, Tiraquellum de Nobilitate c. 31. vbi id longâ inductione probat, aitque; *Possibile non esse, inueniri aliquem qui lapsus non sit, siue Philosophus is sit, siue Medicus, siue Iurisconsultus aut Theologus.*

7. *Feliciter is sapit, qui alieno periculo sapit.* Plautus in Mercatore.] Monet sententia, vt ne ex propriis ac domesticis; sed alienis erratis cautiores efficiamur, & aliorum periculis reddamur prudentiores

Nam miseriæ genus est, suo damno erudiri: at, *Felix quem faciunt aliena pericula cautum.*

8. *Vir Sapiens vates est optimus.*] Monet effatum, futurorum præscientiam non ex auguriis, aut aliis superstitiosis obseruationibus petendam esse; sed à viris longo rerum vsu & experientia illustribus: his siquidem ex præteritorum præsentiumque coniecturis, facilè prospiciunt, quid euenturum sit; &, vt innuit Aristoteles 6. Ethic. cap. 11. *Propter experientiam vident principia.* Atque hinc Sapientes dici solent, diuinare; quoniam ex omnibus rerum circumstantiis prudenter inter sese collatis, verum colligunt; non quoad præterita solum, & præsentia, sed etiam quoad futura.

DISTINCTIO VII.

De Ethica, & Politica, & generatim de Philosophia Morali.

1. *Philosophia est animi Medicina.*] Aristoteles olim Philosophiam & Medicinam sorores appellabat, alteramque per alteram definiendam esse censebat, aiens; Medicinam esse corporis Philosophiam: Philosophiam verò animæ Medicinam. Quod & ante eum censuisse Democritum, refert Clemens Alexandrinus in Pædagogo capite 2. idem de Philosophia pronunciauit Cicero lib. 3. Tusculan. Quæst. Et ratio est; quia, vt alibi idem docet, Philosophia vitia expellit, virtutes indagat, ac mores animi format. Addit verò loco citato, eius auxilium non, vt in corporalibus morbis, petendum esse foris; omnibusque opibus ac viribus, vt nosmetipsi nobis mederi possimus, elaborandũ esse:

Alioquin enim Philosophus similis esset Medico, qui accuratissimè quidem de causis principiisque morborum disserit; seipsum tamen curare negligit.

2. *Philosophia est animi cultura.*] M. Tullius l. 2. Tuscul. qq. rationem addit ibidem; quia nimirum extrahit vitia radicitus, & præparat animos ad nouos fatus recipiendos: eaque mandat his, & (vt ita dicam) serit, quæ adulta fructus vberrimos ferant. Porro hæc & similia dicta seu pronunciata, quæ vel in libris Philosophicis Ciceronis, vel in aliis eius operibus, aliisque Auctoribus passim sunt obuia, licet de omni Philosophiâ generatim, siue morali, siue scholasticâ intelligi possint: præcipuè tamen & propriè ad eam Philosophiæ partem restringenda sunt, quæ in vitæ ac morum emendatione versatur. Quam equidem tanti fecisse Socrates perhibetur, vt cæteris omnibus Philosophiæ partibus prætermissis, ad hanc vnam summo semper labore colendam animum constanter adiecerit. Eâdem restrictione indiget illud Platonis;

3. *Beatæ sunt Respublicæ, cum aut regnant Philosophi, aut Reges philosophantur.*] Non enim intellexit Plato, tum id eventurum, cum Reges aut in differẽdi subtilitate, aut in perueſtigandis rerum naturalium causis occupati essent: quæ quanquã præclara sunt; longissimè tamen absunt ab eo, vt beatas Respublicas per se efficere possint; sed cum Moralis Philosophiæ ductu, omnes vires suas ad studia virtutum excolenda & propaganda contulissent. In hisce enim, vti cuiusuis hominis; ita communitatis salus, ac naturalis felicitas consistit, iuxta illud Aristotelis: *Felix est vita illius, qui operatur ex virtute.* 10. Ethic. c. 8. de quo Titulo *de Felicitate.* Et illud: *Bonum vnius hominis & ciuitatis est idem.* 1. Ethic. c. 2. sub finem, de quo Tit. *de Bono*, Distinct. 3. num. 5.

4. *Ethicæ finis non est, scire virtutes; sed exercere.* Sumitur ex l. 2. Ethic. c. 2.] Vbi Aristoteles docet, moralem tradi Philosophiam, non vt sciamus, quid sit virtus; sed vt boni efficiamur. Et ex l. 10. Eth. c. 9. vbi docet in agendis finem non esse, perspexisse cognouisseque singulas, sed potius agere; *nec enim*, ait, *de virtute fas est, scire; sed enitendum est, eam habere ac vti*: Ideóque non sufficere verba ad homines bonos efficiendos; alioqui multas iure mercedes, secundum Theognidem, ac magnas afferrent. Hac etiam de causa l. 1. Ethic. c. 3. docet, Adolescentes non esse idoneos Moralis scientiæ Auditores: licet enim fortissimâ iuuenes polleant imaginatione, & apti sint ob ingenij vigorem, ad scientias quascunque percipiendas: minus tamen idonei habentur ad percipienda morum præcepta; tum quia perturbationibus animi nimium obnoxij sunt; tum verò, quia vnusquisque optimus est iudex eorum, quæ nouit: iuuenes autem, vt experientiâ carent, ita actuum humanæ vitæ sunt ignari: quare ægrè admodum de iis, iudicium ferunt: quippe cum practicum illud esse debeat, & pendeat à cognitione omnium, quæ occurrere solent, circumstantiarum. Porro nomine Finis in axiomate non intelligitur quilibet proximus aut secundarius, sed primarius & vltimatus, vt fusiùs explicuimus ad illud: *Practicæ finis est opus, speculatiua veritas.* Titulo *de Scientijs in genere*, Dist. 10. num. 5.

5. *Nulla est homini philosophandi causa, nisi vt beatus sit.* Refertur à M. Augustino l. 19. de Ciuit. c. 1. ex Platone.] Ratio est; quia omnis Philosophia ad felicitatem dirigitur, quæ sita est in perfectâ summi boni possessione: Potissime autem & ex suo officio Philosophia moralis beatitudinem ob oculos ponit, eiusque consequendæ rationem præscribit, aliæ qui-

dem Philosophiæ partes, vt Physica, v.c. ad Dei, qui summum bonum est, amorem etiam inclinant; sed indirectè tantum, per accidens, & occasionaliter; non autem per se, & ex fine suo intrinseco, ac practicè; id est, dictando modum & præscribendo regulas, quibus beatitudo comparetur: hæc namque propria sunt Moralis Philosophiæ munia.

6. *Politica ordinat reliquas artes.* 1. Ethic. c. 2.] Non ita reliquas scientias ordinat Politica, quasi eis vel materiam in quâ versentur, vel speculandi methodum præfiniat (id enim supremæ Philosophiæ, siue Metaphysicæ munus est, quæ prescribit obiecta scientiarum, tradendo dimdiuisiones Entis, & secernendo gradus Metaphysicos ab aliis, vt pateat, qui ad Metaphysicam pertineant, qui ad alias scientias, & quę sit singularum Facultatum abstractio & ratio formalis propria) sed quatenus ad ciuilem vsum & vtilitatem eas accommodat, statuens quæ artes, quo tempore, à quibus perdiscendæ sint, aut exercendæ, vt ibidem explicat Aristoteles, & addit.

7. *Politica maximè omnium dominatur.*] Probat id & explicat exemplo Architectonicæ; Hæc siquidem & præcipit scientiis, quæ sub ipsa sunt, quemadmodo Equestris frenofactoriæ; & vtitur illis ad suum finem: Vtrumque horum conuenit Politicæ; prius quidem respectu scientiarum tam speculatiuarum, quam etiam practicarum; aliter tamen atque aliter, pro diuersâ singularum naturâ, vt rectè notauit D. Thomas in hunc locum: Posterius verò solum respectu practicarum. Vnde subiungit Aristoteles loco citato: *Eas facultates, quæ summis afficiuntur honoribus, vt rei militaris, reique familiaris facultatem, ac oratoriam artem huic subesse videmus.* Hisce enim omnibus vtpote practicis, Politica vtitur ad suum finem; id est, ad commune bonum

ciuitatis. Atque hoc sensu,

8. *Finis Politicæ continet omnium Facultatum fines.* Ibidem.] Cum enim ceteris actiuis scientiis hæc vtatur, & leges ferat, atque instituat, (verba sunt Aristotelis loco citato) quid quisque agere, & à quibus abstinere debeat, huius finis ceteratum omnium Facultatum continet fines. Quo fit, vt hic finis sit bonum ipsum humanum, id est, vt explicat D. Thomas.

9. *Finis Politicæ est optimus in rebus humanis.*] Videlicet non simpliciter; quia finem totius vniuersi considerat scientia diuina, quæ omnium absolutè ptinceps est & domina; sed in genere facultatum & scientiarum practicarum ac moralium, quæ circa humanas res occupantur: Harum enim vltimum finem in suo ordine Politica considerat: Cum reliquæ omnes Moralis Philosophiæ partes, secundum naturam suam consideratæ, ad hanc veluti optimam dirigantur. Iuxta hunc sensum 1. Politicorum c. 1. *Quandoquidem*, inquit Philosophus, *omnes ciuitatem videmus, societatem quandam esse, & omnem societatẽ boni alicuius gratiâ coalitam esse, manifestum est, omnes societates ad bonum, tanquam ad finem tendere: Eam verò, quæ est omnium societatum princeps ac domina, hoc bonum sibi propositum habere, quod omnium est præstantissimum: Hæc verò est, quæ ciuitas seu Respublica appellatur, seu societas ciuilis*: Quibus verbis ostendit, scientiam humanæ societatis instituendæ ac conseruandæ, siue Politicam, esse omnium actionum ciuilium & artium, ac scientiarum humanarum moderatricem ac dominam, eo videlicet sensu, quo explicatum est.

DIST. VIII.

Digitized by Google

DISTINCTIO VIII.

De Theologiâ, & ſcriptura ſacra.

1. *THeologia eſt, doctrina ſacra.*] Ex vi nominis Theologia ſignificat quemuis de Diuinitate ſermonem, rationem, & notitiam, quod ſit ἐπὶ τῶν θεοῦ λόγων, vt notat S. Auguſtinus l. 8. de ciuit. c. 1. Ad diuinitatis autem naturam cognoſcendam duplici viâ, in hac vitâ peruenirí poteſt. 1. per creaturas, tanquam per Dei effectus, qui cogniti ducunt nos ad primæ cauſę ſeu Dei cognitionem. 2. per reuelationem à ſcripturis, vel à traditione acceptam: priorem viam tenet Metaphyſica, quæ dicitur *Theologia naturalis*; poſteriorem fides, & ex fidei articulis concluſiones deducẽs Theologia ſcholaſtica, quæ proinde *ſacra doctrina* appellatur, & propriè pro eâ ſcientia, ſumitur, quæ ex principijs ſupernaturalí fide creditis, vel vtriſque, vel altero ſaltem, adiuncto alio principio, lumine naturæ cognito, per euidentem conſequentiam deducitur. Porro hæc appellatio refertur à D. Thomâ in Proœmio primæ partis, vbi ita habet: *Tentabimus cum confidentiâ diuini auxilij, ea, quæ ad ſacram doctrinam pertinent, breuiter & dilucidè proſequi.* Lege, ſi placet Caietarum, Vaſquez & alios commentatores in hunc locum.

2. *Theologia eſt rerum diuinarum ſapientia.* Traditur à D. Thomâ. 1. p. q. 1. a. 6.] Nomine ſapientię, quæ loco generis hic ponitur, intelligitur princeps & regina ſcientiarum, quæ nobiliſſima Entia, ſuprẽmas & altiſſimas cauſas conſiderat, vti ſunt, Deus, Optimus, Maximus, & aliæ ſubſtantiæ ſepa-

Digitized by Google

ratæ ; atque principia maximè communia, quæ Enti, vt Ens est, conueniunt. Eiusmodi est inter scientias lumine naturali comparatas sola Metaphysica, vt ostendimus supra distinct. quintâ, ex Aristotele. 1. Metaphysicæ cap. 1. Inter scientias autem quocunque modo, siue naturali, siue supernaturali acquisitas in hac vitâ, proprijssimè & antonomasticè nomen sapientię sibi vindicat Theologia siue Doctrina sacra, vt ostendit sanctus Augustinus libro 14. de Trinitate cap. 1. licet concedat, etiam scientiam humanarum rerum appellari aliquando sapientiam, iuxta illam definitionem à Philosophis receptam : *Sapientia est rerum diuinarum humanarumque scientia* ; Et secundum hanc propriam acceptionem docet intelligendum esse D. Paulum 1. ad Corinth. cap. 12. dum dixit, *alij datur sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ* : distinguens enim sapientiam à scientiâ, solam cognitionem rerum diuinarum sapientiam appellauit. Et sanè hoc genere natura Theologiæ & vis optimè exprimitur : vtpote quæ est certissima Principiorum index, amplissima scientiarum omnium princeps, & sapientissima omnium actionum rationumque arbitra. Diuinarum rerum adiectione & obiectum eius diuinum indicatur, & modus ipsius supernaturalis, principio, actione, & effectu suo notatur; ac denique finis eius perfectissimus significatur.

3. *Theologia & multa est, & minima.*] S. Dionysius Myst. Theologiæ c. 1. refert, istud esse pronunciatum Apostoli Bartholomæi, vti & hoc, quod sequitur, præcedenti, quoad sensum ferè equipaleus.

4. *Euangelium latum & magnum est, & iterum correptum.*] Dicitur Theologia esse multa, & Euangelium latum ac magnum, ob profundissima amplis-

simaque mysteria , quæ iis traduntur : è conuerso etiam vtraque dicuntur correpta & minima, siue litteram spectes & verba, quibus Theologia Christiana & lex Euangelica nobis consignata est à Verbo abbreuiato, Christo Domino seruatore nostro ; siue consideres pauca , quæ iis continentur, mandata, quæ idcircò leue reddũt onus, & iugum suauius his , qui laborabant & oneratis erant : Videlicet ducenta duode viginti præcepta affirmatiua ; & negatiua quinque ac sexaginta supra trecenta ; ex quibus priora membris humani corporis respondere dicuntur , posteriora diebus anni. Consule, si placet , Lorinum commentar. in Ecclesiast. c. 12. v. 12.

5. *Scriptura est liber sacerdotalis.*] Ita pronunciat S. Ambrosius lib. 3. de fide. cap. 7. secutus D. Dionysium Areopagitam Ecclesiasticæ Hierarchiæ c. 1. vbi ait , *S. Scripturam esse substantiam sacerdotij nostri*; quibus verbis S. Paginæ lectionem & familiaritatem omnibus clericis & sacerdotibus impensè vterque commendat: proprium enim & præcipuum eorum studium in legendâ & perscrutanda Scripturâ debere occupari Eâ de causa D. Paulus Timotheum hortatur ad studium sacræ lectionis, ne negligat gratiam , quæ data sit ei per impositionem manus Presbiterij. 1. Timoth. 4. & 2. Timot. 3. Idem Tito præcipit , vt inter cæteras virtutes Episcopi, quem breui sermone depinxit, scientiam quoque in eo eligat scripturarum: *amplectentem*, ait , *eum qui secundum doctrinam est fidelem sermonem , vt potens sit, exhortari in doctrinâ sana , & eos , qui contradicunt, arguere.* Præclarum huius sacri studij omnibus Ecclesiasticis specimen dedit S. Carolus Borromæus : solebat enim ille Scripturam assiduè voluere , & populo

explanare, idque tanto ſtudio deuotione & reuerentiâ, vt vltimis vitæ ſuæ annis eam, velut ipſiſſimas Dei ad homines literas, non niſi modo capite, & flexis genibus venerabundus lectitaret. Vide Iulium Nigronum Tractatu S. Aſcetico. c. 3. num. 9.

6. *Verbum Dei eſt Pharmacum ad omnes animæ morbos.*] Sumitur ex Epiſtolâ 1. D. Baſilij ad Gregorium Nazianzænum, vbi ſcripturam comparat cum officinâ Apothecariâ, quæ omnibus pharmacorum generibus, ad quoſlibet morbos depellendos inſtructa eſt: *Si quis impatiens*, ait, *patientiam deſiderat; legat geſta ſancti Iob: ſi quis fortitudinem cupit, legat acta Dauidis: ſi quis manſuetudinem appetit, Moſem voluat & imitetur.* Ita S. Paula in omni re, & tentatione S. Scripturâ ſe armabat, & ad perfectionem inſtruebat, teſte S. Hieronymo in eius Epitaphio: *In periculis*, inquit Hieron. *Loquebatur Paula, qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam & ſequatur me. In crebrâ infirmitate: Habemus theſaurum iſtum in vaſis fictilibus, donec mortale hoc induat immortalitatem: In mœrore cantabat: quare triſtis es anima mea? ſpera in Deo.* &c.

7, *Verbum Dei eſt manna cuiuſlibet ſaporis.* Ita appoſitè pronunciat Origenes Hom. 7. in Exodum. ſi tu, inquiens, Verbum Dei totâ fide & deuotione ſuſceperis, fiet tibi ipſum verbum, quæcunque deſideras, v. c. ſi tribularis, conſolatur te, dicens: *Cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies*: Si lætaris, pro ſpe futurâ cumulat tibi gaudium, dicens, *Lætamini in Domino, & exultate iuſti.* Si iracundus es, mitigat te, dicens: *Deſine ab irâ, & derelinque furorem.* Si in doloribus es, ſanat te dicens; *Dominus ſanat omnes languores tuos*: Si paupertate conſumeris, conſolatur te, dicens: *Dominus alienat de terâ ino-*

pem. Sic ergo manna Dei reddit in ore tuo ſaporem quemcunque volueris.

8. *In Scriptura Agnus natat, & Elephas mergitur.*] S. Gregorius Epiſtolâ ad Leandrum, quæ præfigitur præfationi in Iob. Ratio huius perſpicua fit ex illis, quæ diximus num. 4. quia videlicet S. Pagina breuibus & ſimplicibus verbis cõtinet arcanos ſenſus & profundiſſima includit myſteria, inſtar fluminis vel potius maris alicuius, cuius exigua & extima aquarum ſuperficies tantum patet, ſub quâ ingens aquarum moles reconditur. In quem ſenſum S. Auguſtinus, Epiſtolâ 3. ad Voluſianum. *Tanta eſt Chriſtianarum litterarum profunditas*, inquit, *vt in eis quotidie proficerem, ſi eas ſolas ab ineunte pueritiâ, vſq; ad decrepitam ſenectutẽ, maximo otio, ſummo ſtudio, meliore ingenio, conarer addiſcere.* Similia habet l. 12. Confeſſ. c. 14. In hoc igitur immenſo SS. ſcripturarum pelago rectè natare dicitur Agnus, ideſt, humilis, & mergi Elephas, ideſt ſuperbus. Atque hanc ob cauſam communis SS. Patrum ac Theologorum ſentẽtia eſt ad diuinas ſcripturas vel intelligẽdas, vel cum fructu legendas animi puritatem cumprimis eſſe neceſſariam, vt multis oſtendit Iulius Nigronus Tractatu Aſcetico. 5. n. 24.

9. *Diuina natura credendo melius, quam diſputãdo cognoſcitur.*] Ad notitiam diuinæ naturæ dupliciter in hac vitâ peruenirí poteſt, 1. per creaturas, tanquam per Dei effectus, qui cogniti, nos ad primæ cauſæ cognitionem ducant. 2. per reuelationem à Chriſto Prophetis, vel Apoſtolis, factam, &c. Prior cognitio naturalis eſt, & diſcurſu ac diſputatione humanâ acquiritur: Poſterior eſt ſupernaturalis, ac primæ veritatis auctoritate nititur: Illa imperfecta eſt, & omnibus hominibus communis. Iob 36. 25. *Omnes homines vident eum, vnuſquiſque intuetur*

procul. Quid est procul intueri Deum, nisi cognoscere Deum, non in se, sed in suis creaturis, quæ procul absunt à perfectione Dei? Hæc verò iuxta propositum Axioma longè est perfectior, & solis fidelibus concessa. Psalmo 147. 9. *Non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis.* Refertur pronunciatum à B. Platinâ, libro de vitis & gestis summorum Pontificum, in vitâ Pij II. qui floruit sub annum Domini 1458.

10. *Vnius diuinitatis tres esse personas.*] Non qua ratione probetur: sed à quo dicatur animaduertendum est, refertur ab eodem, ibidem quod hic de sanctissimo Trinitatis mysterio dicitur, idem de aliis Fidei Christianæ articulis intelligi debet; iis siquidem omnibus assentiuntur Orthodoxi, propter authoritatem & testimonium Dei. non verò propter rationes humanas, vel dicta hominum aut Angelorum. Patet ex variis Scripturę locis, vt ex illo, ad Rom. 4. 3. *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad salutem.* ad Galat. 1. 12. *Neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici; sed per reuelationem Iesu Christi.* Ratio est; quia alioqui de illis non haberetur fides diuina, quæ in entitate suâ supernaturalis est, vt docet Becanus de Fide c. 8. q. 2. & alij Theologi; sed cognitio aliqua humana & naturalis, quæ erroribus est obnoxia. Item reuerentia diuinæ maiestati & auctoritati debita exigit, vt, positâ sufficienti propositione mysterij credendi, sine vllo discursu vel rationum inquisitione, intellectus noster assentiatur, idque firmius, quam illi rei naturaliter cognitæ possit assentiri adeoque iniuria fieret primæ veritati, si vel minimum quis dubitaret, aut hæsitaret, vt pulchrè ostendit Ægydius Coninck. disput. 9. de actibus supernaturalibus, dub. 5. n. 73.

Digitized by

11. *Fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum.* S. Gregorius Homiliâ 26. in Euangelia,] Ratio inductiua ad assensum Fidei dupliciter spectari potest, vt notat D. Thomas 2. 2. q. 2. a. 10. in corp. primò, *vt præcedens*; quando videlicet homo ita est dispositus, vt non crederet, aut non æquè promptè crederet, sine ratione humana proponente mysteria fidei, & ad fidem habendam impellente. 2. considerari potest, vt consequens ad voluntatem credentis: quando scilicet ita perfectè afficitur rebus fidei, quas credit, vt rationes inquirat & argumenta pro fidei veritate De priore D. Thomas ait verum esse pronunciatum; non autem de posteriore: Pro maiore tamen explicatione notandum est, non minui meritum fidei, per rationem inductiuam ad fidem, etiam tempore antecedentem; modo ipsa non sit ratio formalis, propter quam assensum præbeamus, aut tam firmum assensum; sed tantum veniamus in sufficientem auctoritatis diuinæ applicationem, seu fidei propositionem. Antecedens enim ratio, quæ minuit, ac tollit meritum talis est, vt etsi constaret, Deum reuelasse, ipsi nihilominus rationi, tanquam non sufficeret Dei reuelatio, assensus inniteretur. Et hanc reprehendit D. Gregorius loco citato. Quia ad incredulitatem pertinet, signa & prodigia quærere, ac sensus experimenta, vt faciebant Iudæi, ac Thomas Apostolus. Ioan. 20. Hinc verò sequitur per studium Theologiæ non minui; sed potius augeri meritum fidei; Etsi rationes inducentes ad fidem per illud inueniantur: non etenim inquiruntur istæ rationes, vt discens credat; sed quia credit, aut certè vt ea credenda proponantur, de quibus nihil ante constabat. Quod confirmatur ex illis Ecclesiastici 24. 3. *Qui elucidant me, vitam*

Digitized by Google

aternam habebunt; Et 1. Petri 3.15. *Paratí semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de eâ, quæ in vobis est spe.* Plura quæ huc referri possent. Vide, si placet, Titulo *de habitibus supernaturalibus.*

TITVLVS XXXII.

DE HABITIBVS, QVI NON SVNT virtutes intellectuales.

DISTINCTIO PRIMA.

De opinione.

1. *Opinionum æquè probabilium sequi licet alteram.*] Est commune axioma omnium sapientum, cuius veritas ex eo fit manifesta; quia in tali casu non est ratio, cur vnam potius sequi necesse sit, quam alteram, cum ex hypothesi sint æquè probabiles: nec item, cur naturam sequi necesse sit; cũ neutra sit impossibilis. Verum itaque est pronunciatum, quotiescumque sunt duę vel plures opiniones circa facti alicuius honestatem, vel turpitudinem, aut obligationem, vel etiam circa rei cuiuslibet veritatem aut falsitatem: in his enim semper liberum est, sequi alterutram opinionem, siue eam, quam libet: Dummodo non sit alia via certa, circa facti alicuius naturam, conditionem aut modum: illam namque sequi oportet in praxi, relictâ quacunque opinione; præsertim in re maioris momenti, vbi timeri potest damnum vel periculum, quod ex iustitiâ vel charitate vitari debet: Neque enim prudenter ageret, qui in tali casu sequeretur viam incertam

Digitized by Google

& ambiguam: cum ingredi liceat certam ac tutam. Lege, si placet, Vasquez, de actibus humanis, disp. 63. c. 2. & 3. Valen. d. 2. q. 14. p. 4. Nauarrum. c. 27. n. 280. & alios.

2. *In dubijs tutior pars est eligenda.*] Sumitur ex D. Augustino. l. 2. de sermone Domini in monte c. 18. & intelligendum est, iuxta restrictionem Axiomatis præcedentis, ac tunc locum habet, quando quis non solum speculatiuè: sed etiam practicè dubius est; quod tam accidit cum speculatiuè quispiam dubitat de aliquo facto, & non potest ex certis principijs practicis elicere, an hic & nunc liceat sibi hoc vel illud facere, nec ne: Tunc enim debet eligere id, quod tutius est iuxta explicationem superioris, quo sensu etiam Vlpianus l. 15. ad Sabinum, vt refertur Regula 9. Iuris antiqui. Semper in obscuris, inquit, quod minimum est, sequimur. Quod si speculatiuè tantum dubius est; sed practicè certus, Axioma non habet locum; cum possit liberè prudēter sequi alterutram partem. Sic etenim licebit ratiocinari: Qui in re dubiâ sequitur id, quod propter rationes magni ponderis, & auctoriratem doctorum virorum valde probabile est, tutò ac prudenter facit: At ego siue hanc, siue illam partem sequar, ita facio: ergo tutò & prudenter facio. Consule, si placet, auctores proximè citatos.

3. *Opinionibus Prudentum assentiendum vt demonstrationibus.* Sumitur ex 6. Ethic.] Vbi docet non minus eorum, qui experti sunt, & seniorum vel prudentium demōstrabilibus sententijs, opinionibusue, quam ipsis demonstrationibus mentem adhiberi debere; rationem addit ibidem sub finem capitis, *quia namque iam experientiâ visum habent, & principia ipsa cernunt.* Item sapientis est, loqui sententias, vt colligitur ex eodem capite, & explicuimus supra: Sen-

tentia autem sit iudicium rectum æqui & boni viri, vt definit Aristoteles ibidem, sub initium capitis: illi igitur certa & indubitata habenda est fides.

4. *Opinio vehemens & stabilis videtur certa.*] Colligitur ex eodem capite, & ex 2. magn. moralium c. 7. & aliis. Talis opinio certa videtur certitudine morali; qualis E. c. gignitur, ex communi ac concordi magnæ multitudinis, rem quampiam asseuerantis testimonio: Cum enim moraliter impossibile sit, eiusmodi testimonium esse omninò falsum ex eo, quod manifesto constet, illam multitudinem hoc ita testari; euidenter colligitur, id esse verum certitudine morali. Sic qui nunquam vidit Romam, eam esse in Italiâ, non tam credit, quam scit, certitudine ac scientiâ morali, ac proinde talis opinio meretur assensum ac fidem humanam, quamdiu videlicet non occurrit manifestâ ratio contraria: præsertim si à fide dignis, & non absque fundamento temerè asseratur; quod diligenter notandum est: Videmus enim quamplurimos nimis leuiter opinionibus aliorum assentiri & ferè, quid quauis in re sequendum fugiendumue sit, non ex naturæ aut Principum legibus, quas nullas pro se proferunt, sed ex solâ aliorum fide decernere, quorum sæpe nuda verba, sine examine aut probatione transcribunt: Et quæcunque opinio vni fortuitò placuerit, eam mox veluti diuinam arripiunt, & plurimis communem faciunt. Notent illi, & animaduertant quoniam.

5. *Non omne id est probabile, quod videtur probabile.* l. 1. Top. c. 1.] Ratio est, quia multa videntur, & non sunt; ac multa dicuntur de subiecto, quæ non sunt in subiecto, vt alibi explicabitur:

Digitized by

Nec sanè communis Doctorum sententia illa dicenda est, quam plurimi, alter ex altero describunt; sed quam suis vtriusque momentis libratam, viri sapientes maturo iudicio amplectuntur.

6. *Opinio diuersa vanitas vna est.* S. Augustinus in Psalmum 80.] Vbi de vanis variarum sectarum Doctoribus agens, quamuis de summis rebus ineptè dissentiant, vanè tamen in aliquo conuenire docet: *Omnes enimisti*, inquit, *aliud atque aliud sentientes, alios atque deos sibi facientes, ipsamque fidem falsitate variantes videntur dissentire; Sed omnes à terrenis cogitationibus non recedunt, in terrenis cogitationibus consentiunt sibi.* Et infra: *Ergo in peius sibi consentiunt, quamuis dissentire à se inuicem videantur. Ideo Samson caudas vulpium colligauit. Vulpes, insidiosos, maximè hæreticos significant, dolosos, fraudulentos, cauernosis anfractibus latentes, & decipientes.* Perstringit itaque hoc dicto hæreticorum errores, qui licet opinionum varietate inter se discordent, simili tamen vanitate contra Ecclesiam Orthodoxam in vnum colligantur, vt ait, & fusius explicat ibidem.

7. *Opinio in quam omnes consentiunt, vix potest esse vana.*] Sumitur ex libro de diuinatione per somnum cap. 1. sub initium, vbi loquitur Philosophus in hunc modum: *Quod omnes, vel plures existimant fidem præstat, tãquam ab experientia ductum.* Ratio ex illo colligitur; quia opiniones fabulosæ quæ sæpe mentibus hominum insinuauere sese, nec fuêre vnquam omnibus nationibus communes, & ferè sensim sine sensu euanuerunt: Omnis siquidem opinionum falsitas, vel ex sensu originem habet; vt qui solem bipe-

dalem, cælum cæruleum, terram planam ac minimè globosam suspicantur, vel ex affectuum perturbatione aut alio etiam iudicij defectu: quæ omnia labente tempore vsus & experientia manifestant. Verum itaque pronunciatum est eodem sensu quo diximus, opinionem stabilem & vehementem videri certam. num. 4.

8. *Opinionem sequitur Fides.* l. 3. de animâ. c. 3. t. 157.] Nimirum in eo, qui opinatur: non autem in illo, qui opinionem alterius audit vel legit, patet ex ratione, quam ibidem assignat Aristoteles in hunc sensum: *Quippe cum fieri nequeat, vt hisce quisquam non credat, quorum habet opinionem.* Probat hoc pronunciato Philosophus imaginationem distingui ab opinione; quod illam minimè comitetur necessario fides: cum etiam conueniat brutis, in quibus fides neutiquam locum habet: hanc verò ordinariè fides sequitur & persuasio; Vnusquisque enim putat verũ esse id, quod opinatur. Hinc etiam, *imaginari possumus, quod volumus, non autem opinari*, vt explicabitur infra. Titulo *de potentiâ cognoscitiuâ.*

DISTINCTIO II.

De *Fide humanâ*, & *vulgi sensu.*

1. *Addiscentem oportet credere.* 1. Poster. t. 5. & 1. Elenc. c. 2.] Cum omnis homo, qui artibus & scientiis acquirendis dat operam, non vnico simul instanti; sed paulatim & successiuè, ordinariâ viâ erudiri soleat, necessarium est, vt Doctori suo aures sedulò & assiduè præbeat, & doctrinæ illius fidem in plurimis habeat: Non enim omnia simul ostendi & demonstrari possunt, nec scientia re-

rum perfecta ſine longâ exercitatione acquiritur: item *impoſſibile eſt omnium eſſe demonſtrationem*, vt docetur 3. Metap.t.4. & explicabitur infra, Titulo *de operationibus intellectus*. Iuxta hunc ſenſum D. Thomas 2.2.q.2.a.3. docet neceſſarium eſſe ad ſalutem, aliqua hominibusper diſciplinam fidei proponi, quæ ſint ſupra rationem naturalem, iuxta illud. Hebræorum 11. 6. *Credere oportet, accedentem ad Deum, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit*: ideo videlicet; quia vltima hominis perfectio in clarâ Dei viſione conſiſtit, ad quam naturalis ratio aſcēdere non valet proprio motu. Verba illius ſunt: omnis autem talis addiſcens, oportet, quod credat ad hoc, quod ad perfectam ſcientiam perueniat; ſicut etiam Philoſophus dicit, quod oportet addiſcētem credere. Huius autem diſciplinæ fit homo particeps, non ſtatim; ſed ſucceſſiuè ſecundum modum naturæ ſuæ. Vnde ad hoc, quod perueniat ad perfectam viſionem beatitudinis, præexigitur, quod credat Deo, tanquam diſcipulus magiſtro docenti, ita D. Thomas loco citato, ex quo confirmatur ratio paulò ante aſſignata, ob quam addiſcentem credere oporteat.

2. *Amicus Plato, ſed magis amica veritas.*] Sumitur ex 1. Ethicorum c. 6. initio, vbi Philoſopus de Ideis diſputaturus, arduam eam quæſtionem vocat; *propterea quod amici ſint*, inquit, *qui formas illas induxerunt: verum vnuſquiſque, & præſertim Philoſophi, ſua quoque propria refutare debent pro veritatis ſalute*; quippe cum illi ſapientiæ cultores ſint, quæ eſt cognitio veritatis. Fuit ea quondam Pythagoreorum vanitas & ſuperſtitio, vt Præceptorem ſuum, velut Numen quoddam ac Deum ſapientiæ crederent, eiuſque ſententias ac decreta, tantâ animi aſſenſione complecterentur, vix vt crederent quicquam eſſe

probabile, quod improbaretur ab illo, aut quod ab illo probaretur improbabile: Et vt facilè quicquam pro vero haberent, satis erat id dixisse Pythagoram, nefasque putabant, cur illud ita esset, velle requirere. Quod profectò vile videtur, & abiectum, ac minimè dignum cultore sapientiæ: Quid enim à Philosopho alienum magis, quam nihil per se sapere, nihil iudicare? totum ex alterius sensu iudicioque pendere? Nullâ duci ratione; sed quasi pecudes aut mancipia, aliorum sententiâ nutuque tantum moueri ac regi? verissimè Tullius.

3. *Non tam auctoritatis in disputando, quam rationis momenta quærenda sunt.* l. 1. de naturâ Deorum, sub initiũ, folio 2.] Quod hic de disceptationibus publicis dicitur, idem de quolibet exercitio Philosophico rectè intelligitur; plus scilicet rationi tribuendum esse, quam auctoritati: alioqui namque non scientia, sed sola Fides humana & opinio generabitur. Etenim si Theologus, cuius scientia non ratione naturali, sed Dei auctoritate nititur, humanas tamen rationes non contemnit ac reiicit; minimè profectò conueniens videtur, vt cultor scientiæ naturalis; quæ ex ratione, ortum, incrementa, robur, omnemque vim suam ac dignitatem habet; ratione postpositâ, in vnius hominis, multarum rerum ignari auctoritate conquiescat; ita vt doctrinæ rationem poscentibus, nihil reddere nouit quàm ἀυτὸς ἔφα. Magni facienda quidem est auctoritas eorum, qui olim sapientiæ laude claruerunt, vel etiamnum clarent eâdem: multum tribuendum est Platoni, plus Aristoteli, sed plurimum rationi: adeóque frequenter, omnibus omnino.

4. *Omissis auctoritatibus, ipsa re, ac ratione exquirenda est veritas.*] Idem, oratione pro lege

Manilià, contra auctoritatem Hortensij. Ratio est, quia illius respectus, sæpe impedit sinceritatem iudicij in causis forensibus: In studiis item liberalibus obest plerunque ijs, qui discere volunt, auctoritas eorũm, qui se docere profitentur: desinunt enim suũ iudicium adhibere; cum id ratum habeant, quod ab eo, quem probant, iudicatum vident, vt bene obseruat Tullius loco ante citato.

5. *Auctoritas negatiua nihil probat.*] Duplici modo potest quis arguere negatiuè ex auctoritate; priorè quidem, si hoc modo concludat: Aristoteles dixit hoc non ita esse: Ergo non est ita. Atque de huiusmodi argumentandi ratione non est intelligendum pronunciatum: non enim ea minorem vim habet, quam, si affirmatiuè ex auctoritate conclusionem inferat: Posteriore verò, si ita arguas: Aristoteles non dixit, hoc ita esse: ergo non ita est, & hoc sensu rectè à viris doctis vsurpari solet effatum: Neque enim sequitur: Aristoteles non dixit te esse Christianum: Ergo non es Christianus: vt per se constat.

6. *Nemo amandus est ita, vt eius amore veritas deseratur.* Albertus M. in 4. Metaphys. tract. 3. c. 2] Ratio est: quia neque rectè diligitur, neque diligendus est vllus, nisi ob virtutem, & bonitatem, quâ reuera est præditus: siue, quod idem à parte rei est, ob veritatem: magis igitur amari debet ipsa veritas: ac proinde, *Si quando auctor alterius opinionis, & veritas amici sint, sanctum est veritatem in honore anteponere.* Vt rectè enumerat Aristoteles 1. Ethiç. cap. citato. Et sane hoc ita necessarium est, ad commune bonũ, vt sine eo salus & incolumitas Reipublicæ conseruari non queat. Nisi enim homo veritatem amicis & familiaribus præferat, consequens est, vt passim falsa

testimonia & falsa iudicia inualescunt : quo vti virtus è medio tollitur , ita communis prosperitas euertitur.

6. *Nullum iam est dictum, quod non dictum sit prius.*] Habet hoc dictũ Terentius in Eunucho , quod si verum est, ipsi tanquam primo auctori adscribi nõ debet , cum nihil ipse suâ etiam memoria dictum esse fateatur , quod non dictum sit prius. Sed enim si antiqua doctorum virorum monumenta, cum huiusce ætatis scriptoribus conferantur : plurima sanè videbuntur hi ab illis deprompta ad suos vsus conuertisse : ita vt si ordinem , dispositionem , perspicuitatem & alia quædam tollas , non adeo multum sibi in primâ rerum inuentione , inuestigationeque tribuere possint : Quamquam negari non debet , permulta hisce seculis inuenta esse , quæ eatenus latuerunt. Ac licet diuersi auctores in eandem sæpe doctrinam conueniant, non ideo tamen alter ab altero deprompsisse semper existimandus est : Cum idem in vtroque conceptus , & eiusdem rei inuentio esse potuerit.

7. *Antiquissimum quodque verissimum.*] Pronunciatum istud vulgi ore decantari solitum , vim suam & ortum habet à communi multorum auctoritate , quæ solet ætate roborari. Quemadmodum namque omnis opinionum falsitas, sensim sine sensu euanescit ; cum vsu & experientiâ , falsitas detegatur ; & difficillimè, quæ licta sunt æunm ferre ac sibi diu similia persistere possint: ita è conuerso veritas labẽte tempore è tenebris progreditur , & instar lucis matutinæ crescit vsque ad perfectum diem. Vnde non incongruè. *Veritas filia temporis* nuncupatur. In primis autem valere debet pronũciatum in materiâ diuinæ fidei, contra Hæreticos, seu Nouatores. Quælibet enim hæresis nouitas quędam est, cum sit Apo-

stasia

stasia, siue recessio & defectio ab Ecclesiâ orthodoxâ, quæ prior est omni hæresi; sicuti veritas mendacio, bonitas malitiâ, rectitudo curuitate, affirmatio negatione.

8. *Omnis in Religione nouitas est vanitas.*] Verum est, iuxta priorem explicationem, quam pulchrè similitudine parabolicâ, quâ homo inimicus in agro dominco post sparsum semen bonum, superseminat zizania, Christus declarat. Matt. 13. & Luc. 8. ad quem locum alludens Tertullianus, scitè admodum, lib. de Præscript. contra Hæret. cap. 13. *Ex ipso*, ait, *ordine manifestatur id esse dominicum & verum, quod sit prius traditum: id autem extraneum & falsum, quod sit posterius immissum.* Et libro contra Praxeam Hæretic. *Aduersus omnes hæreses peræquè iam præiudicatum est; id esse verum, quodcunque primum, id esse adulterum, quodcunque posterius.* Similia habet l. contra Hermog. Hæreticum initio.

9. *Nihil tam est absurdum, quod non inueniat Patronum.* M. Tullius lib. 2. de Diuinatione.] Vsurpant istud effatum Patres Conimbricenses in lib. 2. de Cælo, cap. 3. quæst. 6. art. 3. Vbi disputant de ortu perfectorum animalium, per comparationem ad corpora cælestia; & referunt insulsam veterum quorundam opinionem, qui adeo sinêre naturæ legum ignari, & in genus humanum contumelioſi; vt dicerent, non modo cætera perfecta animantia; sed homines etiam è terrâ esse progenitos: posse etiam rursus eam cæli constitutionem incidere, quæ homines non secus, ac mures & ranas è terra progignat. Et sanè mirum videri non debet, non defuisse ex recentioribus Philosophis, qui intempestiuâ audacia in eandem sententiam abierint: quia nullum est dogma tam ineptum, cuius non aliquis suscipiat defensionem, iuxta propositum effatum.

10. *Famosum dictum non est falsum secundum totum.*] Refertur à D. Thoma de Diuin. perseu. l. cap 43. ab aliis proponitur: *Communis hominum fama non solet omnimodè esse vana.* Duplex est dictur famosum, aliud est iudicium sapientum, & vox com munis de aliquâ re, non absque ratione vniformite iudicantium: aliud est fama popularis, quam vel c nudâ cuiuspiam relatione, vel certè sine fundament temerè iactat populus, & vndique ad vitia consen tiens multitudo. De priore verum est adagium: & ratio illius est; quia, vt ait D. Thomas 1. 2. q. 51. a. ad tertium, *videtur esse naturale, quod in pluribus est natura autem non deficit totaliter.* Vnde Seneca Epis 118. *multum dare solemus præsumptioni omnium hom num, & veritatis argumentum est, aliquid omnibus v deri*: De posteriore non intelligitur; quia eiusmod vti sæpenumerò ex falso rumore aut temeraria susp cione subitò oritur; ita etiam mox extinguitur. S mili modo istud vulgare:

11. *Vox populi vox Dei.*] Intelligendum est, iux distinctionem assignaram; & patet: cum enim, vt Euangelio legitur, Præses Hierosolymitanus Chr stum Dominum conaretur dimittere, vox multit dinis erat, *Crucifigatur*, quæ sanè ex mente ipsoru non fuit vox Dei; sed potius Diaboli. Item vox I raëlitarum murmurantium contra Mosen & Aaro neutiquam vox Dei fuit; quippe qui Deo resisteb & falsos sibi Deos ab Aaron fieri contendeba Quocirca

12. *Non oportet attendere, quid quisque dicat; s quid sapientes.*] Sumitur ex 4. Ethic. c. 3. & sæpi traditur in Elenchis: in quem sensum D. Hieron mus, *Eruditis contentus auribus, non magnopere cu quid imperitorum de tuo ingenio rumusculi iactitent,* Epistolâ ad Marcellam. Et Seneca: *Nunquam,*

velut placere populo; Nam quæ ego scio, non probat populus; quæ probat, ego nescio. Et sanè:

13. *Magnanimi est, magis spectare quid viri sapienti probetur, quàm quid multitudini.* 4. Ethic. cap. 3. sequitur ex dictis.] Præclarè id ab exemplo ostendit Tullius lib. 2. Tusculan. Quæst. sub initium: *An Tibicines*, inquiens, *suo, non multitudinis arbitrio, cantus numerosque moderantur: Vir sapiens multò arte maiore præditus, non quid verissimum sit; sed quid vulgus velit exquiret!* Cæterum licet à vulgi opinione dissidere sæpe virum bonum ac sapientem deceat: sunt tamen quædam, in quibus vulgo sese accommodare prudentiæ & dexteritatis est; Et, vt rectè Flaccus ait: *Interdum & vulgus rectum videt: est, vbi peccet*; Et iuxta communem sententiam,

14. *Imprudentis est, niti contra torrentem.*] Vt si publicum aliquod decretum vel delictum Principis, aut Magistratuum; aut Populi studium, &c. illa carpere, aut liberius in eorum auctores dicteria iacere, insignis imprudentiæ est argumentum, in illo, qui nec corrigere ea potest, vel debet: Nullum enim eiusmodi effectum consequetur, nisi vt eos, in quos linguam soluit, in suum concitet caput, & multis sese difficultatibus ac periculis exponat. Est in hac sententia symbolum M. Aurelij Carini: *Cedendum multitudini*; de quo videri potest Reusnerus symbolorum Imperatoriorum Classe 1. n. 56.

15. *Fama in nouis cœptis validissima est.* Tacitus l. 13. Annalium.] In vtramque videlicet partem; vt qui fœliciter cœperit, vulgi iudicio & acclamatione dimidium facti obtinere credatur; & cui prima cesserint malè, ita ei fore iudicentur vniuersa: Hinc, *Primis euentibus fiducia gignitur aut metus*, vt idem

habet lib. 12. Annalium: Metus quidem, si prosperi sint, in hostibus; fiducia si aduersi: hæc item in nobis, si nostris fortuna conatibus aspiret; ille verò, si aduersetur.

16. *Famâ bella constant, & sæpe etiam, quod falsò creditum est, veri vicem obtinet.* Curtius lib. 8.] Idem fere iisdem verbis ante illum dixit Liuius l. 27. *Fama*, inquiens, *bellum conficit, & parua momenta in spem metumque impellunt animos.*

17. *Famam qui negligit crudelis est.* Albertus M. in 3. Ethic. Tract. 2.] Ratio colligitur ex dictis; quia magnum illa momentum ad negotia conficienda afferre potest; præsertim in Personis publicis & Magistratum quemcumque gerentibus, vt sunt exercituum Duces, Rerumpublicarum Officiales, aliique Prælati. Vnde meritò orabat Regius Propheta Dauid: *Auser à me opprobrium & contemptum, quoniam testimonia tua exquisiui.* Psalmo 118.

18. *In moralibus facto magis quam dicto creditur.*] Sumitur ex 10. Ethic. cap. 8. vbi ait Philosophus; opinionibus Sapientum esse quidem habendā fidem, veritatem tamen in iis, quæ in actionem veniunt, ex operibus iudicari & vitâ; quia, vt inquit ibidem: *In operibus præcipua certitudo veritatis consistit; ac proinde* (subiungit) *considerare oportet, quomodo ea, quæ promittunt, vel dicunt aliqui, eadem in opus redigant: Et si quidem dicta sint consona operibus, acceptanda sunt: sin verò discrepant, verba sunt tantum putanda.*

Digitized by Google

DISTINCTIO III.

De Suspicione.

1. *Omnis homo ex se æstimat alterum.* Chrysostomus super Matthæum.] Intelige secundum ordinarium humanæ naturæ cursum ad eum fere modum, quo iuxta communem sententiam, *qui libet iudicat pront est affectus*, de quo Titulo *de Iustitiâ*, distinctione 9. Sic qui verè humilis est, neminem facilè suspicabitur, & iudicabit superbum: superbus verò alios non facilè æstimabit veros esse propriæ humiliationis amatores; ac generatim, quemadmodum rarò contingit, vt qui bonus est, alium suspicetur malum, ita rarissimum, vt malus alios suspicetur bonos. Etenim vt illi, qui sanæ complexionis sunt, bonumque stomachum habent, etiam cibum non ita bonum, in bonam substantiam conuertunt; & contra, qui affecto ventriculo sunt, etiam alimenta in malum succum vertunt; ita etiam vsu venit ei, qui bonam sortitus est animam, & ei qui vitiosam: ille enim in bonum sanumque sensum; hic in malum trahere solet omnia, vt docet Aristoteles 3. Ethic. cap. 4. Vide, si placet, quæ diximus ad illud: *Qualis quisque est, talis ei finis esse videtur*, Titulo *de Causâ finali*, Distinctione 8.

2. *Facilius vitia cuiusque, quam virtutes intendimus.* Isidorus lib. 3. de Summo Bono.] Nimirum secundùm inclinationem naturæ corruptæ, quâ ad malum longè proniores sumus, quàm ad bonum; proindeque, non ita, quid boni gesse-

rint alij, agnoscimus; quàm quid mali egerint, perscrutamur. Iuxta hanc sententiam D. Augustinus Tractatu 90. in Ioannem inquit: *Quid de occultis hominum aliquando, imò assiduè non vera sentimus, ad pertinere ad tentationem humanam, sine quâ duci non potest vita; ac proinde esse agnoscendum nobis, imo amemus, quod amandum est, & detestemur, quod detestandum est.* Loquitur autem hoc loco Augustinus de suspicionibus indeliberatis; harum enim tentationibus sæpe pulsatur homo: Nam quæ deliberatæ sunt, facilè vitari possunt, nec pertinent ad tentationem humanam; quia consensum includunt. De illis verò, non item de his, loqui S. Doctorem patet ex verbis, quæ subdit ibidem: *Etsi*, inquiens, *suspiciones vitare non possumus, quia homines sumus: iudicia tamen, id est, definitiuas firmasque sententias continere debemus, neque ante tempus iudicare, donec veniat Dominus, vt illuminet abscondita tenebrarum*, &c.

3. *Suspicio venenum est amicitiæ.* Sanctus Augustinus lib. 1. de Amicitia cap. 24.] Vbi hoc ipso eam quam maximè cauendam esse pronunciet: Quod autem de amicitia dicit S. Doctor, idem de qualibet humanâ societate intelligi potest. Ratio pronũciati est; quia suspiciones vnionem tollunt, pacem auferunt, confidentiam tollunt, ac fidelitatem quæ in sociali hominum vitâ necessaria est, discindunt: Neque enim stabit inter coniugatos concordia, si nunquam absit suspicio, neque inter superiores & subditos, si alter alterum suspectum habeat, neque inter fratres, & Religiosos, si de cogitationibus & intentionibus temeraria in vicem ferant iudicia; Eadem est ratio in alio quouis hominum genere. In eandem sententiam dixit S. Bonauentura;

Digitized by Google

Suspicio occultæ est pestis, sed grauissima, quæ Deum fugat, & fraternam laceras charitatem. In Stimul. Amo. c. 10.

4. *Tolerabilius est iudicare malos bonos, quam bonos malos.*] Traditur à D. Augustino l. 2. de Sermone Domini in monte, & in Homiliâ super illa verba : *Nolite iudicare & non iudicabimini*, tomo 8. Vbi melius esse docet, cogitare eos, qui mali sunt, esse bonos, quàm prauâ iudicandi consuetudine suspicari bonos esse malos. Ratio est; quia in priori nec malis, nec tibi ipse noces; & recta intentione incedis, iuxta regulas prudentiæ Christianæ, quæ in dubiis fauet proximo bonam sui nominis possessionem habenti. Vide, si placet, S. Thomam quæst. 60. artic. 4. ad 1. In posteriori verò bonos iniuriâ afficis, & ipse tibi detrimentum infers, iuxta illud :

5. *Semper temeritas noxia est iudicanti.* Sumitur ex S. Augustino lib. 2. de Sermone Domini in monte cap. 6.] Vbi docet, iudicium temerarium sæpe minimè nocere ei qui iudicatur : iudicanti tamen semper esse noxium. Ratio est, quia tale iudicium repugnat legi naturali quæ præcipit, vt quod ab alio oderis fieri tibi, id ne tu alteri facias. Tobiæ 4. 16. Deus item grauiter offenditur, & grauis ipsi irrogatur iniuria, dum vilis homuncio temerariè sibi arrogat, quod ad solum Dei tribunal spectat : sicuti enim iniquum foret & in magnam Reipub. turbationem cederet, si quisque sibi iudicandi partes pro libitu assumeret; ita absurdum & indignum est, vilissimum terræ vermiculum Dei ac Iesu Christi vniuersalis viuorum ac mortuorum Iudicis, ad quem solum iudicare pertinet de verbis & operibus intimisque cogitationibus, (vtpote qui solus illas perspectas ha-

bet) officium sibi non commissum liberè vsurpare.

6. *Senes sunt maximè suspicios.* 2. Rhetoric. cap. 13. tres huius vitij radices adsignat D. Thomas 2. 2. qu. 60. art. 3.] Prima est cor plenum malitia, alios iudicans, quale est ipsum, quo sensu dixit Ecclesiastes cap. 10. *In viâ stultus ambulans, cum ipse insipiens sit, omnes stultos æstimat.* Quemadmodum enim qui per rubrum aut viride vitrum prospiciunt, rubescere aut virescere putant omnia, quæ objicuntur oculis; ita homines mali & imperfecti, cum mentis oculum vitiosâ habeant qualitate imbutum, perperam omnia interpretantur: in hos quadrat illud ad Romanos 2. *In quo alterum iudicas, teipsum condemnas; eadem enim agis, quæ iudicas.* Secunda radix est auersio aliqua, inuidia, aut æmulatio cum illâ personâ, quam alter iudicat. Sicuti enim is qui vehementer alium amat, omnia ipsius facta solet optimè interpretari, & si mala sint, extenuare, &c. ita è conuerso, qui malè afficitur ad alterum, ex leuibus signis opinatur mala de ipso. Tertio modo prouenit suspicio ab vsu & experientiâ. Et ex hac pptissimum radice senes dicuntur esse præ ceteris suspicaces; quia nimirum sæpius decepti sunt, &, vt ait D. Thomas ibidem, *multotiens aliorum defectus experti.* Duæ priores suspicionis causæ etiam in illis locum habere possunt, si corde prauo sint, & affectu in alios peruerso.

TITVLVS XXXIII.

DE HABITIBVS SVPERNATVRALIBVS in genere, & specie.

DISTINCTIO PRIMA.

De Gratiâ generatim.

1. GRatia *supponit naturam.* Indicatur à Suarez, Tomo 1. in 3. p. disp. 10. sect. 8. sub finem.] Vti ars dicitur à Philosophis supponere naturam, ita hanc aiunt Theologi supponi Gratiæ. Quemadmodum enim ars non per se facit naturam, sed factam iam & extra causas suas positam ornat & perficit; ita gratiæ dona creaturis rationalibus cum in finem à Deo impertiuntur, vt eas conditas quidam, sed ad bona supernaturalia suis viribus aspirare non valentes eleuent ac iuuent, atque hoc sensu intelligi solet & explicari propositio. Quod si tamen minus propriè & vsitatè loqui velimus, certum est non modo quemuis hominem, sed omnem omnino creaturam esse gratia Dei, quidquid est, ita vt gratia dici possit non perficere solum, sed etiam facere naturam, quanquam hic sensus alienus est à communi loquendi consuetudine à Theologis recepta, qui propriè gratiam accipiunt non pro quolibet beneficio Dei gratis dato, siue naturale illud sit, siue supernaturale, ita, vt includatur beneficium creationis naturalis, & donatio liberi arbitrij, & cæterarum facultatum naturalium; sed pro solis beneficiis Dei supernaturalibus, quæ naturæ superaddita sunt, & per Christi merita nobis conferuntur ad vitam æter-

nam consequendam. Vide Suarez To. 1. de gratia, Proleg. 3. in c. 2. nu. 3.

2. *Gratia non destruit, sed perficit.*] Pronunciatum istud Theologicum eodem modo cum proportione intelligendum est, quo illud philosophicum: *Ars non destruit naturam, sed perficit.* De quo suo loco. Ex illo probant Theologi voluntatem nostram gratia diuina instructam naturaliter magis inclinari ad dilectionem Dei, quam suiipsius. Cum enim status gratiæ obliget nos ad amandum Deum super omnia, non erit hoc cõtra naturam rationalem, nec destruet eam; sed potius consentaneum est ipsi tanquam perfectio superaddita; licet verò hoc intelligendum videatur de natura rationali, non autem de sensitiua, vtpote quæ inclinatur ad malum, quod destruit gratia; tamen reuera de vtráque verum est axioma: non enim inclinatio naturalis in appetitu sensitiuo per se ordinatur ad malum, vt voluerunt multi hæretici; sed tantum per accidens, quia inclinatio sensitiua in homine duo dicit: alterum quod per se tendat ad bonum sensibile, quatenus est homini conueniens; & hoc per sese malum non est: alterum, quod sit subiecta inclinationi voluntatis, & ab ea secundum rectam rationem dirigatur; hoc etiam per se malum esse non potest: si ergo contingat, appetitum sensitiuum naturaliter ferri in aliquod bonum sensibile vel id est consentaneum rectæ rationi vel non: Si prius; nihil mali est: si posterius; hoc per se non fit; sed per accidens tantum, quia scilicet bonum illud sensibile habet adiunctam circumstantiam prohibitam, & tunc inclinatio appetitus sensitiui debet dirigi per superiorem inclinationem voluntatis. Hinc sequitur inclinationem sensitiuam tanto magis perfici per gratiam, quanto magis perficitur inclinatio voluntatis, à qua dirigitur, ac proinde:

3. *Quo quisque sanctior est, eo appetitus illi est subiectior.*] Ratio huius patet ex dictis. Porro gratia dicitur perficere naturam, quia per gratiã habitualem suo modo deificatur natura, vt loquũtur Theologi, & consequenter ex vi illius expelluntur omnia peccata, quibus homo à Deo auertitur ac constituitur homo filius & hæres Dei, & denique per eandem, vt etiam per cætera omnia gratiarum donaiuuatur, & perficitur ad exercendas operationes supernaturales & deificas, vsque ad visionem beatam suo tempore, si perseuerauerit, obtinendam. Ita ferè Suarez, lib. 6. de Gratia c. 12. n. 2.

4. *Gratia est semen gloriæ.* Indicatur hoc dictum à Suarez To. 1. in 3. p. disp. 10. sect. 5. in Dico 2.] Etsi ex gratia, quæ per Christi merita nobis infunditur, plurimi, iique nobilissimi fructus in omnium fidelium cordibus proueniant: ea tamen per antonomasiam gloriæ semen appellatur; omnis siquidem gratia creata, (nam de hac intelligitur propositio) omnesque fructus siue opera, quæ ab illa manant, natura sua tendunt ad consummationem ipsius gratiæ vsque ad consecutionem beatitudinis siue gloriæ, quam respiciunt, vt præmium connaturale & proportionatum, iuxta illud Apostoli: *Stipendia peccati mors, gratia autem Dei vita æterna*, ad Rom. 6. 23.

5. *Principium meriti non cadit sub meritum.*] Nempe sub illud meritum, cuius est principium, id est, Principium meriti non est præmium siue effectus eiusdem meriti, cuius est principium. Est cõmune axioma Theologorum vsurpari præcipuè solitum ad ostendendum, quod prima gratia conferatur nobis gratuito. Absolutè autẽ & in merito de condigno, & in merito de cõgruo veritatẽ obtinet, si vtrũq; cum suo principio comparetur: in vtroque enim est eadẽ ratio proportionalis; nimirũ quod vtrũque meritũ in

suo genere supponat suum principium (sicuti omnis effectus supponit suam causam) prout videlicet formaliter habet rationē causæ vel principij; quod addo propterea quia ex Suarez & aliorum multorum sententia, principium meriti aliquando est morale tantum & non physicū, nec causa tanquam actu existēs; vt in nobis prima gratia vel prima vocatio, sed vt præuisum duntaxat, & tale principium secundū realem exhibitionem potest cadere sub meritum; vt si Rex vel Campidux aliquis tribuat militi equum & arma in stipendium futuri laboris & militiæ & quasi in præmium meritorum eodem equo & armis futurorum. Verum vt sic non præsupponitur tanquam principium, sed subsequitur, vt effectus, ita ferè Suar. to. 1. in 3. p. d. 10. s. 4. & 6. & l. 3. de Prædest. c. 20. n. 20. & alibi. Vide Regusam de Incarnatione disp. 42. Vbi hanc sententiam Suarez explicat de merito impropriè dicto, quod potius habet rationem compensationis pro re accepta, quā propriè dicti meriti. Becanus autem de Incarnat. c. 14. q. 6. n. 15. Vasq. & alij, hanc Suarez sententiam non probant, & absolutè docent, principium meriti neque formaliter, neque materialiter cadere sub meritū istud: cuius est principiū. Itaque secundū illos non est opus hac distinctione; sed absolutè dicendum, nullum principiū meriti cadere sub meritum, siue physicè cōsideretur & in sensu materiali, siue moraliter & in sēsu formali.

7. *Facienti, quod in se est, Deus non denegat gratiam.*] Celebre illud axioma duobus modis intelligi potest. Primo sic: Facienti quod in se est cum auxilio diuino gratiæ supernaturalis Deus infallibiliter dat maiora auxilia, cum quibus similiter, si faciat quod in se est, tandem infallibiliter perueniet ad gratiā iustificationis, & hoc sensū absolutè verum est, colligiturque ex Trid. sess. 6. c. 5. & 6. Ratio, quia auxiliū præueniens

ideo datur peccatoribus, vt illo excitati & corroborati sensim se ad iustitiam præparent; ergo si illi cooperentur, quantū possunt, Deus nō negabit auxilia vlteriora. Eodē sensu exponitur à D. Th. 1.2. q. 109. a. 6. ad 2. *De præparatione hominis ad gratiā habitualē suscipiendā*, Vt ipse loquitur. Et de hac gratia intelligendo illud axioma, dicit consequenter debere intelligi de homine faciente quod in se est, per præueniens auxilium gratiæ. Secundo modo potest intelligi hoc sensu. Facienti, quod in se est, ex solis naturæ viribus, Deus nō denegat suā gratiam, & ita asseritur à Ioanne Driedone opusculo de Concordiā liberi arbitrij & prædest. p. 2. c. vlt. & ex lib. de Captiu. & Redēptione generis humani T. 5. c. 2. à Ruardo Tapparo, art. 7. à Ludouico Molina in Cōcordia q. 14. ar. 13. d. 10. sed si nihil aliud addatur, non videtur posse admitti. Nā si homo solis viribus naturæ posset præstare aliquod opus, ad quod infallibili lege Deus conferret supernaturale auxilium, iam initium salutis esset ex nobis, quod nullo modo concedendū est, si tamē addatur aliqua moderatio, qualis à Molina additur, potest esse vera sententia, moderatio huiusmodi est: Primo, quod homo faciendo, quod in se est, accipiat quidem à Deo gratiam, non tamen illam vllo modo à Deo mereatur, nec de cōdigno, nec de congruo. 2. nec vllo modo efficiatur dignus auxilio gratiæ. 3. nihilominus illā tamen accipiat, partim, quia Deus liberaliter illā vult omnibus dare, quantū in se est; partim quia homo faciēs, quod in se est, reddit se minus ineptū, & indignū ad gratiam Dei suscipiendā. Itaq; negat Molina intuitu boni operis præcedentis dari gratiam; solum ait illam dari, quia cum Deus paratus sit illam dare omnibus, multo certius dat illi, qui ex sua parte non ponit impedimentum. Idem docet D. Thomas lib. 3. contra Gentes c. 159. Vide Suarez li. 2. de Prædest. c. 9. n. 4. Vasquez in

1. 2. d. 120. n. 10. Plura, quæ huc referri possunt, ex
plicantur Titulo *de Habitibus in genere.*

DISTINCTIO II.

De Fide.

1. *Fides est initium salutis humanæ.* Sumitur e
Magno Augustino Epist. 105. aliquando po
principium, & traditur à Trident. sess. 6. cap. 8.
Ratio est, quia vt loco citato docet S. Doctor, ab il
nostra omnis iustitia sumit exordium: præcedit nam
que omnes alias dispositiones, quibus homo iustif
catur & in statu ac vita supernaturali constituitu
Neque enim spes aut dilectio, aut timor Dei, a
aliud quodcunque opus meritorium existere potes
nisi dependenter à Fide, cum voluntas nihil pos
appetere, nisi agnitum, id sit, & propositum ab inte
lectu, & omnis actus voluntatis supponat actum in
tellectus proportionatum. Vt alibi explicatur.

2. *Fides est fundamentum omnis iustificationis.*] E
omnis Patrum, ac Doctorum sententia, & traditu
Trident. loco ante citato. Ratio est, quia omnia n
strix iustitiæ opera fidei innituntur. Illa siquidem s
stentat reliquas ædificij spiritualis partes, sicuti f
cit fundamentum domus materialis. Quo sensu rec
intelligi potest Apostolus, Heb. 11. v. 1. cum ait: F
dem esse Hypostasim, id est, substantiam siue basim
fundamentum rerum sperandarũ; quia scilicet Spe
Charitas, Religio & cæteræ virtutes iustorum su
sistere non possunt, si tollatur Fides: quemadmodũ
tollatur fundamentũ, tota domus corruat, necesse e

3. *Fides est radix omnium virtutum supernatur
lium.* Sumitur ex Tridét. loco citato.] Quemadmo
radix non solum sustentat arborem, sed etiam ei su
cum subministrat, quo vegetetur in se & folia
fructum ferat, ita Fides non est solum fundamentu

mortuum, vt contingit in domus fundamento, sed vitium, instar radicis: Etenim non modo super eam ædificatur domus spiritalis, verum etiam exercetur ab illa officium radicis; dum omnia illa, quæ speranda nobis ac diligenda sunt proponit, & varias ac pias affectiones Timoris, Spei, Charitatis, &c. Veluti succum suauissimũ in nobis excitat, ex quibus vberrimè proueniunt fructus vitæ spiritualis: Nam quando proponit voluntati Deum vt misericordem, vt summè amabilem, vt iustum & seuerum; varij oriuntur affectus, spei, dilectionis, timoris, & similiũ virtutum. Vnde S. Apostolus Iudas in sua Epist. congruo nomine vocat. *Hæreticos, arbores autumnales bis mortuas, & eradicatas*; pro quo notat Vasquez to. 2. in 2. 2. disp. 118. c. 6. arbores in fine autumni, quando fructus & folia, ex quibus apparebat eatum vita, amittũt, quodãmodo mori: mortuis enim arboribus planè similes sunt, & quamuis in radice vitam aliquam retineant; Hæc tamen non apparet, ac proinde cum nec fructũ, nec folia proferant, otiosæ & pro eo tempore inutiles sunt, atque hæc est prima mors arboris; cui similes sunt peccatores fideles, in quibus fides est otiosa, quæ proinde ab Apostolo Iacobo, *mortua* dicitur, licet enim huiusmodi sciant, quomodo ex fide viuere iustum oporteat: quia vt rectè ait D. Augustinus:

4. *Intellectui Fides viam aperit, infidelitas claudit.*] Est sententia 128. inter illas, quas ex D. August. collegit S. Prosper. Veruntamen vitam suam fidei consentaneæ non instituunt; vnde vitæ quidẽ Christianæ & iustificationis radicem habent: fructus autem iustitiæ non proferunt. Altera mors arboris est, quãdo eradicatur omnino, aut cum radix ipsa simul cũ trũco moritur, & huic similes sunt hæretici. Idcóque ab Apostolo supra vocantur non solum arbores autumnales, sed etiam bis mortuæ & eradicatæ. Eadem de

causa hæresis ac infidelitas omnis iustitiæ viam omnino claudere dicitur, vti fides eam intellectui aperit, vt constat ex dictis: Vide, si placet, Vasquez loco citato, vbi allatam similitudinem ingeniosè deducit & PP. ac DD. testimonio confirmat, & sanè per illam pulchrè vis & efficacia fidei ostenditur, ac qua ratione non fundamentum modo, sed etiam radix sit vitæ Christianæ declaratur. Quo autem sensu, Charitas & Humilitas dicantur radices & fundamēta virtutum, explicatur suis locis.

5. *Fides diuina certior est, quauis scientia humana.*] Est communis sententia Doctorum & expressè habetur, & traditur à D. Thoma 2. 2. q. 4. a. 8. sub finē Corporis, vbi docet: *Fidem simpliciter esse certiorem scientia & solum incertiorem secundum quid.* Habent propositiones de Fide nobiliorem & certiorē veritatem, quā aliqua cognitio humana ab extrinseco, id est propter infallibilem auctoritatē Dei reuelantis, quæ est ratio illis assentiendi, & quam fallere vel falli impossibilius est, quam qualēcunque humanam & naturalem scientiam: non tamen habent essentialiter maiorem veritatem formalem; quia hæc consistit in indiuisibili & in omnimoda adæquatione intellectus cū re intellecta. Quod autem D. Thomas inquit; fidem *secundum quid*, posse esse minus certam, verū est tum alias ob causas, tum quia vitio atque inconstantia aliquorū accidit, vt à fide dimoueātur facilius, & minus ei adhæreſcant, quam scientiæ.

6. *Lumen fidei est correctiuum luminis naturalis.*] Vti Philosophia ancillatur Reginæ Theologiæ, ita lumen naturale subiacet lumini fidei supernaturali, ab eoque vtpote imperfectum in se, & in multis deficiēs sæpenumero corrigitur, etiam circa ea, quæ habētur quasi generalia axiomata philosophica, & scientiarum humanarum principia. Ita, v. g. pronunciatum illud:

Quæ

Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se, fides mysterij S. Trinitatis limitat ad res creatas. Idem contingit in pluribus aliis, maximè circa mysteria Incarnationis & Eucharistiæ. *Dices.* Ex certitudine huius principij: *quidlibet est vel nō est*, pēdet certitudo fidei, cum id virtute includatur in quacūque veritate; ergo illius certitudo maior est certitudine fidei *Resp.* Si aliquod est principium, quod necessario inuoluatur in assensu fidei in eadem materia, est etiam ipsa fide creditum; neque pendet ab illo fides, vt naturaliter cognito: vt v. c. si credo Deum esse trinum, necessariò credo etiam non esse vnicū in personis, nec esse quatuor personas; non propter principium naturale: *Quidlibet est, vel non est*; sed quia ipsamet fides, quæ facit credere, affirmationem esse veram, facit etiam credere, negationem esse falsam. Porrò correctio ista luminis naturalis fit in ijs duntaxat à lumine fidei, in quibus naturale lumen deficit à verâ ratione: Nam absolutè loquendo veritas diuina & ratio naturalis non pugnant inter se, sed potius consentiunt & conspirant in eandem veritatem.

7. *Auctoritas Dei prævalet omni rationi humanæ.*] Etsi locus ab auctoritate, qui fundatur in ratione humana, infirmissimus est, vt docet Boëtius super Topica, Cicero, & alij; locus tamen ab auctoritate, quæ fundatur super reuelatione diuina, est efficacissimus: Prævalet enim auctoritas Dei omni rationi humanæ, lōgè magis quā auctoritas Philosophi rationi debilis alicuius pueri, vt rectè obseruat D. Tho. 1. p. q. 1. a. 8.

8. *Fides Christiana etsi miraculis non esset approbata: honestate tamen sua recipi debuisset.*] Est hoc effatum Pij secundi Pontificis Maximi, vt refertur à Platina in eius vita. Veritas illius manifesta est. 1° Ex sanitate & integritate vniuersæ Doctrinæ Christianæ, quæ fides in Christum continetur. 2. Ex vita & moribus

Christi, qui est auctor huius doctrinæ. 3. Ex modo, quo hæc doctrina in mundum introducta est. 4. Ex consonantia eius cũ recta ratione & lumine naturali; nullam siquidem tribuit peccandi licentiã, sed multis modis hanc excludit, fauetque puritati, & sanitati vitæ, quæ ab affectu terrenorum auocat, & ad rerum cælestium contemplationem animum ratione prędi-tum impellit. Denique ex constantia & integritate, qua tot annis integra mansit inter grauissimas Tyrã-norum persecutiones. At verò omnes gentiliũ sectæ & instabiles sunt & impuræ, & semper aliquid docẽt atque approbant, quod potest euidenter ostendi esse contra rectam rationem, de qua re fusè scripserunt. Iustinus in admonitorio ad gentes, Origenes contra Celsum, Tertullianus in Apologetico, Augustinus in lib. de Ciuitate, & alibi, & denique D. Thomas contra gentes, de quibus locum habet istud:

9. *Qui citò credit, cutò decipitur.*] Nempe si ex animi leuitate, facilè cuilibet assentiatur, & fidem habeat, ac non prius consideret, an id, quod proponitur, recta & prudenti ratione iudicari possit, esse credendũ. Vnde Ecclesiastici 19. v. 4. dicitur: *Qui citò credit, leuis est corde.* Ea de causa videmus fidei Christianæ mysteria semper à Deo & prodigiis facta fuisse credibilia, iuxta illud Marci vltimo. v. vlt. *Prædicauerunt vbiq; Domino cooperante & sermonem confirmante sequentibus signis.* Cum enim obiectum fidei, respectu nostri non sit euidenter verum vt illi tutò possimus assentiri, debet sufficienter proponi, ne temerè & periculosè ei adhæreamus. Hinc etiam illud: *Fide, sed cui vide.*

10 *Hæreses sedimentum Dei est abnegatio.*] Quam verum sit dictum istud Clementis Alexandrini, cum omnium temporum, tum huius sæculi satis manifestãt hæretici: Non enim cum fide tantum veraque bellant religione; sed etiam complures eorum ita na-

tutæ repugnant, vt ſibi exſculpi patiantur ex animo, quam illa conſignauit mentibus noſtris Dei informationem. Significat itaque præſens effatũ, procliue admodum eſſe vt hęreſis in Atheiſmum degeneret, iuxta Pſal. 13. *Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus.* Vide Becanum Theol. Scholaſt. p. 1. Tract. 1. Vbi plurimas refert atheiſmos Vorſtij Caluiniſtæ.

DISTINCTIO III.

De Spe.

1. *Spes eſt anchora vitæ Chriſtianæ.*] Ita merito appellatur iuxta mentem Apoſtoli, Heb. c. 6. v. 11. quia in tantis rerum humanarum ærumnis & confuſionibus triſtiſſimis præcipuè ſe ſuſtentare poteſt, & debet homo Chriſtianus, certa ſpe liberationis & vitæ & gloriæ ſempiternæ. Proinde Apoſtolus eam ibi vult figi, vbi ſunt vera gaudia: *Nauis anchora in terra figitur contra fluctus aquæ; anchora ſpei in Cælo & altiſſimo Deo fixa, mentem ſolidat, ne concutiatur*) inquit Magnus Gregorius homil. 17. in Ezechielem) *fluctibus tumultuum terrenorum.* Simili ratione.

2. *Spes eſt galea ſalutis.* Sumitur hæc appellatio ex Epiſt. 1. ad Theſſal. c. 5. v. 8.] Vbi eam nos accipere iubet Apoſtolus. Ita autem rectè nuncupatur cum ſit veræ animi quietis, & omnium vitæ humanæ ſolatiorum conſeruatrix. *Sicut enim* (inquit Chriſoſtom. homil. 9.) *Galea conſeruat id, quod eſt præcipuum corũ, quæ ſunt in nobis; nempe caput, amplectens & vndique legens; ita etiam ſpes non ſinit rationem concidere, ſed facit ſtare rectam & erigere ſeſe ad altiſſimum.*

3. *Spes eſt primum remedium afflictis.*] Remedium dicitur, quia reuera afflictionem ſpes lenit, & animũ iacentis erigit, iuxta illud: *Spes bona dat vires, ani-*

mum quoque spes bona firmat. Dicitur etiam remedium primum; quia non adhibentur malagmata, nisi præeunte spe curationis. Item in omni rerum afflictione, primùm animus ad Deum erigendus est, & benè de auxilio Dei sperandum. Et certè nihil ita corroborat hominẽ in afflictione, sicuti spes firma & certa, quod breui talis afflictio finienda sit, & si quidem pro Christo sustineatur, merces in cælo maneat sempiterna.

4. *Spes, quæ differtur, affligit animam.* Prou. 13. 12.] Ratio huius patet per explicationem præcedentis: Vti enim spes meliorum tristitiam alleuiat; ita si æquo longiùs differatur, aut appareat nullus recreationis effectus, priſtina roboratur afflictio.

5. *Christiani hominis spes Christus est.*] Sumitur hic spes non pro virtute ipsa aut actu illius; sed pro eo, in cuius potestate & auxilio speramus; vel etiam pro obiecto spei. Quo sensu Psal. 90. dicitur: *Quoniam tu es Domine spes mea;* In quæ verba pulchrè S. Bern. *Quidquid agendum, quidquid declinandum, quidquid tolerandum, quidquid operandum, tu es,* inquit, *Domine spes mea, hæc vna mihi promissionum causa, hæc tota ratio meæ expectationis. Prætendat alter meritum sustinere se iactet pondus diei, & æstum, ieiunare se bis in Sabbatho dicat, postremo non esse sicut cæteros homines glorietur: mihi autem adhærere Deo bonum est, & ponere in Domino spem meam.* Serm. 9. super Psal. *Qui habitat.*

6. *In parietem caducum ne inclines.*] Monet pronũciatum spem non esse defigendam in caducis fortunæ aut rerum humanarum bonis; sed in Deo esse confidendum: *Nam Beatus vir, cuius est nomen Domini spes eius.* Psal. 39. *At maledictus homo, qui fidit in homine, & ponit carnem, brachiũ suum, & à Domino recedit cor eius.* Iere. 17. Hoc est enim inniti scipioni non arundineo modò, sed etiam cõfracto, vt inquit Isaias Propheta. Proinde huiusmodi spes non solum vana

Digitized by G

est; sed etiam periculosa & noxia, vt sæpe monet & minatur Deus, patétque ex plurimis Veteris Testamenti historiis.

7. *Fluuij sursum fluere non possunt.* 2. Meteor. c. 1.] Sensus moralis huius dicti facit ad spem in Deo collocandam: Non enim aqua persecutionũ & aduersitatum obruere eos poterit, qui, vt ait D. Augustin⁹, *Sursum corda habent ad Dominũ.* Etenim vera & Christiana spe adiuuatur homo in omni tribulatione, defẽditur in periculis, solatium accipit in doloribus, auxilium in infirmitatibus, & sufficientiam in omni necessitate: Per hanc enim homo consequitur gratiam ad fortiter & feliciter agendum in quolibet negotio. Horum omnium certissima & euidẽtissima sacrarum Scripturarum habemus testimonia; præcipuè in Psalmis Dauidis. Vix enim vllus reperitur Psalmus, qui non exaggeret & commendet nobis hanc virtutem, eiusque fructus nobilissimos prædicet. Est enim sine dubio spes ditissimus thesaurus & summa cõsolatio, quæ ab hominibus iustis in hac vita potest obtineri.

8. *Qui spem non habet, ad rem non perueniet.*] Sumitur hoc vulgare dictum ex S. Augustino, qui de charitate loquitur in hunc modum: *Qui gaudet in spe, tenebit etiam rem: qui autem spem non habet, ad rem non poterit peruenire.* Intelligitur itaque & verum est de re per spem obtinenda, siue de spei obiecto obtinendo: Isto enim potiri non poterit, qui in desperationis barathrum voluntariè dejicitur.

9. *Nullare magis, quam desperatione desipimus.*] Ita pronunciat S. Chrysost. to. 5. contra desperationem, vbi facunde vt solet, asserit & probat desperabũdos homines agere & loqui stulta, insulsa, parumque sibi constantia, quæ, an à dementia, aut desperatione profecta sint, merito dubitari possint: vti enim corpus hoc nostrum perturbatione aliqua naturæ à suarum

matio, sine qua omnia virtutum opera per se infructuosa sunt & mortua. Vnde etiam est illud:

3. *Charitas est vita animæ.*] Ita à Patribus & Theologis appellatur, tum quia animam Deo perfecta vnitione coniungit, in qua vita ipsius consistit & consequenter tam eam, quam ea, quæ in ipsa sunt, facit viuere. Efficit enim, vt opera virtutum sint meritoria vitæ æternæ, & consequenter, vt sint fructuosa & viua, sicuti è contra peccatum lethale dicitur adferre *mortem animæ* quia perdit demeritoriè charitatẽ, quæ est vita illius: tum etiam, quia fidẽ & spem aliasq; virtutes excitat ad bene ac diligẽter operandũ, & fructus vitæ proferẽdos, iuxta illud D. Greg. ho. 30. in Euãg.

4. *Amor Dei nunquam est otiosus.*] Rationem addit ibidem his verbis: *Operatur enim magna, si est; si verò operari renuit, amor non est*: Vnde etiam Apostolus pulcherrimè 1. ad Cor. c. 13. *Charitas*, inquit, *patiens est, benigna est, charitas non æmulatur*, &c. Et infra: *Omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.* In eandem sententiam Cassiodorus super Psal. 13. *Charitas Dei*, inquit, *vitalis quædam est pluuia virtutum, sub qua & beata voluptas germinat, & operatio sancta fructificat: Patiens hæc in aduersis, temperata in prosperis, humilitate potens, afflictione latissima, inimicis benenola*, &c. Eadem de causa verũ est istud Augustini.

5. *Radix omnium bonorum est Charitas.* Sermone 1. in Psalm. 90. & hom. 7. super Ioannem; & l. de Gratia Christi c. 20.] Vbi: *Quomodo*, inquit, *radix malorum omnium est cupiditas, sic radix omnium bonorum est Charitas*: Ipsa etenim omnia sustinendo aduersa & animã fortiter Deo vniẽdo, effecit, vt omnes virtutes, quæ proprium sunt hominis bonum, fortius in anima radicentur & constantius permaneãt, & hac ratione dicimur in Charitate fundari, & radicari, ad Eph. c. 5. Alia etiam ratione omnia bona in Charitate radicari

Digitized by

dicuntur & fundari, quia omnes virtutes supernaturales vnà cum Charitate animæ infunduntur, & ordinariè tollũtur excepta Fide, & Spe. Hoc igitur sẽsu Charitas rectè dicitur radix, & fundamentum, & vita omniũ virtutũ, licet alia cõsideratione respectu fidei habeat rationem fructus; quatenus ex fide proponẽte voluntati Deum vt amabilẽ pullulat. Vide, si placet, D. Thom. 2. 2. q. 4. a. 7. vbi docet Fidem sine Charitate non habere completam rationem fundamenti. Cæterum, quomodo cupiditas radix omnium malorum sit, explicatur distinct. de Auaritia.

6. *Charitas incipit à seipso.*] Valet maximè hoc dictum in ijs bonis spiritualibus, quæ tenetur sibi quispiã & proximo velle ex Charitate; quoad hæc enim seipsum homo magis amare tenetur, quam proximũ, & suã salutem præferre alienæ, vt expresse docet D. Tho. 2. 2. q. 26. a. 4. in Corp. & 44. a. 8. ad 2. Vnde Moyses Exodi 32. v. 31. cum ait: *Aut dimitte eis hanc noxã, aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti*, Locutus est per exaggerationẽ, vt D. August. q. 147. super Exod, vide Cornelium à Lapide in hunc locũ. Quod si comparatio fiat in bonis tẽporalibus, distinguendum est. Potest enim homo comparari vel cum communitate, vel cum priuata quapiã persona: Priori modo tenetur magis diligere communitatem, quam seipsum; Et hoc sensu accipiendum est illud 1. ad Cor. c. 13. *Charitas non quærit quæ sua sunt.* Ratio est, quia bonum cõmune præstãtius est priuato, vt docetur Titulo *de Bono*; & quia omnis pars naturaliter plus diligit totum, quam seipsam, vt mox explicabitur: Quod si verò cõparatur cum priuata persona, tenetur quis seipsum præferre ex lege Charitatis cæteris paribus. In hanc sententiam verum est istud:

7. *Arctius quid est vnitas quam vnio.* Sumitur ex li. 1. Rhet. c. 11.] Atqui vnusquisque sibiipsi proxi-

1. 2. d. 120. n. 10. Plura, quæ huc referri possunt, explicantur Titulo *de Habitibus in genere.*

DISTINCTIO II.

De Fide.

1. *Fides est initium salutis humanæ.* Sumitur ex Magno Augustino Epist. 105. aliquando post principium, & traditur à Trident. sess. 6. cap. 8.] Ratio est, quia vt loco citato docet S. Doctor, ab illa nostra omnis iustitia sumit exordium: præcedit namque omnes alias dispositiones, quibus homo iustificatur & in statu ac vita supernaturali constituitur: Neque enim spes aut dilectio, aut timor Dei, aut aliud quodcunque opus meritorium existere potest, nisi dependenter à Fide, cum voluntas nihil possit appetere, nisi agnitum id sit, & propositum ab intellectu, & omnis actus voluntatis supponat actum intellectus proportionatum. Vt alibi explicatur.

2. *Fides est fundamentum omnis iustificationis.*] Est omnis Patrum, ac Doctorum sententia, & traditur à Trident. loco ante citato. Ratio est, quia omnia nostræ iustitiæ opera fidei innituntur. Illa siquidem sustentat reliquas ædificij spiritualis partes, sicuti facit fundamentum domus materialis. Quo sensu rectè intelligi potest Apostolus, Heb. 11. v. 1. cum ait: Fidem esse Hypostasin, id est, substantiam siue basim ac fundamentum rerum sperandarũ; quia scilicet Spes, Charitas, Religio & cæteræ virtutes iustorum subsistere non possunt, si tollatur Fides: quemadmodũ si tollatur fundamentũ, tota domus corruat, necesse est.

3. *Fides est radix omnium virtutum supernaturalium.* Sumitur ex Tridẽt. loco citato.] Quemadmodũ radix non solum sustentat arborem, sed etiam ei succum subministrat, quo vegetetur in se & folia ac fructum ferat, ita Fides non est solum fundamentum

mortuum, vt contingit in domus fundamento, ſed viuum, inſtar radicis: Etenim non modò ſuper eam ædificatur domus ſpiritalis, verum etiam exercetur ab illa officium radicis; dum omnia illa, quæ ſperanda nobis ac diligenda ſunt proponit, & varias ac pias affectiones Timoris, Spei, Charitatis, &c. Veluti ſuccum ſuauiſſimũ in nobis excitat, ex quibus vberrimè proueniunt fructus vitæ ſpiritualis: Nam quando proponit voluntati Deum vt miſericordem, vt ſummè amabilem, vt iuſtum & ſeuerum; varij oriuntur affectus, ſpei, dilectionis, timoris, & ſimiliũ virtutum. Vnde S. Apoſtolus Iudas in ſua Epiſt. congruo nomine vocat. *Hæreticos, arbores autumnales bis mortuas, & eradicatas*; pro quo notat Vaſquez to. 2. in 2. 2. diſp. 118. c. 6. arbores in fine autumni, quando fructus & folia, ex quibus apparebat earum vita, amittũt, quodãmodo mori: mortuis enim arboribus planè ſimiles ſunt, & quamuis in radice vitam aliquam retineant; Hæc tamen non apparet, ac proinde cum nec fructũ, nec folia proferant, otioſæ & pro eo tempore inutiles ſunt, atque hæc eſt prima mors arboris; cui ſimiles ſunt peccatores fideles, in quibus fides eſt otioſa, quæ proinde ab Apoſtolo Iacobo, *mortua* dicitur, licet enim huiuſmodi ſciant, quomodo ex fide viuere iuſtum oporteat: quia vt rectè ait D. Auguſtinus:

4. *Intellectui Fides viam aperit, infidelitas claudit.*] Eſt ſententia 118. inter illas, quas ex D. Auguſt. collegit S. Proſper. Veruntamen vitam ſuam fidei conſentaneæ non inſtituunt; vnde vitæ quidẽ Chriſtianæ & iuſtificationis radicem habent: fructus autem iuſtitiæ non proferunt. Altera mors arboris eſt, quãdo eradicatur omnino, aut cum radix ipſa ſimul cũ trũco moritur, & huic ſimiles ſunt hæretici. Idcóque ab Apoſtolo ſupra vocantur non ſolùm arbores autumnales, ſed etiam bis mortuæ & eradicatæ. Eadem de

causa hæresis ac infidelitas omnis iustitiæ viam omnino claudere dicitur, vti fides eam intellectui aperit, vt constat ex dictis: Vide, si placet, Vasquez loco citato, vbi allatam similitudinem ingeniosè deducit & PP. ac DD. testimonio confirmat, & sanè per illam pulchrè vis & efficacia fidei ostenditur, ac qua ratione non fundamentum modo, sed etiam radix sit vitæ Christianæ declaratur. Quo autem sensu, Charitas & humilitas dicantur radices & fundamēta virtutum, explicatur suis locis.

5. *Fides diuina certior est, quauis scientia humana.*] Est communis sententia Doctorum & expressè habetur, & traditur à D. Thoma 2. 2. q. 4. a. 8. sub finē Corporis, vbi docet: *Fidem simpliciter esse certiorem scientia & solum incertiorem secundum quid.* Habent propositiones de Fide nobiliorem & certiorē veritatem, quā aliqua cognitio humana ab extrinseco, id est propter infallibilem auctoritatē Dei reuelantis, quæ est ratio illis assentiendi, & quam fallere vel falli impossibilius est, quam qualēcunque humanam & naturalem scientiam: non tamen habent essentialiter maiorem veritatem formalem; quia hæc consistit in indiuisibili & in omnimoda adæquatione intellectus cū re intellecta. Quod autem D. Thomas inquit; fidem *secundum quid*, posse esse minus certam, verū est tum alias ob causas, tum quia vitio atque inconstantia aliquorū accidit, vt à fide dimoueātur facilius, & minus ei adhæreant, quam scientiæ.

6. *Lumen fidei est correctiuum luminis naturalis.*] Vti Philosophia ancillatur Reginæ Theologiæ, ita lumen naturale subiacet lumini fidei supernaturali, ab eoque vtpote imperfectum in se, & in multis deficiēs sæpenumero corrigitur, etiam circa ea, quæ habētur quasi generalia axiomata philosophica, & scientiarum humanarum principia. Ita, v. g. pronunciatum illud:

Quæ

Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se, fides mysterij S. Trinitatis limitat ad res creatas. Idem contingit in pluribus aliis, maximè circa mysteria Incarnationis & Eucharistiæ. *Dices.* Ex certitudine huius principij: *quidlibet est vel nō est*, pēdet certitudo fidei, cum id virtute includatur in quacūque veritate; ergo illius certitudo maior est certitudine fidei *Resp.* Si aliquod est principium, quod necessario inuoluatur in assensu fidei in eadem materia, est etiam ipsa fide creditum; neque pendet ab illo fides, vt naturaliter cognito: vt v. c. si credo Deum esse trinum, necessariò credo etiam non esse vnicū in personis, nec esse quatuor personas; non propter principium naturale: *Quidlibet est vel non est*; sed quia ipsamet fides, quæ facit credere, affirmationem esse veram, facit etiam credere, negationem esse falsam. Porrò correctio ista luminis naturalis fit in ijs duntaxat à lumine fidei, in quibus naturale lumen deficit à verâ ratione: Nam absolutè loquendo veritas diuina & ratio naturalis non pugnant inter se, sed potius consentiunt & conspirant in eandem veritatem.

7. *Auctoritas Dei prævalet omni rationi humanæ.*] Etsi locus ab auctoritate; qui fundatur in ratione humana, infirmissimus est, vt docet Boëtius super Topica, Cicero, & alij; locus tamen ab auctoritate, quæ fundatur super reuelatione diuina, est efficacissimus: Prævalet enim auctoritas Dei omni rationi humanæ, lógè magis quā auctoritas Philosophi rationi debilis alicuius pueri, vt rectè obseruat D. Tho. 1. p. q. 1. a. 8.

8. *Fides Christiana etsi miraculis non esset approbata: honestate tamen sua recipi debuisset.*] Est hoc effatum Pij secundi Pontificis Maximi, vt refertur à Platina in eius vita. Veritas illius manifesta est. 1° Ex sanitate & integritate vniuersæ Doctrinæ Christianæ, quæ fides in Christum continetur. 2. Ex vita & moribus

Christi, qui est auctor huius doctrinæ. 3. Ex modo, quo hæc doctrina in mundum introducta est. 4. Ex consonantia eius cũ recta ratione & lumine naturali; nullam siquidem tribuit peccandi licentiã, sed multis modis hanc excludit, fauetque puritati, & sanitati vitæ, quæ ab affectu terrenorum auocat, & ad rerum cælestium contemplationem animum ratione præditum impellit. Denique ex constantia & integritate, qua tot annis integra mansit inter grauissimas Tyrãnorum persecutiones. At verò omnes gentiliũ sectæ & instabiles sunt & impuræ, & semper aliquid docẽt atque approbant, quod potest euidenter ostendi esse contra rectam rationem, de qua re fusè scripserunt. Iustinus in admonitorio ad gentes, Origenes contra Celsum, Tertullianus in Apologetico, Augustinus in lib. de Ciuitate, & alibi, & denique D. Thomas contra gentes, de quibus locum habet istud:

9. *Qui citò credit, cutò decipitur.*] Nempe si ex animi leuitate, facilè cuilibet assentiatur, & fidem habeat, ac non prius consideret, an id, quod proponitur, recta & prudenti ratione iudicari possit, esse credendũ. Vnde Ecclesiastici 19. v. 4. dicitur: *Qui citò credit, leuis est corde.* Ea de causa videmus fidei Christianæ mysteria semper à Deo & prodigiis facta fuisse credibilia, iuxta illud Marci vltimo. v. vlt. *Prædicauerunt vbiq; Domino cooperante & sermonem confirmante sequentibus signis.* Cum enim obiectum fidei, respectu nostri non sit euidenter verum vt illi tutò possimus assentiri, debet sufficienter proponi, ne temerè & periculosè ei adhæreamus. Hinc etiam illud: *Fide, sed cui vide.*

10 *Hæreseos sedimentum Dei est abnegatio.*] Quam verum sit dictum istud Clementis Alexandrini, cum omnium temporum, tum huius sæculi satis manifestãt hæretici: Non enim cum fide tantum veraque bellant religione; sed etiam complures eorum ita na-

Digitized by Google

turæ repugnant, vt ſibi exſculpi patiantur ex animo, quam illa conſignauit mentibus noſtris Dei informationem. Significat itaque præſens effatũ, procliue admodum eſſe vt hęreſis in Atheiſmum degeneret, iuxta Pſal. 13. *Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus.* Vide Becanum Theol. Scholaſt. p. 1. Tract. 1. Vbi plurimas refert atheiſmos Vorſtij Caluiniſtæ.

DISTINCTIO III.

De Spe.

1. *Spes eſt anchora vitæ Chriſtianæ.*] Ita merito appellatur iuxta mentem Apoſtoli, Heb. c. 6. v. 11. quia in tantis rerum humanarum ærumnis & confuſionibus triſtiſſimis præcipuè ſe ſuſtentare poteſt, & debet homo Chriſtianus, certa ſpe liberationis & vitæ & gloriæ ſempiternæ. Proinde Apoſtolus eam ibi vult figi, vbi ſunt vera gaudia: *Nauis anchora in terra figitur contra fluctus aquæ; anchora ſpei in Cælo & altiſſimo Deo fixa, mentem ſolidat, ne contentiatur*) inquit Magnus Gregorius homil. 17. in Ezechielem) *fluctibus tumultuum ſerrenorum.* Simili ratione.

2. *Spes eſt galea ſalutis.* Sumitur hæc appellatio ex Epiſt. 1. ad Theſſal. c. 5. v. 8.] Vbi eam nos accipere iubet Apoſtolus. Ita autem rectè nuncupatur cum ſit veræ animi quietis, & omnium vitæ humanæ ſolatiorum conſeruatrix. *Sicut enim* (inquit Chriſoſtom. homil. 9.) *Galea conſeruat id, quod eſt præcipuum eorũ, quæ ſunt in nobis; nempe caput, amplectens & vndique tegens; ita etiam ſpes non ſinit rationem concidere, ſed facit ſtare rectam & erigere ſeſe ad altiſſimum.*

3. *Spes eſt primum remedium afflicti.*] Remedium dicitur, quia reuera afflictionem ſpes lenit, & animũ iacentis erigit, iuxta illud: *Spes bona dat vires, ani-*

Digitized by Google

mum quoque spes bona firmat. Dicitur etiam remedium primum; quia non adhibentur malagmata, nisi præeunte spe curationis. Item in omni rerum afflictione, primùm animus ad Deum erigendus est, & benè de auxilio Dei sperandum. Et certè nihil ita corroborat hominẽ in afflictione, sicuti spes firma & certa, quod breui talis afflictio finienda sit, & si quidem pro Christo sustineatur, merces in cælo maneat sempiterna.

4. *Spes, quæ differtur, affligit animam.* Prou. 13. 12.] Ratio huius patet per explicationem præcedentis: Vti enim spes meliorum tristitiam alleuiat; ita si æquo longiùs differatur, aut appareat nullus recreationis effectus, priſtina roboratur afflictio.

5. *Christiani hominis spes Christus est.*] Sumitur hic spes non pro virtute ipsa aut actu illius; sed pro eo, in cuius potestate & auxilio speramus; vel etiam pro obiecto spei. Quo sensu Psal. 90. dicitur: *Quoniam tu es Domine spes mea;* In quæ verba pulchrè S. Bern. *Quidquid agendum, quidquid declinandum, quidquid tolerandum, quidquid operandum, tu es,* inquit, *Domine spes mea, hæc vna mihi promissionum causa, hæc tota ratio meæ expectationis. Prætendat alter meritum, sustinere se iactet pondus diei, & æstum, ieiunare se bis in Sabbatho dicat, postremo non esse sicut cæteros homines glorietur: mihi autem adhærere Deo bonum est, & ponere in Domino spem meam.* Serm. 9. super Psal. *Qui habitat.*

6. *In parietem caducum ne inclines.*] Monet pronũciatum spem non esse defigendam in caducis fortunæ aut rerum humanarum bonis; sed in Deo esse confidendum: *Nam Beatus vir, cuius est nomen Domini spes eius.* Psal. 39. *At maledictus homo, qui fidit in homine, & ponit carnem, brachiũ suum, & à Domino recedit cor eius.* Iere. 17. Hoc est enim inniti scipioni non arundineo modò, sed etiam cõfracto, vt inquit Isaias Propheta. Proinde huiusmodi spes non solum vana

est; sed etiam periculosa & noxia, vt sæpe monet & minatur Deus, patétque ex plurimis Veteris Testamenti historiis.

7. *Fluuij sursum fluere non possunt. 2. Meteor. c. 1.*] Sensus moralis huius dicti facit ad spem in Deo collocandam: Non enim aqua persecutionũ & aduersitatum obruere eos poterit, qui, vt ait D. Augustin⁹, *Sursum corda habent ad Dominũ.* Etenim vera & Christiana spe adiuuatur homo in omni tribulatione, defẽditur in periculis, solatium accipit in doloribus, auxilium in infirmitatibus, & sufficientiam in omni necessitate: Per hanc enim homo consequitur gratiam ad fortiter & feliciter agendum in quolibet negotio. Horum omnium certissima & euidẽtissima sacrarum Scripturarum habemus testimonia; præcipuè in Psalmis Dauidis. Vix enim vllus reperitur Psalmus, qui non exaggeret & commendet nobis hanc virtutem, eiusque fructus nobilissimos prædicet. Est enim sine dubio spes ditissimus thesaurus & summa cõsolatio, quæ ab hominibus iustis in hac vita potest obtineri.

8. *Qui spem non habet, ad rem non perueniet.*] Sumitur hoc vulgare dictum ex S. Augustino, qui de charitate loquitur in hunc modum: *Qui gaudet in spe, fenebit etiam rem: qui autem spem non habet, ad rem non poterit peruenire.* Intelligitur itaque & verum est de re per spem obtinenda, siue de spei obiecto obtinendo: Isto enim potiri non poterit, qui in desperationis barathrum voluntariè dejicitur.

9. *Nullare magis, quam desperatione desipimus.*] Ita pronunciat S. Chrysost. to. 5. contra desperationem, vbi facunde vt solet, asserit & probat desperabũdos homines agere & loqui stulta, insulsa, parumque sibi constantia, quæ, an à dementia, aut desperatione profecta sint, merito dubitari possint: vti enim corpus hoc nostrum perturbatione aliqua naturæ à suarum

temperie qualitatũ deiectum, & in graues acerbasq; morborum ægrotationes incidit, & modo caloribus nimiis æstuat, modo tremulis frigoribus impallescit: Ita prorsus animus, vbi constantiæ ac spei præsidiis obsepiri desierit, in suas ipse labitur ægrotationes, turgescit vanitate, superbia inflatur, pusillanimitate contrahitur, formidine torquetur, nec iam sui compos in turbulentum desperationis Euripum dejicitur absorbendus.

DISTINCTIO IV.

De Charitate.

1. *Charitas est Regina omnium virtutum.*] Quemadmodum Regina quapiam ciuitatem ingrediente multæ quoque aliæ Matronæ nobiles ac Virgines, necnõ & Aulici præcipui & ingens militum sequẽtium ac dependentiũ multitudo simul ingreditur; ita Regina Charitate animam subeunte nobilissimus omniũ virtutum sequitur comitatus: In ipso siquidẽ iustificationis instanti cum Charitate & cæteris virtutibus Theologicis, infundũtur omnibus iustis quatuor virtutes Cardinales cum omnibus partibus non subiectiuis modò siue speciebus; sed potestatiuis etiã & integrantibus, vt docet D. Thom. 2.2. q. 63. art. 3. Suarez l. 3. de Gratia c. 9. & alij complures. Dicitur igitur Charitas Regina virtutum tùm hac de causa; tùm verò, quia perfectione & nobilitate sua omnibus virtutibus supereminet, nõ modo in genere moris, vt patet ex Apostolo 1. ad Corint. c. 13. vbi ex professo probat, cæteras virtutes nihil prodesse sine charitate; & ad Coloss. 3. v. 14. *Super omnia autem hæc charitatẽ habete, quod est vinculum perfectionis*; sed etiam in genere naturæ. Primo enim quoad virtutes Morales obiectum Charitatis est infinita Dei bonitas, & per-

fectio; illarum autem obiectum est aliquid creatũ. Ac licet fides & spes, quæ sunt virtutes Theologicæ respiciant immediatè Deum; tamẽ circa eum versantur cum quadam restrictione; Fides quidẽ, quatenus Deus est tantum prima veritas, includens sapientiam & veracitatẽ; non autem reliquas perfectiones: Spes verò, quatenus ille est beatitudo nostra: At Charitas, quatenus infinitè in se bonus est & perfectus, includens omnes omnino perfectiones. Vide D. Tho. 2. 2. qu. 23. ar. 6. & Ægidium Regium disp. 21. de habitu Charitatis; Vbi docet ex communi Doctorum sententia, Charitatem esse perfectissimam inter omnes absolutè virtutes, & rem per se claram esse, tum ex se, tum ex ipsis Scripturis.

2. *Charitas est forma virtutum.*] Charitas siue præcisè sumatur pro solo habitu operatiuo, quo diligimus Deum; siue quatenus simul includit gratiã, quam vocant sanctificantem, meritò dicitur à Patribus & Theologis forma aliarũ virtutum, quia refert actus earum ad vltimum finem, scilicet ad Deum, vt in se summè bonum, & obiectum Charitatis, idque non tantum, per accidens, ratione intentionis illius, qui operatur, quomodo quælibet virtus in finem alterius referri potest; sed quodammodo ex natura rei, quatenus omnium virtutũ actus natura sua placẽt Deo, ac in ipsius honorem cedunt, & ita quoddam ipsius bonum sunt, ideóque operantem reddunt suo modo gratum Deo. Vnde sequitur eos tendere in finem Charitatis, qui est placere Deo. Ita S. Tho. 2. 2. q. 23. a. 8. Item, quia actus aliarum virtutum habẽt omnem vim suam ex coniunctione cum gratia & Charitate; quo sensu Apostolus 1. ad Corin. c. 13. docet cæteras virtutes sine Charitate nihil prodesse; Accipiũt enim à Charitate dignitatem quandam moralem, & esse meritorium, quæ est moralis quædam earum infor-

matio, sine qua omnia virtutum opera per se infructuosa sunt & mortua. Vnde etiam est illud:

3. *Charitas est vita animæ.*] Ita à Patribus & Theologis appellatur, tum quia animam Deo perfecta vnitione coniungit, in qua vita ipsius consistit & consequenter tam eam, quam ea, quæ in ipsa sunt, facit viuere. Efficit enim, vt opera virtutum sint meritoria vitæ æternæ, & consequenter, vt sint fructuosa & viua, sicuti è contra peccatum lethale dicitur adferre *mortem animæ* quia perdit demeritoriè charitatẽ, quæ est vita illius: tum etiam, quia fidẽ & spem aliasq; virtutes excitat ad bene ac diligẽter operandũ, & fructus vitæ proferẽdos, iuxta illud D. Greg. ho. 30. in Euãg.

4. *Amor Dei nunquam est otiosus.*] Rationem addit ibidem his verbis: *Operatur enim magna, si est; si verò operari renuit, amor non est*: Vnde etiam Apostolus pulcherrimè 1. ad Cor. c. 13. *Charitas*, inquit, *patiens est, benigna est, charitas non æmulatur*, &c. Et infra: *Omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet*. In eandem sententiam Cassiodorus super Psal. 13. *Charitas Dei*, inquit, *vitalis quædam est pluuia virtutum, sub qua & beata voluptas germinat, & operatio sancta fructificat: Patiens hæc in aduersis, temperata in prosperis, humilitate potens, afflictione latissima, inimicis benevola*, &c. Eadem de causa verũ est istud Augustꝰ.

5. *Radix omnium bonorum est Charitas.* Sermone 1. in Psalm. 90. & hom. 7. super Ioannem; & l. de Gratia Christi c. 20.] Vbi: *Quomodo*, inquit, *radix malorum omnium est cupiditas, sic radix omnium bonorum est Charitas*: Ipsa etenim omnia sustinendo aduersa & animã fortiter Deo vniẽdo, efficit, vt omnes virtutes, quæ proprium sunt hominis bonum, fortius in anima radicentur & constantius permaneãt, & hac ratione dicimur in Charitate fundari, & radicari, ad Eph. c. 5. Alia etiam ratione omnia bona in Charitate radicari

Digitized by Google

dicuntur & fundati, quia omnes virtutes ſupernaturales vnà cum Charitate animæ infunduntur, & ordinariè tollũtur excepta Fide, & Spe. Hoc igitur sẽſu Charitas rectè dicitur radix, & fundamentum, & vita omniũ virtutũ, licet alia cõſideratione reſpectu fidei habeat rationem fructus; quatenus ex fide proponẽte voluntati Deum vt amabilẽ pullulat. Vide, ſi placet, D. Thom. 2. 2. q. 4. a. 7. vbi docet Fidem ſine Charitate non habere completam rationem fundamenti. Cæterum, quomodo cupiditas radix omnium malorum ſit, explicatur diſtinct. de Auaritia.

6. *Charitas incipit à ſeipſo.*] Valet maximè hoc dictum in ijs bonis ſpiritualibus, quæ tenetur ſibi quiſpiã & proximo velle ex Charitate; quoad hæc enim ſeipſum homo magis amare tenetur, quam proximũ, & ſuã ſalutem præferre alienæ, vt expreſſè docet D. Tho. 2. 2. q. 26. a. 4. in Corp. & 44. a. 8. ad 2. Vnde Moyſes Exodi 32. v. 31. cum ait: *Aut dimitte eis hanc noxã, aut ſi non facis, dele me de libro tuo, quem ſcripſiſti*, Locutus eſt per exaggerationẽ, vt D. Auguſt. q. 147. ſuper Exod. vide Cornelium à Lapide in hunc locũ. Quod ſi comparatio fiat in bonis tẽporalibus, diſtinguendum eſt. Poteſt enim homo comparari vel cum communitate, vel cum priuata quapiã perſona: Priori modo tenetur magis diligere communitatem, quam ſeipſum; Et hoc ſenſu accipiendum eſt illud 1. ad Cor. c. 13. *Charitas non quærit quæ ſua ſunt.* Ratio eſt, quia bonum cõmune præſtãtius eſt priuato, vt docetur Titulo *de Bono*; & quia omnis pars naturaliter plus diligit totum, quam ſeipſam, vt mox explicabitur: Quod ſi verò cõparatur cum priuata perſona, tenetur quis ſeipſum præferre ex lege Charitatis cæteris paribus. In hanc ſententiam verum eſt iſtud:

7. *Arctius quid eſt vnitas quam vnio.* Sumitur ex li. 1. Rhet. c. 11.] Atqui vnuſquiſque ſibiipſi proxi-

mior & coniunctior est, quam cuilibet alteri: Secum enim quiuis est vnus: cum alio verò coniunctione quadam solummodo vnitur, iuxta illud: *Proximus ego-met mihi.* Itaque cum amare debeat alterum propter vinculum & vnionem, ex capacitate eiusdem beatitudinis; vtique tenetur seipsum præferre, siue magis amare iuxta ea, quæ dicta sunt, & iuxta illud: *Ne quidquam sapit, qui sibi non sapit.* Vnde etiam maius peccatum est seipsum occidere quàm proximũ, quia maior est obligatio conseruandi se, quam alium. Porrò effatũ non habet locum, si cõparatio instituatur cum Deo, qui est bonũ vniuersale: ille enim non ideo præcisè amãdus est, quia est cum homine cõiunctus; sed quia est summũ bonũ, & vltimus omniũ finis, in quo omnia bona particularia eminenter continentur.

8. *Omnis pars naturaliter plus diligit totum, quam seipsam.*] Est hæc naturalis inclinatio, qua vnũquodque in rebus naturalibus, quod secundum naturã hoc ipsum quod est alterius est; principalius & magis inclinatur ad id, cuius est, quam in seipsum, vt ait D. Tho. 1. p. q. 60. in ar. 5. in Corpore. Videmus enim, quod naturaliter pars se exponat ad conseruationem totius, sicuti manus exponitur ictui absque deliberatione ad conseruationẽ totius corporis: & quia ratio imitatur naturã, huiusmodi imitationem inuenimus in virtutibus politicis. Est enim virtuosi ciuis, vt se exponat mortis periculo pro totius Reipub. conseruatione; & si homo esset naturalis pars huius ciuitatis, hæc inclinatio esset ei naturalis. Atq; hac de causa Angelus & homo naturali dilectione plus diligit Deum, quã seipsum, quia scilicet Deus est vniuersale bonum omnis creaturæ & omnis creatura secũdum quid, quod est, Dei est. Item voluntas naturaliter inclinatur ad id, quod naturalis ratio dictat, Deum super omnia esse diligendum, cum sit vltimus finis, non

Digitized by

ſupernaturalis modo, ſed etiam naturalis, ad quem omnia referuntur. Vide, ſi placet, D. Thomam 1. 2. q. 19. ar. 10. in Corp. & q. 109. ar. 3. in Corp. Iuxta hanc explicationem intelligendum eſt & illud:

9. *Ciuis non tam ſui ipſius eſt, quam ciuitatis.*] Sumitur ex lib. 8. Polit. c. 1. vbi ait Philoſophus: *Ciuis vnuſquiſque non debet ſuum ſe exiſtimare, ſed ciuitatis: Nam particula Ciuitatis vnuſquiſque eſt.* Hac de cauſa verè ciuitati iniuriam facit, qui ſibi ipſi manus infert violentas. Vt docetur lib. 5. Eth. c. 11. ideóque iure punitur à ciuitate, & inſepultus relinquitur ſecundũ leges. Eſt in hanc ſententiam pulchrè illud à Seneca dictum: *Qui ſe deteriorem facit, nõ ſibi tantũmodo nocet, ſed etiam omnibus eis, quibus melior factus prodeſſe potuiſſet: ſic ſi quis bene de ſe meretur hoc ipſo aliis prodeſt, quod illis profuturum parat*, lib. de Vita Beata c. 30. Vide, ſi placet, D. Thomam 2. 2. q. 26. ar. 3. in Corp. & art. 4. ad 3.

10. *Probatio dilectionis exhibitio eſt operis.*] Eſt hoc pronunciatum S. Gregorij hom. 30. in Euãgelia, cuius veritas communi hominum comprobatur iudicio. Is ſiquidem verum amoris argumentum habere præſumitur, qui non verbis modo, ſed ipſis etiam operibus amicũ ſe exhibet. Vnde & Chriſtus Seruator noſter amorem ſui hac veluti teſſera ſignificare voluit: *Si diligitis me*, inquiens, *mandata mea ſeruate*; &: *Si quis diligit me, ſermonẽ meum ſeruabit.* Ioã. c. 14. v. 15. & 23. Et dilectus eius diſcipulus inquit: *Qui ſeruat Verbum eius, verè in eo Charitas Dei perfecta eſt.* 1. Ioan. c. 2. v. 5. Verè etenim Deum diligimus, ſi mandata eius cuſtodimus. Ita ſimiliter viri iſti diuino honori & proximorum ſaluti dicati in vero amore & charitate tùm Dei, tùm proximi omniũ teſtimonio præcellũt, qui vitam ſuam, ſolatium, ſanitatẽ & honorẽ offerũt pro ſuis amicis, id eſt, pro ſuis proximis, quos amant

in Domino; nec vllos labores præterfugiunt, vt voluntatem Dei in iuuandis proximis exequantur.

11. *Cupiditatis diminutio augmentum est Charitatis.* S. Augustl. 83. qu. 36.] Pulchrè id ostendit Cassianus similitudine pluuiæ, siue vaporis cum qua animum hominis comparat, vti enim vapores facilè in aëra asceēdunt, si pulueres & alia quælibet terrea materia grauans eam, auferatur; ita anima nostra si inordinatarum mole cupiditatum liberetur, facilè ad diuinum amorem erigitur; quóque magis amor proprius & cupiditas inordinata minuitur, eo fortius amor Dei, siue Charitas augetur. In hanc sententiā S. Gregorius loco proximè citato: *Verè*, inquit, *Deum diligimus, si nos à nostris voluptatibus coarctamus. At verò, qui adhuc per illicita desideria diffluit, profectò Deum non amat; quia ei in sua voluntate contradicit.*

12. *Amor est virtus vnitiua.* D. Dionysius de Diuinis nominibus c. 4. p. 2. sub finem.] Ratio est, quia amantem cum re amata, vel affectu, vel etiam effectu cōiungit, eo modo, quo potest perfectissime, vt pluribus explicabitur Tit. *de Pass. in Specie*, dist. 1. Ex hoc principio Theologi deducunt, Deum per Incarnationem Dominicam, maximum amorem suum, erga humanum genus ostendisse; sicuti per eam sese maximè homini vniuit, vt notat Suarez tomo 1. in 3. p. disp. 3. s. 3. Ex eodem infertur, Deum peculiari modo, esse in animis iustorum: quia non solum ab ijs diligitur; sed etiam maximè eos diligit. Hinc etiam viri perfecti, & diuino amore præ cæteris, ardentiore præditi, dicuntur in exercitio virtutum ambulare viā, quam vocant vnitiuam; quia scilicet per charitatem arctius sunt cum Deo coniuncti & vniti; iuxta illud 1. ad Corinth. c. 6. v. 17. *Qui adhæret Domino, vnus spiritus est cum eo.*

Digitized by Google

DISTINCTIO V.

De Odio & Inuidia, Charitati oppositis.

1. *Inuidia est odium alienæ felicitatis.*] Idque vel respectu superiorum, quia ijs non æquatur inuidus; vel respectu inferiorum, ne sibi æquentur, vel etiam respectu parium, quia sibi æquantur. Sic Cain inuidit Abelis prosperitati, Rachel, Liæ fœcunditati. Saiil Dauidis felicitati. Traditur à D. Augustino l. 11. de Genesi ad litteram, c. 4. vbi addit, eam oriri è superbia: cum enim superbia sit amor excellentiæ propriæ; Inuidia verò sit odium felicitatis alienæ, vnde nascatur hæc, satis, inquit in promptu est.

2. *Æmulatio bona est bonorum, inuidia mala est malorum.*] Triplex de bonis alienis, in nobis generari potest tristitia: prima est æmulatio, cum tristamur de bonis proximi, quia ijs caremus. Nam vt recte docet Aristoteles, lib. 2. Rhet. ex quo desumpta est allata propositio; æmulatio est molestia quædam suscepta ex eo, quod in ijs, qui natura similes sunt, honorata inesse bona videntur, quæ & ipsi consequi possunt; non quod alij, sed quod & ipsi non potiantur, & hæc affectio in se bona est. Secunda est Nemesis siue indignatio, quando tristamur de bonis alterius, quia ijs ipse est indignus, & hæc similiter potest esse honesta. Tertia est inuidia, quando affligimur de bonis proximi, eò quod illius excellentia nostram quasi deprimat aut obscuret, & hæc in se mala est, opponiturque charitati, cuius est gaudere de bonis proximi.

3. *Bonus nulla tangitur inuidia.*] Traditur à Platone in Thymæo sub initium, vbi ostendere volens mundum à Deo cõditum esse ad declarandam bonitatem

suam: *Dicamus*, inquit, *quam ob causam ille rerū Auctor generationem & hoc vniuersum constituit: Bonus erat, bonus autem nunquam aliquā de re inuidia tangitur; ergò cum liuor à Deo alienissimus esset, omnia sibi quantum fieri poterat, simillima fieri voluit.* Ita Plato, indeque colligit, Deum omnia fecisse *Bona* consentaneè illis, quæ Moyses tradidit c. 1. Gen. Communicasse item omnibus creaturis bonitatē suam, easque sibi simillimas, quantum ferret earum conditio, reddidisse, ideoque vt infert D. Dionysius Areopagita hominem quem quasi quoddam sui simulacrum finxerat, consilij, libertatisque compotem diuinæ quoque visionis ac felicitatis æternæ participē reddere voluisse. In eandem sententiam Philo, lib. de Mundi opifice. *Si quis*, ait, *vellet causam huius vniuersalis opificij perscrutari, nō aberraret, opinor à scopo; si diceret, quod quidem priscus Sapiens. Bonum esse Patrem & conditorem, ideoque suapte naturæ bonitate non inuidisse substantiæ nihil bonum ex se ipsa habenti.*

4. *Inuidia est vitium diabolicum.*] Nimirum per antonomasiam; quia solus diabolus illius reus; & inexpiabiliter ac signāter reus; vt docet D. Augustin. l. 1. de Doct. Christiana, vbi addit: *Non enim diabolo dicitur, adulterium commisisti, furtum fecisti, villam alienam rapuisti; sed homini stanti inuidisti.* Siquidem: *Inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarum, Imitantur autem illam, qui sunt ex parte illius.* Sap. 2.

5. *Inuidentia est peccatum iustissimum.* Ita communiter dicitur, quia in suum auctorem reciprocum est, eumque iustissimè cruciat & perimit, vt pulchrè docet S. Prosper lib. 3. de vitiis & virtutibus. Vnde illud vulgare. *Inuidia alterius macrescit rebus opimis.* Ita quidem, vt quantò vberius crescit virtus alterius, & virtuti annexa felicitas, tanto fortius inualescat malitia inuidiæ, & inuidum torquens, misera ciuf-

Digitized by Google

dem, rapidaque crudelitas. Veriſſimè Chryſologus: *Quot ſunt proſperitates hominum, tot tormenta ſunt inuidorum.* Sermone 121.

6. *Excellentiæ nimiæ ſunt odioſæ.* 4. Ethic. c. 7.] Patet experientia: ægerrimè enim homines ferunt, alios ſibi nimiũ anteire, præſertim ſi æquales aliquãdo fuerint, aut familiares, vt notat Dionyſius Halicarnaſſæus l. 47. Vnde rectè Tullius in Lælio contentionem ac certamen honoris ac gloriæ peſtẽ vocat amicitiæ, ex qua maximæ ſæpè etiam inter amiciſſimos extiterint inimicitiæ; & ratio eſt, quia: *honoris cupidus ſolus habere vult, & illo cæteros anteire.* lib. 2. Mag. Moral. c. 7. ſolus inter alios præeminentiam deſiderat, & conſortis impatiens, cæterorum depreſſionem quærit; atque hoc propriè repugnat Charitatis legibus & amicitiæ, quæ aut parem facit aut accipit.

7. *Iactantia comes eſt inuidiæ.*] Patet & hoc experientia; qui enim inſolentius iactitant vel fortunæ munera, vel corporis aut animi dotes, aliorum ſibi inuidiam conciliant, & grauibus ſeſe periculis exponũt; fit enim perſæpè vt Nemeſis exaudiat, & iactãtiæ materiam auferat. Itaque qui ſibi conſultum velint, poſſideant taciti, ſi quæ adſunt munera Diuſim.

8. *Inuidus eſt vicinorũ oculus.*] Deſumitur ex lib. 2. Rhet. vbi docet Philoſophus, inter vicina & cognata, interque eiuſdem conditionis homines facilè oriri æmulationem, & inuidiam, & frequenter non bene conuenire inter eos, qui in eiuſdem, aut ſimilis officij ſunt adminiſtratione; ob lucrum, ſcilicet aut honorem, aut gloriam, quibus certatim inhiãt: Eodem non malè alludit Ouidius hoc diſtichto.

Fertilior ſeges eſt alieno ſemper in agro
Vicinumque pecus grandius vber habet.

Significat Poëta humanis ingeniis vitium illud eſſe

insitum, vt ex inuidiæ stimulis alienam sortem magis mirentur, suam contemnant, & fastidiant.

9. *Magnanimi est non sentire morsus inuidiæ.* Sumitur ex lib. 4. Eth. c. 3.] Ita generosiores feræ ad canum latratum lente respiciunt, ac plurimũ ne aspectu quidem dignãtur. Sic etiam viribus ingenti scopulo fluctus assultat sibi iniurius, dum integer assilit, fractus reijcitur, iraſque sui bibit ipse furoris, quod proprium est omnium inuidorum.

DISTINCTIO VI.

De Pace & Concordia, ac vitijs oppositis.

1. *Concordia res parvæ crescunt, discordia maximæ dilabuntur.*] Scitum istud aureo digniſſimum calculo ex occasu Romani Imperij suum ortum habuit, ex quo eius etiã veritas manifesto apparet. Laudantur Romani cõcordiæ mutuæ & vnionis nomine lib. 1. Macha. c. 8. v. 16. his verbis. *Committunt vni homini magistratum suum per singulos annos, & omnes obediunt vni, & non est inuidia, neque zelus inter illos.* Et sanè quamdiu ita coniuncti inuicẽ ac vniti fuêre, mundi totius imperium obtinuerunt & inimicis omnibus prævaluerunt. At vero postquam ciuili inter se concertare bello cœperunt, tota vis illa protinus dilapsa est, iuxta illud:

3. *Omne regnum in seipsum diuisum desolabitur.*] Est hoc diuinum Seruatoris nostri Christi elogium Luc. 11. v. 18. Pronunciatum, cui conformiter Plato docet, nihil afferri posse Reipublicæ periculosius, quam discordiam & dissensionem, nihil è contra dari vtilius, quam mutuam ciuium inter se pacem, & cõsensionem, recte siquidem à Liuio dictum est:

3. *Vires imperij in consensu obedientium sunt.* lib. 3. Decade. 1.] Qua de causa omnes congregationes & Respub. licet cæteroqui barbaræ, aliqua semper vnione

vnione & ordine inuicem colligantur, vt nimirum ab vno omnes capite, aut multis Rempublicam & regimen repræsentantibus dependeant. Hoc etiam in ipsis animalibus cernere est; nec solum in apibus (in ijs, quippe naturalis instinctus, quem ad regimen politicum habent in primis est admirabilis) verum etiam in lupis, leonibus & aliis feris. Cum enim speciei quæque suæ conseruationem quærant, aliqua semper inter se vnione connectuntur, imò ipsos quoque dæmones & si spiritus sint dissensionis & zizaniorum, vel ipso Christo teste minimè credendum est, hac ipsa de causa ab inuicem dissentire. Vide, si placet, Venerabilem Bedam, lib. 4. cap. 14. in c. 11. Lucæ sub initium. Vide etiam, quæ dicuntur ad illud: *Virtus vnita fortior seipsa dispersa.* Tit. seq. d. 3.

4. *Discordiæ Magnatum cito sunt dissoluendæ.* lib. 5. Polit. c. 4.] Rationem assignat ibidem; quia nisi mox componantur, dissensiones eorum, qui auctoritate plurimum in Republica valent, totam Rempublicam sensim in partes trahunt. Monet sententia generatim, omnes offensas protinus esse sarciendas, ne in simultatem & odium degenerent, quoniam malorum initiis facilius obsistitur, quam incrementis, vt alibi explicatum est.

5. *Vbi est multitudo, ibi confusio.*] Intelligitur & verum est, quando multitudo ordine & vnione caret, vt in exercitu malè dispositio, & tumultuario: nam si ordinata ea sit & vnita, quædam potius hierarchiæ est species. Valet hoc pronunciatum in eos, qui in disputationibus sine ordine, sine methodo, sine connexione, quasi concionabundi multa effutiunt, quod est familiare prædicantibus hæreticis, quos verbi ministros vocant: Tales autem quàm maximè coërcendi sunt intra limites certæ materiæ, ne ex vna in aliam dilabantur, & restringendi ad formam

syllogisticam, vt argumenti vis appareat. Vide, si placet, Becani Manuale prælud. 1. n. 6.

6. *Bellum geritur, vt in pace viuatur.* Sumitur ex lib. 10. c. 7.] Vbi Philosophus: *Negotia suscipimus*, inquit, *vt otium habeamus, & bellum gerimus, vt in pace degamus*, & infra: *Nemo namque bellum expetit gerere gerendi causa belli, neque bellum ob bellum parat: videbitur enim crudelis quidē & sanguinolentus*; id est, sanguinis humani sitiens, *penitus esse, si faciat omnes amicos hostes, vt pugnæ, cædesque fiant.* Indicatur itaque hoc dicto finalis causa belli, quę est pax, omnibus ex sese amabilis & expetibilis. Morale, iam olim à condito mundo plurima vbique terrarum, & omnibus penè seculis bella gesta sunt, quæ singula pacem sibi pro fine præfixam habuerunt, & nihilominus nunquam hactenus inter mortales pax firma & vniuersalis stabiliri potuit: Nulla igitur salus vera in hoc mundo, pacem cælestis Patriæ certam & immutabilem te poscimus omnes!

TITVLVS XXXIV.

DE POTENTIA GENERATIM.

DISTINCTIO PRIMA.

Varia Potentiæ acceptio.

1. POTENTIA generatim sumitur dupliciter, Transcendentaliter & Prædicamentaliter.

2°. Potentia transcendentaliter accepta, dicitur de qualibet potentiâ; siue illa purè obiectiua sit, siue realis; siue actiua, siue passiua; siue substantialis siue accidentalis. Quidquid enim est princi-

pium agendi aut patiendi, id generali hac ratione potentia vocatur. Atque hoc sensu 9. Metaph. c. 5. etiam habitus; vt virtutes & artes, quæ sunt qualitates primæ speciei, inter potentias numerantur. Item qualitates tertiæ speciei, quæ sunt proxima principia agendi; vt calor & frigus, sub hac transcendentali acceptione Potentiæ comprehenduntur.

3° Potentia prædicamentaliter & precisè sumpta, est secunda species Qualitatis; ad quam pertinent omnes rerum proprietates & facultates. Hæc diuiditur ab Aristotele l. 5. Metaph. c. 12. in Actiuam & Passiuam. Vtriusque variæ subdiuisiones sunt, vt patebit ex sequentibus.

DISTINCTIO II.

De Potentiâ secundum se.

1. *OMnis potentia fundatur in aliquâ essentiâ.* l. 1. Phys. t. com. 70.] Intelligitur & verum est, de omni omninò potentiâ, cum proportione ad suam essentiam: principaliter autem & propriè locum habet in potentiâ naturali; quę est secunda species Qualitatis: hęc enim, sicuti à rei essentiâ naturaliter dimanat, ab eâque à parte rei distinguitur; ita in eâdem ex suâ naturâ radicaliter fundatur. Vnde

2. *Qualis est essentia rei, talis & potentia.*] Nempe cum proportione inter substantiam siue essentiam rei, & facultatem seu potentiam accidentalem, vt si illa, v. c. inter alias substantias eximia sit; hæc quoque inter potentias ceteris paribus, excellens erit. Si illa purè spiritualis sit; hęc quoque purè ab illâ dependens spiritualis erit. Si illa materialis; hæc

ſpiritualis eſſe non poterit; ſed eſſentiæ ſuę in ſimili entis gradu erit proportionata. Item,

3. *Qualis eſt potentia rei, talis etiam eſt actus.*] Verum eſt eodem ſenſu, quo effatum præcedens. Vt quia potentia intellectiua ex ſuâ naturâ perfectior eſt, quàm ſit ſenſitiua, & hæc dignitate ſuperat vegetatiuam; etiam actus intellectionis ſenſatione, & ſenſatio vegetatione quoad entis nobilitatem præſtat. Hinc eſt, quod, vt aiunt Philoſophi, ex opere potentiam, & ex potentia intelligamus rei eſſentiam. Quale enim eſt eſſe rei, tale proportionaliter eſt & poſſe & operari, & è conuerſo, vt alibi pluribus eſt explicatum. Porrò virtutis productiuæ, aut potentiæ cuiuſuis perfectio vel intenſio non ſemper metienda eſt ex terminis aut effectis; ſed ex propria entitate & operandi modis. Sæpe enim cauſa in eſſendo perfectior, effectum habet in cauſando imperfectiorem, vt Angelus, v. c. non producit effectum tam nobilem, quàm homo generãs hominem; qui terminus dignitate ſuperat omnes effectus, ad quos in naturali potentiâ eſt Angelus.

4. *Quidquid non eſt aptum eſſe ſine alio, non eſt aptum operari ſine alio.*] Ratio eſt; quia, *ſicuti ſe res habet ad eſſe, ita ad operari*, vt dictum eſt ſuo loco: Ergo ſi non poteſt eſſe, niſi dependenter ab alio, etiam per ſe nihil agere poterit, niſi dependenter ab alio. Sic creatura, quemadmodum exiſtere nequit independenter à conſeruatione Dei Creatoris; ita neque operari quicquam valet, niſi concurrente Deo.

5. *Ab eodem res habet eſſe & operari.*] Nempe hoc operari, ſeu hanc potentiam operandi, quæ pendet ex illo eſſe, ſeu quam connaturaliter poſtulat ex vi illius eſſe, iuxta illud: *Qui dat formam, dat conſequentia ad formam*; de quo vide, ſi placet, quæ dixi-

mus Titulo 10. distinct. 6. Eodem sensu intelligi potest illud: *A quo res habet esse, ab eodem habet magis & minus esse.* l. 2. Top. c. vltimo. Manendo scilicet in eodem genere formaliter, vt sicuti à quantitate est, esse extensum, sic ab eâdem est, magis aut minus esse extensum. Dixi ita posse intelligi; quia secùndum alias considerationes non semper locum obtinet, vt consideranti perspicuum fiet.

6. *Finitarum rerum finitæ sunt vires, infinitarum infinitæ.*] Refertur à Themistio in 5. Physic. t. 82. & sumitur ex li. 1. de Cælo c. 7. t. 71. vbi inquit Philosophus: *Vires infinitæ sunt infiniti, & finiti finitæ.* Item, *Finitorum nihil habet virtutem infinitam, nec infinitorum finitam.* Ratio est; quia omne Ens habet virtutem sibi commensuratam & proportionatam, vt docetur in 6. Physicorum, & clarum est ex dictis: Finiti verò ad infinitum nulla est proportio, vt explicabitur Titulo *de Relatione.* Sic Potentia diuina est infinitæ perfectionis in genere Entis; sicuti ipsum esse Dei: tum quia conuenit illi modus operandi sine dependentiâ ab alio; qui modus nulli creaturæ competere potest; cum requirat perfectionem simpliciter infinitam: tum etiam quia eminenter includit omnia possibilia, & in latitudine suorũ obiectorum nullum habet terminum. Potest enim Deus, quidquid secundum se est possibile, siue quidquid in se non implicat contradictionem, iuxta illud Gen. 17. v. 1. *Ego Deus omnipotens.* At verò:

7. *Omnis creatura sicut essentiam, ita potentiam finitam habet.* Sumitur ex eodem textu.] Ratio perspicua est ex dictis; quia illa sibi commensurata sunt: quale enim est esse rei, tale & posse & operari. Lege, si placet, Suarez Tract. 1. in 1. p. l. 3. cap. 9. num. 3. Hinc Aristoteles l. 1. de Cælo c. 11. docet, *Potentias naturales definiri maximo, quod possunt,*

id eſt certum ac definitum habere terminum vltra quem progredi nequeant, eóque termino perfectionem eorum æſtimari, iuxta illud:

8. *Potentia rerum explicatur per maximum quod ſic.* l. 1. de Cælo c. 11.] Vt ſi Petrus ferre poſſit 300 libras, potentia illius non debet, nec poteſt explicari aut definiri per libras 200. cum poſſit portare plures; ſed ſemper explicanda & definienda eſt, per ſummum quod poteſt. Simili modo:

9. *Impotentia rei explicatur per minimum, quod non.* Ibidem.] Vt ſi Petrus tantum 10 libras queat portare, dicemus eum non poſſe portare vndecim. Objicit ſibi Ariſtoteles, contra dictum præcedens: Potentiam videndi explicamus per minimum; quia illum dicimus perſpicaciſſimum viſum, qui poteſt rem minimam videre, vt muſcam in faſtigio turris: Ergo potentia non explicatur per *maximum quod ſic*. Reſpondet idem; maximum, quo potentia terminatur & explicatur, illud dici, quod eſt excellentiſſimum reſpectu potentiæ, ſiue in ſe ſit mole maximum, ſiue non, minimum verò in Quantitate, reſpectu potentiæ viſiuæ eſt excellentiſſimum, ideoque maximum: illa enim eſt maxima ſeu perſpicaciſſima potentia videndi, quæ poteſt, cęteris paribus, videre rem minimam. Simili ratione proportionaliter diſcurrendum eſt de *Minimo Quod non*. Iuxta hunc ſenſum vera quoque eſt explicatio illius:

10 *Vbi datur maior & minor diſtantia, datur & maxima.* l. 1. Metaph. c. 6.] Rationem huius aſſignat D. Thomas in Commentario; quia non datur proceſſus in infinitum. Idem ſupponit Ariſtoteles hoc loco, & ideo non probat huius Propoſitionis illationem; ſed tanquam certum ſumit, ſicuti datur in Qualitatibus, v. c. maior & minor diſtantia, vt virtutis vt 2. & vt 4. ita etiam dari maximam, vt vir-

Digitized by Go

cutis vt 8, & minimam vt 1. Itaque ſecluſo proceſſu in infinitum, qui ſolum datur in rebus poſſibilibus, de quibus non eſt ſermo; aut in diuiſione continui; vel aliquâ propottione, quæ inde reſultat; optima eſt illatio, & abſolutè verum pronunciatum.

11. *Non omnia poſſumus omnes.*] Veriſſimè id dictum eſſe non modo de rebus diuerſarum ſpecierum; ſed etiam de indiuiduis vnius alicuius ſpeciei, vt humanæ, v. c. ad ſe inuicem collatis perſpicuum fit, tum ex conſideratione corporis ipſius, tum ex conſideratione animæ. *Ex corporalibus conſideremus ſpiritualia,* (inquit S. Hieron. l. 1. aduerſus Pelag.) *alius velox eſt pedibus; ſed non fortis manu. Ille tardus inceſſu; ſed fortis in prælio eſt. Hic pulchram habet faciem; ſed tardæ vocis eſt: alius tetram, ſed dulci modulatione cantat. Illum ingenioſum, ſed obliuioſum: hunc memorem, ſed tardi videmus ingenij.* Eandem naturæ ac vitium diſſimilitudinem, idem S. Doctor ſæpius probat in Declamationibus, & in S. Scripturæ commentarijs. In eandem ſententiam Saluianus l. 7. de Prouident., non tam de ſingulis hominibus, quàm de plenis nationibus loquens: *Omnes,* ait, *gentes habent ſicut peculiaria mala, ita etiam quædam bona.* Idque inductione probat referens nationem quãdam perfidam eſſe; ſed pudicam: aliam impudicam; ſed minus perfidam: populos quoſdam mendaces; ſed hoſpitales: alios crudelitate efferatos; ſed caſtitate venerandos. Vide, ſi placet, quę diximus ſupra, ad illud Axioma: *Homo naturaliter eſt animal politicum.* Titulo *de Subſtantiâ*, Diſtinct. 7.

DISTINCTIO III.

De eadem magis in particulari.

1. *Virtus vnita fortior seipsâ dispersâ.*] Sumitur ex l. 1. Metaph. c. 12. & refertur à Themistio in l. 6. Physic. t. 37. & à D. Thomâ in l. 8. Physic. lec. 2. t. 79. Nomine virtutis intelligitur hoc loco vis seu potentia agendi, siue naturalis & congenita, siue etiam acquisita : Hæc enim si vnita sit, & astricta siue colligata, fortior est seipsâ, aut aliâ simili dispersâ, vel dissolutâ. Sic intenditur calor in balneis, puteis, fontibus, ventriculis per hyemem. Item in ferro candenti, prunis, calce viuâ, si aquâ aspergantur : Nam frigus hybernum constringit terram; vnde exhalationes calidæ non possunt exspirare; sed repressæ in sinu terræ vniuntur, & terram, ac aquas, quibus se facilè insinuant, propter subtilitatem, adeo calefaciunt, vt quasi subiectis ignibus fument & euaporent. Item frigus hyeme constringit cutem & poros animalis; quibus clausis, spiritus calidi continentur in animali; quo fit, vt animal indigeat copiosiore alimẽto. Simili de causa candens ferrũ & prunæ inardescunt; quia aspersione aquæ, subtiliores & acriores partes ignis constipãtur & prohibẽtur egredi, quæ cõprellæ & introactæ in ferrum & carbones, vim suam, vtpote vnitã, exerunt vehementiùs. Sic & virtus vegetatiua in vitibus, putatione palmitum luxuriantium collecta fortior euadit & vberiorem fert fructum. Idem patet in qualibet ordinatâ collectione rerum, vt exercitu, ciuium vnitate, &c. iuxta illud : *Concordiâ res parvæ crescunt discordia magnæ dilabuntur.* Vide, si placet,

Digitized by

explicationem illius: *Omne Ens naturaliter se corrumpentibus resistit.* Titulo 2. dist. 3. Et istius: *Parvi corpore acuti sunt mente.* Tit. 21. dist. 7. Ex hoc pronunciato deducunt Theologi, multorum hominum preces simul per modum vnius Deo oblatas, magis efficaces esse, ceteris paribus; quam si omnes essent separatim oblatæ, ideoque Ecclesiam in necessitatibus curare, vt multi simul ad orandum conueniant. Vide, si placet, Ægidium de Coninck, q. 83. a. 1. dub. 10. de Sacramentis.

2. *Quidquid potest virtus inferior potest & superior.*] Ex Boëtio refertur ab Alberto M. in l. 2. de animâ, trac. 1. c. 4. Intelligitur autem & verum est de virtute seu facultate superiore, quæ eiusdem generis & ordinis cum inferiore, vel formaliter, vel eminenter, eodem sensu, quo explicatum supra Titulo *de Quantitate*, distin. vltimâ in paraphrasi illius: *Quisquis potest id, quod maius est, potest etiam, quod est minus.* Porro in potentiis ordinatis, quidquid præstat inferior, efficere etiam & præstare potest superior; sed nobiliore modo; & sine imperfectione, cum quâ operatur inferior. Quo modo intellectus, v. c. cognoscit obiecta sensibilia eminentiori modo, quam sensus: hic enim percipit materialiter & concretè: ille verò immaterialiter & abstractè, vt notat D Thomas 1. p. q. 66. a. 1. ad 4.

3. *Potentia libera positis omnibus ad agendum requisitis potest agere & non agere.*] Sumi Pronuntiatum hoc ex l. 9. Metap. c. 5. ostendimus supra. Titulo *de Causa efficiente*, Distin. 12. nunc breuem illius & perspicuam explicationem subnectimus. Itaque sensus est; Potentia libera habens completè omnia necessaria ad productionem suæ actionis, potest illam producere & nõ producere, pro libitu. Dicitur autem potentia habere omnia ad agendum requisita,

si habeat intrinseca necessaria ad operationem; item concursum Dei in actu primo præparatum: id est, si Deus paratus sit cum illâ concurrere; ac denique si obiectum proportionatum sit, & debitè approximatum; nec aliunde vllum interueniat obstaculum. Hoc sensu verum etiam est illud:

4. *Potentiæ rationales habent se ad opposita.* Sumitur ex l. 9. Metap. cap. 2. t. 3.] Vbi Philosophus de variis potentiarum generibus agens, docet eas, quæ cum ratione sunt, valere in opposita, siue *esse contrariorum*, vt alij legunt: habent autem se ad opposita respectu eorum, quæ sub conuenienti ipsorum obiecto continentur, & ad quæ non naturaliter siue necessariò inclinantur vt ex professo docetur in materiâ de libero arbitrio. Rationem assignat ibidem; quia, vt inquit, *Ratio eadem manifestat rem & priuationem eius.* Ceterum opposita accipi possunt, vel priuatiuè, vel positiuè, seu contrariè, quæ respondent duobus modis seu partibus Libertatis; nimirum quoad exercitium, & quoad specificationem: priori modo clarum est, solam potentiam liberam vt sic, posse in opposita, per se loquendo, id est, positis omnibus ad agendum requisitis posse agere & non agere, amare & non amare &c. atque hæc *Libertas Contradictionis* vocatur. Posteriore modo contrarietas propriè est inter effectus positiuos. Et hoc etiam modo potentia rationalis producere potest effectus contrarios, siue eliciendo, vt amando v.c. vel odio habendo; siue imperando, aut exequendo: & hæc dicitur, *libertas contrarietatis.* Sic medicus (quod est exemplum Aristotelis) potest eâdem medicinę arte vel sanare ægrum vel interficere, vni applicare medium salubre, alteri nociuum, &c. Quare potentia rationalis hoc loco non solum intelligitur intellectus & voluntas; sed omnis etiam

Digitized by Google

illa, quæ consequitur gradum intellectualem, vt sic; siue elicitiuè rationalis sit, siue imperatiuè & executiuè, cum subordinatione ad priorem potentiam; quo sensu Aristoteles l. 1. Ethic. c. 12. appetitum sensitiuum hominis vocat rationalem per participationem. Vide, si placet, Suarez l. 9. Metaph. c. 2. in indice copioso. Becanum de libero arbitrio c. 2. q. 3. & alios.

5. *Potentia naturalis positis omnibus ad agendum requisitis, agit necessariò.* l. 9. Metap. c. 5.] Sumitur hoc loco naturale prout opponitur libero, & idem valet, quod necessarium. Ratio pronunciati est; quia in hoc contra distinguitur potentia libera à naturali; quod illa positis omnibus ad agendum requisitis, pro suo placito possit agere & non agere, siue maneat indifferens; hæc verò necessitetur ad operationem. Nisi videlicet aliunde interueniat impedimentum: per hoc enim tolluntur prærequisita. Vide, si placet, D. Thomam in l. 9. Metaph. lect. 4. t. 10. secundum hunc sensum intelligendum est etiam illud:

6. *Potentiæ irrationales determinatæ sunt ad vnum.*] Siue vt loquitur Aristoteles l. 9. Metap. c. 2. textu citato: *Irrationales potentiæ sunt vna vnius; vt calidum ipsius calefaciendi solius.* Differunt itaque potentia libera & necessaria; item rationalis & irrationalis, non solum, quod hæc sit determinata ad vnum: Illa verò contraria possit efficere; sed etiam, quod illa positis omnibus ad agendum requisitis, operari possit & non operari, & ideo per se possit in opposita: hæc verò, si omnia adsint, tantum possit operari: sin autem non adsint, tantum possit non operari: Et ideo solum per accidens dicitur posse huiusmodi opposita. Quam differentiam docuit Aristoteles lib. 9. Metaph. c. 9. in hæc verba: *Poten-*

sit omnes contradictionis sunt, quæcunque secundum rationem per se & suâ virtute possunt agere & non agere: Irrationales verò, eoipso, quod adsunt, vel absunt contradictionis erunt eadem: id est, solum quia possunt esse & non esse applicatæ, possunt interdum agere & non agere. Vt rectè notauit Suarez in eum locum. Vide, si placet, quæ diximus supra, *de Causâ liberâ & necessariâ.*

7. *Omni potentiæ actiuæ naturali respondet passiua proportionata.* Sumitur ex l. 3. de Animâ t. 17. sub initium capitis 5.] Ratio est; quia nulla potentia creata est actiua, nisi ex præsupposito subiecto; cum non possit agere ex nihilo, iuxta illud: *Ex nihilo nihil fit*, Titulo *de Causâ Efficiente*, distinct. 5. Omnis autem potentia naturalis creata est; prout hic naturale sumitur: Ergo necesse est, vt simili modo potentiæ illi correspondeat in rebus creatis aliqua potentia receptiua actus & effectus; alioqui talis potentia actiua superflua esset, & otiosa in rerum naturâ: Atqui, *Natura nihil patitur otiosum*, vt explicatum est Titulo *de Naturâ*, distinct. 5. & Titulo *de Causa Finali*, Distinct. 5. Eâdem ratione conuincitur, quod:

8. *Omni potentiæ passiuæ respondet actiua proportionata.* Sumitur ex eodem textu 17.] Alioquin enim talis potentia esset frustra & superflua in rerum naturâ, si nullum daretur agens, per quod reduci posset in actum. Ponitur autem hoc pronunciatum de potentiâ passiuâ, absolutè & simpliciter: superius verò de potentiâ actiuâ restringitur ad naturalem; quia supernaturali potentiæ Dei, v. c. actiuæ non respondet alia passiua, quæ sit adæquatum susceptiuum actionis illius; quia Deus potest agere extra omnem potentiam passiuam ex nihilo potest producere, si tamen minus propriè sumatur potentia passiua, dici poterit omni omninò potentiæ

Digitized by Google

ſiue naturali, ſiue ſupernaturali actiuæ reſpondere aliquam paſſiuam; vt potentiæ creatrici Dei paſſiuam logicam, ſiue non repugnantiam eſſendi potentiæ eiuſdem actiuæ ſupernaturali, ad producendos in ſubiecto effectus quoſdam naturæ ordinem ſuperantes, v. c. gratiam in animâ rationali, paſſiuam itidem obedientialem ad eoſdem effectus recipiendos. Quo modo potentiæ diuinæ operanti naturaliter: ſiue ad modum agentium naturalium reſpondet in rebus creatis potentiæ paſſiua naturalis. Vide, ſi placet, Becanum Tractatu de Beatitudine, cap. 1. q. 10. nu. 4. & 5.

DISTINCTIO IV.

De Potentia in ordine ad Actum.

1. *Frustra eſt potentia, quæ non reducitur ad Actum.* Sumitur ex lib. 3. de Animâ t. 45. & refertur à Simplicio in lib. 3. Phyſ. t. 11. & t. 37.] Ratio pronunciati eſt; quia Actus eſt finis Potentiæ phyſicæ & realis, ac perfectio illius ſaltem extrinſeca, vt conſtat ex dictis. Vnde Potentia, quæ nullo modo, & nunquam redigitur, aut reduci poteſt ad ſuum actum, dicitur eſſe fruſtra; quoniam caret, & fruſtratur fine ſuo, ad quem à Naturâ eſt ordinata. Dixi primo, *quæ nullo modo redigitur*; quia, licet diuiſibilitas continui, v. c. in infinitum, non actuetur, quoad omnes partes collectiuè; etſi etiam intellectus humanus (qui eſt potentiâ omnia, vt explicabitur infra) non omnia in hac vitâ intelligat: Neque hic tamen, neque illa cenſetur eſſe fruſtra. Nam & diuiſibilitas Quantitatis actuari poteſt ſecundum ſingulas partes disjunctiuè, & intellectûs noſtri

potentia actuatur ex præcipuâ parte in singulis individuis humanæ speciei, in aliis quidem magis ; in aliis verò minus, idque vel in hac, vel in alterâ vitâ, vt dicetur, Titulo *de Potentiâ intellectiua*, Distinct. 1. Dixi secundo, *quæ nunquam potuit* : satis enim est, si aliquando habuerit suum actum, tametsi in posterum eo semper caritura sit. Dixi tertio. *actum suum;* siue eum, ad quem à naturâ Potentia ordinatur; quoniam loquimur, & intelligendum est axioma non de qualicumque actu secundario ; sed de illo, quem Potentia principaliter intendit, & respicit tanquam finem suum; vt clarè significat Aristoteles hoc dicto:

2. *Frustra dicimus calceamentum, cuius non est calceatio.* lib. 1. de Cælo t. 32.] Atque hinc perspicuum fit, Potentiam Dei non dicendum fuisse frustra, etiamsi nihil fecisset, aut productura vnquam fuisset ad extra ; quia hęc non ordinatur ad effectus, vel actus huiusmodi tanquam ad finem & perfectionem suam; sed in se est absolutè & infinitè perfecta, vt docent Theologi. Itaque propositum axioma verum est de Potentiâ creatâ, quæ realiter refertur ad suos actus : Falsum de increatâ, siue diuinâ, quæ non refertur realiter, nec dependet ab actibus. Vt rectè notauit Iulius Scaliger Exercit. 220. in Cardanum, vbi inquit :

3. *Potentia Dei suiipsius est, non actuum.*] Ratio manifesta est ex dictis ; quia nimirum gloriosi Dei Potentia, quæ sola omnipotentia est, ac dicitur : non ordinatur ad actus extra se, tanquam ad finem; cum sit ipsa in se perfectissima, & non distinguatur realiter ab Essentia diuinâ, quæ est actus purissimus, & vltimus rerum omnium finis, vt explicatum est, Titulo *de Causa Finali.* Ex dictis quoque perspicua fit veritas istius : A potentia ad actum

Digitized by

non valet consequentia videlicet affirmatiuè : non enim sequitur : adest Potentia ; Ergo adest & actus : Potest tamen valere consequentia negatiuè hoc modo : Non est Potentia ; ergo nec actus.

4. *Esse in actu præstantius est , quam esse in Potentia.*] Sumitur ex lib. 9. Metaphys. cap. 9. & ex lib. 2. Physic. tex. 12. vbi ait Philosophus, *Actu cum aliquid est , magis esse dicitur , quam cum est in potentia.* Sic omnium iudicio melius est bene agere , quam posse bene agere , esse sanum actu , quam posse sanum euadere , esse iustum & probum actu , quàm posse solummodo talem esse. Ratio est ; quia omnis Potentia naturalis ex se ordinatur ad suum actum , tanquam ad suam perfectionem : vel intrinsecam , vel certè extrinsecam , vt pluribus explicatum est , Titulo *de Causa Efficiente generatim* , Distinct. 2. Sicuti enim Potentia actuatur per suum actum ; ita etiam per illum perficitur : Non quia ipsa simplex entitas Potentiæ , in suâ essentiali ratione crescat , sed quia illi superadditur aliqua perfectio , quæ est veluti complementum illius , quæque illam in optimo & perfecto statu constituit. Ac proinde , sicuti Potentia , quæ nunquam potest reduci ad actum , frustra est , & planè ignobilis , seu potius nulla Potentia dicenda , iuxta ea , quæ dicta sunt : ita è contra in Actu esse , cęteris paribus , arguit dignitatem Potentiæ. Sic , verbi causa , pertinet ad præstantiam Potentiæ cognoscitiuæ Dei & Angelorum , quod in perpetuo sint propriæ cognitionis actu. Vt bene docet Aristoteles lib. 12. Metaph. t. 51. ex quo sumptum est istud :

5. *Si Deus non esset in actu , non esset Deus.*] Disputat eo loci Philosophus de operationibus Primæ Intelligentiæ siue Dei , ad intra ; & specia-

tim de intellectione ſui, aitque: *Si nihil intelligat, ſed ita ſe habeat, vt dormiens, quidnam præcellens erit?* Quaſi dicat; nihil eum vel parum nobilitatis habiturum, ac per conſequens, nec futurum Deum, ſi non ſit in actuali operatione; cuius ratio eſt, quia in Deo non eſt diſtinctio realis actûs primi & ſecundi, ad intra; ſed vterque pertinet ad ſimpliciſſimam eius ſubſtantiam, vnde hoc ipſo, quod non haberet actum ſecundum ad intra, ſequeretur, neque haberi vnquam poſſe. Nam in his, quæ ex propria naturâ æterna ſunt, non differunt eſſe & poſſe, vt docet Ariſtoteles lib. 1. de Cælo capite vltimo. Si autem haberet actum primum, & non poſſet habere actum ſecundum, idem actus primus haud dubiè eſſet imperfectus; ſicuti anima, ſi non poſſet eſſe principium vitalis alicuius operationis, imperfectiſſima foret. Vide Toletum in cap. 5. Ioannis ad illa verba: *Pater meus vſque modò operatur, & ego operor.* Eâdem de causâ ſapientiſſima rerum omnium parens Natura nihil patitur otioſum, & ex illius ordine ac imperio: dum viuit,

6. *Animal ſemper laborat*: lib. 7. Ethicor. cap. vltimo.] Id eſt, ſemper eſt in aliquâ operatione, qualiſcumque demum illa ſit & per hanc in actu conſtituitur: neque id, quando vigilat ſolum; quomodo præſens effatum, à quibuſdam non rectè reſtringitur: ſed etiam tempore quietis nocturnæ: ſomnus enim virtutum quidem animalium quies eſt: ſed labor naturalium; vt bene pronunciat Sanctus Thomas de Somno & Vig. lect. quarta. Vtriuſque ſenſus moralis efficax eſt in homines deſides & ignauos, quorum potentia ſeu facultas bene operandi eſt veluti gladius in vaginâ reconditus,

Digitized by Google

reconditus, qui tetrâ rubigine exeditur. Vide, ſi placet, quæ diximus ad illud: *Deus & Natura nihil agunt fruſtra, nec quicquam patiuntur otioſum.* Titulo *de Cauſa Finali*, Diſtinct. 5.

7. *Eſſe in actu melius eſt, quam eſſe in potentia in bonis, non verò in malis.*] Ita præcedens axioma, quod habetur lib. 9. Metaphyſ. cap. 9. limitat ſtatim Ariſtoteles ibidem. Rationem addit; quia eadem potentia eſt contrariorum actuum, ex quibus vnus eſt bonus, & alius malus: ſemper enim vnum contrariorum habet rationem priuationis, & ita habet rationem mali reſpectu Potentiæ; ideoque Potentia ſub actu bono ſemper perfectiùs ſe habet, quia melius eſt eſſe bonum ſimpliciter, & eſſe in actu; quam eſſe in ſtatu indifferenti ad bonum & malum. E conuerſo autem melius eſt, ſeu minus malum, eſſe in ſtatu indifferenti ad bonum & malum, quàm definitè iam eſſe in deteriori ſtatu. Si dicas, omnem actum, ſiue bonum, ſiue malum, addere perfectionem aliquam Potentiæ; ac proinde melius eſſe Potentiæ, habere talem actum, quam omni prorſus actuatione ſui eſſe deſtituram. Reſpondeo verum id eſſe, ſi Actus & Potentia conſiderentur in genere naturæ, & procedere de perfectione phyſica ſeu entitatiuâ, quæ additur potentiæ per quemlibet actum realem; quo ſenſu nullâ reſtrictione indiget; ſed abſolutè & vniuerſaliter verum eſt axioma præcedens: Secus res habet, ſi Potentia & Actus conſiderentur in genere moris: vel ſi in actu poſitiuo & imperfecto non ſpectetur phyſica & realis perfectio, ſecundum quam actuat Potentiam; ſed priuatio aliqua, ratione cuius habeat aliquam rationem mali ſiue moralis, ſiue naturalis. Sic enim deterius eſt haud dubiè; peccare

actu, quam posse peccare: ægrum esse, quam posse in ægritudinem incidere; cuiusmodi exemplis loco citato vtitur Aristoteles. Et secundum hanc explicationem intelligitur præsens axioma, eóque verè restringitur antecedens. Vide, si placet, Suarez loco citato.

8. *Actus secundus est nobilior primo.* Libro 9. Metaphysic. cap. 9. tex. 15. vel, secundum aliorum distinctionem, t. 9.] Nomine actus primi intelligitur vis siue potentia naturalis, quæ nata est actionem elicere, & per hanc actum secundum producere. Vnde alij ita clarius proponunt: *Actus est perfectior sua potentia:* vbi nomine actus intelligitur simpliciter actus secundus, qui per potentiam, siue per actum primum mediante actione producitur, tanquam terminus. Cæterum Aristoteles non absolutè intendit, actum secundum præcisè consideratum, esse nobiliorem primo; sed potius, quod potentia perfectiùs se habeat sub actu, quàm sine illo. Id enim significat Aristoteles eodem textu, dum inquit: *Quæ generatione posteriora, forma & substantia* (id est, perfectione) *priora sunt, vt vir puero, & homo femine: illud enim iam habet habet formam: hoc verò non.* Itaque primo verum est axioma eodem sensu, quo præcedentia de potentia actuata, comparatè ad nudam potentiam. Secundo etiam absolutè verum est de actu præcisè considerato, prout hic habet rationem finis; quia finis nobilior est ijs, quæ sunt ad finem: *Finis verò actus est* (verba sunt Aristotelis ibidem) *& huius gratia potentia sumitur: Non enim vt visum habeant animalia videant; sed vt videant, visum habent.* Rubius quidem lib. 2. de Anima quæst. 4. num. 76. negat potentiam ad actum ordine tanquam ad finem se di-

Digitized by Google

gniorem ; ſed doctrinam hanc minimè euertit. Tertiò etiam abſolutè verum eſt, quoties potentia purè tantum inſtrumentaliter concurrit ad productionē actus eiuſmodi ſiue termini; cuiuſmodi eſt potentia generatiua, quæ cum qualitas ipſa ſit, terminatur tamen ad ſubſtantiam ſe digniorem. Ita colligo ex Suarez diſp. 43. Metaph. ſect. 6.

9. *Potentia præcedit ſuum actum.* lib. 9. Metaph. cap. 9. Alij ita proponunt: *Actus primus prior eſt ſecundo.*] Verum eſt vniuerſim, ſi intelligatur de prioritate naturæ reſpectu eiuſdem agentis. Ratio eſt; quia Potentia actiua, (de qua hic præcipuè ſermo eſt) eſt cauſa, ſaltem partialis ſui actûs: Atqui omnis cauſa præcedit ſuum effectum ordine naturæ: ſi verò intelligatur de anteceſſione temporis, verum eſt indefinitè, ſeu de poſſibili; non vniuerſaliter, ſeu de neceſſitate, vt loquuntur: Poteſt enim Potentia tum actiua, tum etiam paſſiua tempore præcedere ſuum actum: non eſt tamen neceſſarium, neque in quâlibet Potentiâ; neque reſpectu omnium actuum: nam Potentia illuminandi non præcedit tempore omnem illuminationem, nec Potentia materiæ omnem formam. Denique quoad ordinem dignitatis verum eſt abſolutè primo ſi per actum ſecundum intelligatur ipſa actio, ſiue operatio, qua mediante fit terminus. Ratio huius eſt; quia potentia eſt vera entitas permanens, actio autem modus duntaxat. Secundo etiam verum eſt, de actu ſecundo formaliter accepto, ſiue de termino, quoties hic minoris eſt entitatis, quàm ſit potentia; qualis eſt locomotiua, v. c. reſpectu præſentiæ localis, ſiue Vbi. Tertio etiam verum eſt, quoties potentia eſt cauſa principalis effectiua actus ſecundi; & generatim (etiamſi inſtrumentalis ſolùm ſit, quatenus cum eo comparatur, tanquam

cum suo effectu; quia habere rationem causæ formaliter nobilius est. Vide quæ diximus Titulo *de Habitu*, Distinctione vltimâ ad illud: *Actus est nobilior suo habitu.*

10. *Actus & Potentia sunt eiusdem generis.*] Citatur à quibusdam ex l. 12. Metaph. cap. 4. ab aliis ex eiusdem libri cap. 5. neutro autem loco à Philosopho asseritur. Solum dicit cap. 5. *Eadem esse principia rerum in omnibus generibus*, siue prædicamentis; Actum scilicet, & Potentiam, idque secundum analogiam aliquam siue proportionem. Ad veritatem illius quod attinet, aliqui sic intelligunt; quasi actus & potentia sint eiusdem prædicamenti; quæ explicatio absolutè mala est; cum axioma dicto sensu manifestò sit falsum. Nam Potentia locomotiua, verbi causa, est in prædicamento Qualitatis: Actus, quem causat, non est qualitas; sed motus, vel vbi, vt notauit Scotus in 2. distinct. 16. qu. 10. Quare vt verum sit, debet intelligi de Potentiâ per se primò instituta & ordinata ad talem actum, vt rectè docet Suarez, disp. 14. Metaph. sect. 2. nu 11. Itaque verus illius sensus est iste: Potentia & actus sunt eiusdem generis, id est, Potentia per se primò & principaliter ordinata ad actum substantialem est substãtialis, ad accidentalem est accidentalis; latè nimirum sumendo nomen generis, pro generalibus rationibus substantiæ & accidentis: addo *principaliter*; quia Potentia generatiua tametsi accidentalis sit, & immediatè concurrat ad productionem substantiæ: non tamen attingit eam nisi instrumentaliter. Item absolutè verum est axioma de Potentiâ & actu, ex quibus fit vnum per se, vt ex materia & forma; hæc enim sunt eiusdem generis strictè, id est, sunt eiusdem prædicamenti. Denique proprijssimè verum est, si intelligatur de eo, quod prius est in Po-

tentiâ, & poſtea reducitur ad Actum; quo modo intelligitur illud vulgare: *Actus & Potentia diuerſam non efficiunt eſſentiam.* Lege, ſi placet, Suarez, loco citato.

11. *Eius eſt Actus cuius eſt Potentia.* lib. de Som. & Vig. cap. 1.] Intelligitur & verum eſt de omni actuum & actionum genere, ſiue immanentes illæ ſint, ſiue tranſeuntes: de illis quidem; quia actus Potentiæ ſenſitiuæ (cuiuſmodi exemplo vtitur Ariſtoteles loco citato) & ipſa Potentia ſunt eiuſdem ſuppoſiti ſentientis, non denominatiuè ſolum, vt quæ procedunt ab illo, ſed etiam ſubiectiuè; quia tam Potentia, quam Actus ſentiendi ſubiectantur in eodem ſuppoſito, v. c. in eodem homine ſentiente: de his verò; quia licet non ſint ſubiectiuè in agente; ſunt tamen denominatiuè, cum reipsâ profluant ab illo, vt fuſiùs explicatum eſt in illo: *Omnis forma denominans debet eſſe in ſubiecto, quod denominat.* Titulo *de Cauſâ Formali*, Diſtinctione quartâ.

12. *Ex operationibus cognoſcitur Potentia.*] Nempe ex ijs operationibus, quæ propriæ ſunt rebus, & per ſe ipſis, ac ex ſuâ naturâ conueniunt; hæ ſiquidem faciunt ad cognoſcendam identitatem & diuerſitatem tam ſpecificam, quam numericam Potentiarum & rerum: Non autem ex ijs operationibus, quæ conueniunt ex accidente, v. c. propter diſpoſitionem ſubiecti, aliàs calor ſolis non eſſet vnius ſpeciei; quia ceram liquefacit, lutum indurat, &c. qui ſunt effectus ſpecie diſtincti: vel propter aliam qualitatem adiunctam; quo pacto calor ſtruthiocameli conſumit aurum & digerit ferrum; calor ſolis & elementarius non item. Sumitur hoc pronunciatum ex lib. 9. Metaphyſic. cap. 9. vbi dicitur actus eſſe prior cognitione, quam ſit Poten-

tia : secundum nos videlicet, quatenus per effectus mediante operatione productos rei potentiam cognoscimus.

12. *Vbicunque sunt operationes adæquatè distinctæ, ibi & Potentiæ.* Sumitur ex lib. 2. de Anima tex. 33.] Intelligitur & verum est de operationibus & actibus formalibus & adæquatis seu reciprocis : sic vbi est hinnitus ibi hinnibilitas vbi risus risibilitas, &c. Ratio est ; quia operationes & actus sunt quasi effectus potentiarum : Ergo si diuersitas causæ sumi potest ab adæquata diuersitate effectuum, etiam specifica diuersitas potentiarum rectè colligitur ex adæquata diuersitate actuum ab ijs dependentium. Non autem de actibus partialibus aut inadæquatis ; alioqui tot essent Potentiæ specie distinctæ, quot sunt actus specie distincti, quod absolutè est falsum : Nam vnus & idem intellectus elicit actum scientiæ, erroris, fidei, opinionis, qui differunt specie. Licet enim in subiecto capaci possint esse habitus specie distincti totidem, quot sunt actus specie distincti formaliter : non tamen totidem sunt potentiæ : Nam habitus efficiuntur ab actibus ; potentiæ non, sed emanant ab animâ, aut rei essentiâ : ideo habitus accipiunt suam vnitatem & entitatem, ab actibus vnius speciei formaliter, & diuersitatem ab actibus diuersæ speciei formaliter : Potentiæ non item ; quia non accipiunt suam entitatem ab actibus, quamuis eam habeant in ordine ad actus. Vide Hurtado Distinct. 5. de Anima sect 4.

Digitized by Google

DISTINCTIO V.

De Potentia in ordine ad obiectum.

1. *Obiecta monent Potentias.* Lib. 2. de Animâ cap. 5. & alibi.] Obiectum Potentiæ dupliciter considerari potest, primò prout mouet, 2° prout terminat Potentiam. Obiectum prout mouet Potentiam cognoscentem, v. c. exercet causalitatem efficientis; quia efficienter mouet Potentiam, imprimendo sui speciem, per quam concurrit efficienter ad actum: prout autem mouet Potentiam appetentem, exercet causalitatem finis. Vtroque sensu verum est pronunciatum. Obiectum prout terminat actum, Potentiam vel Habitum, est purus terminus specificans Actum, Potentiam, vel Habitum, non per verum aliquem influxum causalem; sed per solam habitudinem Actus, Potentiæ, vel Habitus ad ipsum Obiectum.

2. *Potentiæ specificantur per actus & obiecta.*] Sumptum est ex l. 2. de Animâ c. 4. vbi docet Philosophus, Actus & operationes secundum rationem potentiis esse priores; prius etiã obiecta, quàm Actus & Potentias contemplari oportere; eo nimirũ, quod ex illorum cognitione horum notitia dependeat. Sensus verus pronunciati est iste: Potentiæ actiuæ (de his enim loquitur Aristoteles) constituuntur in certâ specie, & distinguuntur intrinsecè & à priori, per respectum essentialem seu transcendentalem ad actus adæquatos & obiecta adæquata: Extrinsecè ab ipsis quidem actibus proximè; ab obiectis verò remotè. Intellige de ijs, quæ habent obiectũ; cuiusmodi sunt potentiæ actuum immanentium: Nam actionũ transeuntiũ Potentiæ, vti propriè obiectum non ha-

bent; ita neque speciem ab eo accipiunt, sed potius à termino, vt explicabitur Titulo *de Motu*. Porro obiectum formale, seu ratio formalis obiectiua Potentiæ, sumitur à modo mouendi seu immutandi Potentiam. Vnde Potentiæ censentur esse diuersæ, quæ versantur circa obiecta formaliter diuersa; etsi materialiter sint idem. Vt v. c. Potentia Visiua, & Intellectiua circa obiectum aliquod materiale, quod & visibile est & intelligibile: quia enim idem obiectum, prout visibile est, immutat seu mouet visum, cũ quadam illustratione medij, vel organi, & aliis conditionibus propriis huic sensui; Intellectum verò existẽtem in corpore mouet per phãtasmata & species externorum sensuum: idcirco censetur obiectũ formaliter diuersum, & sunt Potentiæ distinctæ. Vide, si placet, D. Thomam 1. p. q. 77. ar. 3.

3. *Potentia superior respicit vniuersaliorem rationem Obiecti, quàm Potentia inferior.* Traditur à D. Thomâ 1. p. q. 77. a. 3. ad 1.] Ratio pronunciati est; quia Potentia specificatur ab Obiecto, & à modo, quo versatur circa suum Obiectũ: quãtò igitur vniuersalior est ratio, sub quâ versatur circa suum Obiectum, tantò vniuersalior est Potentia. Et ideo multa conueniunt in vnâ ratione Obiecti, quam per se respicit superior Potentia; quæ tamẽ differunt secundum rationes, quas per se respiciunt inferiores Potentiæ. Et inde est, quod diuersa obiecta pertineãt ad diuersas inferiores Potentias, quæ tamẽ vni superiori Potentiæ subduntur. Sic v. c. Obiectum sensus communis est sensibile, quod comprehendit sub se visibile, audibile, & cetera obiecta sensuũ externorũ. Vide etiã, si placet, D. Thomã 1. p. q. 1. a. 3. ad 2.

4. *Obiectum Potentiæ realis est reale.*] Duplex est obiectum Potentiæ realis, vnum directum, ad quod directè & per se primò Potentia ordinat

tur; tale, v. c. eſt Ens viſibile reſpectu Potentiæ viſiuæ: alterum indirectum, circa quod indirectè, per accidens, & ſecundariò Potentia verſatur; tale obiectum ſunt tenebræ, v. c. reſpectu Potentiæ viſiuæ, & Ens rationis reſpectu Intellectus; hoc poſterius non ſpecificat Potentiam, nec eſt neceſſariò Ens reale: A priori autem ſpecificatur Potentia, & illud oportet eſſe Ens reale, iuxta ſenſum axiomatis propoſiti.

5. *Quod circa præſtantiorem materiam verſatur, aut certius eam attingit, præſtantius eſt.* 8. Top. c. 2.] Intelligitur de materiâ obiectiuâ, ſiue de obiecto; & verum eſt non de Potentiis modo; ſed etiam de Habitibus & actibus; ceteris nimirum paribus: hæc enim omnia ſpecificationem & dignitatem ſumunt ab obiectis, & à modo, quo verſantur circa ſua obiecta, vt explicatum eſt. Sic Intellectus præſtantior eſt quauis Potentiâ ſenſitiuâ; quia etiam nobilius habet obiectum; ſcilicet omne Ens Intelligibile, & nobiliore modo in illud fertur, quam vlla potentia ſenſitiua: ſic etiam ſcientia Phyſica nobilior eſt Mathematicis diſciplinis; quia res naturales, in quibus occupatur Phyſica, digniores ſunt, quam Quantitates, de quibus differit Mathematica.

6. *Nulla Potentia fertur extra ſuum obiectum.*] Eſt commune axioma Philoſophorum. Ratio illius eſt; quia obiectum eſt id, circa quod verſatur, vel verſari poteſt Potentia: quamobrem implicat contradictionem, Potentiam ferri, ſeu verſari circa aliquid, quod non ſit, vel eſſe poſſit illius obiectum. Sic viſus non fertur in ſonum, nec auditus percipit colores. Item Intellectus non percipit Ens rationis, niſi quatenus concipitur per modum Entis realis, quod eſt illius obiectum, vt pluribus explicabitur Titulo *de Potentia Intellectiua.*

7. *Omnis Potentia potest percipere suum obiectum.*] Verum est, nisi aliunde interueniat aut obstet impedimentum, Intelligiturque propriè de qualibet Potentiâ cognoscitiuâ. Hinc est, quod Intellectus dicatur *Potentia omnia* lib. 3. de Animâ tex. 4. quia etsim omnes res sint eius obiectum, potest etiam omnia secundum se & seorsim intelligere. Sed de hoc pluribus infra. Titulo *de Potentia Intellectiua.* Distinct. 1.

DISTINCTIO VI.

De Possibili, & Impossibili.

1. *Quidquid non implicat contradictionem potest fieri per absolutam Dei potentiam.*] Pronuntiatum hoc certissimum est, & ab omnibus receptum adeoque fide tenendum vel fidei proximum, vt bene notat Lessius de Perfectionibus Diuinis lib. 5. c. 2. Pro explicatione illius notandum est, Potentiam Dei esse duplicem, *Ordinariam*, quam Vasquez mauult dici ordinatam; & *Absolutam*, quæ est diuina virtus nullo suo decreto aut legis suæ vinculo astricta, vel limitata. Ordinaria est diuina Potentia: prout subest Sapientiæ Dei, & decreto diuino, quibus statuit quod factura est. Vnde quod Deus potest facere de Potentiâ ordinariâ est id, quod reipsâ facit, siue naturale sit, siue supernaturale. Ita D. Thomas; secundum alios, est potestas Dei, quatenus aliquid facit, aut facere potest, secundum communes leges, siue id sit naturale, siue supernaturale, siue reipsa fiat, siue non. Sic iustificatio impij est à Deo secundum Potentiam ordinariam: Absoluta est illa, quæ præter, aut supra com-

Digitized by Google

munes leges operatur, vtpote ad illas non alligata. Sic præseruatio Beatissimæ Virginis Deiparæ à peccato originali, est effectus Potentiæ absolutæ. Vtraque acceptio bona est, vt notat Suarez, Molina & alij: posterior tamen magis vsitata. Potest itaque per absolutam seu extraordinariam Potentiam Dei fieri omne id, quod est factibile ex se, id est, omne Ens possibile: Est autem Ens possibile quod non inuoluit aliquid repugnans rationi Entis: sicuti impossibile est, quod in suo conceptu inuoluit aliquid destruens rationem Entis, qua Ens est: Hoc autem est solum non Ens, ac per consequens solum non Ens est impossibile: omne autem, quod non est non Ens, non excluditur à ratione Entis ex vi intrinsecæ suæ rationis, & ideo ex se non est impossibile; sed possibile; licet possit esse impossibile per comparationem ad aliquod certum agens, vt iam dicetur. Vide, si placet, Suarez l. 4. de Trinitate c. 10. nnm. 9.

2. *Quidquid implicat contradictionem est impossibile per absolutam Dei Potentiam.*] Est & hoc certissimum & communiter receptum axioma, traditurque à D. Thoma 1. p. q. 25. a. 3. à Suarez disp. 30. Metaph. sect. 17. & in 1. p. l. 3. c. 6. & alibi. Implicat autem contradictionem, seu inuoluit repugnantiam omne id, quod pugnat cum essentiâ rei, vt, v. c. repugnat Deum mentiri; quia mendacium est contra naturam & essentiam Dei; cum Deus essentialiter sit summa veritas. Vnde si Deus mentiretur, esset Deus, & non esset Deus; quia ponitur; non esset Deus; quia non esset prima Veritas. Potest autem dupliciter aliquid implicare contradictionem; primò in se, siue absolutè in existendo; quo modo repugnat Chymæram realiter existere, hominem esse irrationalem, &c. Secundò respectu alterius, siue

in dependendo ab alio, vt v. c. à Deo; qui est primum agens. Priore modo actuale mendacium, verbi causa, siue actus ille, quo contra mentem significatur aliquid falsum, non implicat contradictionem; sed participat rationem Entis; cum à creaturâ possit produci, & sæpe existat, ac producatur ab homine: Implicat tamen posteriore modo, siue in dependendo à Deo, tanquam à primariâ & totali causâ, quia hoc modo à primâ & summâ veritate non potest procedere falsum. Similiter infidelem esse, aut aliud quoduis peccatum committere, inuoluit contradictionem: si comparetur cum infinitâ bonitate Dei. Ratio est, quia Potentia Dei non potest exire in actum, nisi vt applicata per voluntatem, & voluntas Dei non potest velle, nisi iusta & decentia suam bonitatem: ad hoc enim naturâ suâ est determinata quoad specificationem. Vt bene notat Suarez locis citatis.

3. *Quod non decet Deum, id Deo est impossibile.*] Traditur à S. Anselmo, l. 2. cur Deus Homo c. 4. & 5. Illud hoc loco intelligitur impossibile & non decere Deum, quod, si Deus faceret, contra aliquam virtutem faceret, & in quo nulla inueniri potest ratio, propter quam decenter & sapienter à Deo fieri queat, vt patet in exemplis paulò ante allatis. Hæc autem non posse Deum *non infirmitatis est; sed virtutis & maiestatis.* Vt inquit S. Ambros. lib. 6. Epist. 37. Et vt habet S. Anselmus in Prosologio. c. 7. *Hæc posse, quæ repugnant, non est potentia; sed impotentia.* Diuus quoque Augustinus l. 13. de Ciuit. c. 15. magis determinatè: *Magna* inquit, *potentia est. non posse mentiri.* Si autem opus tale sit, quod nec virtuti alicui, nec honestati absolutè repugnet, nec ratio faciendi id desit: vt ad ostendendam v. c. potentiam diuinam, & sapientiam humanam con-

fundendam, non cenſebitur illud verè eſſe, ac propriè indecens. Quo ſenſu Tertulianus in libro de carne Chriſti c. 4. arguens contra Marcionem, qui Deo indignum iudicabat, vt de fœminâ carnem aſſumeret: *Hoc ita videbitur, inquit, Si res humano ſenſu pōderetur: non autem ſi diuino: quia ſtulta mūndi elegit Deus, vt confundat ſapientes.* Vide, ſi placet, Suarez Tomo 1. in 3. p. d. 14. ſ. 2.

3. *In myſterio prorſus ſupernaturali ratio facti eſt Potentia facientis.*] Indicatur hoc dictum à Suarez Tomo 1. in 3. p. diſp. 14. ſect. 1. §. *Poteſt denique.* Vbi ex eo deducit: Si de Potentiâ fieri potuiſſet, vt humanitas Chriſti aſſumeretur à Verbo ſine priuatione ſuæ perſonalitatis, non fore rationem ſufficientem ad negandum ita factum eſſe; cum illud non repugnet alicui perfectioni Chriſti, vel vnionis hypoſtaticæ: Rationem ergo, cur id factum non ſit, eſſe impotentiam Dei facientis, ſeu potius impoſſibilitatem rei in ſe; quia ſcilicet in ſuo conceptu implicet contradictionem; quæ Suareſij opinio, licet à quibuſdam Theologis non probetur; ſatis tamen declarat ſenſum & vim axiomatis propoſiti.

5. *Illud eſt impoßibile, quod nunquam ab homine potuit fieri.*] Falſa eſt hæc propoſitio, licet à nonnullis Philologis vſurpetur. Nam quadratura circuli hactenus à nullo perfectè fieri potuit; & tamen Mathematici certiſſimis rationibus demonſtrant, illam eſſe poſſibilem. Item puluis tormētarius, pyxis nautica, Ars typographica ſuperioribus ſeculis fuerunt incognita, & nunquam antea facta hinc tamen non ſequitur, illa ſecundum ſe fuiſſe impoſſibilia. Poterit nihilominus obtinere veritatem ſi ſumatur in ſenſu compoſito per comparationem ad idem ſubiectum & eodem reſpectu, ac notione termini

vsurpentur Atque ita conceditur à Martino Delrio, & aliis passim. Sic v. c. mendacium actuale est impossibile respectu Dei ; quia repugnat Deum mentiri , vt constat ex dictis huius Distinctionis, numero 2.

9. *Nemo tenetur ad impossibile.*] Scilicet absolutè, quatenus impossibile est : potest tamen quodammodo ad illud obligari, & quasi in actu primo. Ratio prioris est ; quia *omnis obligatio aut in dando aut in faciendo consistit*, vt dicitur ff. *De verborum obligationibus.* l. 2. in principio ; sed quod non est, nec esse potest, dari vel fieri non potest : Ergo ibi constitui nequit obligatio, Vide, si libet, Regulam sextam, Iuris in sexto Decret. vbi refertur scitum propositum. Ratio posterioris est ; quia etsi nemo obligetur ad impossibile, vt peccet illud non ponendo : potest tamen quasi in actu primo ad illud obligari. Verbi causa Petrus iniustè occidit Paulum ; etsi in actu secundo verè non obligetur, vt ei vitam restituat ; quia impossibilitas excusat eum , ne peccet non restituendo : tamen in actu primo, & quasi in radice est in eo aliqua obligatio. Etenim si Deus daret illi potestatem restituendi Paulo vitam , statim absolutè , ad hoc obligaretur ; non ratione potestatis , quam Deus tunc ei daret ; sed ratione obligationis, quæ prius quasi in actu primo in illo erat ; sed quasi mortificata & impedita , ne vim suam exeret , ratione impotentiæ ; quâ sublatâ eam statim exerit.

Digitized by

DISTINCTIO VII.

De Proprietate generatim.

1. *VBicunque sunt proprietates eiusdem speciei, ibi & essentiæ.*] Sumitur ex Isago. Porph. c. 5. & vera est propositio, si proprietates illæ non sint genericæ; sed secundum gradum specificum naturæ conueniant quarto modo. Tunc enim, si eiusdem speciei sint Proprietates, erit etiam essentia speciei eadem. Ratio est; quia

2. *Vna specie proprietas non manat ex gradibus essentiæ specie diuersis.*] v. c. risibilitas ex homine & equo: Nam qualis est essentia rei, talis etiam cum certâ proportione est Proprietas, vt diximus, distinct. 1. huius Tituli. Vnde si essentiæ sint specie distinctæ, eadem specie Proprietas ex ijs manare non poterit, secundum illum gradum secundũ quem illæ differunt: licet prouenire ab ijs possit, secũdum illum gradum, in quo conueniunt. Sic Proprietas, seu Potentia sentiendi fluit ab essentiâ hominis & equi, quatenus conueniunt in genericâ ratione Animalis. Porrò Potentiam visiuam, v. c. hominis & equi, non differre specie, docent Suarez, Rubius & alij, contra Caietanum, communiter, sicuti neque calor ignis & aëris. Et ratio est; quia eadem ratione formali tendunt in suum obiectum; à quo specificationem accipiunt.

3. *Ex proprietatibus cognoscitur essentia.*] Sumitur ex lib. 1. de Anima t. 11. & verum est eo sensu, quo supra diximus: *Accidentia iuuare ad cognitionem substantiæ*, Titulo *de Accidentibus in genere*. Viâ nimirum inuentionis, & in ordine ad nostrum intelle-

Digitized by Google

ctum, qui à sensibilibus rei accidentibus venire solet in cognitionem essentiæ, vt ibidem fusiùs est explicatum.

4. *Proprietas specifica nobilior est, quàm sit generica.*] Sic intellectus in homine nobilior est, quàm sensus; appetitus rationalis, quam irrationalis, quo etiam prædita sunt bruta. Propositio non videtur vniuersaliter vera: Nam Potentia hinniendi in equo, quæ est specifica, minus præstans est, quam sit Potentia sentiendi, quæ sequitur gradum genericum animalis, vt docent Conimbricenses in lib. 2. de Cælo cap. 3. qu. 2. ad quintum, sed responderi potest; etsi absolutè in sua entitate minus videatur præstans: præcellere tamen quoad conuenientiam respectu talis subiecti, quod enim magis proprium est rei, eidem est melius, vt mox explicabitur.

5. *Proprietas separabilis est à subiecto, quoad realitatem, non quoad conuenientiam.*] Vera proprietas etsi ab essentia separari possit, saltem supernaturaliter, quoad entitatem realem; id est, quatenus est qualitas realis actu existens; v. c. potentia visiua ab equo, risibilitas seu potentia ridendi ab homine: Non tamen est separabilis, quoad conuenientiam, id est, quatenus est naturalis propensio ipsius essentiæ, verbi causa, naturæ humanæ ad risum, sumpta fundamentaliter, etiam per absolutam Dei Potentiam: Non enim potest esse homo, cui non conueniat esse risibilem; sicuti non potest esse animal, quod ex suâ naturâ non postulet esse sensitiuum.

6. *Quod proprium est melioris rei, melius est, quam quod deterioris.* lib. 3. Topic. cap. 1. cæteris nimirum paribus.] Ratio est, quia Proprietates & Potentiæ naturales proportionatæ sunt rebus, à quibus

à quibus manant. Sic proprietates hominis præstant proprietatibus equi. &c.

7. *Quod magis proprium est rei, eidem est melius.*] Vt homini vti ratione, magis quam sensu. Ratio est, quia cum ipsius naturâ propius est conjunctum, & eidem magis conforme. Hoc sensu dixit Philosophus l. 2. de cælo t. 66. *Id esse melius, quod optimo est propinquius.* Sic supremus Angelorũ chorus est perfectior; quia Deo per charitatem coniunctior.

TITVLVS XXXV.

De Potentia vegetatiua.

DISTINCTIO PRIMA.

De vegetatione generatim.

1. *Facultates vegetatrices seruare est vitã seruare.* Galenus. 9. Metaph. cap. 10.] Tres sunt facultates præcipuæ, quibus corporis nostri status administratur & regitur. Naturalis, vitalis, & animalis, vt docet Aristoteles l. 3. de partibus animal. c. 4. Galenus l. 2. Præsagiorum c. 37. & alij. Ad naturalem spectant potentiæ vegetatiuæ; ad vitalem vis efficiens pulsum & spiritus: ad animalem sensus & potentia motiua. Item influxus in organa istarum facultatum; quibus etiam subseruiunt tres quasi ductus, seu riuuli; facultati naturali venæ, vitali arteriæ, animali nerui: venæ sanguinem communem, arteriæ arterialem, id est, mixtum spiritui vitali, nerui spiritũ animalem deferunt. Ab hisce facultatibus vitæ nostræ salus & incolumitas dependet; ac proinde Galenus loco citato hasce seruare, nihil aliud esse, ait, quam vitam

conseruare; rationem assignat ibidem; quia inquit.

2. *Qualibet harum facultatum amissa necesse est reliquas perire.*] Etenim omnes sibi in necessariis vitæ functionibus subordinatæ sunt, vt vna sine aliis vti & vita sine ipsis, conseruari nequeat. Atque hac de causâ Medicinæ Doctores in venæ sectionibus, purgationibus omnibusque alijs corporis immutationibus, quam diligentissimè monent, attendendum esse, vt tres dictæ facultates, quoad eius fieri potest, in suo vigore permaneant; vtpote à quibus tota valetudinis proprietas dependet. Eandem ob causam Galenus 9. Meth. c. 10. iam citato subdit, se in opere de sanitate tuendâ, huc omne consilium direxisse.

3. *Vnumquodque nutritur ijs, quibus constat.* l. 2. de Gen. & Corr t. 49.] Ex hoc dicto probant Physici, alimentum omnium animalium debere esse mixtum: vt etiam docet Aristoteles l. de sensu & sensili c. 4. Ratio est, quia viuens debet agere in alimentum: non autem potest agere in pura elementa: cum hæc habeant qualitates intensas: viuens verò remissas. Potest nihilominus elementum non purum nutrire, vt patet in lupis, talpis, serpentibus, qui terram vorant, & in alijs, quæ in aquis viuunt; sed tale elementum etiam absolutè mixtum dici debet, quia purum non est. Dicitur ergo vnumquodque nutriri ijs, quibus constat; actu videlicet vel potentiâ; quoniam alimentum debet esse in potentiâ ad alitum, vt docet Aristoteles l. 2. de animâ t. 50. & mox explicabitur.

4. *Ingestione corpus non alitur, sed digestione.*] Notent hoc dictum omnes illi, qui in cibi ac potus sumptione appetitui inordinato nimium indulgere solent, dum enim, vt corpus onerent potius, quam reficiant, aut exonerent, sol-

liciti sunt; cruditates sensim quamplures coaceruant: non sine manifesto valetudinis detrimento.

5. *Cibum minuere, laborem augere salubre est.*] Aristoteles in Problematis. Sec. 1. n. 28. rationem assignat ibidem; quia causam ægritudinum nimietas excrementorum habet; quæ tum potissimè abundant, cum vel cibus supersit, vel labor deest. Dictum istud in ijs potissimè mortalibus locum obtinet, qui in otio degunt, & rerum ad vitæ sustentationem necessariarum abundantiâ perfruuntur.

6. *Quod sapit hoc nutrit.*] Sententia ista vulgi opinione celebrata, primò nititur ratione naturali; quia id naturæ est conuenientius, quod ipsi sapidius, secundo firmatur auctoritate Hippocratis lib. 2. Aphorismorum, Aphor. 8. & Galeni, qui ait: *Quæ cum voluptate assumuntur, ea ventriculus facilius amplexatur & concoquit.* Ibidem; sed explicationes varias habet, prima quod sapit, id est, quod conforme est naturæ, id nutrit: si nimirum temperatè & congruè assumatur, secunda idem alimentum tum nutrit magis, cum sapit, quam cum desipit; quo sensu intelligi potest illud: *Optimum condimentum fames*, de quo infra, tertia denique explicatio illius est. Quandiu cibus aut potus sapit, tandiu nutrit: & tum subintellige, non hominem, sed gulam, sed luxuriam, sed morbum & mortis accelerationem: Quo enim cibus sapidior est, eò maius est periculum intemperantiæ, & variorum, quę hanc comitari solent, corporis Symptomatum, vt bene notant Lessius in suo Hygiastico, Guarinonius, & alij.

7. *Qui medicè vivit, miserè vivit.*] Dictum istud aliqui corruptum volunt ex illo: *Qui mendicè vivit, miserè vivit.* Alij sic efferendum esse dicunt: *Qui medicè vivit, is mysticè vivit*, siue

Digitized by Google

mirificè, vt loquuntur alij: Qui enim temperatè viuit is virtuosè, præclarè, laudabiliter, & suo modo beatè viuit: at qui medicè viuit, is etiam temperatè: Ergo qui medicè viuit, is non miserè, aut sordidè: sed ex virtutis præscripto præclarè ac feliciter viuit. Verum enimuero, dicendum est, cõmune istud proloquium, veritatem obtinere vt sonat: eos scilicet omnes miseram vitam agere: qui anxiè nimis & scrupulosè cibum & potiones adhibent, ac sub omni, vt dicitur, lapide scorpionem timent. Vide Lessij Hygiasticon num. 1. sub initium, Nicolaum Caussinum Tomo 3. Aulæ S. Maximâ 13. sub finem.

DISTINCTIO II.

De *alimento in genere, & specie.*

1. *Alimentũ debet esse in potentiâ ad alitum.*] Refertur à D. Thoma in l. 2. de animâ lect. 8. t. 41. & sumitur ex eodem l. 2. de animâ t. 50. Vbi Philosophus docet, necesse esse vt omne nutrimentũ talis naturæ sit, quod digeri possit. Ratio est, quia omne alimentum debet posse conuerti in substantiã eius quod alitur: Ergo debet esse in potentiâ respectu illius; siue debet posse pati, seu recipere actionem concoctiuam à viuente, quod alitur. Eâ de causa docent Galenus de atten. vit. rat. c. 1. & 2. & alij Medici, attendendum esse, vt verè mixtum sit alimentum, & ne vllum in eo elementum nimium prædominetur: v. c. ne aut nimis calidum sit, aut frigidum aut humidum &c. insuper, vt non qualitatis duntaxat; sed quantitatis etiam ratio habeatur, eò quod in quolibet excessu non tam alimentum sumatur, quam capiatur valetudinis detrimentum.

Digitized by

2. *Alimentum debet esse simile alito.* l. 2. de animâ t. 44.] Tametsi omne alimentum, quatenus tale est, oporteat aliquo modo esse dissimile viuenti: quia *Simile non agit in omninò simile*; & *Nihil patitur, nisi ab aliquo modo dissimili*, vt explicatum est, Titulo *de causâ efficiente*: dicitur nihilominus omne alimentum debere esse simile viuenti; quoniam videlicet, quoad eius fieri potest, debet esse accommodatum rei, quæ alitur, & ad eius complexionem quodammodo accedere: Tantò enim aliquid facilius & perfectius nutrit, quanto paucioribus eget mutationibus, vt in viuentis substantiam conuertatur. Hinc quædam animalia nutriuntur venenis, vt capreæ, anates, & ciconiæ bufonibus ac serpentibus; quia temperamentum habēt accommodatum. Struthiocamelus etiam ferrum digerit, &, vt inquit Mart. l. 5. Epigram.

Profecit poto Mithrydates sæpe veneno,
Toxica ne possent sæua nocere sibi.

3. *Alimentum vltimum animalis est sanguis.* l. 2. de part. animalium c. 3.] Intellige de ijs animantibus, quæ sanguineæ sunt, siue præditæ sanguine, vt notat Albertus M. Nam in sanguine carentibus, est aliquid simile sanguini, vt ibidem docet Aristoteles. Porro vti sanguis vltimum est; ita nihilo min⁹ optimum est animalium nutrimētum; tum quia humidus est, & calidus, ac per consequens vitę animalis quam maximè accommodatus: vnde etiam, *sanguinis copia coloris indicium est*, vt docet Aristoteles l. 3. de part. animalium c. 5. tùm verò; quia per omnes corporis partes commodissimè distribuitur, ad quod iuuat eius humor. Porro effatum propositum intelligendum est, de sanguine venali, siue nutrimentali & alimentali, vt loquitur Caietanus: Non verò de sanguine arteriali siue perfecto & omninò decocto, hunc enim existimat esse animatum, nec amplius ser-

uire nutritioni: alij tamen hanc distinctionem, non admittunt, quia, vt aiunt, nullus sanguis est, qui non ordinetur ad nutritionem, cum nullus omninò viuat, quæ sententia vti Aristoteli conformior est, ita videtur probabilior. Vide, si placet, Suarez Tomo 1. in 3. p. disp. 15. sec. 6. Ragusam ibid. disp. 60. & alios.

4. *Sempiterni non sunt, qui indigent alimento.* Sumitur ex l. 3. Metaph. t. 15.] Vbi docet Philosophus immortalitatem Deorum ex eo probari non posse, quod nectar & ambrosiam gustauerint, vt fabulantur Poëtæ: *imo*, ait, *si ipsius esse gratiâ ijs sit nectar & ambrosia, quomodo possunt esse sempiterni?* Ratio pronunciati est; quia omne id quod ciborum indiget, mutationi obnoxium est: quod autem mutabile est, æternum non est; sicuti neque vlla mutatio potest esse æterna. Vt docent Philosophi in 8. Physic. ad textum sextum & alibi.

5. *Panis est alimentum alimentorum.* Sumitur ex Galeno l. 13. San. Tuen. cap. 7.] Et traditur à Guerinonio & alijs Medicis, à quibus passim *Rex ciborum*, panis vocitatur, pro explicatione notandum alimentum esse duplex, vt docet Aristoteles l. 2. de animâ t. 45. alterum digestum, quod est simile alito, vt sanguis v. c. qui est vltimum alimentum viuentis, vt diximus: Alterum indigestum, quod est dissimile actu, simile potentiâ: Huius generis nobilissimum alimentum est panis: cætera omnia ciborum genera sunt tanquam adiectitium pani obsonium. Eâ de causâ omnes communiter nationes ex naturæ instinctu, maximè, si adsit, pane vtuntur. Natura autem intendit quod est optimum, vt explicatum est supra.

5. *Cibi boni bonos generãt humores.*] Traditur ab Al-

berto M. de motibus animaliũ l. 1. Tract. 2. c. 5. Vbi conſequenter addit: *boni humores bonos progenerant ſpiritus: boni vero ſpiritus bonos mores, & delectabilem vitam*: quæ gradatio, ſi ſaniter intelligatur, vera eſt: Omnia enim hæc cæteris paribus naturali ſubordinatione à ſeſe mutuò dependent. Videri poteſt Ariſtoteles l. 7. Polit. c. 17. vbi, explicatis ijs, quæ ad rectam filiorum educationem pertinent, primo docet, videndum eſſe, quinam cibi ſint infantibus accommodati, & *magni referre*, ait, *ad vires ſiue corporis ſiue animi, quali cibo nati liberi enutrientur.*

7. *Dulcia magis nutriunt, quam amara.* l. de ſenſu & ſenſili cap. 4. cæteris nimirum paribus.] Rationem aſſignat Albertus M. in l. 2. de animâ Tract. 1. c. 10. quia ſunt magis delectabilia ſecundum naturam. Etenim per dulcis ſaporis operationem lenitur plerumque & perficitur digeſtio, ac nutrimentum augetur: eò quod dulcia fortius attrahantur à naturâ, & facilius digerãtur, vt docet Galenus & ex illo Albertus Magnus de veget. l. 3. Tract. 2. c. 4. Ideoque *parum deterior cibus ac potus: ſuauior autem melioribus quidem; ſed minus ſuauibus eſt præferendus.* Vt ait Hippocrates l. 2. Aphoriſmorum. Aphor. 38.

8. *Cibus ille eſt optimus, qui maximè conſuetus.*] Traditur ab Hippocrate lib. 2. Aphoriſmorum, Aphor. 50. Et ibidem explicatur à Galeno, atque ex eo verum eſſe oſtenditur: quoniam natura ventriculi, eos cibos optimè concoquit, quibus maximè aſſueuit. Iuxta explicationem præcedẽtium. Hac etiam de causâ eorum, qui vitæ luxurioſę aſſueti, viuere luxuriosè deſinunt, in morbũ aliquos incidere docet Ariſtoteles in problematis ſec. 28. t. 1. *quoniam*, ait, *conſuetudo res cuique magna eſt:*

iam enim in naturæ habitum ferè absoluitur, & redundat materia illa, quæ indigesta est. vide, si placet, Cardanum in consilio, pro difficultate spirandi, ad Ioannem Archiepiscopum Scotiæ.

9. *Vti omnibus viuentibus ita animæ nostræ consentaneum est aliquod pabulum.*] Indicatur hoc dictum à magno Dionysio c. 4. de diuinis nominibus, & exprimitur à S. Maximo, Centur. 5. ex varijs cap. 63. & 64. & à Cardinale Cusano l. de veneratione sapientiæ. Hoc autem pabulum non aliud sanè est, quam verum: veritatis enim contemplatione & reficitur & satiatur anima rationalis, de quâ hic sermo est; vti corpus pane & vino. Vide, si placet, præfationem Theophili Raijnaudi in Theologiam naturalem.

DISTINCTIO III.

De Fame & siti.

1. *Optimum cibi condimentum est fames.*] Dicitur istud Socraticum, quo Athenienſium ille luxuriam arguebat, refertur à Cicerone l. 5. Tuscul. qq. cuius veritatem si non agnoscis, experire. Præclarè illud explicat D. Ambrosius libro de Eliâ & ieiunio c. 9. hisce verbis: *Dulciores post famem epulæ sunt, quæ assiduitate fastidio sunt, & diuturnâ continuatione vilescunt, condimentum sibi ieiunium est, quantò auidior appetentia, tantò esca iucundior.*

2. *Optimum potionis condimentum est sitis.*] Verum est eodem sensu, quo dictum præcedens. Testatus id olim est Darius Rex potentissimus; qui cum in fugâ aquam turbidam & cadaueribus inquinatam bibisset, negauit vnquam se bibisse iucundius.

Nunquam autem vel perrarò sitiens biberat. Ita refert Tullius l. 5. Tuscul. qq. vbi inde deducit generale istud pronunciatum. *Desiderijs omnia condiuntur*, cuius ratio perspicua fit ex dictis.

3. *Ambitiosa non est fames.* L. Seneca Epist. 120. ad Lucilium, nimirum quia omnia naturalibus desideriis metitur, nec quærit quali mensâ, quali argento, qualibus ministerijs efferatur cibus. Vti neque ad sitim pertinet, quo populo aqua, aut quam eleganti ministretur manu: *Nihil enim præter alimenta natura desiderat.* Vide, si placet, quæ diximus ad illud. *Natura paucis est contenta*, Titulo *de Temperantia.*

4. *Fame dominante vacandum est à labore.*] Est hic Aphorismus 15. libri 2. Aphoris. Hippocratis. Ratio est; quia fames immoderata & labor non possunt simul tutò esse; cum alterutro eorum satis debilitetur vis animi naturalis. Etenim cum per nutritionem tria in homine instaurari debeant, substantia solida, humorosa, & spirituosa; Hæc vltima, vtpote nobilissima, maximâ indiget curâ, & nobilissimis alimentis est instauranda. Iam verò si & hæc per nimios v. c. studiorum labores atteratur, & aliæ per abstinentiam immoderatam; fit, vt deficiat purus sanguis, ex quo spiritus vitales generantur; ac proinde natura attrahat sanguinem crassiorem, ex quo spiritus minus subtiles; & corporis animique tarditas oritur. Nôtent hoc præcipuè illi, qui & simul intemperantius ab omni corporis refectione abstinent, & nihilo-minus animum continuo studiorum labore fatigant: Nam vt rectè notauit Halicarnassæus l. 9.

5. *Nihil generosum sapere potest, qui victus quotidiani penuriâ premitur.*] Quoniam videlicet ex naturali sympathiâ anima & corpus sibi mutuò com-

patiuntur, & illius infirmitas huius imbecillitatem sequitur, vt explicatum est, Titulo *de impotentiâ*. Quia enim per nimiam inediam præcipuæ humani corpori partes atteruntur: pro animi generositate, deiectio nascitur & tristitia, & morositas, aliaque non leuiora mala, vt docet Aristoteles Sec. 10. Problemate 3.

6. *Sitis agrius toleratur, quam fames.*] Indicatur à D. Thomâ in l. 2. de cęlo lec. 12. t. 30. & sumitur ex sect. 28. Problemate 5. Aristotelis, rationem assignat D. Thomas ibidem; quia, *sitis magis angit, quam fames.* Hoc autem ex eo accidit; quod calor naturalis & vitalis humidum vehementius, quam siccum desideret. Vide Rhodiginum l. 18. c. 33.

7. *Facilius est potu vesci, quam cibo.*] Est hic Aphorismus 11. l. 2. Aphorismorum Hippocratis, cuius ratio est: quia potus, & omnia potabilia sine masticatione deglutiri, & cæteris paribus, facilius digeri solent, quam cibi solidiores. Patet experientiâ: Nam ouum sorbile v. c. longè facilioris concoctionis, quam solidè exsiccatum. In hanc sententiam loquitur Apostolus 1. ad Corinth. c. 3. *Lac vobis potum dedi, non escam.* Vide, si placet, Cornelium à Lapide in illum locum.

Digitized by

TITVLVS XXXVI.

De *potentiâ cognoſcitiuâ.*

DISTINCTIO PRIMA.

Varia cognoſcendi genera.

1. COgnitio generatim eſt duplex, ſenſitiua, quę per ſenſum habetur, & intellectiua, quæ fit per intellectum.

2. Hæc vtraque eſt duplex, confuſa ſiue implicita, quâ v. c. Totum aliquod cognoſcitur confusè, id eſt non cognoſcendo ſingulas eius partes diſtinctè; Et diſtincta, ſiue explicita, per quam cognoſcitur diſtinctè, id eſt, per ſingulas partes, aut perfectiones.

3. Rurſus alia cognitio eſt intuitiua, quæ dicitur viſionis: per quam cognoſcitur obiectum in ſe, non alio prius cognito; vt viſio albi. Alia abſtractiua, quæ dicitur ſimplicis intelligentiæ, qua cognoſcitur obiectum non in ſe, ſed in alio prius cognito. Talis eſt cognitio, qua cognoſcit Aſtrologus Eclipſim ex ſuis cauſis, domi ſedens, & eam non videns.

4. Præterea alia cognitio eſt comprehenſiua, quâ res in tantum cognoſcitur, in quantum eſt cognoſcibilis de ſe. Alia non comprehenſiua, quâ res ita videtur, vt aliquid eius lateat videntem. Lege, ſi placet. D. Thomam 1. p. q. 12. a. 7.

DISTINCTIO II.

De cognoscibili & cognoscitiuo generatim

1. *RES in tantum est cognoscibilis in quantum Ens est.* Sumitur ex l.1.Metap.c.2.&l.3. Metap. t.12.& 22.& aliis.] Ratio est; quia in tantum potest cognosci, in quantum potest esse obiectum potentiæ cognoscitiuæ, in quantum Ens est; Quia omne Ens est cognoscibile ex se; Et solum non Ens, vt sic & per se non obijcitur Enti. Vnde l. 5.Metap.t.14. Non Ens, dicitur non esse intelligibile aut scibile. Neque enim scitur scientiâ definitiuâ, cum non habeat essentiam, quæ definiatur, nec scientiâ demonstratiuâ, cum non habeat proprietates, quæ de ipso demonstrentur, nec causas per quas demonstrentur. Vt pluribus explicatum est, Titulo *de scientiâ.*

2. *Sicut se res habet ad esse ita ad cognosci.* Sumitur ex l.4.Metap.t.4.] Vbi inquit Philosophus: *Vt se secundum esse vnumquodque se habet, ita secundum veritatem:* nempe tum fundamentalem, tum etiam formalem, quæ est veritas cognitionis, ac reperitur tum in simplici apprehensione, tum verò præcipuè ac primariò in secundâ operatione intellectus, siue in iudicio componente & diuidente, vt fusius explicatum est, Titulo *de veritate.* Eodẽ sensu l.2. Metap. t.42.dicit Aristoteles: *Vnumquodque ita est verum & intelligibile, sicuti est Ens,* & l. 9. Metap. c. 7. docet, actum magis esse agnoscibilem, quam potẽtiam Atque hinc est, quod scientia dicatur esse cognitio rei per causam; sicuti enim vnaquæque res est per suas causas, ita etiam per easdem cognoscitur, si non

actu, certè potentiâ & aptitudine. Vnde & illud.

3. *Tum vnumquodque cognoscimus, cum omnes eius causas cognoscimus.* l. 1. Poster. c. 2. & l. 2. Post. c. 11. & l. 1. Physic. t. 1.] Vbi sic habet; *Vnumquodq; tum nosse arbitramur, cum primas causas, primaque principia nouimus vsque ad ipsa elementa.* Intelligitur autem pronunciattum de cognitione rerum creatarum perfectâ: Hæc enim requirit cognitionem omnium causarum per se, siue internæ illæ sint & essentiales, siue externæ & remotæ. Ratio est; quia sicuti res habet esse per causas tum internas, tum externas, ita etiam per vtrasque habet cognosci: siquidem ex communi sententiâ.

4. *Eadẽ sunt principia essendi & cognoscendi.* Sumitur ex 3. Metap. c. 17. t. 22.] Et intelligitur de principiis rei per se & incomplexis, tã intrinsecis, quàm etiã extrinsecis: Hæc namq; quemadmodũ concurrunt, & necessariæ sunt ad rei principiatæ effectionẽ & constitutionem; ita etiam horum cognitio necessaria est, ad rei eiusdem cognitionem. In hanc sententiam Alexander de Ales in lib. 3. Metaph. t. 3. docet, cognitionem perfectam eius rei, quæ ab aliâ dependet, haberi non posse, sine aliquâ cognitione eius, à quâ dependet.

5. *Cognitio fieri non potest, nisi cognoscenda præcedant.*] Traditur à D. Augustino l. 4. de Genesi ad litteram c. 32. Ratio est, quia res cognoscenda ex vnâ parte est fundamentum cognitionis: proinde aliquo modo, saltem obiectiuè, debet necessariò esse anterius ipsâ notitiâ. Quo sensu docent Theologi, præscientiam Dei quam ab æterno habuit de futuris contingentibus, posteriorem esse rebus futuris, & speculatiuam esse, non practicam, ideſt, supponere suum obiectum non facere: neque enim ideo res est

futura; quia præuidet Deus illam esse futuram; sed præuidet futurã: quia est futura. Licet verò hinc inferatur, præuisionem Dei pendere à rebus futuris per medium obiecti; nullo tamen modo sequitur, eam ab iis pendere, quoad esse intrisecum siue substantiale: Esset enim æquè perfecta Dei cognitio quoad intrinseca, etsi nulla fuisset creatura, ac est modo: quia per terminationem ad creaturas nullâ omninò ratione intrinsece variatur.

DISTINCTIO III.

De eodem & modo cognoscendi.

1. *Modus cognoscendi sequitur modum essendi.*] Dictum istud dupliciter intelligi potest, primo ita: Modus cognoscendi sequitur modum essendi ipsius cognoscentis, & ita communiter vsurpatur, pendetque ex illo generali Axiomate: *sicut se res habet ad esse ita ad operari*, de quo supra, secundo intelligi potest hoc modo: modus cognoscendi rem, sequitur modum essendi rei eiusdem, quæ cognoscitur, vt, quanto res est perfectior in suâ entitate, tanto etiam perfectiore modo cognosci possit; nimirum secundum se, & nisi defectus sit ex parte potentiæ cognoscentis: Iuxta paraphrasim illius: *sicut se res habet ad esse, ita etiam ad cognosci*: Cum illo siquidem quoad rem conuenit. Eò nimirum sensu, vt quo v. c. altior est, siue quo magis crescit modus essendi, eò magis crescat modus cognoscendi. Quo fit, vt qui habet modum essendi inferiorem quam ob-

Digitized by Google

iectum cognoſcibile non poſſit naturaliter habere modum cognoſcendi proportionatum tali obiecto ſuperioti. Et hæc ſolet à Theologis reddi ratio, cur homo vel Angelus per ſua naturalia non poſſit Deum cognoſcere, ſiue intueri clarè; quia nimirum in eſſendo inferior eſt, & materialior Deus autem ſuperior & immaterialior in eſſendo, cum ſit actus puriſſimus, habens eſſe irreceptum, & carens omni potentialitate. Triplex verò gradus entium communiter aſſignatur, in ordine ad varium eſſendi & cognoſcendi modum, primus eſt eorum, quæ habent eſſe in materiâ, ſecundus eorum, quæ habent eſſe abſtractum à materiâ, & tamen habent eſſe receptum, & non ſunt ſuum eſſe, tertius denique eſt Entis, quod eſt ſuum eſſe, modus primus exceditur à ſecundo, & ſecundus à tertio. Quando ergo dicitur modus cognoſcendi accommodari modo eſſendi, ſenſus eſt, id quod excedit alterum in modo eſſendi ſecundum gradus iam dictos, non poſſe ab altero cognoſci clarè: ſiue, id quod pertinet ad gradum aliquem ſuperiorem ex prædictis, non poſſe naturaliter cognoſci ab Ente gradus inferioris clarè, & intuitiuè.

2. *In ſimplicibus aut totum cognoſcitur, aut totum ignoratur.* Sumitur ex l. 9. Metaph. cap. 7. t. 22.] Senſus eſt, entia ſimplicia non ſecundum partem cognoſci, & ſecundum partem ignorari: ſed aut tota cognoſci, aut tota ignorari. Ratio eſt: quia eorum eſſe non conſtat ex partibus, cum ſit aliquid ſimplex & indiuiſibile; & *ſicut ſe res habet ad eſſe, ita etiam ad cognoſci*, vt explicatum eſt. Eſt autem intelligendum pronunciatum ſecundum mentem Ariſtotelis propriè, de cognitione rei, prout in ſe eſt,

& cognoscitur per propriam speciem: quando enim res simplex ita intelligitur, sēper tota cognoscitur. Si verò loquamur de cognitione rei, nec vt in se est nec per propriam speciem; sed de eâ, quæ hauritur, ex alio medio prius cognito, & præsertim non adæquatè rem simplicem repræsentante: sic non repugnat, rem simplicem conceptu inadæquate concipi & intelligi, imò ita cognosci necesse est: non quod pars eius cognoscatur, & pars ignoretur. Sed quod indiuisibile illius esse inadæquatè concipiatur. Hinc cum Deus ex creaturis, vtpote inadæquatè eum repræsentantibus cognoscitur in hac vitâ, dicitur ab Apostolo 1. Co. 13. 12. cognosci *ex parte*. Ex hoc pronunciato deducunt aliqui infideles; quia non cognoscunt omnia de Deo, quæ credunt fideles, simpliciter dicendos esse non cognoscere Deum; sed totaliter ignorare; etiamsi agnoscant Deum esse, & aliquas de illo veras cognitiones habeant. Ita quidam sentire volunt D. Thomam 2. 2. q. 2. a. 2. ad 3. Verum ex dicto pronunciato non rectè id infertur. Possunt enim illi per verum conceptum, quem habent, attingere rem illam, quæ est Deus, non quidem secundum partem ipsius aliquam; sed secundum se totam, quamquam non attingant ita totaliter & adæquatè, vti fideles attingūt per cognitionem fidei; qui nec ipsi Deum totaliter absolutè, & omni modo cognoscunt, quo est cognoscibilis; vti neque beati in cælo per visionem beatificam: est enim infinitè cognoscibilis: omnis autem cognitio creaturę est finita. Vide, si placet, Valentiam 2. 2. disp. 1. q. 2. p. 1. sub finem.

3. *Compositum non cognoscitur, nisi sciantur componentia.*] Commentator in l. 1. de Interpret. cap. 3. Rationem assignat Albertus M. ibidem; quoniam compositi principia, sunt partes componentes.

Quæ

Quæ autem ſunt principia eſſendi, ſunt etiam principia cognoſcendi, vt perſpicuum eſt ex dictis.

4. *Vnumquodque cognoſcitur prout eſt actu.* l. 9. Metap. c. 11] Senſus eſt nihil cognoſci, ſecundum quod eſt in potentiâ; ſed ſecundum quod eſt actu patet hoc manifeſtè in cognitione ſenſitiuâ; Neque enim viſus, &c. percipit coloratum in potentiâ, ſed coloratum in actu; ſimili modo Phantaſia & intellectus, percipit rem vnamquamque prout habet, quod actu ſit per ſuam eſſentiam obiectiuè in intellectu, ſiue exiſtat à parte rei, ſiue non. Et ſecundum hanc reſtrictionem intelligi debet pronunciatum, alioqui veritatem non obtinet, vt patet in cognitione rerum præteritarum & futurarum, vel etiã poſſibilium. Eſtque hæc explicatio conformis menti Ariſtotelis, qui loco citato declarat id exemplo Geometriæ, in quâ reducendo in actum per diuiſionem ſiue realem, ſiue mentalem, id quod in potentiâ continetur in lineis continuis, peruenitur ad cognoſcendas veritates Geometricas. Vide D. Thomam 1.p.q.87.a.1 in corpore & alibi. Poteſt etiam intelligi de notitiâ, quæ via inuentionis acquiri ſolet ex effectibus, quo ſenſu Albertus M. de animalibus l. 11. Tract. 2. cap. 3. inquit: *Operantis artificium cognoſcitur ex operatione.* Nempe viâ ordinariâ in ordine ad nos, qui ex opere potentiam, & ex potentiâ inueſtigamus rei eſſentiam.

5. *Omnis cognitio præſupponit ſuum obiectum.*] Sumitur ex eodem cap. & verum eſt eodem ſenſu, quo iuxta mentem Ariſtotelis explicatum eſt effatũ præcedens. Præſupponitur enim obiectum potentiæ cognoſcenti, non neceſſariò, quoad exiſtentiam realem actualem. Vt patet in cognitione poſſibilium & præteritorum, ſed ſufficit exiſtentia obiectiua, quæ duplex eſt, vna eſt ſimul; cum actu ſecundo co-

gnitionis, vel etiam illum quodãmodo ſequitur, quia ita eſſe præſens nihil aliud eſt, quam actũ cognoſci: præter hanc neceſſaria eſt alia, antecedens ordine rationis ipſum actum cognitionis, & quæ ſit quaſi cauſa ſeu ratio, ob quam illa cognitio reipsâ & in præſenti verſetur circa rem, quæ dicitur obiectiuè præſens. Hæc obiectiua præſentia nihil aliud eſt, quam habitudo quædam, ſeu certa diſpoſitio rei, ob quam cognitio aliqua circa eam verſari poteſt; eſtque in præteritis præterita in futuris futura connexio prædicati & ſubiecti. Atque hinc docent Theologi & Philoſophi, præſcientiam Dei de futuris contingentibus non tollere contingentiam & libertatem rerum; eò quod hæc cognitio ſpeculatiua ſit, non practica, & præſupponat ſuum obiectum, non faciat. Atque, vt loquuntur Theologi: *Res futuræ non ſunt futuræ, quia præſciuntur, ſed ideo præſciuntur; quia futuræ ſunt.* Prius ergo eſt in ſigno rationis eſſe futurum, quam præſciatur futurum.

DISTINCTIO IV.

De potentia cognoſcitiua in ordine ad ſenſum.

1. *Omnis noſtra cognitio pendet à ſenſu.* L. 1. Poſter. cap. 2. & alibi.] Non intelligitur hoc modo, quod omnis noſtra cognitio etiam intellectiua alicuius rei dependeat à cognitione ſenſitiuâ præuiâ eiuſdem rei: multa enim ſunt, quæ per ſe ſub ſenſum cadere non poſſunt, vt Deus, intelligentiæ, &c. ſed intelligitur, quod omnis noſtra cognitio pendeat à ſenſu, aut ſenſitiuâ cognitione illius aut

Digitized by

alterius rei, atque hoc modo in hac vitâ venimus in cognitionem rerum inſenſibilium, vt Dei & Angelorum per cognitionem abſtractiuam noſtri intellectus, præuiâ ſenſitiuâ cognitione effectuum aut aliarum rerum ſimilium. Etenim intellectus noſter poſſibilis intellectionem exercere nequit ſine ſpeciebus intelligibilibus; cumque eas non habeat congenitas, ſicuti intellectus Angelicus: ſed ſit veluti tabula nuda, in quâ nihildum actu depictum eſt, datur in nobis intellectus agens, qui eas producit in intellectu poſſibili: non poteſt autem eas producere, niſi beneficio phantaſmatum, quæ ſimiliter dependent à ſenſu externo. In hanc quoque ſententiam verum eſt illud: *Nihil eſt in intellectu quod non prius fuerit in aliquo ſenſu*, de quo infra, Titulo *de potentiâ intellectiuâ*. Diſt. 4.

2. *Materia prima non eſt quoad nos per ſe cognoſcibilis.* l. 1. Phyſic. c. 7.] Ratio eſt quia noſter intellectus non poteſt per ſenſum acquirere propriam eius ſpeciem (ſenſus enim ſolas ſpecies accidentium recipit per ſe) ſed nos materiam cognoſcimus per analogiam ad artefacta, & ex tranſmutatione rerum accidentali: Quemadmodum enim in accidentali trãsmutatione aliud eſt ſubiectum, aliud forma accidentalis; ita in ſubſtantiali aliud eſt materia, aliud forma ſubſtantialis. At verò ſecũdum ſe poteſt materia cognoſci, cognitione directâ & propriâ, & per propriam ſui ſpeciem: quo pacto cognoſcitur ab intelligentiis, & beatis. Itaque verum eſt Axioma ſi loquamur de materiâ reſpectiuè & quoad nos: non autem ſi loquamur de eâ abſolutè & ſecundum ſe.

3. *Quo magis res eſt materialis, eò minus cognoſcibilis.* Sumitur ex eodem cap. & ex l. 1. Poſteriorum c. 2.] Nempe ſecundum ſe ſiue ex ſuâ naturâ. Ratio eſt; quia materia prima eſt cauſa, cur res minus

facilè & perfectè cognoscatur. Nam modus cognoscendi sequitur modum essendi vt constat ex dictis. Atqui materia 1. non solum quoad nos, per se non est cognoscibilis; sed etiam est Ens in se confusum & imperfectum; cum sit pura potentia, remotissima ab omni determinatione formæ.

4. *Quo res est remotior à materiâ, eò perfectiorem habet cognoscendi gradum.* l. 1. Posterior. c. 2.] Nempe secundum se, eo sensu, quo dicuntur ea esse notiora naturâ, quæ remotiora sunt à sensu & materiâ. Sic Deus & Angeli, qui sunt incorporei, dicuntur naturâ notiores, ac perfectius sunt cognoscibiles, quam substantiæ corporeæ. Item vniuersalissima prædicata, quæ abstrahunt à corpore, vt Ens, cum suis passionibus, dicuntur notiora vniuersalibus corporeis, vt sunt viuens, animal, &c. ita expressè Aristoteles loco citato. Ratio horum perspicua est ex dictis distinctione 3. huius Tituli.

TITVLVS XXXVII.

De Potentia sensitiua in communi.

DISTINCTIO PRIMA.

De sensu & sensili generatim.

1. *Sentire commune est omnibus animalibus.* Sumitur ex l. 2. Posteriorum c. 18. t. 27.] Vbi docet Philosophus. *Potentiam sensitiuam omni inesse animali.* Ratio est, quia sensitiuum esse per se primò fluit ex gradu animalitatis, qui est vltima perfectio animalis, vt sic; quo modo potentia discursiua fluit ex vltimâ perfectione naturæ humanæ, id est,

Digitized by

ex rationalitate. Ac proinde ſicuti diſcurſiuum eſſe per ſe primò conuenit proprijſſimè omni homini; ita ſenſitiuum eſſe per ſe primò & immediatè conuenit omni animali, & per hoc mediatè hominibus, equis, leonibus, aliiſque omnibus brutis; quatenus ſcilicet gradus animalitatis in ijs includitur.

2. *Senſus recipit formas ſine materiâ.*] Citari ſolet ex l. 3. de animâ c. 12. t. 121. & 122. Vbi in Græco eſt: ὁ ἀισθητὸς ὅτι τὸ δεκτικὸν &c. ideſt:] ſenſus receptiuus eſt, ſiue poteſt recipere, *formas*, ideſt imagines ſiue ſpecies qualitatum ſenſibilium ſine ſubiecto, & ſine modo eſſendi reali ac materiali, quem habent qualitates ſenſibiles, v. c. viſus colorem ſine ſubiecto, in quo eſt, per ſpeciem coloris, quæ non habet eſſe reale coloris; ſed intentionale. Declarat hoc loco citato Philoſophus ſimilitudine ſigilli, cera enim imaginem ſigilli recipit, non ipſam ſigilli materiam. Vide, ſi placet, Conimbricenſes ad textum citatum, vbi docent ex Theophilo, de huius pronunciati interpretatione non leue eſſe apud quoſdam Philoſophos diſſidium.

3. *Quod à ſenſu percipitur hoc agendo ſenſũ mouet.* Sumitur ex l. 2. de animâ c. 5.] Senſus eſt, omne id, quod ſentitur, hoc efficienter mouet potentiã ſenſitiuam, vel per ſeipſum, vel per vicariam ſui ſpeciem, per quam ex communi ſententiâ concurrit ad actum in genere cauſæ efficientis iuxta illud *Obiecta mouent potentias*, de quo ſupra, Titulo *de potentiâ generatiua*. Hinc capite citato dicitur ſenſus eſſe potentia paſſiua, & l. 2. de anima t. 118. Philoſophus inquit. *Sentire eſt quoddam pati*, quia alterari eſt quoddam pati; Atqui ſenſus, dum ſentit, alteratur, recipiendo ſcilicet ſpeciem, ab obiecto impreſſam (quæ alteratio per ſe non eſt corruptiua; ſed perfectiua) ergo ſenſus, dum ſentit patitur: & per conſequens potentia

sensitiua est passiua non quod nihil omninò agat, vt voluit Iandunus; sed quia sensatio, quæ est actio vitalis, non fit sine interueniente passione.

4. *Vnus sensus vnius est oppositionis.* Sumitur ex l. 2. de animâ t. 66] Vbi docet Philosophus, visum esse visibilis & inuisibilis, auditum audibilis & inaudibilis, & ita quemque similiter sensum. Ex t. 102. & 103. Vbi dicitur visus esse luminis & tenebrarũ, auditus soni & silentij; sicuti generatim: *Habitus & priuatio sunt eiusdẽ potentiæ.* Dicitur ergo vnus sensus vni⁹ esse oppositionis; quia versatur circa suum obiectum & eius priuationem; non quod hanc per se sentiat positiuè, (quoniam sentire est quoddam pati: at sensus non potest pati seu recipere speciem impressam à priuatione, cum hæc sit non ens) sed negatiuè; quo modo visus dicitur percipere tenebras, quatenus apertis oculis nihil videt. Porro sub hac generali oppositione continentur aliæ magis particulares. Vt visio albi & nigri, gustatio dulcis & amari &c. quo sensu verum est illud: *Contrariorum eadem est potẽtia*, de quo suo loco.

5. *Sensus fenestræ sunt animæ.*] Est commune dictum Philosophorũ, fundatum in analogica sũptione *Fenestræ*: quemadmodũ enim per fenestras & portas, aditus patet ad interiora domus & ciuitatis; ita externa sẽsibiliũ rerũ obiecta per fenestras & portas sensuũ penetralia mẽtis humanæ subeunt, & ab animâ ipsâ percipiũtur, iuxta illud: *Nihil est in intellectu quod nõ prius fuerit in sensu*, de quo titulo *de potentiâ intellectiuâ*. Huc etiã pertinet illud. *Mors intrauit per fenestras.* Præ ceteris autẽ sensibus visus ad variarũ rerũ cognitionem propriâ inuẽtione acquirẽdã maximè conducit, vt docet Aristoteles l. 1. Metaphitio; & Plato idem affirmans, oculis acceptam Philosophiam refert, in Timæo. Similiter auditus scientiæ

per doctrinam comparandæ plurimum inſeruit. Vt in ſpecie diſtinctius explicabitur infra.

6. *Nil niſi corporeum cadit ſub ſenſum.* Sumitur ex l. 7. Phyſ. t. 11. & 12. & refertur à D. Thomâ 1. p. q. 50. a. 1. in Corpore.] Ratio eſt, quia omne incorporeũ & ſpirituale eſt extra ſuũ obiectum. Vt pluribus explicatum eſt, Titulo *de potentiâ generatim*. Vide Hurtado diſp. 17. de anima, vbi totâ ſectione primâ veritatem huius pronunciati aſtruit.

DISTINCTIO II.

De modo ſenſationum.

1. *VT res agit in ſenſum ita ab eo cognoſcitur.* Sumitur ex l. 2. de animâ cap. 6.] Hinc eſt, qnod ſenſus nonnunquam errare videatur, vt cum viſus, & æſtimatiua vis baculum in aqua iudicat fractum, aut colores eſſe in iride, & collo columbę; quia nẽpe hæc agunt in ſenſum, non cum ijs conditionibus, quæ ad ſenſationem rectè faciendam neceſſariæ ſunt: Error autem iſte ad intellectũ potius quam ad ſenſum pertinet, vt notant Conimbricenſes in hunc locum. Quod ſi verò res agat in ſenſum, poſitis omnibus requiſitis, & ſublatis impedimẽtis, ex parte organi, medij, diſtantiæ, obiecti, ſecundum magnitudinem, locum, ſitum. &c. rectè ab illo percipi poterit, & ſecundum hanc explicationem verum eſt illud.

2. *Senſus non decipitur circa proprium obiectum.* Ibidem t. 63. & l. 4. Metap. t. 24.] Ratio eſt, quia omnis potentia nata eſt rectè percipere ſuum obiectum, ſi aliunde nullum ſit obſtaculum. Vnde ſi baculum extrahas ex aquâ, apparebit integer qui ante videbatur fractus, & ita de ceteris. Porro ſecundũ cõmunem modum operandi, & adhibitis quibuſdam

impedimentis, facilius decipitur sensus circa sensibilia communia, quam circa propria: vt docet Aristoteles l. 3. de animâ t. 161. in hæc verba: *Sensus proprium est verus, aut raro admodum suscipit falsitatem. Vt cum apprehendit albedinem in eo subiecto quod non est album.* Et paulò post: *Motus & magnitudo sunt sensibilia communia, circa quæ maximè contingit sensum decipi.* Sic v. c. nauigantes non errant circa colorem littorum, & arborum; sed circa motum, dum ea putant moueri &c. Lege, si placet, Rubium in l. 2. de animâ q. 15. n. 204.

3. *Error sensuum ad æstimationem pertinet.*] Nomine æstimatiuæ vel intelligitur sensus interior, vt in brutis; vel etiam iudicium intellectus, vt in hominibus. Sumitur effatum ex iam citato textu 24. l. 4. Metap. vbi inquit Philosophus; *Neque enim sensus propriè fallax est; sed imaginatio non est idem quod sensus.* Itē ex t. 25. ibidem, & alijs locis. Itaque sensus externus (de quo propriè intelligitur pronunciatum) videns baculum in aquâ quasi fractum, aut colores in iride, aut rem longè distantem minorem, quam reuera sit; non errat propriè neque decipitur; sed connaturali modo in suum obiectum fertur. Errat verò æstimatiua, iudicans baculum verè esse curuum, aut veros colores, aut solem v. c. non excedere magnitudinem modij. Vnde etiam Christus, in quo nullus vnquam error, siue quoad sensum, siue quoad intellectum esse potuit, eodem modo vtebatur sensibus, quo & nos: hæc tamen erat differentia; quod cum esset plenus omni scientiâ, non ferret iudicium iuxta primum dictamen sensuum; sed secundum rectam rationem; quia sciebat, quod tanta vel tanta distantia repræsentaret obiectum tantò, vel tantò minus, ipse interim totam obiecti magnitudinem, & qualitatem accuratissimè pernoscebat, ita docet

Digitized by Google

Vaſquez diſp. 61. in 3. p. cap. 9. Neque probatur à quibuſdam, quod ait Suarez t. 1. in 3. p. diſp. 24. ſec. 4. diuinam virtutem corroboraſſe ſenſum Chriſti, vt ſiue obiecta diſtarent, ſiue prope eſſent, nunquam tamen aliter ea apprehenderet, quam ſunt; vt v. c. ſolem ab oculo Chriſti viſum eſſe, non inſtar alicuius modij: ſed tantum omninò, quantus in ſe eſt.

4. *Senſus & ſenſibile in actu neceſſariò ſunt ſimul.* Sumitur ex l. 3. de animâ c. 2. t. 141.] Vbi docet Philoſophus, ſi ſenſus & ſenſibile ſumantur in Potentiâ, non ea neceſſariò eſſe ſimul, cũ poſſit eſſe color, nullo exiſtente viſu, & contra: At verò ſi vtrũq; ſumatur actu, vtrũque ſimul eſſe, ſeſeque reciprocâ neceſſitudine ponere, ac tollere, cũ vna ſit vtriuſque operatio; iuxta illud ex eodem c. deſumptum. *Senſus & ſenſibilis idem eſt actus*: quod de eâ operatione intelligi debet, quam obiectum per ſuam ſpeciem vna cum potentiâ edit, quæ non eſt aliud, quam rei ſenſibilis perceptio; quæ fit ex vnione potentiæ ſenſitiuę, cum obiecto vel obiecti vicariâ ſpecie, vt pluribus explicabitur Titulo *De actibus potentiæ cognoſcitiuæ.*

5. *Senſus percipit ſola præſentia.* l. 2. de animâ c. 5. t. 60.] Vbi inquit Philoſophus: *neceſſe eſt, ſenſibile ipſum adeſſe.* Et ratio eſt; quia obiectum, quod per ſeipſum non eſt præſens potentiæ immediatè, ſentitur per ſpeciem: hæc autem naturaliter pendet ab obiecto, non ſolum in eſſe & fieri; ſed etiam in conſeruari, ac proinde ne exiguo quidem tempore poteſt ſine obiecto permanere. Quo modo etiam lumen ne quidem imperfectè ſeu remiſsè poteſt conſeruari naturaliter, niſi luminoſum ſit actu præſens. Eſt autem pronunciatum intelligendum de ſenſatione extremâ; cum detur memoria ſenſitiua præteritorum: Item de potentiâ naturali, non verò de ſu-

pernaturali; quoniam virtute diuinâ obiectum absens vel non existens sentiri potest per speciem à Deo conseruatam, vel de nouo productam in sensu per quam obiectum dicitur esse præsens in esse obiectiuo vel representato, vel intentionali. Ita Suarez Tomo 3. in disp. 53. sec. 4. Molina, Rubius & alij, colligiturque ex D. Thomâ 3. p. q. 76. a. 8. Vbi docet, aliquãdo in Eucharistiâ miraculosè videri Christum sub specie pueri, item carnem eius & sanguinem; non eum, qui est à parte rei sub speciebus sacramentalibus; sed repræsentatum per species oculis impressas videntium, ad confirmationem præsentiæ Christi in Eucharistiâ.

DISTINCTIO III.

De sensationum extremis.

1. *Sola qualitatum exuperantia sentitur.*] Est commune dictũ Philosophorum desumptum ex l. 2. de anima, t. 118. Quod propriè intelligitur de sensu Tactus. Licet aliis etiã possit accommodari. Ratio illius est; quia quod à sensu percipitur hoc agendo sensum mouet, vt supra explicatum est: atqui actio non datur nisi à proportione maioris inæqualitatis, vt ostensum est Titulo *de causâ efficiente.* Sic v. c. manus non sentit aërẽ eiusdem secũ temperamenti, id est, æquè calidum, frigidũ, &c. ac ipsa est. Sic neq; *Simile durum aut molle sentimus, sed exuperantias,* vt inquit Aristoteles loco citato. Vide Rubium in l. 2. de anima Tractatu de sensu. Tactus. q. 4. Vbi fusè doctrinam hanc explicat & confirmat.

2. *Vehemẽs sensibile ladit sensũ.*] Traditur ab Aristotele l. 2. de anima c. 12. t. 123. & à Galeno l. 10. de

vſu partium. Ratio eſt, quia ſenſorium habet certum temperamentum & harmoniam primarum & ſecundarum qualitatum, quæ ſoluitur, turbatur & corrumpitur per vehemens ſenſibile; idque tum ratione exuperantiæ nimiæ vt cum ignis calidus vt 8. lædit calidam, vt 4 dũ eam adurit: tum etiam ratione qualitatis adiunctæ, quod fieri ſolet mediatè & inditectè, ideſt, lædendo per ſe & immediatè organũ; quo læſo conſequenter læditur potentia. Hinc Opifices & Coci, qui multum verſantur circa ignem, debiles habent & & læſos oculos. Alij ob ſonorum vehementiam obſurdeſcunt, & ita de cæteris.

3. *Tangibilium exuperantia non modo ſenſum ſed & animal corrumpit.* Ariſtoteles l. 3 de animâ c. 13. t. 68.] Ratio eſt; quia omne moderatum ab immoderato diſſoluitur, vt dictum eſt alibi. Ponit autem hoc loco Philoſophus diſcrimen inter Tactum & cæteros ſenſus, quod vehementia ſenſibilia cæterorum ſenſuum per ſe tantum deſtruant ipſos ſenſus; non verò animal: At vehemens tangibile deſtruẽs Tactum, hoc ipſo deſtruat etiam animal: Tactus enim ſimpliciter eſt neceſſarius animali; cum ſit *ſenſus temperamenti*: ſine quo vita conſeruari non poteſt, cæteri verò ſenſus non ita neceſſarii ſunt animali ad eſſe; ſed per ſe tantum ad bene eſſe, vt docet Ariſtoteles ibidem.

4. *Senſus non delectatur extremis.*] Sumitur ex eodem c. quo effatum præcedens, eademque eſt huius & illius ratio: quia nimirum ſenſorii incolumitas in congruâ qualitatum ſymmetriâ & temperie conſiſtit, & ſimile gaudet ſimili, ſic, guſtus v. c. non delectatur extrema dulcedine aut amaritudine; vtraque enim nauſeam parit, ſed temperatâ: ſic neque Tactus ſummo calore aut frigore recreatur: ſed potius lædituꝛ vt conſtat ex dictis Idem contingit in viſu & aliis ſenſibus In hanc ſententiam Ariſtoteles l 10 Ethic. c. 4. *Quouſque ſenſibile*, inquit, *vel intelligibile, & id quod iudicat vel contemplatur, tale fuerit, quale eſſe debet; in operatione inerit voluptas, cum enim id, & quod vt afficiatur, & quod vt afficiat, idoneum eſt, ſimilia ſunt & inter ſe eodem modo ſe habent; idem fieri in natura conſueuit* &c. Atque hinc docent Philoſophi morales obiectum cuiuſque potentiæ optimum, eſſe in ſe iucundiſſimum, quia optimum eſt maximè proportionatum potentiæ, explens proportionem, & adæquans capacitatem illius: ſi autem ita excellat, vt ſuperet

capacitatem potentiæ, non est iucundum; quia excessus obiecti obruit potentiam & interdum corrumpit organum.

TITVLVS XXXVIII.

De *sensibus in specie.*

DISTINCTIO PRIMA.

De *visu.*

1. *Visus est sensuum nobilissimus.* Sumitur ex l. 2. de animâ c. 7.] Vbi Philosophus, posteaquam egerat de sensibus in communi, incipit à visu, tanquam nobilissimo inter sensus externos: Horum enim, non etiam internorum comparatione, primus dicitur. Ratio est; quia habet 1. nobilius obiectum: Nam sub eo comprehenditur lux qualitatum materialium præstantissima, & nobilissimis corporibus, ideſt, cælis incorruptibilibus etiam conueniens. 2. quia habet nobilius organum, vt patet ex operosâ fabricâ oculi. 3. quia habet modum operandi perfectiorem, scilicet in instanti, & ex maximâ distantiâ. Lege si placet, Conimbricenses in l. 2. de animâ c. 7. q. 6. a. 1.

2. *Visus est sensus homini cariſsimus.* Sumitur ex l. 1. Metap. cap. 1.] Vbi docet Philosophus, omnes quidem sensus à nobis amari: præ cæteris autem eũ qui fit per oculos; Rationem assignat ibidem; *quoniam*, inquit, *hic sensuum vel maximè nos cognoscere quippiam facit, multasque rerum differentias manifestat*, ideſt; quia hic sensus præcipuè & principaliter rerum variarum inueniendis scientiis inseruit; & no-

Digitized by Google

biliore modo, quam reliqui ſenſus, ſua nobis obiecta repræſentat: Nam & maiore cum claritate, & celeritate res nobis ſenſibiles ſunt per viſum; Et nõ modo inferiora hæc; ſed & ſuperiora illa, & à nobis remotiſſima cęleſtis ſubſtãtiæ corpora ab illo percipiuntur. Vide Fonſec. l. 1. Metap. c. 1. q. 3.

3. *Viſus eſt formaliſſimus ſenſuum.* Albertus M. de ſen. & ſen. Tract. 2. c. 2.] Rationem aſſignat ibidem quia expreſſius præ aliis ſenſibus repræſentat, tum ſenſata communia, tum etiam ſenſata per accidens, vt conſtat ex dictis. Vide Rhodiginum l. 20. cap. 17.

4. *Viſus anticipat auditum.* l. 2. Meteor. ſummâ 4. c. 1.] Ratio eſt, quia, vt notat Alexãder Aphrod. in l. 2. Meteor. c. 9. auditus indiget tempore; cum omnis motus localis in tempore fiat & ſonus non ſit ſine motu. Receptio autem rei viſibilis in viſu non eſt in tempore; Qua etiam de causâ; *Viſus eſt ſpiritualior inter omnes ſenſus.* Vt inquit D. Thomas. de ſenſu & ſenſili lect. 8. In quam ſententiam intelligi poteſt Albertus M. l. 1. Metap. Tract. 1. c. 4. Vbi docet, ea quæ videntur non ſolum eſſe corporalia; ſed etiam incorporalia, quo modo dici ſolet lumen eſſe qualitas incorporea, non abſolutè: quia reuera materialis eſt & corporea, educiturque è ſubiecto materiali: ſed comparatè & conferatur cum aliis formis magis materialibus. Vide Scaligerum Exerc. 298 in Card. vbi propoſitionem hanc gratis infirmare nititur. Verum nihilominus eſt celeritatem qua viſus præpollet, non ipſi ſolum; ſed etiam obiecto ac ſpeciebus viſibilibus tribuenda eſſe. Hæ enim velocitate præſtant audibilibus.

5. *Non videmus manticæ quod in tergo eſt.*] Valet in curioſos alienorum vitiorum coryceos; qui aliena dicta factaque Lynceis oculis perſpiciunt; ſua ipſo-

rum vitia non vident, qui equidem hoc ipso, cuius ingenij sint, liquido manifestant: Etenim *Proprium stultitiæ est, aliorum vitia cernere, obliuisci suorum.* Cicero l. 3. Tuscul. quæst. Et sanè merito huiusmodi Christus redarguit Matth. 7. v 3. & 4. *Quid vides festucam in oculo fratris tui: trabem autē in oculo tuo non vides?* Consule, si placet, Salmeronem in hunc locū.

6. *Cœcus non iudicat de coloribus:* l 2. Phys. t. 6.] Intelligitur de eo, qui cœcus est natiuitate: Cum enim nihil sit in intellectu, quod non prius fuerit in aliquo sensu, cumque eiusmodi cœcus nullas vnquam colorum species perceperit, naturaliter non potest, vt rectum ille de coloribus iudicium ferat: Is siquidem, qui sensu aliquo destitutus est, consequi non potest, veram scientiam illarum rerum, quæ solo illo sensu percipiuntur, vt docet Aristoteles l. 1. Poster. c. 24. Addit autem Aristoteles ibidem, cœcum ratiocinantem de coloribus, licet quoad res ipsas nihil omninò rectè concipiat: de nominibus tamen eorumdem posse disserere.

DISTINCTIO II.

De auditu.

1. *Auditus est sensus disciplinæ.* Sumitur ex libro de sensu & sensili c. 1.] Vbi docet Philosophus, auditum esse aptiorem ad disciplinas capessendas, quam visum. Pro cuius explicatione notandum est, duas esse vias acquirendi scientias; nempe per doctrinam Magistri, & per propriam inuentionem: ad hanc posteriorem vtilissimus est visus, iuxta explicationem Axiomatum præcedentium: priori maximè inseruit auditus, qui proinde *sensus disciplinæ* vocatur siue vt pronunciat Hurtado. disp. 17. de ani-

Digitized by

ma sec. 3. n. 21. *Mater disciplina.* Affert enim omniũ rerum cognitionem, atque adeo earum, quæ visu cognosci nequeunt: hoc tamen non ita per se, quam ex accidente verum est ratione nimirum significationis quam homines indiderunt vocibus; hæc siquidem diffunditur ad omnia rerum genera, vt docent Philosophi in l. 1. de Interpretatione. Atque hæc est explicatio ipsius Aristotelis, loco citato, ex qua colligi docet, quod eorum, qui à natiuitate altero, visus, vel auditus sensu destituti sunt, prudentiores & sapientiores euadant cœci, quam surdi: Nam.

2. *Cæcus est surdo docilior.*] Sumptum est ex eodem libro & cap. Ratio perspicua fit ex dictis; quia nimirum cœcus præditus est sensu disciplinæ, quo priuatus est surdus, atque hac de causâ Suarez in Metaphysicâ disp. 1. sec. 6. n. 11. sub finem Paragraphi, docet; quando Aristoteles l. 1. Metap. c. 1. inquit, *Visum homini esse omnium sensuum charissimum*, comparari eum cum auditu & alijs sensibus, quoad modum acquirendi scientias per propriam inuẽtionem. Notat autem rectè Fonseca in l. 1. Metap. c. 1. q. 3 sec. 3. eam notitiam, quam assequimur per inuẽtionem, cariorem nobis esse eâ, quam per doctrinam comparamus; ac proinde simpliciter visum esse nobis cariorem auditu tum quoad munus acquirendi scientias, tum præcipuè, quoad alia munia vitæ humanæ magis necessaria.

3. *Res visa fortius mouet quam audita*] Cæteris nimirum paribus, traditur ab Alberto magno, de sensu & sensili Tractatu 1. c. 2. vbi inquit, audita segnius irritare animum, quam quæ oculis sunt subiecta, iuxta illud Horatij, de arte Poëtica.

Segnius irritant animum demissa per aures,
Quam quæ sunt oculis subiecta fidelibus.

Ratio est, quia obiectũ visibile, vt sic nobiliorẽ habet

Digitized by Google

modum immutandi, siue mouendi Potentias animi cognoscitiuas: quam obiectum audibile, vt docent Physici, item.

4. *sensus audiendi obtusior est, quam videndi.* In Problematis. sec. 7. num. 5.] Ratio huius & explicatio eadem est, quæ præcedentis: quia nimirum visus, ob excellentem cognoscendi modum (qui à materia liberior) expeditior est, certiorque. In hanc sententiam est illud Ciceronis: *Audire acerba tolerabilius est, quam videre*: quoniam visus acutius penetrat, ac fortius animo rem tristem repræsentat. Objcit verò Scaliger exercit. 38. in Cardanum: audita magis imprimi, vtpote reali ferè vocis appulsu: at visa intentionaliter semper, atque ideo multò leuius celeriusque visionem transigi, quam auditionem: vnde necesse sit illam minus hærere menti: Et hanc causam esse, *Cur audiendo magis quam legendo recreemur.* Verum hæc nihil efficiunt contra propositum: Nam lectio minus grata est, quam auditio tum quia lecta maiori labore discimus, quam audita; tum quia vox magis afficit suâ inflexione: lectio verò narrator est mutus, & libri sunt magistri mortui: vt explicabitur Titulo *de memoriâ*, ac proinde editis fabulis in Theatro mira oblectatio: non ita verò si easdem ex conscriptis libris addiscamus. Idque contingit, non quia audita fortius mouent, quam visa: sed quia visio & auditio simul præcellunt nudæ lectioni.

5. *Surdi à natiuitate sunt etiam muti.* l. 4. de Historiâ animalium c. 9.] Ratio est, quia quæ nunquam didicerunt proferre nequeunt: Loquela autem & vox omnis non nisi per auditum percipitur, qui est sensus disciplinæ. Intelliguntur ergo muti esse, quoad locutionem articulatam, non quoad vocem quamlibet inarticulatam.

6. *Dem-*

Digitized by Google

6. *Oculis potius habenda est fides quam auribus.* Elicitur ex l. 1. Metaph. c. 2.] Ratio est; quia vt ibidem docet Philosophus, oculi nos magis cognoscere faciunt, quam aures; sicuti etiam firmius inhærent memoriæ, ac phantasiæ vehementius imprimuntur; quæ visu percipimus, quam quæ auditu; dummodo cætera sint paria. Significat itaque pronunciatum, ijs quæ cernuntur coram, assentiendum potius esse quam quæ audiuntur: Hæc enim solâ fide constant humanâ: illa verò scientiâ habentur sensitiua euidenti, & certâ, ac intuitiuâ. Atque hinc vulgi etiam iudicio.

7. *Melior est testis oculatus vnus, quam auriti decem.*] Aures etenim aliis, oculi sibi credunt. Non verò intelligi debet pronunciatum; quasi minus credere debeamus, audire nos ea, quæ audimus, quam videre, quæ videmus: æquè enim certus quispiam esse potest, se audire, quæ audit; ac certus est, se videre, quæ videt. Et sicuti aures, ita oculi etiam persæpe decipiuntur; vt in visione colorum, qui apparent in iride & in collo columbæ, &c. Item in omni visione rerum, quæ ob refractionem aut reflexionem aliter apparent, ac sunt. Vt fusè docetur in Perspectiuâ. Eadem ratione verum est illud:

8. *Oculis magis oportet credere, quam opinionibus.* Hippocrates in libro de Diætâ.] Nempe quoties visibile obiectum ita nostris oculis proponitur, vt euidenter sine impedimento conspici ac peruideri possit: talis siquidem euidentia intuitiua, plenissimæ instar est probationis, & omnem excludit ambiguitatis materiam. Vnde Aristoteles l. 6. Physic. t. 22. *Quærere rationem*, inquit, *eorum, quæ sensu patent, infirmitas quædam est intellectûs.*

DISTINCTIO III.

De Olfactu.

1. *Odorandi sensus dignitate est medius, necessitate postremus.* Traditur à D. Thoma 1. p. q. 78. ar. 3.] Ratio est; quia visus remotissima cognoscit, auditus minus distantia, tactus & gustus attigua hærentiáque duntaxat: Odoratus autem nec remotissima, nec attigua tantum; sed mediocri interuallo dissita. Item species odoris minus spiritales sunt quàm visiles & audibiles: defæcatiores tamen quàm tactiles & gustabiles; quia hæ semper coniunctæ sunt cum rebus, quas repræsentant, illæ non item. Licet verò odorandi facultas, neque ad scientiam tam necessaria sit, quàm visus vel auditus, nec ad vitæ conseruationem, perinde ac gustus & tactus: multas tamen, ad illius incolumitatem commoditates affert, vt sunt, cerebri corroboratio, cordis refectio, alimenti noxij & salubris discriminatio: de quibus consule, si placet, Auicennam, Galenum, & alios.

2. *Odor est ficci, sapor humidi.* lib. 2. de Animâ t. 100. in fine capitis 9.] Ratio est; quia in subiecto præstantissimi odoris vincitur humidum ab arido: contra verò in subiecto saporis aridum ab humido. Eáque de causâ, si eadem res & odora & sapida existat, & constet partibus aliis siccioribus, alijs humidioribus, odor sequetur partem magis siccam, sapor humidam. Vnde & organum odoratus siccum est, gustatus humidum; ita vt non modo sapor, etiam in aridis corporibus succulentas partes amet; sed neque linguæ gustu dijudicetur, nisi illa interno aliquo humore sit affusa. Porrò odorem nasci ex siccitate do-

Digitized by Google

minante etiam hoc argumento est, quod constet, aridos & feruidos terrarum tractus, vt Arabiæ, Syriæ, &c. optimorum odorum esse feracissimos. Item rosas serenis diebus collectas, maiorem odoris reddere fragrantiam.

3. *Rosæ suauius olent quibus vmbilicus est asper.* In Problematis sect. 12. t. 8.] Rationem addit Philosophus ibidem; quia Rosarum illæ suauiorem odorem spargunt, quæ modum consecutæ sunt naturæ suæ perfectiorem: Rosæ autem spinosæ sunt suâ naturâ, iuxta illud: *Semper odoriferis proxima spina rosis.* Et ideo, cæteris paribus, odoræ sunt magis quæ magis spinosæ; quoniam *modus operandi sequitur modum essendi.* Sensus moralis huius pronunciati locum habet in viris grauibus & perfectis, in quorum conuersatione seria maturitas cernitur, coniuncta cum suaui humanitate, & qui non fortiter minus quam suauiter sua peragunt negotia. Videri potest Zodiacus Christianus signo 5. vbi de hac materia doctè agitur & copiosè.

4. *Raro somniamus de odoribus.*] Traditur ab Alberto M. in lib. 3. de Animâ tract. 1. c. 9. & in Summâ de homine, Tractatu de odore. Ratio est; quia debilem habemus hunc sensum, & illorum species in nostro sensu interno infirmæ sunt, & euanidæ: At de coloribus & figuris longè sæpius, phantasmata mouentur in somno, quia illorum species magis habent proprietatem intentionum spiritualium, vt notauit Albertus ibidem, & perspicuum est ex dictis.

Digitized by Google

DISTINCTIO IV.

De Gustu.

1. *Gvstus est sensus alimenti.* Aristoteles lib. de Sensu & Sensili c. 4.] Ita communiter à Philosophis appellatur: quia seruit propriè ad animalis nutritionem, estque vt præuius explorator alimenti; ac quemadmodum, *Olfactus prægustator est Gustûs*; ita Gustus ventriculi & vegetatiuæ facultatis.

2. *Gustus est quidam tactus.* l. 2. de Animâ t. 94.] Vbi ex eo probat Philosophus, gustu acutiore præditos esse homines præ alijs animalibus; quia nimirum Gustus est quidam tactus, quem sensum certissimum habet homo. Notandum autem, actum accipi tripliciter, 1° latissimè, pro simultate corporum, quorum extrema dicuntur esse simul. Ita sumitur l. 5. Physic. 2° minus latè pro sensu vitaliter percipiente suum obiectum sine medio externo. 3° strictè & propriè pro sensu percipiente solas qualitates tangibiles, vt sic. Itaque gustus est tactus non solum primo, qui improprius omninò est; sed etiam secũdo modo, non tamen tertio. Quocirca duo isti sensus, licet inter se in aliquo conueniant: essentiali tamen specie differunt; alioqui non essent, nisi quatuor sensus externi, quod est contra Aristotelem & communem Philosophorum sententiam: tametsi non aliter senserit.

3. *Gustabile est quoddam tangibile.* l. 2. de Animâ t. 101. sub initium capitis decimi.] Rationẽ assignat Philosophus ibidem; quia sicuti hoc, ita & illud percipitur immediatè, non per medium externum, v. c. aërem. Item omne mixtum est perceptibile tactu;

Digitized by Google

atqui omne guſtabile eſt mixtum: Ergo omne guſtabile eſt perceptibile tactu. Verum itaque eſt propoſitum effatum eodem ſenſu, quo dictum præcedens. Differunt nihilominus duo iſti ſenſus, non organis ſolum; quoniam tactus per totum corpus diffuſus eſt, guſtus non item; verum etiam obiectis: nam illius obiectum primarium ſunt calor & frigus, aliæque qualitates primę: huius verò ſunt qualitates ſecundæ, nempe ſapores. Vide etiam, ſi placet, Ariſtotelem huius libri t. 102.

4. *Guſtu rariùs vtuntur intemperantes.* l. 3. Ethic. cap. 10.] Non etenim illi ſalubria à noxijs, dulcia ab amaris dignoſcere & diſcriminare laborant; ſed cœco appetitu, pleno ſeſe ore ingurgitant. Item guſtus maximè viget in cuſpide linguæ l. 1. de Hiſt. Anima. c. 11. & 2. de Part. c. 17. Quoniam nerui guſtatorij ibi molliores ſunt & coniunctiores. Vnde qui exactiùs cibum deguſtare volunt, reuocant à radice linguæ ad initium: intemperantes autem & heluones omnia confeſtim trajiciunt, vt bene Hurtado d. 17. de Anima n. 35.

5. *Omne ſuaue miſtum ſuauiori ſuauius redditur.*] Ariſtoteles in Problematis ſect. 19. t. 44. cæteris nimirum paribus, & ſi inter ſe ſint proportionata; eodem ſenſu, quo dicitur, *Virtus vnita fortior*, Titulo *de Potentiâ generatim*, diſt. 3. Intelligitur autem non ſolum de ſuauitate mouente guſtum; ſed aliorum etiam ſenſuum motrice: in quam ſententiam Ariſtoteles loco citato probat, ſuauius nos audire cantilenam, cum ad tibiam, quàm cum ad lyram canitur, eò quod tibia ſuauitate lyram ſuperet: *Sonus enim lyræ*, ait, *quia non ſit voce ideo minus voci immiſceri poteſt: tibia autem ſonitu & cognatione cum voce, multos cantilenæ errores occultat.*

6. *Ægrotis omnia videntur amara.* lib. 2. de Animâ

t. 104.] Rationem assignat Philosophus ibidem; quia linguam habent morbido humore infectam, vt proinde aduentitium saporem dignoscere rectè non valeant: Etenim sapor ille, quo linguam occupatam habent, gustui primò occurrit, nec externis sapotibus hauriendis locum relinquit.

DISTINCTIO V.

De Tactu.

1. *Omne animal præditum est sensu tactus.* l. 2. de Animâ t. 17. & alibi.] Licet multa animalia nec visum, nec auditum, nec odoratus sensum habeant, vt docet Philosophus l. 2. de Animâ t. 31. qualia sunt, v. c. spongiæ maris, & quædam conchilia, quæ vno duntaxat sensu prædita sunt; *neque processiua sunt, sed locomanentia*, vt loquitur Aristoteles; Nec enim loco mouentur, sed à radicibus suis alimẽta percipiunt, vti plantæ: omnia tamen animalium genera tangendi sensum habent; cum omne animal essentialiter sit sensitiuum; & sentire non possit, nisi sensu tactus: propterea enim vnumquodque est, ac dicitur animal, quod animâ sensitiuâ præditum sit, & aliquo sensu constet: atqui.

2. *Tactus est fundamentum aliorum sensuum.*] Refertur à D. Thomâ 1. 2. q. 91. a. 1. ad 2. & à Suarez in Metaphysicâ, disp. 1. sect. 6. nu. 10. vbi inquit, Tactum esse omnium primũ, aliorũque fundamentũ: *Si enim animalia sunt*, inquit Arist. loco ante citato, *sensu aliquo prædita sunt, & si sensu prædita sunt, tactu sunt prædita*; quia absque hoc aliũ sensum habere non est possibile, cum nec vita ipsa sine tactu conseruetur, vt docet Aristoteles l. 3. de Animâ t. 66. & lib.

Digitized by Google

de Sensu & Sensili cap. 1. Vide, si placet, Suarez loco citato, & Fonsecam in l. 1. Metaph. c. 1. q. 3. sect. 3. Atque hinc planum fit, sensum Tactûs simpliciter necessarium esse ad constitutionem & conseruationem animalis in suo statu naturali: cæteros verò sensus non item; sed à naturâ esse concessos, ad melius esse. Quare perfectissima animalia omnibus sensibus ornata sunt: cæterorum verò quædam aliquos tantum habent. Vt speciatim explicatur in Historiâ Animalium.

3. *Tactus est sensus temperamenti.*] Ita à Medicis & Philosophis appellatur: tum, quia est nota & signum complexionis, vt mox explicabitur; tum, quia spargitur per omnes corporis partes, in quibus est temperamentum, quo vita sensitiua continetur; eo nimirum fine, vt, si animal lædatur, statim percipiat & caueat: organum namque Tactus est tum caro ipsa, tum nerui, tum cutis etiam interna: imò omnes partes corporis, quæ habent debitam temperiem, præditæ sunt sensu Tactûs, vt docet Aristoteles li. 1. de Historia Animalium c. 4. Eadem de causâ verè dicitur illud:

4. *Tactus est sensus vitæ.*] Quippe datus animali, ad vitam tuendam, (vt bene notat Iulius Scaliger Exercit. 231. in Cardanum) & simpliciter ad illius incolumitatem & conseruationem necessarius. Vnde etiam, ablato Tactu, tollitur sensus; sublato sensu tollitur vita animalis, vt docet Aristoteles lib. 3. de Animâ t. 67. in hæc verba: *Hæc cum ita sint, patet animalia necessariò mori, cum hoc solo sensu Tactus priuantur: neque enim fieri potest, vt hunc sensum non habeat animal: neque si animal est, alium præter hunc habere necesse est*, &c. Vide, si placet, Conimb. in hunc locũ.

5. *Tactus est sensuum vilissimus.* Refertur à Themistio in l. 2. de Animâ t. 27.] Ratio est; quia om-

nes alij sensus obiectum nobilius habent, illudque percipiunt modo nobiliore, id est, magis spirituali. Vnde Proclus Commento 30. in Timæum, ait: *Tactum esse sensum maximè crassum & corporeum.* Sumitur autem effatum propositum ex lib. 3. de Animâ c. 1. vbi fusiùs id probant Aristotelis interpretes. Sensus illius moralis efficax est in illos, qui brutorum instar animalium inordinatè proiecti sunt ad turpes corporis illecebras. Vide Hurtado d. 17. de Anima, num. 36.

6. *Tactus est homini excellentissimus.*] Refertur à D. Thoma, de Sensu & Sensili lectione 9. Sumiturque ex c. 4. Aristotelis de Sensu & Sens. & ex lib. 2. de Animâ t. 94. vbi inquit, hominem inter omnia animalia præditum esse certissimo sensu Tactus, & in hoc cætera animalia superare, cum in alijs sensibus à pluribus superetur. Rationem assignat Alexãder Aphrod. in l. 1. de Animâ c. 16. quoniam homo præ cęteris animalibus temperatissimum habet corpus, & formam nobilissimam: nobilissimæ autem formæ debetur temperamentum præstantissimum: cum illi debeat esse proportionatum, quâ etiam de causâ caro hũmana dicitur omnium delicatissima. Porro quod de Tactu dicitur, idem etiam de Gustu intelligi potest, quia vt ex Aristotele supra ostendimus, *Gustus est quidam Tactus*, in quam sententiam Aristoteles lib. 1. de Historia Animaliũ c. 15. negat Gustum & Tactum, vtpote qui fundantur in temperie primarum qualitatum, esse prestantiores in brutis, quàm in homine: Quod verò de simię gustu, & tactu aranęæ dicitur, iuxta illud vulgare:

Nos aper auditu, lynx visu, simia gustu,
Vultur odoratu præcellit, aranea tactu.

Id si verum est, de velocissimo per gustum & tactum percipiendi modo intelligi potest: absolutè verò

ratione exactæ ſenſationis, & accuratæ diſtinctionis differentiarum tangibilium, præcellit homo.

7. *Tactus bonitas temperaturæ bonitatem arguit.*] Ita pronunciat D. Thomas, in lib. 2. de Animâ lect. 19. tex. 94. vbi addit, eos, qui Tactum bonum habent, ac mollem carnem, eſſe ingenioſos. Ratio eſt; quia bonitas tactus, eſt ſignum quoddam ſeu nota non vulgaris, qua venimus in cognitionem naturalis complexionis; quo ſenſu dixit Ariſtoteles l. 2. de Animâ cap. 9: *Per ſenſum tactus diſcernimus ſapientes ab inſipientibus.* Fuſiùs id explicabitur, Titulo *de Potentiâ intellectiuâ*, ad illud: *Molles carne ſunt ingenioſi.* Eodem ſenſu idem D. Thomas pronunciat alibi:

8. *Tanto inter homines homo eſt magis aptus mente, quantò eſt melioris Tactus.* In lib. de Senſu & Senſili lect. 9.] Quia videlicet bonitas tactus, complexionis bonitatem arguit: hanc verò ſequitur vigor corporis & animi, & omnium illius potentiarum, organicarum imprimis, & conſequenter etiam inorganicarum, & acrimonia ad munia ſua promptè ac feliciter obeunda, vt pluribus explicabitur Titulo citato. Vide Rhodiginum lib. 6. c. 1.

TITVLVS XXXIX.

De Potentiâ Intellectiuâ.

DISTINCTIO PRIMA.

Qualis Potentia ſit Intellectus.

1. *INtellectus eſt Ens in pura Potentia.* Sumitur ex lib. 3. de Anima tex. 14. Vbi dicitur, intellectus

potentiâ quidem esse omnia intelligibilia, actu verò nihil eorum, antequam intelligat ipsa. Verum itaque est absolutè de intellectu secundum se, prout homini innascitur à natura. Hoc enim modo Ens est in pura potentia, & habet se velut tabula nuda; qua similitudine Textu citato vtitur Aristoteles: hęc enim sicuti nulla rerum imagine aut colore formata est, ita intellectus noster secundum se nullis rerum intelligibilium imaginibus formisque scientiarum est adornatus: vsu verò & tempore, sensuum adminiculo, talis perpolitur, & Ens in actu constituitur. Contrarium accidit in primis humani generis parentibus non ex debito naturæ, aut origine primæua; cum eorum animæ eiusdem fuerint naturæ ac speciei cum anima nostra: sed ex liberali Dei beneficio. Etenim Deus ipsis (& decebat tantæ familiæ principes & auctores) in ipso creationis suæ primordio præclaram non humanarum tantum, sed etiam diuinarum rerum cognitionem attribuit.

Cæterum ad vberiorem huius propositionis explicationem notandum est, intellectum potius comparari cum *tabula nuda*, quam, vt aliqui faciunt, cum *rasa*: Nuda enim tabula dicitur, in qua nihil dum scriptum fuit: Rasa verò, in qua aliquid olim exaratum; postea verò deletum & expunctum est. Hic itaque posterior loquendi modus sapit aliquid de errore Platonis, qui existimabat animas nostras priusque corporibus immergerentur, notiones omnium rerum habuisse consignatas: sed ex corporum contagione eas debilitari; reminisci tamen earum vsu & exercitatione.

2. *Intellectus omnia intelligit.* Lib. 3. de Anima tex. 4.] Intelligitur pronunciatum de intellectu creato, non quoad actum, sed quoad potentiam: non enim intellectus, de quo Textu citato agit

Digitized by Google

Aristoteles, actu omnia scit aut intelligit; sed ex sua natura est talis, vt possit omnia intelligere; nempe omnia entia realia quæ sunt naturaliter intelligibilia. Ratio est, quia quælibet veritas realis & naturalis habet proportionem cum intellectu humano. Vnde illud:

3. *Intellectus est Potentiâ omnia.*] Citari solet ex eodem textu 4. libro 3. de Anima, licet potius desumptum esse videatur ex textu 14. paulò ante citato; vel ex eiusdem textu 37. Hæc autem potentia omnium cognoscibilium perfectè expleri non potest in hac vita; quemadmodum potentia visiua potest quidem percipere omnes colores; nunquam tamen hæc vllo in homine ita actuatur aut expletur, vt vnus & idem homo viderit omnes colores, & omnia visibilia in mundo. Simili modo neque vnus solus, neque omnes simul intellectus humani actu in hac vita intelligunt omnia, quæ cognosci & intelligi possunt. Vt, v. g. omnes stellas in Cælo, omnes herbas, plantas, lapides in terra, omnia folia in arboribus, omnes arenas & pisces maris, &c. Ratio est, quoniam:

4. *Omnis nostra notitia pendet à sensu.* Libro 3. de Anima cap. 8. & alibi.] Plurimæ autem rerum species fugiunt sensum, quæ latent in visceribus terræ, in abstrusis marium, in vastis locis & desertis, quo industria humana penetrare nequit, & vt maximè posset penetrare, nunquam tamen posset explorare virtutes occultas rerum omnium. Deberet enim vnaquæque res cum alia comparari & ita disquiri, vt appareret, quam vim haberet insitam, quibus omnibus experiundis nequaquam par est hominis industria, quia vt rectè ait Hippocrates Aphorism. 1. *Vita brevis, ars verò longa*: Neque verò hinc sequitur desiderium in-

Digitized by Google

natum toti speciei esse frustra, cum omnis homo naturaliter scire desideret, vt docetur 1. Metaph. tex. 1. & intellectus sit omnia potentiâ, vt dictum est: quia licet homo appetitu innato vel etiam elicito appetat omnia scire; non tamen actualiter desiderat omnia scire collectiuè & simul, siue in sensu composito: sed in sensu diuiso, siue seorsim & diuisim. Etenim intellectus se habet ad scientias percipiendas vti materia prima est in potentia ad recipiendas quascunque formas, quas illa non simul & collectiuè recipit, aut recipere appetit; sed diuisim & separatim. Hæc itaque potentia reducetur ad actum, & hoc desiderium complebitur vel in hac vel in altera vita, & ideo non censetur esse frustra. Atque hinc etiam probant Theologi, animam rationalem secundum veram Philosophiam & rectam rationem siue lumen naturale, esse dicendam immortalem: Cum enim appetitu quodammodo infinito desideret intelligere omnia intelligibilia; quemadmodum appetit possidere omne bonum, vt explicatur Titulo *de Beatitudine*, & hic appetitus minimè expleatur in hac vita: nunquam enim intellectus, nunquam voluntas dicit, *Sufficit*, vt dictum est Titulo, *de fine vltimo*: necessariò sequitur, aut appetitum frustra esse insitum animæ ab auctore naturæ Deo, quod absurdum est: aut animam post hanc vitam mortalem, victuram esse immortalem vitam aliam, in qua satiari potest appetitus illius intelligendo, & amando Deum, qui est infinitè intelligibilis & amabilis, continens in se vel formaliter, vel eminenter quidquid est intelligibile & amabile.

5. *Anima est, quodammodo omnia.* Lib. 3. de Anima c. 8. t. 37.] Vbi id probat Philosophus in hunc modum: *Omnia quæ sunt, aut intelligibilia sunt, aut sensibilia, atqui anima per sensum est omnia sensibilia, per*

Digitized by Google

intellectum omnia intelligibilia; quod interpretandum eſt non ſecundum eſſe reale, neque enim anima eſt lapis, v. g. quem intelligit, aut color, quem videt; ſed ſecundum eſſe intentionale, & hoc ſenſu dicit Ariſtoteles 3. de Anima tex. 19. *Scientia ſecundum actum eſt idem cum reipſa*: ſignificat enim actualem ſcientiam ſecundum repræſentationem idem eſſe, quæ ſcitur, vel intelligitur; quia terminus actus cognoſcitiui, id eſt ſpecies impreſſa repræſentat formaliter intellectui, obiectum illius. Itaque anima eſt omnia per ſpecies obiectorũ, per quas obiecta cum ſenſu & intellectu vnita fiunt vnum in eſſe repræſentatiuo. Poteſt etiam dici omnia quoad potentiam cognoſcendi ſecundum illos, qui ſpecies negant, & eodem ſenſu intelligenda eſt explicatio illius. *Intellectus eſt potentia omnia*, quod potius ex hoc textu 37. deſumptum eſſe videtur, vel etiam ex textu 14. eiuſdem libri, quam ex citato ibidem t. 4. Ex quo referunt illud non pauci recentiores.

6. *Intellectus eſt forma formarum.* Lib. 3. de anima cap. 8 T. 38.] Dicitur intellectus forma formarum, vt manus appellatur inſtrumentum inſtrumẽtorum. Quemadmodum enim manus cum ſit inſtrumẽtum, quo cætera efformantur, atque adeo inſtrumentorũ omnium organum, aliis inſtrumentis vtitur, vt, v. g. cultro, calamo, ſecuri, &c. Ita intellectus cum ſit ipſe ſuo modo forma inſtrumentaria ſuppoſiti intelligentis; nihilominus alias formas recipit, & imagines rerum omnium, quæ in cognitionem venire poſſunt, tam materialium, quam immaterialium; ſi non actu ſaltem potentia. Quare à nonnullis meritò vicem ſpeculi referre intellectus dicitur, cum imagines rerum omnium, quæ in cognitionem venire poſſunt, fideliſſimè excipiat & repræſentet. Eodem ferè ſenſu T. proximè ſuperiore dixerat Ari-

Digitized by Google

ſtoteles, animam eſſe quodammodo omnia.

7. *Intellectus nullius corporis eſt actus.* Sumitur ex lib. 1. de anima Tex. 49. & alijs.] Nomine actus intelligitur forma, quæ actuat & informat materiam aut ſubiectum. Senſus itaque verus huius pronũciati ſecundum aliquos eſt iſte: Intellectus in nullo eſt corpore tãquam in ſubiecto & immediato. Eſt enim in ipſa anima rationali, ipſam cõſequens in illo gradu, quem participat anima cum intelligẽtiis, & ſubſtantiis ſeparatis, ſiue potius, vt ait D. Thomas in 8. phyſ. lect. 21. t. 79. & in 2. de Anima lec. 12. t. 60. *Intellectus dicitur nullius corporis actus, quia eſt virtus immaterialis, quæ nõ eſt actus alicuius organi corporalis.* Hinc etiam lib. 3. de anima t. 18. intellectus & ſeparabilis eſſe, & non miſtus cum corpore dicitur, quia nempe non eſt affixus vlli organo corporeo, vt ſunt potẽtiæ naturales: neque cõcretus ex perceptis corporibus, vt quidam veterum philoſophorum arbitrabãtur. Idẽ clarius adhuc docet Philoſophus l. 3. de anima t. 6. his verbis: *Quocirca neque cum corpore mixtum eſſe ipſum, conſentaneum eſt rationi, qualis enim quidem fieret calidus aut frigidus & inſtrumentum aliquod ipſius eſſet, ſicuti ſenſus.* Id eſt, ſi intellectus addictus eſſet organo corporeo, oporteret ipſum corporeis affici qualitatibus, eſſetque ei à corpore deputatum aliquod organum, ſicuti & cæteris corporeis facultatibus.

DISTINCTIO II.

De intellectu in ordine ad intelligibile generatim.

1. *Nihil eſt per ſe intelligibile niſi Ens.* 5. Metaph. t. 14.] Ratio eſt; quia nihil per ſe poteſt

Digitized by Google

objici noſtro intellectui, aut ipſi in ratione intelligibilitatis aſſimilari, quod ad cognitionem intellectualem, requiritur, niſi participet rationem entis. Etenim omnis cognitio fit per aſſimilationem, & eadem ſunt principia eſſendi & cognoſcendi, moduſque cognoſcendi ſequitur modum eſſendi, vt explicatur alibi, & apertè docet D. Auguſtinus multis locis, vt lib. 9. de Trinit. c. 10. vbi inquit: *Omnis ſecundum ſpeciem notitia ſimilis eſt rei, quam nouit*: & cap. 11. *Habet ergo animus nonnullam ſpeciei notæ ſimilitudinem, ſiue cum ea placet, ſiue eius priuatio diſplicet. Quocirca in quantum Deum nouimus, ſimiles ſumus, ſed non ad æqualitatẽ, quia non tantum cum nouimus quantũ ipſe eſt.* Similia habet l. 14. c. 17. & alibi. Idem apertè inſinuat S. Ioannes Epiſt. 1. cap. 3. cum ait. *Scimus, quoniam cum apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt.* Atque hac de cauſa chymæra & aliud quoduis ens rationis nõ poteſt cognoſci, aut eſſe obiectum noſtri intellectus, niſi concipiatur per modum entis, & ad ſimilitudinem eorum, quæ vera & realia ſunt entia. Vide, ſi placet, D. Thomam 1. p. q. 19. art. 3. ad 2.

5. *Intellectus & intelligibile debent eſſe proportionata.*] Sumitur ex eodem textu: Nempe ſecundum rationem intelligibilis, & ſecundum conuenientiam, quæ neceſſario requiritur inter vim cognoſcentem & obiectum, quod cognoſcitur. Quomodo inter Deum etiam & inter intellectum creatum inuenitur proportio ſufficiens ad aliquam cognitionem, licet verè dicatur: *Finiti ad infinitum nulla eſſe proportio.* Pro huius autem maiori explicatione notandum eſt duplicem eſſe proportionem; Aliam quantitatiuam ſiue ſecundum æqualitatem, vel determinatum exceſſum aut commenſurabilitatem, qualis eſt inter eas quantitates, quarum vna

est æqualis alteri, vel quarum altera sæpius sumpta potest adæquare aliam: Alteram habitudinis proportionem, quæ posita est in habitudine siue ordine vnius ad alterum; qualis est in materiam & formam, causam & effectum, obiectum & potentiam: Prior non requiritur inter intellectum & intelligibile, neque vllo modo est inter Deum & intellectum, vt euincit infinitas perfectionis diuinæ: Posteriorem habitudinis; intelligentis scilicet ad intelligibile, inter Deum & creaturam non impedit eadem infinitas; sicuti nec impedit, quo minus inter Deum & creaturas possit esse habitudo effectus & causæ.

3. *Res superiores leuiter à nobis attinguntur.* Lib. 1. de part. animal. cap. 5.] Etsi ea omnia, quæ supra sensus collocata sunt, maximè intelligibilia sint, & scitu dignissima, ob suæ naturæ præstantiam & eminentiam, cum ita res vnaquæque sese habeat ad cognosci, sicuti ad esse; à nobis tamen imperfectè admodum & obscurè cognoscuntur. Causa est infirmitas & veluti hebetudo visus nostri mentalis, qui ob diuturnam cum sensibus familiaritatem & necessariam ab iis in hac vita dependentiam, ad rerum altiorum contemplationem ægrè assurgit; vnde illud:

4. *Oculus humanus ad spiritualia caligat.* Sumitur ex l. 2. Metaph. cap. 1.] Vbi docet Aristoteles, res nobilissimas & cognitu dignissimas difficulter ab intellectu humano cognosci, idque ostendit similitudine à Vespertilionibus desumpta: Quemadmodum enim oculi Vespertilionum plenum diei lumen ægerrimè ferunt, vt proinde in vmbra & tenebris vagari soleant, ita intellectus humanus ob imbecillitatē suā, excipit difficillimè, & sustinet fulgorem

rerum

rerũ ſpiritualium, id quod in omnibus quidẽ aliis, tùm verò præcipuè in contemplatione glorioſæ diuinitatis locum obtinet. Nam vt ſacra habent eloquia: *Qui ſcrutator eſt maieſtatis, opprimetur à gloria.* Cęterum Ariſtotelis verba loco citato ſunt iſta. *Quẽadmodum veſpertilionum oculi ſe habent ad lucem diurnam, ita anima noſtra ad ea, quæ ſuapte natura ſunt omnium manifeſtiſſima*; Vbi analogia (quod aliqui perperam faciunt,) non eſt conſtituenda in eo, quod ſicut veſpertilio tenuiter tantum, licet diſtinctè & intuitiuè videat lucem diurnam, ita noſter oculus intellectualis idem poſſit circa obiecta maximè intelligibilia: ſed in eo; quod ſicuti veſpertilio deficit à plena lucis diurnæ perceptione propter imbecillitatem viſus ſui: et ſi ipſa lux eo ſit viſibilior quo plenior; ita intellectus noſter obiecta maxime intelligibilia imperfectè concipiat, quamuis illa ex ſe apta ſint videri perfectè ab intellectu proportionato, & ſufficientem habente vim ad figendum in ea obtutum ſuum.

5. *Omne intellectum in quantum intellectum, oportet eſſe in intelligente.*] Ita pronunciat D. Thomas l. 4. contra Gentes c. 11. procul à principio; explicat ibidem & probat, haberi id per actum & verbum, quoad repræſentationem, ſcilicet, quod verbum propterea frequenter tùm hic tùm alibi vocatur ab illo, *intentio, intellectio, conceptio cordis, & ipſe intellectus*, vt prima p. q. 27 a. 1. Etenim intelligere ſignificat apprehẽſionẽ eius, quod intelligitur per intellectũ, vt inquit. D. Thomas ibidẽ, & vt alij loquuntur, intelligere nihil aliud eſt, quã rei intellectæ imaginẽ vitaliter in potentia intelligente exprimere, quæ imago ſeipſa formaliter & immediatè repræſentat obiectum potentiæ, & quaſi immediatè & intrinſecè vnit ipſum obiectum potentiæ in eſſe intentiona-

li & repræsentatiuo,

6. *Verbum est medium inter intellectum & rem intellectam.*] D. Thomas q. 4. de veritate. art. 2. ad 3. explicat ibidem & probat; quia, inquit, verbum est id, quo res intelligitur, & quo mediante operatio intellectus pertingit ad rem intellectam, ac proinde ibidem in Corpore, verbum appellat, conceptionẽ intellectus; ipsam verò conceptionem, inquit, esse actus intelligendi effectum. Addit verò ibidem ad 5. non posse nos intelligere nisi huiusmodi conceptionem exprimendo, & ideo subiungit.

7. *Omne intelligere in nobis propriè est dicere.*] Ibidem: quemadmodum enim verbum ore prolatum, siuè vocale, exprimit conceptum mentis, eoque homines sibi mutuo dicunt, siuè aperiunt sensa mentis, ita verbum mente productum siuè mentale, formaliter exprimit, & manifestat rem intellectam, eoque homines sibi ipsis loquuntur. In eandem sententiam prima p. c. 27. art. 1. circa finem Corporis, *quicunque intelligit*, ait, *ex hoc ipso quod intelligit procedit aliquid intra ipsum, quod est conceptio rei intellectæ ex vi intellectiua proueniens & ex eius notitia procedens; quam quidem conceptionem vox significat, & dicitur verbum cordis significatum verbo vocis.* Simili modo etiam intellectio essentialis in diuinis, quæ communis est tribus personis, habet verbũ essentiale secundum multos: secundum alios verò, licet non detur verbum essentiale; gignitur tamen verbum per intelligere notionale, quod est proprium Patris, & cum intelligere essentiale & notionale idem sint, adhuc verum est per omnem intellectionem siuè creatam siuè etiam increatam produci verbum. Sed fusior huius rei explicatio pertinet ad materiam de sacrosancta Trinitate.

Digitized by Google

DISTINCTIO III.

De intellectu in ordine ad liberam voluntatem.

1. *IMaginari possumus, quod volumus, non autem opinari.* Sumitur ex lib. 3. de anima cap. 3. tex. 153.] Vbi Aristoteles ostendit id in hunc modum: *Licet namque*, inquit, *cum libet fingere, quidquid volumus, atque ante oculos ponere, perinde atque ij faciunt qui in artificiosa memoria cõparatis atque dispositis locis imagines fingunt, & simulacra collocant; at opinari in nobis situm non est: Necesse est enim, opinantem aut falsam aut veram existimationem habere: Propterea cum opinamur aliquid malum esse atque terribile, continuò perturbamur; at cum imaginamur talia, perinde afficimur, ac si in pictura eadem spectaremus.* Hactenus Aristoteles. Hinc fit, vt si intellectui nostro proponantur argumenta necessaria, necessariò assentiatur illis saltem quoad specificationem: Si probabilia, necessariò opinetur; si contraria æquè probabilia, necessariò ex se dubitet, & nisi accedat vel impediat inclinatio aut imperium voluntatis, neque huic neque alteri parti assensum præbeat. Vnde etiam libr. 7. Ethic. cap. 2. docet Philosophus, Syllogismũ captiosum necessariò inducere dubitationem cum ex vna parte videatur incredibile, quod concluditur, & ex altera non possit contemni syllogismus vel argumentũ, quandiu solutio nõ apparet. Existimat quidem Guillelmus Okam. in 2. dist. c. 26. nos sine vllo fundamento opinari posse quod libeat pro arbitratu, vt v. g. arenas maris esse pares, stellas cæli esse impares, &c. Idẽ concedit Cajetanus 1. 2.

q. 65. art. 4. Sed non bono nituntur fundamento. Nam etsi sit in libera nostra potestate inclinare intellectum ad assensum, quando rationes non cogunt tamen vt huic vel illi parti assentiatur, requiritur, vt aliqua saltem supperant motiua, licet non cogentia, idque propterea, quod ea sit intellectus natura sicuti experimur, vt nisi supperant aliquæ rationes, non moueatur ad præbendum assensum. Ita Valentia 2.2.disp.1.& 1.puncto 4. Vide Becanum de libero arbit.c.2.q 3.

2. *Intellectus non potest dissentire manifestæ veritati.*] Sumitur ex eodem textu, quo axioma præcedens. Ratio est, quia verum non potest esse obiectum dissensus intellectiui, & veritas manifestè cognita formaliter est scientia, aut alia virtus intellectualis, fundamentaliter autem est obiectum illius, cuius oppositum cũ sit necessariò & apertè ex hypotesi falsum, fieri non potest, vt intellectus assentiatur huic, & dissentiatur illi; quia potentia naturalis non fertur naturaliter extra suum obiectum.

5. *Intellectus ad verum necessitari potest ad falsum ne quidem à Deo.*] Elicitur ex eodem textu. Nempe vt assentiatur, siquidem rectè & claè fuerit ipsi propositum. Ratio quoad posteriorem partem est eadem, quæ proximè antecedentis; quia scilicet potentia naturalis non potest ferri extra suum obiectũ, vt v. g. auditus ad videndum colorem, visus ad percipiendum sonum, &c Quoad priorem verò partem patet per explicationem superioris.

4. *Primus actus intellectus non est voluntarius.*] Est commune pronunciatum Philosophorũ & Theologorum, quo vtitur Suarez lib. 6. de Trinit. cap. 4. Ratio illius est, quia præcedit omnem actum voluntatis liberum, à quo ratio voluntarij & liberi dependet, vt docent Theologi in prima

Digitized by Google

ſecundæ & perſpicuum eſt ex naturali ſubordinatione actuum intellectus, & voluntatis. Vide, ſi placet explicationem illius: *Omnis actus voluntatis præſupponit actum intellectus proportionatum.* Notat autem locò citato Suarez, Aliquid dupliciter poſſe dici voluntarium, cauſaliter nempe, & obiectiuè. Priore modo à voluntate res voluntaria cenſetur tanquam à principio actiuo aut directiuo: Poſteriore modo ab eadem voluntate non agente aut imperante; ſed concomitante aut ſubſequente dici poteſt res voluntaria; quia ſcilicet amatur amore complacentiæ. Secundum priorem modum eſt verũ pronunciatum: ſecundum poſteriorem verò omnem actum intellectus, nihil prohibet eſſe voluntarium.

DISTINCTIO IV.

De intellectu in ordine ad ſenſum.

1. *Nihil eſt in intellectu, quod non prius fuerit in ſenſu.* lib. 2. poſter. c. vltimo;] Ideſt, nihil poteſt eſſe in intellectu noſtro in hac vita, quod non prius fuerit in ſenſu ſaltem aliquo modo, ſiue per ſpeciem propriam, ſiue per alienam. Atque hoc modo non tantum res immateriales, quæ vera & realia ſunt entia; ſed etiam entia facta ſiue rationis ſunt in ſenſu fundamentaliter & occaſionaliter; quia ſcilicet intellectus noſter ad ſimilitudinem eorum, quæ vidimus in entibus materialibus apprehendit & cognoſcit res ſpirituales; & ad ſimilitudinem eorum, quæ vidimus in entibus realibus, confingit entia rationis; ſic v. g tenebras confingit per ſpeciem & ſimilitudinem nigredinis, quæ eſt res vera, quam ſenſus percipit: ſic etiam apprehendit v. g. Angelum

ad similitudinem pulcherrimi alicuius adolescentis. Vide D. Thomam 1. parte q. 20 a. 1. ad 1. & alibi.

2. *Qui nihil sentit, nihil addiscere potest, vel intelligere.* lib. 3. de anima. T. 39.] Ratio patet per axioma præcedens; quia nimirum nihil est in intellectu, quod non fuerit in sensu aliquo modo perfectè vel imperfectè, per se vel per accidens. Ex hoc textu citant quidam vulgare illud: *Intelligere vel est imaginatio vel non sine imaginatione*: sed non rectè: neq; enim hoc loco habetur; neque etiã l. 1. de anima T. 13. Vnde citatur ab aliis. Nullibi enim Aristoteles dixit, vnquam intellectũ esse imaginationem, nec illum cũ hac comparauit, ne quidẽ sub diſiũctione eo modo, quo significat illa propositio: Aliud tamẽ non multum dissimile ex citatis locis axioma depromitur vt mox videmus. Cæterũ proposita modo propositio vera est absolutè de eo, qui prorsus omni sẽsu est destitutus: hic enim, qua talis; incapax est omnis doctrinæ & disciplinæ, quę via naturali obtinetur. Pro maiore autẽ huius & cæterorũ explicatione notandũ est in potentiis cognoscitiuis humanis eam esse subordinationem, vt quoad exercitium actuum, prima operatio nostri intellectus supponat cognitionem sensus interni, siue phantasiæ, cui immediatè subseruiũt sensus externi. Secunda verò intellectus nostri operatio præter cognitionem sensus & phantasiæ etiã primã operationẽ supponit, & tertia præter hæc secundã: non enim potest noster intellectus componere aut diuidere terminos per operationẽ secundã, nisi prius illos apprehendat per primam; neque potest ex vno in aliud per ratiocinationem siue discursum progredi, nisi in priori pedem quasi fixerit, idest, certum illud esse statuerit per operationem secundam, ex quo aliud vult inferre per tertiam.

3. *Qui contẽplatur necessario cũ phantasmate contẽpla-*

Digitized by Google

tur.l.3.de anima c.8.T.39.] ratio est, quia omnis nostra cognitio pendet à sensu vt explicuimus supra, ac proinde non potest noster intellectus operari circa aliquod obiectum in hac vita, nisi comitetur operatio phãtasiæ quia vt intellectus noster aliquid intelligat, necesse ei est, vt illud idem à phantasia apprehendatur, & quodammodo effingatur iuxta illud.

4. *Anima nunquam intelligit sine phantasmate.*l.3.de anima c.7.T.30.] Patet huius veritas certa experiẽtia. Nã læsa phantasia vel impedita intellectus nihil rectè potest intelligere, vt videre licet in deliriis doctissimorum virorũ, qui scientia etiam maxima non possunt vti, eò quod læsa sit phantasia; quare intellectus noster in operatione pendet naturaliter nõ solum à sensu externo, sed etiam interno. Dixi naturaliter, quia vt in alijs axiomatis ita in his, Aristoteles non locutus est, nisi secundum cursum præsentis vitæ. Alia ratio est in cognitione supernaturali, vt in statu beatorum vel in casu puræ & immediatæ reuelationis diuinę etiã in hac vita. De qua re lege, si placet, Theologos in materia de scientia Christi & beatorũ. Ex hoc eodem textu Philosophi sũpserũt & illud.

5. *Intelligens necessariò phantasmata speculatur.*] Sensus illius & explicatio eadem est, quæ vtriusque præcedentis, cum solo loquendi modo ab iis discrepet. Atque hac de causa. *Cæcus non iudicat de coloribus*, nimirum qui à natiuitate cæcus est; proindeque nulla colorum phantasmata collegit. Ratio est; quia non potest intelligere & iudicare de eo, quod non potest sibi rectè imaginari; non autem potest rectè imaginari ea, quæ nullo sensu percepit vnquam aut potuit percipere. Vide D. Thomam 1.p.q 84.art.3. in Corp. & alibi & Aristotelem l.3. de anima T.183. Vbi ait: *imaginationem non fieri sine sensu & existimationem sine imaginatione esse non posse.*

6. *Talis est mentis contemplatio, qualis sensuum obsecundatio.*] Sumitur ex textibus citatis: Qualis in homine sanguis est, tales etiam sunt spiritus vitales & animales, & quales isti tales nihilominus sunt potentiæ sensitiuæ; & denique quale est harum obsequium, tale est intellectus nostri exercitium; quoniam hæc omnia per naturalem subordinationem sese mutuò consequuntur. Intellectus siquidem humanus, vt ex dictis patet, naturaliter pendet à sensu interno, & similiter ab externo & anima rationalis, quamdiu in hac vita informat corpus corruptibile (quod aggrauat ipsam animam) accommodat se ipsi corpori & ab eius dispositione pendet in operando, eique quasi obnoxia & subiecta est: Nec enim potest mouere corpus, quo vult, & sursum v. c. & quam celeriter vult; nec vigilare aut studiis vacare, quando vult & vt docet experientia quotidiana. Hac etiam de causa.

7. *Aurora est Musis amica.*] Ratio eius physica & medica est, quia per nocturnā quietem spiritus vitales & animales recreati & confortati expeditius cerebro ac mentis occupationibus subseruiunt, ac phantasia, quæ variis præcedentis diei imaginibus, cogitationibus curisque distracta erat, noctis quiete pacatur & tranquillatur. Vnde Aristoteles in Oeconomicis iubet ante lucem surgere, asseritque id & ad corporis sanitatem & ad Philosophiæ studia prodesse quam plurimum. Hic tamen curandum est, vt cita & modica cœna matutinam eruditatem quam diligentissimè deuitemus.

DISTINCTIO V.

Vis & præstantia intellectus.

1. [*Excellentia intelligibilium non lædit intellectum sed perficit.* Sumitur ex lib. 3. de anima c. 4.] In hoc differt intellectus à sensu, quod hic nimio sui obiecti excessu lædatur, vt v. c. auditus per vehementiorem sonum iuxta illud commune axioma: *Vehemens sensibile lædit sensum.* De quo Titulo *de potentia sensitiua.* Ille è contra secundum se perficiatur: Neque enim intellectus subiectatur, vel est in corporeo organo, ratione cuius lædi possit, sicuti sensus: quanquam in hac vita quoad operationem suam à sensu & organis corporis dependeat. Hinc & illud est, intellectum inter & sensum discrimen, quod hic non recreetur rerum sensibilium excessu iuxta illud: *Sensus non delectatur extremis*, cuius explicationem vide Titulo proximè citato. Intellectum verò nihil iucundius afficit, quam altissima rerum intelligibilium & excellentissima perceptio, vnde postquam intellectus rem arduam atque difficilem percepit, alacrior exinde efficitur, cæteraque postmodum, quantum in se est, acrius intueri solet. At verò sensus vehementioris obiecti perceptione paulatim fit hebetior; læditur enim quodammodo temperies partis organicæ, in qua ille residet: hac autem læsa sensationem impediri necesse est, conuenit nihilominus in hoc intellectus cum potentia sensitiua, quod vterque requirat obiectum sibi proportionatum, vt dictum est ad axioma citatum.

2. *Intellectorũ vilitas non tollit nobilitatem intelligentiæ.* Sumitur ex l. 1. de part. animal. c. 5. & refertur à D. Thoma in l. 12. Metaph. lec. 12. T. 53.] Ratio est, quia omnia intelligũtur in quantũ participant rationem formalẽ entis intelligibilis; quæ ratio inuenitur in omnib⁹ entitatib⁹ realibus, vt docetur in 5 Metap. Tex. 14. Vbi agitur de obiecto nostri intellectus. Et enim omnis res naturæ digna est sui contẽplatione & naturæ miracula cuilibet enti sũt indita, vt explicatur Tit. *de natura* dist. 5. Vide si placet, quæ diximus ad illud: *Deus nihil intelligit extra se.*

3. *Molles carne sunt ingeniosi.* Sumitur ex l 2. de anima T. 94.] Vbi Philosophus ait; *eos qui duri sunt carne, mente esse ineptos, qui verò molles sunt carne esse ingeniosos & mente dextros,* & ex physiognomicis c. 4. Vbi docet per carnem lenẽ & mollẽ significari homines ingeniosos, nisi in forti corpore & habẽte extremitates potẽtes id acciderit. Dicuntur autem illi, quorum mollis est cato, esse præ cæteris ingeniosi; quia illa cæteris paribus signum est temperatæ & optimę complexionis, qualis fuisse putatur in S. Ioãne Euangelista, &, vt aiunt sacri Scriptores. Christus Dominus seruator noster, vti carnem tenerrimam ita etiam sensus habuit acutissimos. Cæterum veritatem huius pronunciati in dubium reuocat Bisciola horarum subsecuarum Tomo 2. l. 10. c. 9. vbi inquit: *Ego non temerè contra sentio: teneritudo enim carnis humore efficitur, intellectus & mens potius gaudet sicco.* Probat id exemplo mulierum & puerorum; sed parum ad mentem Aristotelis. Loquitur enim Philosophus de iis, quibus ob teneritudinẽ & optimè temperatam corporis complexionem magis vigent sensus: Hi namque cæteris paribus ingeniosiores sunt iis, qui vel ob natiuam tẽperamenti iniquitatem vel ob molestos labores callum ad omnia obduxerunt;

Digitized by Google

vt etiam fatetur Biſciola Tomo 2. l. 11. c. 2. Quia.

4. *Vbi ſenſus vegetior, ibi & intellectus vinacior.*] Cæteris omnium paribus. Sicuti abſolutè, quo eſt perfectior corporis habitudo, & complexio, eo prōptior eſt homo ad munia ſua exequēda. ratio eſt quia vti anima à corpore, ita noſter intellectus in omnibus ſuis operationibus pendet à ſenſu tùm externo tùm etiam interno. Optima vero corporis tēperies organa sēſuum melius affecta eſſe & diſpoſita ſignificat. Cum ergo ſenſus externi famulētur imaginationi ſiuè phantaſiæ, & hæc ſimiliter intellectui conſequens eſt, vt qui melioris ſunt complexionis corporis, maiori etiam polleant felicitate ingenij. Atque hoc etiam modo debet intelligi quod ait Ariſtoteles lib. 2. de anima c. 9.

5. *Per ſenſum tactus diſcernimus ſapientes ab inſipiētibus.*] Id eſt, dijudicamus, quinam ad ſapientiam natura habiliores ſint, & qui minus habiles, quia bonitas tactus (qui vel eſt in carne, vel in aliquo, quod carni reſpondet, vt ait Ariſtoteles l. 1. de hiſt. animal. c. 4. & de part. animalium c. 1. & 8.) corporis complexionem & conſequenter etiam ſenſuum & ingenij vigorem arguit, vt dictum eſt. Cæterum notanda eſt triplex hoc loco mollities in carne humana, vt rectè diſtinguit Richardus quodlibeto 2. c. 19. vna aquea phlegmatica, altera aërea & ſanguinea, tertia ignea ex calore & raritate naturalis complexionis orta. De prima procedit obiectio Biſciolæ. De ſecūda & tertia loquitur Ariſtoteles. Licet verò homines melancholici carne ſint duriores, & nihilominus ad ſapientiam idonei, id tamen non ita ob ſelicitatem ingenij accidit, quam ob laboris tolerantiam & memoriæ tenacitatem.

6. *Ingenium vbi intenderis, valet.* Dictum iſtud Saluſtij in Iugurtha refert D. Bernard. Serm. in Pſ. *Qui*

habitat. Verum omnino & quotidianis experimentis comprobatum non minus quam ipsa natura: viget enim, eamque in partem valet hominis industria ad quam se contentius constantiusque applicuerit. Hinc est, quod aliqui perpetuo tristes, luridi, exsangues mortuisque quam viuis similiores incedant, quia cogitationibus suis nihil penè nisi triste & horridum obiiciunt. Alij hilares sunt & iucundi affectu, viuidaque & vegeta totius corporis conformatione quasi enitescunt, quia nimirum lætis indulgent animi cogitatis; Deoque gratias decantant pro omnibus animi corporisque beneficiis, licet enim natura cuique ingenita in hanc vel illam partem non mediocriter hominem inclinet, consuetudini tamen veluti alteri naturæ ac studio indesinenti magna vis inest ad mores hominum diuersimodè efformandos. Præcipuè autem valet ingenium, vbi intenditur, si serio & constanter aliqui rei certæ atque ab ineunte ætate applicetur: In quem sensum Plato lib. 6. de legibus. *Assero*, inquit, *eos, qui præstantes viri in aliquo euasuri sunt ab ineunte statim pueritia tam ludendo quam studendo in singulis ei negotijs conuenientibus debere occupari.* Atque hinc est, quod vt ait Hieremias Thren. 3. *Bonum est viro cum portauerit iugum Domini ab adolescentia sua, sedebit solitarius, & sedebit, quia leuabit se supra se.* Ita maximi sancti à teneris inchoarunt sanctam & Deo placentem vitam, vt de sancto Ioanne Baptista canit Ecclesia: sic Samson & Samuel à puero consecrati sunt Nazarei, sic Ioannes Euangelista iuuenis & à seculi corruptione adhuc immunis Christum secutus est, ideoque fuit discipulus ille, quem diligebat IESVS, cui & maxima mysteria reuelauit.

7. *A magnis ingeniis, vti magnæ virtutes, ita magna etiam vitia proficiscuntur.* Plutarchus in Deme-

Digitized by Google

trio.] Ratio eſt, quia ingenium valet, vbi intenderis iuxta effatum præcedens, non modo in bonum, ſed etiam & ferè procliuius in malum; ac proinde: vti magnum ingenium ſæpè magnarum virtutum, ita nihilominus inſignium vitiorum initium fuit, vt patet ex hiſtoriis ſacris & profanis.

TITVLVS XL.

De Potentia memoratiua.

DISTINCTIO PRIMA.

Quid ſit memoria & quotuplex.

1. MEmoria eſt locus formarum. deſumitur ex lib. 3. de anima cap. 4. t. 6.] Duplex in genere eſt memoria, ſenſitiua ſiue organica, & intellectiua ſiue inorganica: illa eſt ipſa vis ſenſus interni, prout conſeruat ſpecies ſenſibiles, & per eas recognoſcit præteritas ſenſationes, & obiecta ſenſibilia alias percepta, idque per ſimplicem recordationem, cum aliqua cognitione temporis ſaltem confuſâ. Hæc verò eſt ipſe intellectus, quatenus conſeruat ſpecies intelligibiles, & per eas ſemel cognita recognoſcit, ſiuè recordatur. Patet experientia, quia ſæpe recordamur nos intellexiſſe res vniuerſaliſſimas non per memoriam ſenſitiuam, cum ſenſus non percipiat vniuerſalia iuxta illud: *Senſus eſt ſingulorum, intellectus etiam vniuerſalium*: ergo per intellectiuam; ergo datur etiam memoria intellectiua. Licet verò Ariſtoteles loco citato de ſola intellectiua loquatur, ſatis tamen commodè præſens axioma etiam de ſenſitiua poteſt intelligi. Nam vti intellectus in poten-

tia est ad rerum formas siuè imagines recipiendas, ita etiam sensus internus suas potest recipere & conseruare species, ac per eas præterita recognoscere. De hac memoria sensitiua loquitur Aristoteles lib. de memor. & reminiscentia c. 1. cum ait.

2. *Memoria non solum homini, sed aliis etiam animalibus inest.*] Dubium verò est, quonam modo memoria sensitiua percipere queat res præteritas, quia sensus non percipit nisi sola præsentia, vt docet Aristoteles l. 3. de anima, T. 155. & alibi, sed respondetur, Aristotelem ijs locis per sensum non intelligere sensum internum; verum externum duntaxat, prout comprehendit quinque vulgatos. Ita D. Thomas & alij auctores, ad illum locum. Vel si etiam intelligit sensum communem & internum, non loquitur de illo adæquatè, sed tantum vult potentiam sensitiuam internam dici sensum, quoad eas solum operationes, quas exercet circa obiectum præsens. Nam prout versatur circa absens, non dicitur sentire sed imaginari, æstimare, memorari, &c.

3. *Memoria sequitur phantasiã.* Refertur à D. Thoma in l. 1. Metap. lect. 1.] Et verum est eo modo, quo supra diximus omnem nostram cognitionem pendere à sensu, & eum, qui contemplatur necessariò cum phantasmate cõtemplari Excitamur autem ad vsum huius speciei potius, quã illius, ideſt, ad actũ memotiæ, circa hoc obiectũ potius, quam circa aliud, aliquãdo per liberã applicationẽ phantasiæ factã à voluntate ipsi imperante, idq; tũ fit. quando recordatio huius rei præ illa procedit ex deliberatione. Aliquãdo tamen phantasia præuenit liberam actionem voluntatis, & tùm excitatur ab Angelo bono vel malo. Hi enim possunt mouere phantasmata (quia possunt mouere corporea) & per vnum potius phantasma, quam aliud, excitare phantasiam ad operándum. Vel etiam excitatur ab humore prædominante aũt motu

Digitized by Google

ſpirituum, &c. Vide Rubium in l. 3. de anima Tract. de intellectu. q. 5. dub. 1. n. 324.

4. *Muſarũ mater eſt memoria.*] Plato in Timæo. Memoriã ſcientiæ eſſe ac ſapientiæ genitricẽ vna cum Platone tota Ethnicorum Philoſophorũ iudicauit antiquitas, quæ Polybio teſte ſapiẽtiã in ianuis templorum hiſce verbis deſcribebat. *Vſus me genuit, mater peperit memoria, σοφίαν me vocant Græci, vos ſapiẽtiam: Ego odi homines ſtultos*, &c. Lege ſi placet Sabellicum l. 10. c. 9. Vbi hoc priſcorum Philoſophorum adagium refert & probat. Idem confirmat ex recentioribus Adamus Bruxius medicus in ſuo de arte memoriæ libello in hæc verba: *Quẽadmodũ veriſſimè mater ignorantiæ obliuio dicitur; ita non minus verè etiam muſarum mater memoria appellatur.*

5. *tantum ſcimus, quantũ memoria tenemus.*] Vti ſciẽtiam memoria progignit iuxta effatum præcedẽs; ita & quidem magis propriè eandem conſeruat & auget, ſecundum modo propoſitum axioma; quod intelligendum eſt non de ſcientia actuali, quæ de quapiam re acquiritur; quia memoria non eſt præſentium; ſed de ſcientia habituali poſt actualẽ cognitionem in intellectu remanente. Talis enim neq; maior in nobis, neq; minor eſt, quam ſit memoria rerũ aliàs cognitarum. Ceterũ memoriam hoc etiam mirificè commendat, quod abſq; illa nemo abſolutam ſcientiæ aut prudentiæ rationem obtinere queat, cũ ad rectè iudicandum ſiuè ſpeculatiuè, quod ſcientiæ proprium eſt, ſiuè practicè de iis, quæ agenda ſunt; quod eſt munus prudentiæ; multũ conferat præteritorum recordatio, & experientia, quæ teſte Ariſtotele l. 1. Metap. c. 1. ex multarum rerum memoria coaleſcit, vnde etiam eſt quod memoria ab Ariſtotele l. 6. Eth. c. 5. à Tullio l. 2. de inuentione & à D. Thoma in 2. 2. q. 49. art. 1. aliiſque Philoſophis communi aſſenſu inter prudentiæ partes numeretur.

DISTINCTIO II.

Quorum sit & maximè vigeat memoria.

1. *Memoria est præteritorum.* lib. 1. de Memori & Remin. cap. 1.] Designat hoc dicto Phi losophus obiectum memoriæ tùm sensitiuæ tùm in tellectiuæ quod est res quæcunque sensibilis vel in telligibilis, prout iam semel cognita à sensu vel in tellectu. Quemadmodum enim intellectiua conse uat imagines rerum intelligibilium semel cognitarū ijsque mediantibus præterita recognoscit, ita sensi tiua custos est, & thesaurus specierum sensibilium Ac licet per eas non tam distinctè cognoscat præ terita, vti cognoscere potest intellectus eò, quo adhuc requiratur discursus aliquis siuè collatio tem poris præteriti, præsentis & futuri, ea nihilominu apprehendit vt præterita, cum aliqua temporis co gnitione saltem confusa.

2. *Præsentis non est memoria, sed sensus.* lib. 1. d Memor. & Reminisc. 11.] Indicatur hoc prologi discrimen inter sensum externū & memoriam in or dine ad obiectum: Sensus enim externus, vt ibiden docet Philosophus, percipit sola præsentia, spe & desiderium versatur circa futura: memoria verò neque futura neque præsentia; sed sola recognosci præterita. Implicat namq; quicquam recognoscere nisi prius iam fuerit cognitum. Itaque quando Vir gilius lib. 3. Æneidos, & ex illo D. Augustinus lib 14. de Trinit. cap. 11. significat memoriam non tan tum esse præteritorum, sed etiam præsentium, la tius ac minus propriè vsurpant memoriæ nomen Quod si propriè vsurpetur, neutiquam ad rerū præ sentium

sentium cognitionem extendi potest.

3. *Memoria honestarum rerum quam maxime iucunda est.* Sumitur ex lib. 1. Ethic. cap. 8. & alijs.] Ratio est, quia vt citato cap. docet Philosophus, talia per se ac sua natura voluptati sunt, atque iucunda; cætera omnia vel natura talia non sunt, vel etiam repugnantia. Eadem de causa, *honestorum memoria magis delectat, quàm vtilium*, vt ait D. Thomas 9. Ethic. c. 9. quia nimirum illa per se ac propter se delectabilia sunt: hæc verò non item.

4. *Memoria præteritorum malorum iucunda est.*] Sumitur ex eodem cap. Ratio ex ipsa hominum natura desumitur. Est enim hoc insitum omnibus, vt iuuanda sit cuique anteactorum malorum, aut periculorum secura recordatio. Nomine malorum non intelligas hîc ea, quæ sunt cum aliqua turpitudine vel infamia coniuncta. Nam ea est humanæ vitæ conditio, vt per se loquendo, *quilibet inuitus audiat sua peccata.* Ratio est, quia sunt propria confusionis & pudoris materia, quorum proinde memoria non sine dolore renouatur. Verum labores actos fortiter & varia rerum discrimina superata meminisse delectat, iuxta præcedens effatum.

5. *Magis recordamur eorum, quibus vehementer intendimus.*] Refertur à D. Thoma lib. de memor. & reminis. lect. 5. Veritas eius patet experientia, & ratio est; quia fortius illa firmiusque hærent animo, quam alia, ad quæ segniter animum aduertimus. Talium siquidem species vt obiter conceptæ sunt, ita facile euanescunt. Atque hæc bona etiam inter alias causa est, cur maximè in nobis vigeat memoria eorum, quæ in pueritia apprehendimus, vt notauit D. Thomas 2. 2. quæst. 94. art. 7. ad 2. Quia nempe ea, quæ pueris accidunt, magis videntur noua & insueta; quæ autem insueta sunt,

ea magis miramur, & sic in eis animus magis & vehementius detinetur. In hanc sententiam verum est illud Quintiliani:

6. *Tenacissimus sumus eorum, quæ rudibus annis percepimus.*] Indicat sententia, literariam eruditionem cum bonis moribus in tenera ætate coniungendam esse. Illa siquidem ætas est instar mollis ceræ, læuis tabulæ, & chartæ mundæ, vnde & facilè illis imprimitur, quod docetur siue in litteris, siue in virtute; & facilius ab ijs tenaciusque conseruatur, iuxta illud Horatij:

Quo semel est imbuta recens seruabit odorem
Testa diu ----

Et illud Prouerbiorum 10. vers. 6. *Adolescens iuxta viam suam etiam cum senuerit, non recedet ab ea.* Hac de causa in vniuersale Reipub. Christianæ bonum, sacrum Concilium Trident. sess. 23. cap. 8. singulas Ecclesias Cathedrales & Metropolitanas obligat ad erigenda Collegia & Seminaria, in quibus Adolescentes duodecim iam annorum & vltra educentur in litteris & eruditione per idoneos ad id muneris magistros. Huiusmodi etiam curam commendarunt valdè Plato, Aristoteles, aliique Philosophi gentiles in vtilitatem & bonum suarum Rerumpublicarum, & Plutarchus tractatum præclarum edidit de bona filiorum educatione, in quo ait: *Quemadmodum statim atque nascuntur infantes, necesse est corporis membra bene componere, vt recta & æqualiter crescant, ita oportere eorum mores dirigere & componere, vt in bonos ciues euadant.*

7. *Pueri facilius sequuntur ea, quæ vident, quam quæ audiunt.*] Vt si magister aliud dicat, aliud faciat, benè loquatur, sed malè viuat, discipuli sequuntur malum, quod vident potius, quàm

bonum, quod ab illo audiunt. Hac de causa Trident. loco citato iuuentuti præfici iubet magistros idoneos, à quibus nimirum doceatur non minus, dum illos conspicit, quam dum audit; id est, qui non minus sanctæ suæ vitæ exemplo eum ad virtutem sequendam impellant, quam litteris imbuant. Huc pertinet illud Plinij minoris Epist. ad Carellium Hispullum: *Filium tuum trade præceptori, à quo mores primum, deinde eloquentiam discat, quæ malè sine moribus discitur.* Vide, si placet, Politico-christianum Caroli Scribani lib. 1. cap. 5.

DISTINCTIO III.

An & quomodo excolatur memoria?

1. *Memoria excolendo sicut alia omnia augetur.* Quintilianus lib. 8. cap. 3.] Etsi memoria constet naturæ beneficio, plurimum tamen exercitatione & labore augetur & excolitur, vt docet idem Quintilianus lib. 11. cap. 2. & manifestum est exemplo Themistoclis, Mithridatis, Marci Crassi, Cyri & aliorum etiam nostræ ætatis hominum, qui aliquot vocabulorum millia facili negotio, animo percipiunt, & eo, quo acceperunt ordine memoriter reddunt: neque enim memoria solum à natura perficitur, vt idem inquit sub finem. Vide Muretum variar. lect. lib. 3. cap. 3. Maiolum Canic. Tomo 1. Colloq. 4. Conimbric. in lib. de Memoria cap. 8. & 9. Eandem doctrinam habet Aristoteles lib. de memor. & reminis. cap. 2. vbi ait: *Memoriam coli per speculationes, & meditationes frequentes.* In quem vsum D. Tho-

mas de memor. & reminis. lectione 5. quatuor affert documenta. Primum, vt quis studeat in ordinem redigere ea, quæ vult retinere. Secundum, vt intentè eis mentem apponat. Tertium, vt frequenter meditetur secundum ordinem: Quartum, vt incipiat reminisci à principio. Aliter hæc proponit 2. 2. q. 49. a. 1. ad 2. quæ fusiùs explicabuntur in sequentibus axiomatis.

2. *Ordo memoriæ maximè lumen adfert.* Cicero lib. 2. de Oratore.] Est hoc vnum ex præcipuis memoriæ excolendæ mediis, vt videlicet distinctè & ordinatè disponantur ea, quæ in thesauro memoriæ volumus recondere. Sic enim ex vno memorato facilè ad aliud procedetur, vt inquit Aristoteles lib. de mem. cap. 3. in hæc verba: *A locis videntur reminisci aliquando: causa autem est, quia velociter ab alio in aliud veniunt*: quibus verbis alluditur non obscurè ad memoriæ inuentorem Simonidem, qui ob trita conuiuarum corpora ex loco, quo quisque esset, discreuit, quo facto notatum est, memoriam signatis animo sedibus iuuari.

3. *Sollicitudo conservat integras simulacrorum figuras.* Cicero loco citato.] Quanto enim maiore cura & diligentia aliquid fuerit in fixum animo, tanto minus elabitur, vt etiam notauit D. Thomas loco citato; præsertim si accedat frequens meditatio, & ordinata ruminatio illius, quod est memoriæ commendandum; quia:

4. *Memoriam saluant meditationes.* Lib. de Memoria. cap. 3.] Ratio est, quia vt eodem libro dicitur: *Consuetudo est quasi altera natura.* Vnde; quia eorum, quæ sæpenumero cum animi aduersione intelligimus, facilè reminiscimur, quasi naturali quodam ordine ab vno ad aliud procedentes, vt docet Aristoteles ibidem: Mens siquidem fixa manet

in ijs, quæ frequenter ac ferò repetimus, & ruminamur. Vide, si placet, Quintilianum lib. 11. cap. 2. vbi inquit: *nihil æque ac memoriam vel cura augeri, vel negligentia interciderе.* Vide Conimbricenses in lib. de Memoria c. 9.

5. *Qui in motu sunt multi, parum sunt memoratiui.* De memoria & reminis. cap. 2.] Vbi probat id Philosophus à simili: quia, inquit, *in aquam fluentem si incidat sigillum aut aliud quodcunque corpus, nullum mox eius vestigium aut signum apparet*: Ea de causa docetiuuenes multum veloces, & quietis impatientes malè esse memoratiuos, quoniam, inquit, illis in anima non manent phantasmata. Vide, si placet, quæ diximus ad illud; *Anima quiescens fit sapiens.* Possunt nihilominus tales esse reminiscitiui, vt idem docet cap. 1. eiusdem libri; quia, vt ad memoriam tarditas & quies idonea est, ita ad reminiscentiam valet docilitas & velocitas in discurrendo: Fit enim hæc cum discursu aliquo & deliberatione syllogizante, vt inquit Albertus Magnus de memoria & reminis. tex. 2. c. 6. Ideoque *nullum animal reminisci præter hominem potest*, vt habet Aristoteles de Memor. & Reminis. cap. 4. Potest nihilominus omne animal meminisse, vt patet ex supra dictis. Porrò memoria & reminiscentia in hoc differunt, quod meminisse dicamur eorum, quæ postquam semel percepta sunt, sine obliuionis interuentione tenemus: reminisci verò illorum, quæ semel elapsa in mentem redeunt. In quam sententiam Plato olim in Theæteto inquiebat se esse obstetrici simillimum, eo quod in docendis hominibus non procrearet scientiam in eorum animis; sed iam procreatam, & velut delitescentem educeret, sicuti obstetrices educunt ex vtero materno fœtus iam conceptos. Proindéque scientiam nihil esse contendebat, nisi re-

miniſcentiam ; ſed illum errorem doctè redarguit Ariſtoteles lib. 1. Poſteriorum, & alij Philoſophi paſſim.

6. *Non reminiſcimur poſt mortem.* 1. Poſter. c. 6. & lib. 1. de Anima tex. 66.] Verum eſt, quatenus reminiſcentia fit per conuerſionem ad phantaſmata, non autem locum habet in cognitione, quæ iam ſemel accepta in intellectum, per ſpecies ſolas intelligibiles fit, & non amplius dependet à ſpeculatione phantaſmatum. Huiuſmodi tamen cognitio potius recordatio dicenda eſt, quam reminiſcentia ; quia hæc ſupponit obliuionem, cum fiat per diſcurſum ex aliquo vel ex aliquibus memoria comprehenſis, & in memoriam reducat, quod quidem penitus ab illa non exciderat, tamen ſtatim non occurrebat. Obliuio autem naſcitur ex imperfectione organi corporei, cuius defluxus, & alij affectus materiales in cauſa ſunt, vt rerum imagines obliterentur; atque etiam, vt, dum nitorem ſuum habent, interdum conſopitæ ſint, nec ad memorandi actum prodeant ; Quare cum animæ à corpore ſeparatæ non vtantur materiali organo, non videtur in eas ac multominus in Angelos reminiſcentia cadere. Vide Scaligerum Exercitat. 307. in Cardanum, Maiolum Canic. Tomo 1. Colloq. 4.

DISTINCTIO IV.

De Lectione Librorum.

1. *Multum legendum eſt non multa.*] Eſt hoc vetus apud Plinium prouerb. lib. 7. Epiſt. 9. ad Cornelium, quo ſignificatur doctrinam & ſcientiam, quæ ex lectione hauritur, guttatim men-

Digitized by Google

tibus noſtris inſtillandam eſſe, non totam ſimul infundi poſſe, ac ruminandum eſſe animalium mundorum ritu, quod deguſtauimus in legendo, non verò ad ſaturandam modo curioſitatem omnia ſimul deuorandâ.

2. *Faſtidientis ſtomachi eſt multa deguſtare.* Seneca Epiſt. 2.] Hæc enim cum varia ſint & diuerſa, inquinant potius, quam alunt, & ſicuti gulosi conuiuæ, qui appoſitos cibos variæ & carptim delibant neque in præſenti voluptatem ſolitam, neque fructum aut alimentum impoſterum ferunt, ita parum aut nihil lectione proficiunt, qui temerè & ſine delectu multa curiosè percurrunt.

3. *Non multum legendum eſt, ſed multa.*] Ita quidam allatam Plinij ſententiam proponunt, verbo quidem, vt videtur, priori contrariam; re tamen ipſa, ſi benè explicetur, conſentientem & aptiſſimè ad Plinij inſtitutum, qui cum loco citato de auctorum agat delectu, eos potiſſimum adamari aſſumique præcipit, quorum *non multa lectione leganter multa*, quod maximi momenti præceptum eſt ad fugiendam inanium paginarum volutationem. Vnde etiam iuxta monitum Senecæ Epiſtola 45. *Libros non refert quam multos habeas, ſed quam bonos.* Expedit itaque optimis in quouis genere auctoribus eſſe contentum; quia profectus in perſeueranti magis ſalubrique lectione, quam in curioſâ bibliothecarum peruolutatione conſiſtit. Commodè enim inquiebat Ariſtippus: *Sicuti non qui plurima comeduut, ij. rectè valent; ita non qui plurima, ſed qui vtilia legunt, ſtudioſos eſſe habendos.* Ita Laërtius in eius vita.

4. *Omiſſis fontibus non ſunt quærendi riuuli.*] Monet effatum vt plurimum operæ non in tetricis prolixiſque commentatoribus, ſed in cuiuſque do-

ctrinæ ducibus ponatur. Sunt enim hi principes, vnde cæterorum pendet auctoritas; suntque veluti fontes, vnde alij hauserunt: Atqui iuxta dictum Poëtæ.

Purius ex ipso fonte bibuntur aquæ.

Itaque Iurisprudentiæ studiosus nobilissima Pandectarum adeat volumina rerum naturalium cognoscendę veritati, & Medicinæ addictus Aristotelem terat & Hippocratem. Sacrosanctæ Theologiæ deditus, Magistrum sententiarum ac S. Thomam euoluat, ipsamque sibi familiarem habeat scripturam, quæ à S. Ambrosio, *Liber Sacerdotalis* appellatur, &c. ita de cęteris.

5. *Nullus liber tam malus est, vt non aliqua ex parte prosit.*] Plinius maior apud minorem Epist. ad Marcum, quæ est libri tertij Epist. 5. Nam & ex Ennij scoria colligebat Virgilius aurum. Verum quidem est hoc dictum; sed etiam τὸ ἀνάπαλιν; quod *liber nullus ferè tam bonus, quin etiam aliquid mali contineat.* In quam sententiam intelligi potest illud vulgare: *magnum volumen, magnum est malum.*

6. *Libri sunt magistri mortui.*] Magistri dicuntur, quia erudiunt suo modo & docent: mortui verò, quia, vt Socrates notauit in Phædro sicubi mancum quid habent aut obscurum, aut minus certum, id supplere ipsi, declarare, aut corroborare non possunt; nec si forte erratum sit, mutare sententiam; nec obiecta refellere, quæ omnia viui Magistri voce commodè præstantur. Videri potest Iulius Nigronus Tractatu 5. Ascetico cap. 6.

Digitized by Google

TITVLVS XLI.

De Potentiâ appetitiua generatim.

DISTINCTIO PRIMA.

Quid sit appetitus & quotuplex.

APpetitus est inclinatio rei in suum bonũ, id est, sibi conueniens, & proportionatum.

Hic primo diuiditur in purè innatũ & elicitiuum. Appetitus innatus, qui minus propriè & metaphoricè appetitus, est pondus siue propensio ab auctore naturæ indita, per quam vnaquęque res non cognoscitiua inclinat in suum bonum sine præuia cognitione, quo modo lapis etiam dum quiescit, appetit suum centrum. Hæc propensio in potentijs passiuis nihil aliud est, quam naturalis capacitas & proportio cũ sua perfectione, & dicitur appetitus passiuus. In actiuis verò est ipsa naturalis facultas agendi, & dicitur actiuus.

Item hæc propensio oritur aliquando proximè ex ipsa rei essentia, vel potius est ipsa rei essentia, vt v. g. proportio materiæ primæ ad formam.

Aliquando oritur proximè & immediatè ex aliqua qualitate superaddita ipsi essentiæ: Sic, v. g. propensio aëris ad locum sursum proximè oritur à leuitate: Terræ propensio ad locum deorsum à grauitate, & de huiusmodi appetitu agi solet Titulo *de Bono, de causa materiali*, & alibi.

Appetitus elicitiuus, qui propriè dicitur appetitus, & de quo præcipuè hic agimus, est propensio rei in bonum ex præuia cognitione; quod bonum per pro-

prium actum elicitum potest appetere: Vnde duo sunt in appetitu elicitiuo, vnum est facultas appetēdi, alterum ipsa appetitio elicita.

Est autem duplex appetitus elicitiuus. Primus sensitiuus siue irrationalis, qui tantum supponit cognitionem sensitiuam, & est in omnibus animalibus: Secundus rationalis siue voluntas, qui supponit cognitionem intellectualem, & est in solis substantiis intellectualibus, vt in homine & aliis intelligentiis.

DISTINCTIO II.

Appetitum comitem esse potentiæ cognoscentis.

1. *Vbicunque est sensus, ibi etiam appetitus.* Sumitur ex 2. de anima, c. 2. Textu 20.] Vbi ait Philosophus: *Sensus vbi est, ibi esse etiam voluptatem & dolorem & vbi hæc sunt, esse etiam necessario appetitum*: Sequela manifesta est, quia delectatio & dolor sunt actus appetitus; cum illa sit vera bona, Bonum autem & malum ad appetitum pertinent, ergo in quouis animali potentia appetēdi sensum consequitur, idem repetit Aristoteles t. 27. eiusdem libri. Vbi probat in hunc modum: In omnibus animalibus cernitur sensus alimenti, nimirum tactus, sub quo gustus continetur, vbi autem ille est, ibi inuenitur fames & sitis, quæ appetitus quidam sunt, illa cibi, hæc potus. Loquitur itaque Philosophus propriè de appetitu sensitiuo: potest nihilominus propositio extendi etiam ad rationalem. Nam vt illæ potentiæ cognoscendi sensitiuæ, ita hic intellectiuæ semper comunctus est. In quem sensum D. Thomas 1. p. q. 19. a. 1. in Corp. probat,

esse in Deo voluntatem, quia in illo est intellectus, voluntas enim intellectum sequitur, vti omnis vis appetitiua suam cognoscentem; Idque loco citato ostendit ex proportione, quæ est inter appetitum rationalem in natura intelligente, & appetitum purè innatum siue naturalem in rebus naturalibus; sicuti namque appetitus naturalis, qui in omnibus rebus naturalem formam vel essentiam consequitur, est propensio quædam & inclinatio ad perfectionem & bonum naturale, ita etiam appetitus rationalis, qui cognitionem sequitur, est propensio quædam & inclinatio ad id, quod cognoscitur, & iudicatur, vt bonum, idem simili modo dicendum de appetitu sensitiuo.

5. *Vires appetitiuæ sequuntur cognoscitiuas.*] Commune istud axioma Philosophorum traditur ab Aristotele lib. 1. de plantis c. 7. & refertur à Themistio in 3. de anima c. 52. t. 44. Sensus illius est; potentiam quamlibet appetitiuam præsupponere potentiam cognoscentem, vt cognoscens est, iuxta explicationem propositionis antecedentis; item illam esse huic proportionatam tam in esse quam in operari, vt qualiter hæc rem quampiam apprehendit, & proponit; tali etiam modo appetitus circa illam apprehensam versetur. Quia enim vis cognoscitiua mouet appetitum repræsentando ei suum obiectum, ideo secundum diuersas rationes obiecti apprehensi subsequuntur diuersi motus in virtute appetitiua; alius namque motus sequitur in appetitu ex apprehensione boni, & alius ex apprehensione mali, & similiter alius motus ex apprehensione præsentis & futuri, absoluti & ardui, possibilis & impossibilis.

3. *Quidquid naturaliter potest desiderari, potest etiam naturaliter cognosci.*] Ratio est, quia appeti-

tus supponit cognitionem sibi proportionatam, de qua intelligi debet propositio, eique est subordinatus, vt patet ex dictis. Vera itaque propositio est non modo quoad potẽtiam, sed etiam de facto, quoad omnem operationem; nihil enim vnquam appetitur, quod non prius aliquo modo cognoscatur, vt perspicuum fiet ex sequentibus. Sumitur autem hic appetitus non pro purè innato, qualis etiam est in inanimatis, sed pro quouis naturaliter à viuente per potentiam cognoscitiuam elicito. Vide D. Thomã 1. p. q. 2. art. 1. ad 1.

4. *Appetitus ad res est, cognitio à rebus.*] Significatur hac propositione diuersus procedendi modus in actionibus potentiæ appetitiuæ & cognoscitiuæ: motus siquidem animi ad res pertinet propriè ad appetitum, actio verò virtutis cognoscitiuæ perficitur non secundum motionem cognoscentis ad res, sed potius secundum quod res cognitæ sunt in cognoscente, vt docet D. Thomas 1. 2. quæst. 40. art. 2. in Corp. & q. 66. art. 6. ad primum. Vbi ait cognitionem perfici secundum quod cognita sunt in cognoscente; actionem verò appetitus, vt dilectionem, v. g. secundum quod diligens trahitur ad rem dilectam, quo sensu dici solet, anima potius esse vbi amat, quam vbi animat, vt explicatur suo loco.

DISTINCTIO III.

Operationem Potentiæ cognoscentis necessario præsupponi ab appetitu.

1. *Appetibile non mouet appetitum, nisi mente aut imaginatione perceptum.*] Est commune

principium & axioma Philosophorum & Theologorum omnium, vt inquit Suarez d. 23. Metaph. s. 7. desumptum ex lib. 3. de Anima cap. 10. t. 53. Vbi omnes interpretes consentiunt, vt testatur Suarez ibidem, estque expressa sententia D. Augustini l. 15. de Trinit. cap. 26. vbi ait, *amorem oriri in nobis ex mentis notitia*, & S. Anselmi in Monologio c. 48. cum inquit: *nullus res amatur sine sui memoria aut intelligentia*: sicuti namque approximatio localis agentis ad passum est conditio sine qua agens non agat in passum; Cum, actio non fiat in distans, vt explicatur Titulo *de Causa Efficiente*. Ita approximatio vitalis rei appetibilis est necessaria conditio sine qua appetibile non mouet appetitum, ita vt hic sine eiusmodi applicatione maneat quodammodo mortuus, non elicitus neque vitalis: vnde illud vulgare,

2. *Ignoti nulla cupido.*] Ratio generalis est, quia agens naturale agere non potest nisi habeat obiectum sibi debitè applicatum, vt dictum est supra; atqui per cognitionem appetibile vitaliter applicatur potentiæ appetitiuæ: ergo appeti aut amari non potest nisi per cognitionem appetitui propositum. Tradit hanc doctrinam & fusè ac subtiliter more suo persequitur S. Augustinus lib. 10. de Trinitate cap. 1. & 2. Vbi inter alia: *rem*, inquit, *prorsus ignotam amare nullus omnino potest*; & alibi: *Innota diligere possumus, ignota sine incognita nequaquam.* Cæterùm hæc vitalis applicatio in animalibus ratione carentibus fit per apprehensionem sensus. In ijs verò, quæ ratione sunt prædita, etiam ad appetitum rationalem siue voluntatem per intellectum vitaliter cognoscentem & voluntati proponentem rei bonitatem, iuxta illud: *Nihil est volitum, quod non prius sit intellectum*: de quo infra: Estque tam efficax hæc applicatio, vt pro varietate ipsius

tus supponit cognitionem sibi proportionatam, d
qua intelligi debet propositio, eiq ie est subordina
tus, vt patet ex dictis. Vera itaque propositio e
non modo quoad potẽtiam, sed etiam de facto, quo
ad omnem operationem; nihil enim vnquam appe
titur, quod non prius aliquo modo cognoscatur, v
perspicuum fiet ex sequentibus. Sumitur autem hi
appetitus non pro purè innato, qualis etiam est i
inanimatis, sed pro quouis naturaliter à viuente pe
potentiam cognoscitiuam elicito. Vide D. Thom
1. p. q. 2. art. 1. ad 1.

4. *Appetitus ad res est, cognitio à rebus.*] Signifi
catur hac propositione diuersus procedendi modu
in actionibus potentiæ appetitiuæ & cognoscitiuæ
motus siquidem animi ad res pertinet propriè a
appetitum, actio verò virtutis cognoscitiuæ per
ficitur non secundum motionem cognoscentis a
res, sed potius secundum quod res cognitæ sunt i
cognoscente, vt docet D. Thomas 1. 2. quæst. 4
art. 2. in Corp. & q. 66. art. 6. ad primum. Vbi a
cognitionem perfici secundum quod cognita sun
in cognoscente; actionem verò appetitus, vt dile
ctionem, v. g. secundum quod diligens trahitur a
rem dilectam, quo sensu dici solet, anima potiu
esse vbi amat, quam vbi animat, vt explicatur su
loco.

DISTINCTIO III.

Operationem Potentiæ cognoscentis necessari præsupponi ab appetitu.

1. *Appetibile non mouet appetitum, nisi mente ap
imaginatione perceptum.*] Est commun

principium & axioma Philosophorum & Theologorum omnium, vt inquit Suarez d. 25. Metaph. s. 7. desumptum ex lib. 3. de Anima cap. 10. t. 53. Vbi omnes interpretes consentiunt, vt testatur Suarez ibidem, estque expressa sententia D. Augustini l. 15. de Trinit. cap. 26. vbi ait, *amorem oriri in nobis ex mentis notitia*, & S. Anselmi in Monologio c. 48. cum inquit: *nullus res amatur sine sui memoria aut intelligentia*; sicuti namque approximatio localis agentis ad passum est conditio sine qua agens non agat in passum; Cum, actio non fiat in distans, vt explicatur Titulo *de Causa Efficiente*. Ita approximatio vitalis rei appetibilis est necessaria conditio sine qua appetibile non mouet appetitum, ita vt hic sine eiusmodi applicatione maneat quodammodo mortuus, non exercitus neque vitalis: vnde illud vulgare,

2. *Ignoti nulla cupido.*] Ratio generalis est, quia agens naturale agere non potest nisi habeat obiectum sibi debitè applicatum, vt dictum est supra; atqui per cognitionem appetibile vitaliter applicatur potentiæ appetitiuæ: ergo appeti aut amari non potest nisi per cognitionem appetitui propositum. Tradit hanc doctrinam & fusè ac subtiliter moro suo persequitur S. Augustinus lib. 10. de Trinitate cap. 1. & 2. Vbi inter alia: *rem*, inquit, *prorsus ignotam amare nullus omnino potest*; & alibi: *Inuisa diligere possumus, ignota siue incognita nequaquam.* Cæterùm hæc vitalis applicatio in animalibus ratione carentibus fit per apprehensionem sensus. In ijs verò, quæ ratione sunt prædita, etiam ad appetitum rationalem siue voluntatem per intellectum vitaliter cognoscentem & voluntati proponentem rei bonitatem, iuxta illud: *Nihil est volitum, quod non prius sit intellectum*: de quo infra: Estque tam efficax hæc applicatio, vt pro varietate ipsius

variari possit ratio volendi. Sic idem bonum appre
hensum absolutè, id est, pro vt abstrahit à præsent
& absenti, causat amorem: apprehensum vt absen
causat desiderium; vt præsens denique causa e
gaudij; qui sunt actus specie diuersi, secundum Sua
rez & Ægidium de Conink. Simili modo fit in ap
petitu sensitiuo, iuxta istud:

3. *Animali non accidit appetitus nisi ex imagina*
tione, Lib. 3. de anima cap. 10. tex. 29. in fine cap
tis & textus, & ex eo Commentator in 8. Phys.
20.] Pro cuius maiore explicatione notandum e
primo; Non quamuis imaginationem aut appre
hensionem sufficere ad appetitum, quomodolibe
mouendum. Si enim res apprehendatur simpliciter
non verò vt bona vel mala, nulla ratione mouebi
tur appetitus: Si verò apprehendatur vt bona, no
verò vt possibilis; mouebitur quidem ad simplicem
complacentiam, non tamen ad actum, quo illã con
sequi velit, & sic de cæteris. Ex quibus perspicuum
fit, quo sensu dixerit Aristoteles 3. de anima, cap.
t. 153. *Ad ea, quæ imaginamur, perinde nos affici, a*
que ad ea, quæ cernimus in pictura; quia sicuti hæ
per se non mouent appetitum, vt illa velit assequi
aut vt fugiat vel timeat, &c. Ita quæ simpliciter ap
prehendimus, vt bona non verò vt possibilia aut fu
tura non mouent, vt illorum assecutionem desid
remus. Cõparat ergo Philosophus imaginationem
rei, vt bona non verò vt possibilis, cum visione r
depictæ.

Notandum 2. in hac apprehensione vel imagina
tione includi implicitum quoddam siue virtuale iu
dicium potentiæ intellectiuæ in ratione præditis; v
æstimatiuæ in gratis; quia qui apprehendit ens ali
quod sub ratione boni, virtualiter iudicat illud en
esse bonum: Sicuti qui apprehendit Petrum sub ra

tione hominis, virtualiter iudicat illum esse hominem; Cuius ratio est, quia nihil potest apprehendi, nisi sub ratione illa, quæ ipsi per se primò conuenit: alias non illud conciperetur; sed aliquid aliud, v. g. qui volens concipere Petrum, conciperet Angelum; non Petrum apprehenderet, sed Angelum. Sic etiã ouis apprehendit & appetit frondem ex quodam iudicio virtuali siue imperfecto, quo per simplicem & naturalem æstimationem Phantasiæ existimat frondem sibi conuenientem, &, vt inquit D. Thomas, 1. p. q. 59. a. 3. *Fugit lupum ex quodam iudicio, quo existimat eum noxium.* Pluta, quæ huc referri possunt, explicantur Titulo *de bono & eius appetitu.*

TITVLVS XLII.

De Potentia appetitiua rationali.

DISTINCTIO PRIMA.

Quid sit appetitus rationalis siue Voluntas.

1. *Voluntas est potentia libera.*] Est communis sententia Philosophorum ac Theologorum. Pro cuius declaratione notandum est; duplicem esse libertatem; Contrarietatis scilicet, siue quoad specificationem, & contradictionis, siue quoad exercitium: Libertas contrarietatis est, qua potentia positis omnibus ad agendum requisitis potest producere actus contrarios circa idem, v. g. amorem & odium, desiderium & fugam, &c. Necessitas huic libertati contraria dicitur necessitas quoad specificationem, qua ita necessitatur potentia, vt si velit versari circa aliquod obiectum, ne-

cessariò debeat producere actum certæ alicuius sp
ciei. Libertas contradictionis siuè quoad exercitiu
est, qua potentia positis omnibus ad agendum pra
requisitis potest agere & non agere: necessitas o
posita vocatur necessitas quoad exercitium. V tr
que modo voluntatem esse liberam patet primo e
perientia; experimur enim nos producere, v. g. ac
amoris vel odij, & non producere pro nostro ben
placito: patet 3. ex communi hominum sensu:
enim quæratur, cur aliquid libere velimus, dicamu
faciamus; respondemus, quia volumus. Ratio
priori est, quod in obiecto voluntatis possit sim
inueniri ratio boni & ratio mali: Cum enim eade
res diuerso modo considerata possit habere rati
nem boni & mali, fieri potest, vt perfectè propo
to obiecto possit voluntas illud amare & odisse. E
enim voluntas appetitus quidam vniuersalis, h
bens pro obiecto quodcunque bonum, habe
item proponentem obiectum, potentiam vniue
salem, videlicet intellectum cuius obiectum est o
ne ens; ergò respectu nullius obiecti, quod ei a
intellectu proponatur, ita est determinata, vt no
possit suspendere actum circa illud, cum possit etia
circa alia obiecta versari, & habeat in promptu i
tellectum, quo potest vti ad propositionem alie
rum obiectorum; ergò non necessitatur ad actu
eliciendum, nisi circa obiectum quod ei clarè pro
ponatur ab intellectu, vt habens omnem ratione
boni, qua tale obiectum sufficienter voluntatem d
terminat; cum contineat totum illud bonum, a
quod essentialiter appetitus rationalis ordinatu
quod solis beatis accidit, qui Deum clarè intuer
tur, vt in se est, ac proinde necessitantur ad eu
continuò amandum. Vide, si placet, Becanum d
libero arbitrio c. 2. q. 3.

2. *Volunta*

2. *Voluntas est cæca potentia.*] Est commune dictum Theologorum & Philosophorum. Ratio est, quia per se non potest cognoscere, quid legi æternæ, quæ est regula illius remota & vltimata consentaneum sit aut dissentaneum, ac proinde non potest discernere inter bonum & malum, inter honestum & turpe, inter ea, quæ amplectenda sunt, & quæ fugienda: debet ergo dirigi à recta ratione, tanquam à regula sua proxima & illius iudicio se conformare. Quod si non facit, non ibit rectà, sed cæco impetu feretur in suum interitum; non quod operari illa sine prævia intellectus cognitione possit; sed quia in omnibus actionibus suis, si non rectam sequatur rationem, opinionibus iniquis adhærere soleat & peruersis, & hoc sensu intellige illud, lib. 3. de Anima c. 9. tex. 47. *Intellectus nonnunquam iubet, ratioque fugere aliud aut prosequi iubet; at non obtemperat homo, sed agit cupiditate, vt in incontinente fieri solet.*

3. *Voluntas tantam vim habet ad volendum, quantam intellectus ad intelligendum.*] Ratio huius est, quia inter duas illas potentias est naturalis connexio ac proportio; quæ in eo consistit, quod voluptas naturaliter possit versari actu prosecutionis circa omne bonum, & actu auersionis circa omne malum, quod intellectus naturaliter potest cognoscere & voluntati amandum vel odiendum proponere. Vsus huius pronunciati frequens est apud Theologos præcipuè in primam secundæ, in materia de actibus humanis, & in materia de gratia.

4. *Voluntas non fertur nisi in id, quod supponitur esse bonum.*] Alij ita proponunt: *Obiectum voluntatis est bonum.* Sumitur ex lib. 1. Ethicorum, cap. 1. & alijs citatis supra Titulo *de Bono, & Bonitate.* Intelligitur non de quibuslibet actibus voluntatis, siue prosecutionis illi sint, siue auersionis

Clarum enim est voluntatem posse versari circa malum actu odij vel fugæ, &c; sed intelligi debet de actibus prosecutionis, siue complacentiæ duntaxat; ita, vt sensus sit, voluntatem non ferri actu amoris, desiderij, vel gaudij, nisi in id, quod supponitur esse bonum, in apprehensione scilicet vel iudicio intellectus, non autem necessario existens actu in rerum naturâ: quia possumus velle bonum sanitatis, v. g. nondum existentis. Porrò voluntatem non moueri ad appetendum, nisi ei obiectum proponatur sub ratione conuenientiæ, siue bonitatis. Docet S. Thomas 1. 2. quæst. 9. art. 1. ad 2. *Sicut*, inquit, *imaginatio formæ siue æstimationis conuenientis vel nociui, non mouet appetitum sensitiuum, ita nec apprehensio rei veræ sine ratione boni & appetibilis.* Patet experientia: notamus enim non moueri nos ad appetendum aliquid nisi illud apprehendamus vt bonum. Suadet etiam ratio: nam vnumquodque appetitiuum mouetur à suo obiecto ad actum appetendi; obiectum autem voluntatis est bonum, quod proponitur ab intellectu; ergò vt voluntas moueatur ad illud appetendum, debet proponi vt bonum.

Confirm. *malum vt malum est obiectum fugæ*: ergò non potest esse obiectum prosecutionis: nihil enim est amandum, & odio habendum eadem omnino ratione formali, vnde pulchrè S. Augustinus lib. de Concordia liberi arbitrij & prædestinat. *Nihil*, inquit, *vult voluntas, nisi commoditatem aut rectitudinem: quidquid enim aliud vult aut propter commoditatem, aut rectitudinem, vult*, &c. Debet autem obiectum apprehendi bonum secundum eam rationem conuenientiæ, quam habet respectu appetentis; alioqui non mouet appetitum, quia ratio appetendi aliquid, est proportio, quam illud habet

Digitized by Google

cum appetente, vt patet inductione, & ex supra dictis.

5. *Voluntas est Domina potentiarum.* Elicitur ex lib. 1. Politic. cap. 3. & ex 3. de Anima tex. 46. & sequentibus, ac refertur à Themistio in 3. de Anima cap. 59. quod est in textum Aristotelis citatum.] Rationem assignant Conimbricenses; quia in omnibus potentijs ordinatis ea, quæ vniuersalem finem respicit, excitat eas, quæ circa particulares fines versantur, vt tam in naturalibus, quam in politicis rebus videre licet; atqui obiectum voluntatis est omne bonum in communi: reliquæ verò potentiæ tendunt in bonum particulare sibi conueniens, ergò voluntatis est excitare eas ad suos actus. Porrò intellectui, phantasiæ & appetitui sensitiuo imperat voluntas politicè: id est, ita, vt possint interdum reniti; quia instar ciuium proprio quodam iure gaudent, quod non potest illis voluntas eripere; neque enim intellectum illa cogere potest, vt assentiatur rei falsæ; item intellectus exercet multos actus ante imperium voluntatis, v. g. cum excitatur ab obiectis extrinsecis mediante cognitione sensitiua. Similiter vehementes apprehensiones phantasiæ, & passiones appetitus, non possumus pro arbitrio voluntatis statim reprimere, etsi possimus per Dei gratiam ijs non consentire voluntate: Potentiæ autem motiuæ imperat despoticè, ita vt hæc seruiliter ad nutum pareat voluntati. Quandocunque enim volumus, mouemus membra extrinsecus non impedita à morbo, vinculis, &c. Potentiæ vegetatiuæ per se non subjiciuntur voluntati, Quia sola voluntate nec cubitum possumus adjicere ad staturam; sed indirectè & per accidens tantum, quatenus plus minusvè vel conuenientius alimentum sumendo, corpus exercendo, &c. possumus

adiuuare actiones illarum. Idem est de sensibus
ternis; quia hi sublato impedimento & posito
iecto non possunt non operari; indirectè tan
subiiciuntur: id est, quoad applicationem obie
& præuias actiones, vt si claudam oculos,
videbo.

DISTINCTIO II.

Quomodo operetur Voluntas.

1. *Voluntas semper agit voluntariè.*] Ratio
quia voluntas essentialiter est appetitus
citiuus, & ideo necessario operatur præuia cog
tione, siue per modum appetitionis vitaliter in
actus influens, & hoc est agere voluntariè: ips
enim velle non est contra inclinationem voluntat
Cum sit actio siue motio voluntatis, quæ est inc
natio quædam in aliquid; ac proinde sicuti dici
id esse naturale, quod est secundum inclination
naturæ; ita dicitur esse voluntarium, quod est
cundum inclinationem voluntatis. Vide, si p
cet, D. Thomam 1. p. q. 2. art. 1. in Corpore.
dem sensu verum est celebre illud, in moralib
axioma:

2. *Voluntas coacta etiam est voluntas.*] O
nis enim actio tam elicita, quam imperata à v
luntate, licet ex metu aut alia qualicunque co
pulsione vel coactione fiat; reuera voluntaria
& voluntas actualis dicitur: cum implicet cont
dictionem, voluntatem quicquam agere, qu
non sit voluntarium, quemadmodum implicat
tellectum exercere actionem, quæ non sit int
lectio. Atque hinc docent morales Philosop

Digitized by Google

etiam id, quod fit ex metu, ſimpliciter eſſe voluntarium, licet dici poſſit inuoluntarium ſecundum quid. Ita expreſsè habetur cap. *Merito*, cauſa 5. quæſt. 1. & in lege, *Si mulier*, &c. §. penult. digeſt. *De eo, quod vi metusuè cauſa.* Idem planè docuit Ariſtoteles, 3. Ethicorum cap. 1. cum dixit, *eos qui operantur ex metu, magis aſſimilari voluntariè operantibus*: ac ſi dicat, plus habere de voluntario, quam de inuoluntario, vt expreſsè docuit Gregorius Niſſenus lib. 5. Philoſophiæ cap. 1. D. Thomas 1. 2. quæſt. 26. artic. 3. & Vaſquez ibidem, vbi conciliat D. Thomam & Ariſtotelem, dicitque eos verbo quidem in hac materia diſcrepare, re tamen verâ idem docere.

3. *Voluntas à nulla creatura neceſsitari poteſt ad agendum.*] Traditur à D. Thoma 1. par. quæſt. 82. artic. 2. à Caietano ibidem, à D. Bonauentura in ſecundum, diſtinct. 25. qu. 4. & 5. à Scoto in ſecundũ, diſtinct. 29. quęſt. 1. §. *ad quæſtionem igitur*; & eſt communis ſententia Philoſophorum & Theologorum. Intelligitur autem de neceſſitate ad agendum actione voluntati propriâ, & non primo primâ. Eſt namque ita in ſe libera, vt nec obiectiuè, nec effectiuè ad actus non primo primos abſolutè neceſſitari poſſit: niſi ab ipſo Deo vel clarè viſo, vel in operandi modo legem ordinariam non ſeruante. Dixi autem abſolutè; quia voluntas poſita efficaci volitione finis & præſentato medio omnino neceſſario ad finem obtinendum, non poteſt illud non velle; nimirum pro diuerſa efficacia volitionis & intentionis; non enim magis neceſſaria eſt electio, quam intentio eſt efficax.

DISTINCTIO III.

An & qualem cognitionem voluntas habeat præuiam.

1. *Voluntas non fertur in incognitum.*] Sumptu
est ex lib. 3. de Anima cap. 10. tex. 54.
refertur à S. Augustino lib. 8. de Trinitate cap.
Veritas eius patet experientia. Nunquam enim v
luntas in incognita fertur, priusquam ea aliquo m
do apprehendantur, & voluntati proponantur. R
tio est, 1. quia voluntas non potest operari nisi pr
ducat actum, qui sit certæ alicuius speciei; sed n
potest producere actũ certæ speciei, nisi proponat
obiectum. Sumit enim speciem actus, saltem extri
secè, ab ipso obiecto: ergò prius quam operetur, d
bet ipsi proponi obiectum. 2. quia voluntas ex
parte essentialiter pendet à causalitate; Cum n
possit appetere quicquam nisi metaphoricè mo
siue à bono appetibili excitata. 3. Quia causa fina
requirit omnino esse cognitum, vt causet: cum mo
metaphorica nequidem possit intelligi nisi media c
gnitione, vitaliter applicante obiectum appetit
Atque hinc docent Theologi, in materia de scien
Dei; non modo in hominibus & Angelis, sed etia
in Deo habere locum, quod voluntas non feratur
incognitum. Ideóque antè liberas determinatione
voluntatis diuinæ, v.g. de mundo creando, de hoc
illo homine prædestinando, de his & similibus ben
ficijs humano generi exhibendis, præcedere ordi
rationis in intellectu diuino iudiciũ, quo iudicat h
vel illud esse faciendum, &c. Vide Vasquez, si lib
Tomo 1. in primam 2. disp. 15. cap. 2.

2. *Nihil est volitum, quod non prius sit intellectum.* Traditur à D. Thoma in lib. 3. Poſt. lect. 2. & à Suarez lib. 5. de Anima cap. 3. n. 8.] Determinat hæc propoſitio doctrinam & explicationem axiomatis præcedentis, docetque ad eliciendum actum voluntatis non ſufficere cognitionem qualemcunque, Senſus, v. g. interni vel externi; ſed requiri abſolutè præuiam intellectionem. Ratio eſt, quia *Intellectus eſt propria regula voluntatis*, qua in omnibus ſuis operationibus dirigitur: ſi ergò intellectus, qui eſt radix & fundamentum libertatis, vt docēt Theologi, nihil cognoſcat aut iudicet, neque etiam voluntas quidquam amplectetur, aut reſpuet; cum libertas formalis, quæ eſt in voluntate, neceſſariò præſupponat libertatem fundamentalem in intellectu. Quare ad eliciendum actum voluntatis non tantum requiritur cognitio ſenſitiua; ſed abſolutè etiam neceſſaria eſt intellectiua; neque verò ſufficit ex qualiſcunque; ſed inſuper requiritur, vt volitio futuræ ſit accommodata, iuxta illud:

3. *Omnis actus voluntatis ſupponit actum intellectus proportionatum.*] Vt actus amoris, v. g. ſupponit apprehenſionem, vel iudicium intellectus de obiecti bonitate, vt ſic; actus odij de eiuſdem malitia; actus deſiderij prærequirit opinionem boni abſentis; actus gaudij opinionem præſentis, & ita de reliquis, vt docet D. Thomas 1. 2. qu. 40. art. 2. in Corpore. Item volitio ſupernaturalis cognitionem prærequirit ſupernaturalē; quemadmodum ad actum voluntatis naturalem ſufficit intellectio humana & naturalis; eò, quod dirigens proximè & directum debeant eſſe eiuſdem ordinis. Itaque propoſitio hæc reſtringit ſecundam, vti illa primam. Vtitur autem hac Suarez Tomo 4. in 3. p. diſp. 3. ſect. 1. num. 4. & inde probat, actum virtutis Pœnitentiæ elici à volun-

tate præsuppositio tamen actu intellectus sibi propo
tionato. Ex eâdem communiter probant Theolog
in materia de Fide, præter motionem piam volun
tatis, quæ prærequitur ad assensum fidei, vt per i
lam determinetur intellectus ad assentiendum, re
quiri etiam cognitionem aliquam siue illuminatio
nem intellectus supernaturalem, quæ vel apprehen
dat vel iudicet obiectum quod proponitur, esse cre
dibile & credendum, propter auctoritatem diuinam
qua enim voluntas non fertur in incognitum; ante
quam aliquid velit, debet id aliquo modo cogno
cere intellectus; & quia voluntas credendi est supe
naturalis, vt docet D. Thomas 2. 2. q. 2. art. 1. ad
& alij Theologi communiter. Vide Hurtado di
14. de Anima, sect. 6. Debet etiam cognitio, qu
ipsi suum obiectum proponitur, esse supernaturali
vt sit proportio inter cognitionem & volitionem
neque enim voluntas motiuo diuino ac supernatu
rali rem appetet, quam intellectus non nisi human
ac naturali iudicio apprehendit. Consule, si place
Suarez de Fide, disp. 6. sect. 8.

4. *Voluntas non potest mouere nisi ante mota p
intellectum.*] Traditur à Leonardo Lessio lib. 1. c
Iure & Iustitia, cap. 1. dub. 3. num. 19. & veru
est iuxta explicationem præcedentium: Mouet au
tem intellectus voluntatem quoad specificationem
ex parte obiecti determinans actum per modum pr
ponentis obiectum: at verò voluntas mouet cæte
ras facultates sibi subiectas, quoad exercitium, vt d
cet D. Thomas 1. 2. quæst. 9. art. 1. ad 3. Vasquez
alij. Cæterum hæc præuia cognitio intellectus ta
necessaria est, vt probabilius sit sine illa ne quide
de potentiâ Dei absoluta voluntatem posse se, a
alias potentias mouere vel vllo modo operari, qu
obiectum se habet per modum causæ formalis,

Digitized by Google

eſt tàm neceſſaria ad ſpecificationem actus voluntatis, quam cauſa formalis ad conſtitutionem compoſiti; ergo ſicuti nulla ratione poteſt eſſe compoſitum ſine forma, ſic neque poteſt eſſe operatio voluntatis ſine obiecto: atqui nihil iuuat eſſe obiectum, niſi proponatur; nec poteſt proponi niſi per intellectum, vt explicatum eſt: ergò, &c.

TITVLVS XLIII.

De impotentia & patibilitate.

DISTINCTIO PRIMA.

De Patibilitate generatim.

1. *Multum paſſibilia patiuntur à parvis actiuis.*] Traditur ab Ariſtotele in Problem. ſec. 5. tex. 12. & refertur à D. Thoma 1. 2. q. 22. art. 3. ad 2. Vbi ex eo probat, magnitudinem patientis non ſolum pendere ex virtute agentis; ſed etiam ex paſſibilitate patientis: ita vt quo maior eſt ſubiecti ad aliquam formam recipiendam diſpoſitio; eò facilior ſit agentis operatio. Sic, v. g. ſtupa vel ſtipula arida facilius ignem concipit, quam ferrum aut lignum humidum: ſic verbum ſuaue ac familiare homini iracundo aſperum videtur & inhumanum; etenim flaua bilis, qua eiuſmodi homines cholerici abundant, humor mobilis eſt & acutus, quare facilè irritatur & efferueſcit. In eundem ſenſum verum eſt iſtud:

2. *Patitur facilè quod tenuium eſt partium.* Sumitur ex lib. 3. de Anima tex. 65.] Vbi Philoſophus docet, aquam facilius moueri, quam lapidem,

& aërem quam aquam, & ita conſequ
libus; quia nimirum ex communi ſe
quid recipitur ad modum recipientis reci
in idem ferè recidit, actus actiuorum
ſubiecto pro ratione diſpoſitionum
Titulo *de Cauſa efficiente*. Pulchrè do
à ſimili declarat Philoſophus in hun
cut debilis eſt ſtomachi cibum durio
concoquere; ita hominis puſillanim
duriuſculum non poſſe ſuſtinere. Ci
ſententia ex lib. 4. Ethic. cap. 3. ſed
non habetur, ab ea tamen minimè al
ibidem Ariſtoteles de viro magnanim
ius enim eſſe docet; nec commoueri
tæ iniuriæ meminiſſe.

3. *Quanto aliquid eſt maioris paſſ*
eſt minoris poſſe.] *Ratio eſt, quia
eſt paſſibilius, tanto eſt imperfectius
imperfectionem arguat patientis; q
actio perfectionem agentis: *Vnum
agit pro vt eſt actu, & patitur prout*
vt explicatur Titulo *de Actione &* P
to autem vnumquodque in ſua natu
ctius, tanto minus habet actuitatis,
uæ proportionatæ ſint eſſentiæ. Sic
quæ eſt purè paſſiua, nullius eſt actu
trà Deus, qui eſt purus actus, purè a
lius autem paſſibilitatis, vt pluribus
tulo *de cauſa materiali, & de Deo*: N
paſſibilitatis, intelligitur hic potenti
perfectione orta, quæ nihil aliud eſt,
paſſiua ad receptionem formarum
Quare non debet intelligi propoſiti
què promptitudine ad recipiendas q
vtiles, ſiue noxias aut peregrinas qua

Digitized by Google

pressiones. Nam ignis, v. g. ex omnibus elementis facillimè læditur & minimè est resistitiuus resistentia priuatiua: Cum tamen actuitate omnia corpora elementaria superet; imò generatim.

4. *Omnis prima qualitas magis est actiua, quam ipsius contraria sit resistitiua.*] Intelligitur & verum est de resistentia priuatiua, quæ non est actio; sed quædam formalis repugnantia, priuatio siue exclusio actionis contrariæ à subiecto ex se apto recipere talem actionem. Ratio propositionis est; quia aliàs non daretur vlla reactio: Cum hæc fieri nequeat, nisi qualitates inuicem agendo sese mutuo refrangant: Non autem intelligi debet de resistentia contraria, quæ est actio positiua, qua minuitur virtus agentis contrarij; & solum differt denominatione siue habitudine: quatenus enim ab agente est, dicitur actio, quatenus verò diminuit vires alterius, dicitur resistentia. Ratio huius est, quia si omnis qualitas minus esset resistitiua resistentia contraria, quam ipsius opposita sit actiua; ergò omnis qualitas minus esset actiua, quam ipsius contraria, quod dici non potest, vt per se est manifestum.

DISTINCTIO II.

De eadem patibilitate in specie.

1. IN *corpore affecto facilis est offensio.*] Quia enim corpus prauis humoribus vitiatum, aut maligna passione vel qualibet alia noxia qualitate affectũ multum est passibile, ideo facilè patitur & offenditur, iuxta illud: *Multũ passibilia patiuntur à paruis actiuis.* Sumitur hæc propositio ex l. 6. Polit. c. 6. vt patebit

ex propositione sequente. Ratio illius
facilius patitur & infirmatur, quod. m
tum est ad infirmitatē: atqui corpus ma
affectum, ad illam est magis dispositu
dem in eo temperies humorum, siuè qu
bari cœpta est, in qua sanitas eius & fi
stit; ergò tale corpus facilius patitur
Hæc etiam vna, inter alias causa est,
infirmi, effectibus & passionibus ani
obnoxij, quam cum integri essent &
lud vulgare: *Infirmi facile irascuntur.*

2. *Corpora sana permultos ferunt erro*
hanc & proximè antecedentem propo
stoteles lib. 6. polit. c. 6. huiusmodi
veluti Rerumpublicarum status, inqui
sint facilè subuertuntur; si boni, non staf
corpora humana, si sana sint multas sustin
malignarum qualitatum tentationes & i
sem valetudinaria sint, facile ijs succumb
pora hic intelliguntur ea, quibus ve
valetudo: Nam, vt ait Aristoteles i
12. Corpora, quæ modicè constant,
sunt, & in morbum sæpius incidunt,
rantur, quia quod modicum est & a
vtramque partem est compatibilius.
tentiam Galenus l. de veteri medici
becillas esse naturas, quæ citò &
duntur.

3. *Qui sunt integra corporis valet*
tiones agre ferunt.] Monet hic Apho
2. Hippocratis, non temerè & sine c
das esse medicinas ab ijs, quibus integ
adhuc solidæque suo stant robore vi
illas & molestè ferunt, cum non me
stino & naturali suo statu corpus ijs

Digitized by Google

docet Hippocrates eiusdem lib. Aphorismo 36. Sensus moralis huius propositionis in eos valet magistratus, qui sine causa & culpa ac sine discretione pœnas à subditis probe se habentibus deposcunt.

4. *Cor nullum patitur graue vitium.* Lib. 4. de part. Animal. c. 4.] Rationem addit Philosophus ibidem; *Quia si principium corrumpitur*, inquit, *nihil est, quod ceteris, quæ inde pendent, præbere auxilium possit*, & vt ait D. Thomas lib. 6. de motu Animalis; facta modica alteratione caloris vel frigoris in corde, maxima fit in partibus exterioribus. Eadem est ratio de omnibus affectuum perturbationibus. Sensus huius moralis locum habet in Principes & Dynastas, alioſque, à quibus salus Reipub. dependet. Hac etiam de causa cordis locus in medio viuentis est, vt docetur lib. 3. de partibus Animal. c. 4. & alibi. Nimirum, quia locus ille est temperatior & à nocumentis tutior. Declinat autem nonnihil ad sinistram in homine; vt det locum hepati, & vt frigiditas læuæ partis ex splene temperetur.

DISTINCTIO III.

De Sympathia animæ & corporis.

1. *Anima & corpus sibi inuicem compatiuntur.* Aristoteles in lib. de Physiognomia cap. 1.] Vbi id explicat & probat ab experientia, & manifestum esse dicitur in ægritudinibus & alijs quibusque corporis affectibus: multum namque anima videtur mutari à passionibus corporis, & è conuerso, quod corpus compatiatur à passionibus animi, maximè manifestum est, inquit, circa amores, dolores, timores & voluptates. Eandem doctrinam lib. 1. de

Anima c.1.t.14. tradit Aristoteles & ex
modum: Omnis operatio, ad quam
peramentum operatur, non solius a
etiam corporis: atqui omnes passio
bent; non ergò solius animæ sunt, sed
pori communes: Assumptionem co
quosdam videmus leui de causa iraſci,
quibus mox circa cor sanguis efferues
iram commoueri, etiam graui oblata
eos, qui phlegmate abundant; Et i
hoc autem ex eo prouenit, quia in
magnam sibi partem vindicat corpori
de re etiam copiosè scribit Aristoteles
Animal. c. 4. & Galenus in libro, q
quod mores animi temperamentum corp
atque hæc vna etiam inter alias cau
hodie publica consuetudine receptum
nes orbis terræ nationes, ne Princep
tium agat absque Medicis; quia animi
mi vitia ex corporis vitiatis humorib
inquit Tiraquellus l. de Nobilitate. c
lud tamen certum est, & perspicuum
rum temperaturæ ad eiusmodi affectu
cuiusque potestate esse. accedente pr
Numinis ope, ducem sequi rationem
tes motus ratione cohibere, ac totius
risque statum ad virtutem & probo
ponere.

2. *Impotentia sensuum animæ est d*
teles in lib. de Somno & Vigilia c. 2. c
Vbi ex eo probat, somnum non esse p
cisè ligationem sensuum vel impoten
in omnibus animæ defectionibus simil
re soleat. Ratio propositionis est;
corpus omniaque corporis organa sib

patiuntur; proinde vnius defectio alterius est impotentia, & vnius debilitas alterius est imbecillitas, neque vnquam animam benè ad munia sua peragenda dispositam habere poterit homo, si organa imaginationis & aliarum virtutum naturalium & sensitiuarum malè sint materiata. Vide D. Thomam in primum Polit. lect. 5.

3. *Melior est animi æquitas, quam corporis sanitas.*] Est hæc sententia 161. illarum, quas ex S. Augustino collegit Diuus Prosper. Monet autem animi tranquillitatem præferendam esse integritati corporis. Cuius ratio est, quia & præstantior corpore est animus, & huius quam illius multo plures morbi, multoque periculosiores, vt proinde iure miretur Cicero, quidnam causæ sit, cur pletique mortales corpori curando tuendoque tantam diligentiam adhibeant, animæ verò medicinam neque colant ita, neque desiderent. Vide, si placet, Ciceronem lib. 3. Tuscul. Quæst. initio.

4. *Ægrotanti animo medicus est oratio.*] Refertur hoc dictum à Plutarcho apud Apollonium, & sumptum videtur ex Æschyli Prometheo, vbi dicitur morbo iracundiæ mederi oratio. Sicuti enim aduersus corporis morbos adhibetur pharmaca herbarum & aromatum; ita morbis animi Philosophia medetur pharmacis verborum, id est, monitis ac documentis salubribus: & sicuti in corporum morbis, pro ratione valetudinis alia atque alia adhibentur remedia; ita similiter in morbis animi non eadem semper adhibetur oratio. Potest etiam Christianè propositio intelligi de mentis elevatione ad Deum, à quo omnis est animæ & corporis tranquillitas.

TITVLVS XLIV.

De Patibili Qualitate.

DISTINCTIO PRIMA.

De Luce.

1. *Lux est Qualitas primi corporis alteran*

Lita communiter appellari solet Lux, vt v
re est apud D. Thomam 1. p. q. 67. ar. 3. ad se
dum; quia scilicet est nobilissima qualitas c
quod est primum corpus alterans: cælum enim
astra non habent qualitates luce præstantiore
communiter docent Philosophi: proinde lux
antonomasiam, *Qualitas cælestis* nuncupatur.
absolutè nobilissima qualitas est, inter omnes
teriales non vitales. Vnde præstantia quæqu
excellentia vocamus, clara, præclara, illus
aliisque nominibus à luce sumptis. Quin &
Deus glorioſus cum luce comparatur. Pro
autem sic definiri potest: Lux est qualitas
hæret corpori ex se lumen fundenti, & in
corpore habet esse reale physicum non intention
Vide Suarez l. 3. de Anima c. 14. n. 2.

2. *Lumen maius offuscat minus.*] Triti i
Prouerbij meminit Sanctus Hieronymus, in Co
mentario, ad Galatas 4°. vbi ait, per Lu
Euangelij & Solem Iustitiæ Christum offu
tas esse, & euanuisse ceremonias legales v
ris Testamenti. Ita neque stellæ de die ap
rent, qui nitidissimo solis iubare obscuran

Hinc etiam: *Supernacaneus est Lychnus, si sol apparuerit, & supernacaneus pædagogus iis, qui perfectam acceperunt sapientiã*, vt inquit Theodoretus ad Philipp. 3. eodem pertinet illud D. Bernardi Homil. 1. super, *Missus est: Prodeunte fructu flos decidit.* Atque in hunc sensum vsurpari solet effatum propositum. Quod autem ad rei veritatem attinet, lumen maius, vt solis v. c. reuera non obfuscat lumen stellarum, quod minus est; cum illustret potius, & omnes stellas sol reddat conspicuas (vti enim luna, ita reliqua siue errantia siue fixa sidera, lumen aliquod à sole accipiunt, qui proinde lucis fons dicitur & origo) sed solum nostro aspectui, propter imbecillitatem oculorũ: magna enim lux ita implet & obruit sua specie oculorũ aciem, vt minorem lucem videre nõ possit, quo modo etiam sonus magnus (qualis est campanæ propinquæ) ita nostras implet aures, vt simul alios sonos nequeãt percipere; & vt ait Hippocrates. 3. *Ex duobus doloribus, qui vehementior est, alterius sensum obscurat.* l. 2. Aphorismo 46.] Quia nimirum sensitiua vis omnis ad maiorem percipiendum distrahitur. Itaque hæc & similia non accidunt ex propria qualitatum natura; sed in ordine ad potentias perceptiuas, quæ imbecilliores sunt, quàm vt pluribus simul intendere possint. Vnde in magnis solis defectibus, inquit Galenus, stellæ apparent, quod suis etiam temporibus accidisse Clauius memorat; sed & ex puteis profundis stellę de die conspiciuntur, præsertim quando sol non est in meridie. Item in resurrectione viuorum vis oculorum erit ita valida, vt à magna alia luce non sit obruenda, sed simul cum ea plurimas paruas luces distinctè videre queat. Ratio autem est; quia qualitates eiusdem speciei ex sua natura non corrumpunt aut destruunt se mutuò; sed potius intendunt: Ergo quod simul plures à no-

bis percipi sæpe non possint perceptricis potentiæ incapacitati præcipuè adscribendum est. Addit D. Thomas 3. p. q. 5. a. 4. Rectè dici lumen minus à maiore obfuscari, respectu corporis illuminantis: non autem ratione corporis illuminati: quam distinctionem illustrat exẽplo: *ad præsentiam solis*, inquiens *lux stellarum obscuratur; sed aeris perficitur.*

4. *Lumen est color ignis.* Aristoteles de coloribus cap. 1.] Vbi id perspicuum esse ex eo docet, quod ignis nullum alium, quam hunc inueniatur habere colorem: tum etiam quia hic solũ est per se visibilis; alia vero per illum. Quod autem ignis subinde, aut sulphureum, aut rubeum, aliumue colorem referat, id ex materiæ ignitæ natura prouenit. Quo modo etiam Planetæ, licet à sole illustrentur, luce eiusdem claritatis, naturæ ac virtutis: tamen quia eam in sese imbibitant, ideo pro suæ materiæ & naturæ constitutione ipsam adtemperant, & ad nos sub aliis, aliisque coloribus refundunt: Sæpe etenim contingit, vt natiuus corporis color, cum lumine in vnam speciem vnumque aspectũ coalescat: atque ex hac concretione & contemperatione pro colorum varietate multiplex luminis differentia procreatur.

DISTINCTIO II.

De calore.

1. *Calor est qualitas vitalis.*] Ita à Philosophis & Medicis antonomasticè calor appellatur; quia in operationibus viuentium, vt nutritione, augmentatione, aliisque mixto animato propriis Calor inter alias qualitates prædominatur & vitalium

Digitized by Google

functionum est opifex. Hinc Aristoteles lib. 3. de Partibus animalium c. 6. & lib. 5. de Gen. animal. cap. 8. per excellentiam tribuit calori, quod vim obtineat augendi & nutriendi. Intelligitur autem pronunciatum cum de omni calore naturali, siue elementaris ille sit siue cælestis, ideſt à lumine cœlesti prognatus. Nam & iſte vitam rerum ſublunarium conſeruat & vegetat; vt docet Ariſtoteles cap. 2. de ſubſtantia orbis: tum verò præcipuè de calore vitali, qui animam viuentis conſequitur, & interit eâ abeunte; ſiue vt de illo loquitur Seneca, in libro quæſtionum naturalium: *qui mecum oritur & mecum moritur*; hic ſiquidem & digeſtionem efficit, vt inquit Ariſtoteles lib. 2. de anima t. 50. & ad motum, ſenſationem, aliaque facultatis vegetatiuæ ac ſenſitiuæ officia concurrit. Vnde à Medicis diuidi ſolet, in innatum & influentem; influens rurſus in naturalem, vitalem, & animalem: vniuſcuiuſque autem vti peculiare eſt ſubiectum, ita propria ſunt & diuerſa munia. Lege, ſi placet, Conimbric. lib. 1. de Gen. & Cor. c. 5. q. 1. a. 5. 6. &c. de hoc etiam potiſſimum caloris genere intelligendum eſt iſtud.

2. *vita conſiſtit in calido & humido.* lib. de Lon. & Breuit vitæ cap. 2.] Licet enim quilibet calor naturalis ad vitæ conſeruationem per ſeſe conducat, dummodo moderatus ſit, & noxijs qualitatibus non permixtus: præcipuè tamen & propriè vitæ conſeruator eſt calor natiuus, vt dictum eſt; ſicuti etiam non in qualicunque; ſed in radicali humido vita conſiſtere dicitur: Præcipuum namque vitæ fundamentum eſt calidum naturale, quod debitam cum humido radicali proportionem habet.

3. *Corpora calidiora magis viuacia sũt, quã min⁹ calida.* Sumitur ex l. de Long. & breu. vitę c. 2. Intelligeceteris

paribus, & in quantum naturæ corporis mixti calor manet proportionatus; nam si nimium dominetur, noxius est vitæ animalis. Ratio pronunciati est; quia maior, & naturæ magis proportionatus calor, melius decoquit alimentum viuentis, & vberius restaurat humidum radicale, quod etiam debet proportione respondere corporis complexioni. Hæc etiam vna inter alias causa est, cur, cæteris paribus masculi sint longioris vitæ, quam fœmellæ, vt docet Aristoteles ibidem, & explicatum est Titulo *de substantia*, distinct. vltimâ, quia nimirum natura sunt illi calidiores quam fœminæ.

4. *Calor naturalis corrumpitur à calore extraneo.*] Commune istud Physicorum & Medicorum pronunciatum refertur ab Alberto M. in lib. 4. Meteor. Tract. 1. c. 8. vbi rem explicat, & dicit, *calorem naturalem vniuscuiusque mixti corrumpi ab extraneo & peregrino calore, non vt calor est; sed prout naturalis*, in quantum videlicet corrumpitur proportio naturæ mixti conueniens, & educitur calor naturalis, ad eum ferè modum, quo paulò ante diximus, lumen minus, à maiore obfuscari.

5. *Cor fons est caloris naturalis.* Refertur à D Thoma in l. 4. Metap.] Ex digressione de coloribus, lec. 64. Et est commune dictum Physicorum ac Medicorum. Ratio est; quia cor est membrum præ cæteris calidissimum; & vt loquuntur Medici, *est Fons vitæ*, ergo & caloris vitalis, qui cuilibet animanti quam maximè naturalis est. Vide Conimbric. in l. de vita & mor. c. 8. Vbi disputant, quamobrem cor vitæ fons dicatur.

6. *Indi abundant calore ascititio, Germani nativo.* Ita pronunciat Galenus l. 1. de temperamentis c. 2. & l. 3. de causis puls. c. 4.] Dicuntur Indi abundare calore aduentitio; quia eorum regio calida est, &

ab ea calefiunt. Indorum enim nomine intelligit populos orientales, Zonæ torridæ vel incolas, vel etiam vicinos. At verò Germani nativo affluunt calore; quia cum eorum cœlum, magis temperatum sit, & minus calidum, obturatis poris frigore, insitum calorem interius asseruant, quem alij calore laxatis, foras emittunt, interuentu spirituum vitalium, qui caloris vehiculum sunt. Porro quod Galenus de Indis orientalibus & Germanis enunciat, idem de aliis etiam populis similes mundi plagas incolentibus, proportione intelligi potest.

DISTINCTIO III.

De Frigore.

1. *Frigus est qualitas mortificatiua.*] Ita loquitur Albertus magnus de veget. l. 1. Tract. 1. & de naturâ locorum Tract. 2. c. 2. & alibi. Vti calor anthonomasticè dicitur, *Qualitas vitalis*, ita è contra frigus est qualitas mortalis; siue, vt Albertus ait, mortificatiua: nempe per se & suâ naturâ: licet ex accidente concurrere possit ad actiones vitæ: quatenus videlicet calorem modificat, eiusque vim attemperat. Ratio est, quia *contrariorum contrarij effectus*, vt explicabitur Titulo *de oppositis*. Sumitur autem effatum propositum, ex l. 4. Meteor. c. 2. vbi inquit Philosophus.

2. *Frigus est causa corruptionis.*] Idem traditur à Galeno l. 3. de causis Sympt. c. 3. Auicenna, Valiesio, Thoma à Vega. & aliis passim; qui illud ex eo confirmant; quia nulla est vitalis actio, cui frigus non per se aduersetur siquidem cum nimium crescit, omnem operationem aut lædit aut ex toto im-

pedit : namque membra stupefacit, & paralysim inducit, proindeque sensum ac motum adimit; quodtamen calor non efficit. Hinc est, quod ad munia viuentium obeunda ex accidente duntaxat frigus concurrit; propterea quod oportet calorem temperatum esse, quam temperationem frigus præstat: ita vt si absque frigore moderatus calor dari posset, nulla esset frigoris necessitas. Nec obstat, quod etiam nimium auctus calor actiones corrumpit. Id enim per se frigori conuenit, calori per accidens. Cuius rei indicium est, quod vbi primum in aliqua parte corporis frigus cœpit augeri, confestim incipit in ea minui perfectio in operando : quod tamen crescente calore non ita accidit. Lege, si placet, Vallesium l. 5. contr. Medic. & Philos. cap. 11. & alios quos citat.

3. *Frigus non ingreditur operas naturæ.*] Traditur ab omnibus auctoribus numero proximo citatis, & refertur ab Alberto M. de Natura locorum Tract. 2. ca. 2. Etsi ad generationem & conseruationem mixti, item ad nutritionem ipsius, augmentationem & similia naturæ opera, omnia elementa concurrere soleant, vel formaliter per se, vel virtualiter per suas qualitates : Frigus tamen opera naturæ, id est, operationes viuentis naturales, vitales & animales, dicitur non ingredi; nempe per se & primariò; quia natura frigoris de se potius obstat generationi, conseruationi ac vegetationi &c. iuxta explicationem axiomatis præcedentis : Ingreditur nihilominus frigus generationem & reliqua naturæ opera aliquo modo; in quantum scilicet adtemperat calorem naturalem, vt sit conueniens animali, & in quantum continet & constare facit humidum per calorem terminatum, vt loquitur Albertus cap. citato. Notant autem rectè Conimbricenses, licet

Frigus per se non concurrat primario ad actiones vitales: per se tamen expeti posse à viuente, cum sitis animalis sit appetitus frigidi & humidi. Vide, si placet, illos in l. 1. de Gen. & Corr. c. 5. q. 5. a. 3. ad 2.

4. *Corde infrigidato moritur animal.* Aristoteles in l. de Iuuent. & Senec. vita & morte c. 2.] Non intelligitur de quolibet cordis refrigerio; quia cor refrigeratur ab aëre ingrediente per pulmones; sicut & cerebrum mitigatur à calido rerum odoriferarum vapore ingrediente per nares, vt docet Albertus M. de sens. & sen. Tract. 1. c. 14. Sed accipi debet de solida cordis infrigidatione; quoniam reuera caloris natiui extinctio mortem affert, vt docet Aristoteles l. 5. Politic. c. 8. vbi definit mortem, *Extinctionem caloris natiui in humido*, idem apertius tradit Galenus l. 2. de Temper. c. 2. & l. 6. Epid. vbi docet, licet animal æstuantibus febri membris intereat, semper ei prope mortem frigere cor, ideoq; mortem valde febrientis frigido cordis temperamento adscribit.

5. *Indigestio est effectus frigiditatis.* l. 4. Meteor c. 3. t. 14. *Omnis enim inconcoctio imperfectio quædam est propter indigentiam caloris naturalis proprij, & eius indigentia est frigiditas.* Et idem docet eiusdem libri t. 18. etiamsi abundet calor extraneus, vt patet in febrientibus. Lege, si placet, Galenum loco citato.

6 *Vinolenti & vini qualitates contrariæ sunt.*] Sumitur ex Problematis Aristotelis sec. 3. n. 1. vbi ait, *Vinolentos esse frigidos, etsi vinum sit calidum*, addit-que eos non frigere tantum, sed & laterum dolore, ceterisque huiusmodi corporis vitiis exerceri; quia multum humoris, cum refrigeratum est, multum frigoris concipit, ita vt calorem superet & opprimat naturalem.

DISTINCTIO IV.

De *humore & siccitate*

1. *HVmidissima quæque & incalescunt & r gescunt quam maximè.* l. 2. de partibus an lium, vbi ex eo probat Philosophus, cerebrum minis cum humidissimum sit, maximam desid tutelam; quia nimirum vehementibus alterati bus caloris & frigoris est obnoxium, vnde prouenire possunt totius corporis sympton

2. *Humorum subtilium homo modico motu mu debilitatur.* Refertur ab Alberto M. l. 3. de anim bus Tract. 2. cap. 4.] Ratio est, quia facilius commouentur, & vel incalescunt vehementius infrigidantur, vt docet Aristoteles l. 2. de Parti animalium c. 14. vnde sequitur totius corporis a ratio & defatigatio

3. *Humida omnium difficillimè concoquuntu* Cæteris nimirum paribus, traditur ab Aristotel Problematis sec. 3. num. 14. Vbi id vsu & exper tia constare docet. Ratio tum ex frigore sumit quod ordinariè humidis alimentis admixtum tum ex constitutione ventriculi; qui minus app hèndere potest humida, & vim suam in ea exerc dixi cæteris paribus: quia si vel ratione nutrim ti, vel digestiuæ virtutis disparitas aliqua aut im dimentum obueniat; vel aliunde oriatur improp tio, potest accidere contrarium.

4. *Humidum excellens mortem accelerat.* tradi ab Alberto M. l. de morte & vita Tract. 2. c. 4 Ratio est quia, vt ibidem docet cap. 8. super flu

Digitized by Google

humida, contraria est & corruptiua caloris vitalis, cuius absumptione vita abbreuiatur: Vti enim siccitas acuit & excitat calorem, quæ proinde *lima* illius dicitur; ita humiditas obtundit illum & deprimit. In hanc sententiam Hippocrates l. 2. Aphorismo 44. docet eos, qui naturâ admodum obesi & pinguessunt, citius interire, quam graciles; & Aristoteles l. 2. de part. Animal. cap. 5. celeriter consenescere dicit, qui valde pinguerint: quippe qui modicum sanguinis habeant, cum præcipua illius copia in pinguedinem abeat: Quæ autem parum sanguinis habent, hæ ad interitum sunt opportuniora: interitus enim inopia quædam sanguinis est.

5. *Siccitas est lima caloris*. Petrus de Aluer. de Iuuent. & Senectute l. 15.] Ita appellatur; quia acuit & excitat calorem, vt è contra humor eum obtundit, iuxta explicationem præcedentis. Vtuntur hoc pronunciato Conimbricenses in l. 1. de Gen. & Corrup. cap. 9, q. 2. a. 3. ad 2. Et inde probant maiorem agendi acrimoniam inesse carbonibus, quam flammæ ignis: id enim contingit non solum; quia in illis est maior multitudo materiæ, in qua gradus qualitatis crebrius geminantur; sed etiam: quia non parum iuuatur à siccitate calor, cum illa sit quasi lima huius ipsum acuens expediensq;, vt compendio materiam intradat, ac permeet.

TITVLVS XLV.

DE FORMA ET FIGVRA.

DISTINCTIO PRIMA.

De forma & Figura in genere.

1. *Figura est character substantiæ.* Ita dicitur communiter; quia est quasi tessera quædam peculiaris latentis essentiæ; quatenus nimirum ea, quæ ijsdem lineamentis affecta sunt, vel specie eandem formam substantialem obtinent, vel certè propinquam; quod propterea addo; quia ex cognatione aut similitudine figurę nō semper colligi posse vnitatem speciei, patet in plerisque seminibus & fructibus, qui in rotundam effigiem conglobantur & distinctam nihilominus specie naturam habent, vt rectè aduertit D. Thomas 3. part. q. 74. a. 3.

2. *Minima variatio in Figuris mutat speciem.*] Celebre illud Mathematicorum pronunciatum desumitur ex lib. de cælo t. 23. Veritas illius patet in quadrato v. c. cuius termini si vel parumper mutentur, iam non erit quadratum; sed alterius speciei figura. Intelligitur itaque de specie Figuræ: non autem de specie Quantitatis: hac enim lineam v. c. rectam & circularem vel quadratam non differre certum est, inquit Fonseca in l. 5. Metap. cap. 4. q. 3. sec. 3. Et ratio est; quia eadem manens in entitate linea, potest nunc recta esse, nunc obliqua; sicuti idem numero brachium alias incurvatur, alias in rectum extenditur. Mutatur ergo non

entitas quantitatis; ſed modus eius ſiue figura, quo etiam modo: *Omnes numeri differentes eſſentialiter differunt*, vt explicatū eſt Titulo *de quantitate* diſt. 9.

3. *Magis & minus non diuerſificant ſpeciem.* Sumitur ex eodem textu, & clarius ex lib. 2. Top. c. vltimo.] Intelligitur de eo rerum genere, quæ non conſiſtunt in indiuiſibili, vt ſunt res Mathematicæ, in quibus minima variatio poteſt mutare ſpeciem vt iam dictum eſt; ſed quæ poſſunt ſuſcipere magis & minus, quæque eiuſdem generis ſunt & ordinis; in his ſiquidem non mutatur ſpecies rei, in entitate ſua eſſentialiter, per magis & minus præcisè. Vt maior vel minor intenſio aut remiſſio in calore v. c. non mutat ſpeciem caloris: Neque enim eſſe calidum vt 6. & eſſe calidum vt 8. faciunt differre ſpecie phyſica; ſicuti neque albedo niuis, quæ maior eſt, differt ſpecie ab albedine parietis minore: namque hic intercedit differentia accidentalis, ſecundum maiorem & minorem participationem eiuſdem ſpecie qualitatis. Lege, ſi placet, D. Thomam 1.p.q.50.a.4.

6. *Figura non recipit intenſionem aut remiſſionem.* Traditur à D. Thoma 2.2.q.24.a.5.] Ratio eſt, quia vt ibidem notauit S. Doctor, talis qualitas in ſua ſpecie formaliter conſtituitur & quaſi completur quadam indiuiſibilitate, vt v. c. quod talibus terminis ſeu lineis claudatur. Item, quia Figura eſt quidam terminus quantitatis; vnde cum quantitas non ſuſcipiat intenſionem aut remiſſionem: nec figura illam recipiet: maximè cum terminus, vt ſic, poſtulet indiuiſibilitatem. Quod autem dicatur pulchritudo poſſe intēdi, & remitti, quæ eſt forma quædam ſiue figura, id in tantum accidit, in quantum illa cōſtat aliqua paſſibili qualitate, vt albedine vel alia ſimili: Neq; illa propriè ad quartā ſpeciē qualitatis

pertinet, nisi ratione lineamentorum.

5. *Figura est in immobilibus.* Sumitur ex l. 5. Metap. c. 14. hoc est, iuxta communem interpretum sententiam, *in quantitatibus*, nimirum tanquam in subiecto proprio & immediato.

DISTINCTIO II.

De ijsdem in Specie.

1. *Figura circularis est perfecta.* l. 2. de cælo t. 22.] Vbi id probat Philosophus hac ratione: Perfectum est id cui nihil deest: imperfectum, verò cui deest aliquid: atqui lineæ quidem rectæ semper addi aliquid potest: non verò lineæ circulari, quare patet, perfectam esse lineam, quæ circulum continet.

2. *Figura sphærica ad motum est aptissima.* Ibidem & l. 3. de cælo t. 69.] Rationem addit; quia minima tangit, cum nullus in ea sit angulus, nullus anfractus, nihil denique quod eius reuolutionem impediat; cum præterea locum semper eundem rotunda figura, si conuertatur, obtinere possit. Intelligitur itaque, & verum est de motu circulari: Nam ad motum progressiuum inepta & inutilis est, vt loco prius citato clarè docet Philosophus. Porro ob volubilitatem dictam figura rotunda inconstantiam designat, vti quadrata firmitatem. Vnde Sapientia in quadrato hærens, Fortuna globo pendens à veteribut pingebatur, iuxta illud.

Vis sphæræ Fortuna, cubo sic insidet Hermes.
Artibus hic variis, casibus illa præst.

3. *Linea circularis omnium est minima.* l. 2. de cælo t. 29.] Videlicet non geometricè; sed physicè, &

Digitized by Google

in ordine ad motum, vt rectè interpretatur Niphus; multo siquidem minori tempore idem spatium confici potest supra lineam rotundam, quam supra rectam, vt perspicuum fit ex dictis.

4. *Isoperimetrarum Figurarum maior est illa, quæ plures habet angulos.*] Figuræ Isoperimetræ dicuntur illę, quæ æquales ambitus continent, & sunt duplices, regulares, & irregulares. De regularibus verum est pronunciatum. Sic hexagona Figura maior est Pentagonâ eiusdem circumferentiæ, & illa Tetragonâ, siue quadrata, & ista Trigonâ siue triangulari. Ratio est; quia illæ plura latera & plures angulos continent, ac proinde pauciora excludunt.

5. *Circularis Figura omnium Isoperimetrarum est capacissima.* Sumitur ex l. 3. de cælo t. 51.] Ratio est, quia nihil excludit. Vtrumque hoc pronunciatum vtile est, ad cauēdum errorem illum vulgarem Geodætarum circumforaneorum, qui cum Geometriæ ignari sint, putant omnes figuras, quæ æquales ambitus continent, esse inter se æquales; Et quos agros v. c. obambulauerint ijsdem passibus, eos putant æquales continere areas, in quo turpiter & cum magno sæpe Agricolarum damno hallucinantur. Vide, si placet, Bartholomæum Pitiscum, libro Problematum Geodæticorum in fine Problematis secundi.

6. *Vulnera circularia difficilius sanātur.* Cæteris nimirum paribus. Ratio perspicua est ex dictis; quoniam latera ipsorum maximè distant: cum circularis figura omnium sit capacissima. Ac proinde difficilius in vnum coalescunt.

TITVLVS XLVI.

De *relationibus in genere.*

DISTINCTIO PRIMA.

Series relationum.

1. RElatio generatim alia est secundum esse, alia secundum dici

2. Relatio secundum esse alia est realis, alia rationis. Nam & relata rationis sunt suo modo relata secundum esse, hæc siquidem, etsi non habent verum ac reale esse: tamen secundum illud esse, quod habent per intellectum, non solum dicuntur; sed etiam sunt suo modo ad aliquid. Vt rectè notat Suarez disp. 47. Metaph. sect. 3. n. 8. & patet in relatione generis & speciei, ac similibus.

3. Relatio realis alia est prædicamentalis, alia transcendentalis.

4. Relatio prædicamentalis alia est eiusdem appellationis vt similitudo, dissimilitudo, æqualitas, inæqualitas: Alia diuersæ appellationis; quæ subdiuiditur in digniorem siue superpositionis, vt Paternitas, Dominatus; & in minus dignam seu suppositionis, vt, Filiatio, seruitus, &c. De singulis his more nostro agemus.

DISTINCTIO II.

De natura & proprietatibus relationum.

1. *RElatio prædicamentalis est accidens reale, cuius totum esse est ad aliud esse.* Sumitur ex I. Præ-

Digitized by Google

dicamentorum capite de ad aliquid.] Dicitur primò *accidens*, quo excluduntur tum relationes diuinæ, tum ſubſtantię creatæ, dicitur ſecundo *Reale*, quo excluduntur relationes rationis, dicitur tertio, *Cuius totum eſſe*, &c. id eſt, cuius tota eſſentia conſiſtit in mero reſpectu ad aliud, tanquam ad purum terminum; quo excluduntur relationes tranſcendentales, & ſecundum dici, quarum totum eſſe non eſt poſitum in mero reſpectu ad aliud, tanquam ad purum terminum, cum ſint entia abſoluta, vt communiter docent Philoſophi. Porro cum dicitur totum eſſe relationis *eſſe ad aliud*, non excluditur *eſſe in*, ſeu inhærentia relationis in ſubiecto; ſed ſenſus eſt, in relationibus prædicamentalibus formaliter ſumptis nihil eſſe abſolutum neque eſſe relationis ſiſtere in ſubiecto (ſicut eſſe accidentium abſolutorum) ſed etiam ordinare ſubiectum & referre actu ad aliud: ſcilicet ad terminum; & in hoc eſſe poſitam formalem rationem relationis.

2. *Relata ſunt ſimul naturâ.* Ibidem.] id eſt, vno relatiuorum poſito vel exiſtente, ponitur alterum, & vno ſublato tollitur alterum; ita vt neutrum ſit cauſa efficiens, aut deſtruens alterius. Vt ſi eſt pater, eſt etiam filius, & contra. Item ſi pater nullus eſt, nullus erit filius; & vice verſa, ſi non eſt filius, neque erit pater. Verum eſt hoc dictum non de relatiuis tranſcendentalibus; quia non ſunt ſimul natura: cū vnum nō reſpiciat alterum terminum purum, ſed etiam munus aliquod circa illud exerceat, per modū cauſæ, vt notat Suarez diſ. 47. Metap. ſec. 4. n. 9. & ſeqq. Verū intelligitur dē prædicamētalibus mutuis, (vt sūt pater & filius) & sūptis formaliter: non autem materialiter ſeu fundamen-

taliter: Nam pater, quatenus homo, est ante filium. Sicuti neque accipi debet de relatiuis non mutuis; vt sunt scientia, & scibile. Etsi enim scientia posita, ponatur & scibile: non tamen illâ sublatâ hoc tollitur. Legei, si placet, Suarez loco citato sec. 16. num. 24.

3. *Relata dicuntur ad ea, quæ conuertuntur.* In Categoriis cap. 8.] Alij ita proponunt: *Relata dicuntur ad conuertentiam.* Sensus est, relatiua solere explicari per suum correlatiuum, ita vt detur in ijs conuertentia mutuæ depẽdentiæ quoad explicationem. Quia enim relatiua referuntur ad sua correlatiua, quæ vicissim aliquo modo referuntur: etiam dicuntur rectè ad sua correlatiua. Vt pater v. c. rectè dicitur filij pater, & filius patris filius: & Dominus rectè dicitur serui Dominus, ac seruus Domini seruus. Conuenit autem hæc proprietas omnibus relatiuis, etiam transcendentalibus, si modo rectè assignentur eorum correlatiua. Vt docet Aristoteles ibidem. Nam & scientia rectè dicitur scibilis scientia, & scibile est scientiâ scibile; & ala rectè dicitur alati ala, & alatum, alâ alatum, & ita de cęteris.

4. *Vno relatiuorum definitè cognito, alterum quoque definitè cognosci necesse est.* Ibidem.] Disputant hic Philosophi, vtrum hoc effatum intelligatur de essentia relatiuorum, an de existentia. Auerroës enim vult intelligi de essentia; ita vt si cognoscatur vnum relatiuum, cognoscatur etiam alterius essentia: Ammonius verò & Boëtius intelligunt de existentia, & non de essentia, ita vt si cognoscatur vnum relatiuum, cognoscatur etiam aliud existere, etsi non cognoscatur, quid illud sit. Sed distinguendum est; ita vt in relatiuis, quæ vocantur Æquiparantiæ, non solum cognoscatur existentia; sed etiam essentia.

Vt v.

Digitized by Google

vt v. c. ſi cognoſco hunc parietem eſſe ſimilem alteri, & hunc parietem eſſe album, etiam cognoſco alterum parietem eſſe album; alioqui nihil mihi conſtaret de ſimilitudine. In alijs relatiuis non aliud neceſſariò cognoſcitur, quam exiſtentia correlatiui, ad hoc enim, vt cognoſcam dominum, ſatis eſt, ſi cognoſcam exiſtere aliquod eius ſeruitium. Lege Suarez, loco cit. ſect. 16. n. 30.

5. *A relatione non denominatur aliquid quaſi extrinſecè exiſtens, ſed inhærens.*] Traditur à D. Thoma 1.2. contra Gent. c.13. vbi mox ſubiungit: *Non enim denominatur aliquis pater, niſi à paternitate, quæ ei inest.* Intelligitur de Relatione ſeu denominatione reſpectiua, qua aliquid dicitur referri ad aliud, hæc enim neque exteriùs exiſtit, neque eſt extrinſeca; quia quod extrinſecè denominat, potius refertur ad ipſum, quod denominat, quàm referat illud; ſed eſt intrinſeca, & quaſi inhæret ſubiecto. Habet enim relatio aliquid commune reliquis accidentibus (analogicè tamen) nimirum, quod ſit in alio, id eſt in ſubiecto. Et habet aliquid proprium, quod videlicet ſit ad aliud, id eſt; ad Terminum; quæ duo, *eſſe in*, & *eſſe ad*, ſunt vnum & idem eſſe in relatione, nec diſtinguuntur à parte rei.

6. *Quod in vnoquoque relatiuo eſt ratio fundandi propriam relationem, idem eſt ratio terminandi alteram correlationem.*] Traditur à Suarez, loco citato num. 18. & ſeqq. eſtque principium generale de Relationum termino ac fundamento proximo; pro cuius explicatione notandum eſt, quemadmodum in fundamento relationis poſſunt duo ſpectari, primò res ipſa, quæ eſt fundamentum, id eſt, quæ fundat relationem. Secundo ratio fundandi, ob quam fundat, vel ſine qua non fundat, vt v. c. albedo eſt fundamentum ſimilitudinis, ratio fundandi hanc ſimilitu-

dinem est formalis vnitas albedinis: Ita similiter in Termino Relationis possunt duo spectari, 1° res ipsa, quæ est terminus, seu quæ terminat relationem; 2° ratio terminandi, ob quam terminat, vel sine qua non terminat relationem. Hæc autem semper est eadem cum ratione fundandi, vt v. c. albedo huius parietis albi est res, quæ proximè terminat similitudinem alterius parietis albi: ratio verò terminandi illam similitudinem est vnitas formalis, seu specifica albedinis, quæ in altero pariete dicta fuit ratio fundandi. Ideo enim albedo terminat similitudinem alterius parietis; quia est eiusdem speciei & rationis, cum albedine alterius parietis.

DISTINCTIO III.

De Simili & dissimili.

1. *Similia sunt, quorum qualitas est vna* l. 5. Meta. cap. 15. & in Categorijs cap. de Qualitate.] Nempe vna specie; nam vna numero qualitas non datur naturaliter in diuersis subiectis. Dicuntur autē res similes dupliciter; primo per participationem eiusdem specie qualitatis; quo modo similes sunt duo parietes albi, duo homines iusti &c. 2° per proportionem, secundum quam vna res imitatur, vel repræsentat aliam; quo modo similitudo quædam est inter Deum & creaturam, ideam & ideatum, &c: vt rectè notat D. Thomas 1. p. q. 4. a. 3. in Corp. & q. 44. a. 3. ad 1. priore modo sumitur propriè similitudo: posteriore verò latè & impropriè. Iuxta priorem modum intelligitur tum præsens effatum, tum etiam id, quod sequitur:

2. *Similia dissimiliáque per qualitates solas dicũtur.*]

In Categorijs cap. 8. vbi addit Philosophus: *nulla alia ratione videri quidpiam simile cuipiam, nisi ea, qua quale est.* Sensus itaque pronunciati est, quæcunque dicuntur similia inter se aut dissimilia, talia dici ratione qualitatum suarum. Sola enim qualitas est fundamentum harum relationum; ac proinde proprietas qualitatū maximè propria esse dicitur, quod secundum eam dicantur res esse similes & dissimiles; sicuti per Quantitatem res dicuntur æquales & inæquales: Licet namque res formaliter proximè dicantur similes aut dissimiles, per ipsam relationem similitudinis aut dissimilitudinis; & æquales vel inæquales, per relationem æqualitatis vel inæqualitatis: fundamentaliter tamen habent illam relationem similitudinis, vel æqualitatis, &c. per qualitatem vel quantitatem, vt constat ex dictis numero vltimo præcedentis Distinctionis. Quod si latiùs sumatur similitudo, non tantum ea, quorum eadem est qualitas; sed ea etiam omnia, quæ analogiam habent aliquam inter se, similia dici poterunt. Notat autem D. Thomas, quæst. 23. de Veritate, ar. 7. ad 11. similitudinem esse relationem æquiparantiæ tunc solum, quando forma secundum quam attenditur similitudo, eâdem ratione in vtroque extremorum existit, sicut albedo in duobus hominibus. Quando autem forma est in vno principaliter, in altero quasi secundariò, non recipi similitudinis reciprocationem. *Sic dicimus*, inquit, *statuam Herculi similem Herculi; sed non è conuerso: non enim potest dici, quod Hercules habeat formam statuæ; sed solum, quod statua habeat formam Herculis.* Alij tamen existimant, ita tantum conuenientius dici, seruato proprio vocabuli vsu; alioquin extenso nominis significato, non videri inconueniens, si dicatur Hercules similis statuæ, ac Deus similis creaturæ, quia creaturæ relationem ac

ſimilitudinem ad ſe terminat. Ita Ferrarienſis lib. 1. contra Gent. c. 29. §. ad eundem.

3. *Diſſimilia ſunt oppoſita ſimilibus.* Lib. 3. Metaph. cap. 9. t. 16.] Vbi addit Philoſophus, quot modis dicitur vnum, totidem dici & alterum; quod verum eſt non in ratione modò ipſius relationis; ſed etiam locum habet in aliis proprietatibus & attributis. Nam vti ſimile gaudet ſimili, ita diſſimile auerſatur ſuum diſſimile; vti ſimilitudo per ſe eſt mater amicitiæ; ita diſſimilitudo cauſa eſt inimicitiæ, & ita in alijs: cuius ratio eſt; quia oppoſitorum oppoſiti ſunt effectus, vt explicabitur Titulo *de Oppoſitis.*

4. *De ſimilibus idem eſt iudicium.* de Diff. Top. lib. 3.] Intelligitur & verum eſt, non de ijs modo, quorum qualitas eſt vna; ſed de omnibus etiam illis, quæ aliquam inter ſe proportionem habent. Vt duo homines candidi, qua candidi ſunt, duo corpora æqualia, duo animalia eiuſdem ſpeciei. Horum enim omnium inter ſe collatorum eadem eſt ratio; in ſenſu videlicet formali, prout ſimilia ſunt, & eandem qualitatem, aut quantitatem, aut eſſentiam communem habent.

DISTINCTIO IV.

De Proportione æqualium, & inæqualium.

1. *Magnum & paruum dicuntur reſpectiuè.*] In Categoriis c. 6. de Quantitate, vbi ex eo probat Philoſophus, magnum & paruum non tam eſſe quantitates, quàm relationes: quantitates enim ſunt entitates abſolutæ: magnum autem dicitur reſpectu parui, & è conuerſo. Sic columba reſpectu

aquilæ parua dicitur, respectu passerculi magna.

2. *Nihil per se magnum dicitur vel paruum.* Ibidem t. 4.] Quia nempe per comparationem ad aliud res magnæ dicuntur vel paruæ : non verò absolutè & in se. Nam, vt ibidem subiungit Philosophus, mons dicitur paruus, & granum millij magnum ; & in vrbe dicuntur esse pauci homines; in pago autem multi : item in domo multi ; at in theatro pauci. Quæ omnia dici non possunt, nisi respectiuè aut per comparationem ad aliud. Intellige in rebus creatis ; Deus enim absolutè & absque comparatione magnus est, & magnitudinis eius non est numerus.

3. *Proportio est optima rerum conciliatrix.*] Ratio huius ex ipsa proportionis natura sumitur, quæ nihil aliud est, quàm mutua rerum inter se habitudo ; & propriè quidem reperitur in Quantitate, vt constat ex lib. 5. Elementorum num. 3. Vbi definitur esse habitudo quædam secundum quantitatem duarum magnitudinum eiusdem generis : Impropriè verò etiam de omnibus ijs dicitur, quæ aliquam inter se symmetriam aut conuenientiam habent, præcipuè de ijs quæ aliquo modo sapiunt naturam Quantitatis, cuiusmodi sunt soni, voces, pondera, potentiæ, &c: vt pluribus explicat Clauius ad locum citatum.

4. *Finiti ad infinitum nulla est proportio.* Lib. 1. de Cælo tex. 52. & 63.] Ratio est ; quia propriè inter se proportionem habere dicuntur magnitudines, quæ multiplicatæ possunt se mutuò superare, vt docet Euclides ibidem definitione quinta. Quare nec finiti ad infinitum, nec lineæ ad superficiem vlla est proportio ; cum nullâ multiplicatione possit superare finita res infinitam, aut linea superficiem; & ita in aliis quantitatibus generis diuersi. Verum

est itaque pronunciatum de Proportione propriè dicta, in sensu formali, id est in ratione finiti aut infiniti. At verò in sensu materiali, potest res finita habere aliquam habitudinem, seu analogicam similitudinem, & proportionem latè acceptam, ad aliam infinitam. Sic Deus hominem fecisse dicitur ad imaginem & similitudinem suam. Item hoc sensu ait D. Bernardus lib. de Interiori domo cap. 67. *Intellectus, memoria, voluntas, sunt vna anima, sicut Pater, Filius, & Spiritus sanctus vnus sunt Deus.* Eodem sensu Theologi concedunt, inter Deum, prout est obiectum intellectus creati, & inter ipsum intellectum creatum, proportionem intelligentis ad intelligibile, quæ nihil est aliud, quàm habitudo quædam seu ordo vnius ad aliud; qualis est inter materiam & formam, causam & effectum, obiectum & potentiam.

5. *Qualis est proportio partis ad partem, talis est totius ad totum.* l. 1. Meteor. t. 12.] Conuertens huius propositionis est ista.

6. *Totum vt se habet ad totum, sic & singulæ partes ad singulas partes.* Lib. 1. de Historia Animalium cap. 1] Idem magis in specie proponit Philosophus l. 3. de Gen. & Corr. t. 37. vbi docet: *Eandem proportionem habere totum elementum ad totum, quam habet vna pars ad partem.* Vera sunt hæc pronunciata manendo in eodem genere, & si cætera paria sint, siue si aliunde non interueniat disparitas. In eandem sententiam Euclides lib. 5. Elementorum Propositione 17. docet; si compositæ magnitudines proportionales fuerint, etiam diuisas proportionales fore, & è conuerso. Vide, si placet, Clauium in eum locum: hoc etiam sensu intelligitur illud,

7. *Vti se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis.* Lib. 2. Topic. cap. vltimo.] Vtitur

hoc pronunciato Suarez Tomo 4. in 3. p. disp. 3. sect. 10. num. 6. & probat ex illo, peccatum eò esse detestabilius, quo est grauius: *Nam peccatum*, ait, *detestabile est; quia malum; ergo quo fuerit maius malum in suo ordine eo erit detestabilius per actum, qui fugit malum illius ordinis.* Itaque verum est axioma manendo in rebus eiusdem generis, & locum obtinet vniuersaliter in ijs, quæ per se talia sunt. Vt, quia virtus per se est amabilis; ergo etiam, quo maior, eò amabilior, & ita de cæteris: In aliis verò, quæ per accidens talia sunt, huiusmodi comparatio non procedit. V. c. non sequitur absolutè: bibere bonum est; Ergo magis bibere melius est, &c: nisi prout in eodem genere, vt in bonitate, vel malitia, vel aliâ simili affectione sumere possunt magis & minus.

8. *Sicut se vnum habet ad vnum, ita duo ad duo.*] Sumitur ex eodem capite, & verum est in rebus eiusdem generis eodem sensu, quo effatum precedens. Vt sicut se habet vnus calor ad vnum calorem; ita duo calores se habent ad duos. Item sicut vnus calor se habet ad vnum frigus, ita duo calores ad duo frigora: Falsum verò est in rebus diuersi generis: Non enim vt se habet calor ad frigus; ita necessariò se habet calor & siccitas ad frigus & humorem.

9. *Sicut totum sensibile se habet ad sensum, ita totum intelligibile ad intellectum.* Sumitur ex l. 3. de Anima tex. 3.] Similitudo analogica est in hoc, quod sicut totum sensibile notius est nobis, quàm sint eius partes, cognitione actuali confusa; ita etiam totum intelligibile. Item sicut totum sensibile est minus notum nobis, quàm sint eius partes cognitione actuali distincta; ita similiter totum intelligibile. In his & similibus pronunciatis, dili-

genter attendendum est, an similitudo eâ parte sumatur, qua res inter sese conueniunt; alioqui facilè potest contingere deceptio; quia iuxta vulgare adagium.

10. *Omnis similitudo claudicat.*] Ordinariè siquidem ea, quæ similia sunt, in vno quidem conueniunt, & se mutuò sequuntur: in alio verò disconueniunt, vt mox fusiùs explicabitur. Quod nisi bene aduertatur, mala fiet conclusio. Vnde etiam istud dictum: *Sicut se habet esse accidentale ad formam accidentalem; ita esse substantiale ad formam substantialem*, est absolutè falsum; licet à quibusdam Philosophis vsurpetur; quia omne esse accidentale est forma accidentalis, cum omne accidens sit forma: Non verò omne esse substantiale est forma substantialis. Nam quædam substantia forma est, quædam materia. Ratio falsitatis est; quia in hoc dicto comparatio instituitur, & argumentatio, qua transcenditur de genere in genus.

DISTINCTIO V.

Omne simile habere aliquid dissimile.

1. *Similitudo communior est, quàm identitas.*] Sindicatur ab Alexandro Aphrod. in 3. Naturalium quæst. cap. 15. Sensus est, plura sibi esse similia, quam inter se idem: non enim omne simile est idem ei, cui est simile, vt per se est manifestum. Ratio est; quia quælibet res identitatem habet à parte rei tantum cum seipsa, prout existit secundum naturam suam indiuidualem & incommunicabilem: similitudinem verò cum plurimis aliis. Vnde etiam nullum nomen, significans aliquod Ens indiui-

Digitized by Goo

duum, est communicabile multis propriè; sed solum secundum similitudinem; quo modo aliquis dici potest Achilles, in quantum habet aliquid de proprietatibus Achillis, scilicet fortitudinem. Ita D. Thomas 1. p. q. 13. a. 9. Vsus propositi huius pronunciati esse potest, si quis, e. g. videns eminus venientem Petrum, existimet, propter similitudinem, esse Paulum. In tali autem casu:

2. *Similitudo est causa deceptionis.*] Elicitur ex lib. 3. Physico tex. 15. Quod eò frequentius contingere solet; quo maior rerum inter se conformitas est. Etenim quædam res omninò similes sunt in indiuiduo; vt, verbi causa, duo quadrata bipedalia, duo calores vt 4. duæ albedines vt 8. &c. Eadem similitudo apparet in ouis, apibus, in aqua, in hominibus gemellis, saltem secundum aliquam proportionem; & generatim in plerisque partibus homogeneis siue similaribus, vt in partibus carnis, ossis, ligni, &c. Huc pertinet illud vulgare:

3. *Non tam ouum ouo est simile.*] Dicitur de quibuslibet rebus indiscretæ similitudinis: in quibus haud facilè inuenire est discrimen. Aliæ res non in specie solum; sed etiam in indiuiduo sunt dissimiles. Vt species visibilis Petri & Pauli. Item Petrus, & Paulus, Bucephalus, &c. In his illud à Philosophis notatur discrimen, quod priores possint à diuersis causis produci. Vt, verbi causa, idem calor productus ab igne A, potuit produci ab igne B. Posteriores non item: Neque enim à Petro dimanare potest species Pauli, &c. Porrò in ijs, quæ in indiuiduo sunt dissimilia maximè notabilis est illa prope infinita & mirabilis humanarum facierum ac vocum varietas. Fermè enim:

4 *Tanta est vultuum diuersitas, quanta hominum & sententiarum.*] Traditur à Philosopho l. 1. de cælo t. 52. & t. 63. Et sanè hoc vnum est ex ijs, quæ diuini Numinis prouidentiam demostrant, vt rectè notauit D. Nemesius l. de Animæ Facultatibus c. 42. aliter enim neque familiarem ab inimico, neque vxorem ab aliena, neque filium à seruo dignoscere quis posset; ex quo magna vitæ incommoda, & ingens humanarum rerum perturbatio sequeretur. Vide, si placet, Lessium, de Prouidentia Numinis l. 1. n. 106. ratione octauâ.

5. *Omne Ens Enti comparatum, aut est simile aut dissimile.* Sumitur l. 10. Metaphys. c. t. 12.] Vbi ita loquitur Philosophus: *Omne enim, quodcunque fit ens, aut idem aut diuersum est: differens verò ab aliquo differens est.* Verum est pronunciatum absolutè de omni omninò ente, siue substantia sit, siue accidens, siue abstractum, siue concretum. Nam & ipsa identitas & diuersitas, vel est similis alteri, vel dissimilis; similitudine nimirum latius accepta, vt supra dictum est, nam strictè & propriè loquendo: *Vnum in substantia facit idem. Vnum in quantitate facit æquale. Vnum in qualitate facit simile.* Vt inquit Philosophus l. 5. Metap. t. 20. & explicatum est Distin. 3. n. 1. & 2.

6. *Omne simile habet aliquid dissimile.*] Sumitur ex l. 10. Metap. t. 12. & verum est eo sensu, quo dicitur omnis similitudo claudicare, siue in aliquo deficere; cuius ratio est; quia alioqui non esset similitudo; sed mera identitas. Sumitur autem hic etiam simile materialiter, & dissimile latè, pro quauis diuersitate, siue in substantia ipsa, siue in quantitate, aut qualitate, aut cæteris adiunctis: Nam si præsè & specificatiuè sumatur, pro conuenientia in vno aliquo genere certo, v. c. in intensione, aut exten-

sione, quædam omninò similia sunt in indiuiduo, e. c. duo calores vt 4. duo quadrata bipedalia, vt diximus huius Distinctionis num. 2. & 3.

7. *Omnis comparatio fit inter comparata distincta.*] Sumitur ex eodem textu, & verum est eodem fere sensu, quo omnis bonæ diuisionis membra dicuntur esse distincta & opposita. Ratio huius pronunciati clara fit ex natura & quidditate comparationis, quæ dicit relationem vnius ad alterum, vel aliquorum inter se, ob mutuam habitudinem seu proportionem. Nec sanè institui potest comparatio in vno vt vnum est; quia id dicit indiuisionem à seipso; Nisi forte idem ad seipsum conferatur in ordine ad tempus vel alias circunstantias mutabilitati obnoxias; & tum etiam illud ratione diuersorum temporum vel aliarum circunstantiarum, sufficientem distinctionis rationem habet, vt notat Alexander Aphrod. in 3. Topic. c. 1.

8. *Comparatio non fit nisi in rebus eiusdem generis.* Sumitur ex l. 7. Physic. t. 21. & t. 27. & refertur à Commentatore in l. 4. Physic. t. 71.] Ratio est; quia comparatio ex sua natura est alicuius ad aliud assimilatio, & consideratio in quo conueniant, in quo discrepent; quod non fit propriè in ijs, quæ primò diuersa sunt, & genere discrepant. Nam, vt inquit Aristoteles loco citato: *Equus & canis, vter albior sit, conferri possunt; at vox & aqua conferri nequeunt.* Qua etiam de causa non rectè quæritur, vtrum Galenus fuerit doctior, quam Bartolus; sed potius an Galenus Hippocratem, & an Bartolus superauerit Baldum. Vnde Aristoteles ibidem, ad dignoscenda ea, quæ rectè inter se conferri possunt, requirit, vt sint vniuoca, & non tantum analogicè inter se conueniant. Intelligitur itaque pronunciatum, de propria rerum inter se comparatione; & à

similiargumentatione: non autem de qualicunque assimilatione & collectione analogicâ & imperfectâ. Vide, si placet, quæ dicemus ad illud: *Demonstratio non debet transferri de genere in genus*. Titulo *de Actibus Intellectus*, Distinctio. *de Demonstratione.*

9. *Omnis comparatio est odiosa.*] Intelligitur de eo comparationis genere; quo natio cum natione, vel homo cum homine, quoad vitæ morumque integritatem, vel eruditionem aut alias animi corporisve dotes confertur. Hoc enim odiosum est, tum, quia veritas odium parit; tum verò, quia huiusmodi comparatio sæpe temeraria est, & ob affectus inordinationem culpabilis. Quare meritò vitandam esse docet S. Pater noster Ignatius hominum, qui adhuc in terris viuunt, quantumuis laudabilium, comparationem cum Sanctis & Beatis; dicendo: *Iste est doctior S. Augustino; ille est alter Franciscus: æqualis est Paulo, vel aliqua virtute non inferior*, &c. In libello Exercit. Spirit. sub finem.

TITVLVS XLVII.

De Relatis in specie.

DISTINCTIO PRIMA.

De Patre & Filio.

1. *Filij assimilantur Parentibus.* l. 1. de Gen. Animalium c. 19. sub initium.] Rationem assignat ibidem; *Simile enim est*, inquiens, *quod ad partes accesserit ei, quod remanet. Itaque semen manus, aut faciei, aut totius animalis, est manus indefinita,*

aut facies, aut animal totum indefinitum. Et quale quodcunque illorum est actu, tale semen potentiâ est. Id est facultatè siue virtute, quam in seipso continet ad exprimendam in sobole parentum speciem. Loquitur ergo Philosophus loco citato de similitudine non essentiæ, siue naturæ tantum; sed etiam de accidentaria conuenientia in forma & effigie, siue in membrorum & totius corporis configuratione. Talis autem prouenit præcipuè ex vi formatrice semini à Parentibus impressa, vt constat ex textu citato. Quoniam verò semen patris & matris diuersum est, & heterogeneum, vt loquuntur, si non actu, saltem potentia; ratio exigit, vt proles in certis corporis partibus, similior euadat illi parenti, cuius semen in iisdem præcellit; & absolutè illi similior sit, cuius semen & vis efformatrix absolutè præualuerit. Hæc tamen vis variis de causis variè impediri potest; vt à vehementi parentum imaginatione, à materiæ, matricis, temporis, & aliarum circunstantiarum dispositione, vt cum Auicenna docent communiter Philosophi, & fusiùs explicatum à nobis est, Distinctione, *de Similitudine inter causas & effectus*; vbi etiam rationem assignauimus, cur non modo parentum suorum similitudinem referant filij; sed in nepotibus etiam, & abnepotibus auorum & abauorum imago conspiciatur; In cuius rei testimonium Aristoteles l. 1. de Gen. Animal. c. 18. adfert exemplum fœminæ cuiusdam, quæ in Elide filiam, patre Æthiope, peperit; absque tamen forma Æthiopis: licet ex filia postea natus sit Æthiops.

2. *Filij magis assimilantur parentibus secundum irascibilem, quàm concupiscibilem.* Traditur à D. Thoma 2. 2. q. 156. ar. 4.] Ratio est; quia motus iræ magis consequitur corporis cõplexionem, quàm motus concupiscentiæ, propter velocitatẽ motũs choleræ,

quæ tendit ad iram. Vnde facilius & promptius irascitur, qui secundum complexionem dispositus est ad choleram, quam concupiscit, qui temperamentum habet ad concupiscendum dispositum; vnde etiam frequentius ex iracundis nascuntur iracundi, quam ex concupiscentibus concupiscentes, vt notat D. Thomas ibidem.

3. *E squilla non nascitur rosa.*] Innuit hoc dicto Theognis, filios vt plurimum esse similes parentibus, & ex probis genitoribus, progeniem nasci probam, improbam ex improbis, iuxta illud Horatij:

Fortes creantur fortibus, & bonis
Est in iuuencis, est in equis patrum
Virtus, nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

Etenim generatio non fit ex quolibet; sed ex determinato, vt docet Philosophus, l. 2. de Gen. & Corr. t. 4. &, iuxta vulgare prouerbium; *Non ex omni ligno fit Mercurius*; Et opus naturæ est opus intelligentiæ; quæ proinde ex determinatis principijs, per determinata media, procedit in suos effectus determinatos, vt rectè obseruat D. Thomas in l. 2. Polit. lect. 5.

4. *Malicorni malum ouum.*] Idem huius est sensus, qui præcedentis; nimirum talem ordinariè esse filium, qualis pater, talem discipulum, qualis præceptor, talia facta, qualis vir, & ita de cæteris. Vide, si placet, quæ diximus ad illud: *Omne agens producit sibi simile.* Titulo *de Causa effici.* Distinct. 8. Eodem pertinet, prouerbiale istud: *Auis ex auibus* quasi dicas, malus à malis prognatus, bonus à bonis, nobilis à nobilibus. Nimirum in sensu formali, quatenus à talibus procedunt, & nisi aliunde degenerent, vt iam explicabitur.

Digitized by Google

DISTINCTIO II.

De Nobili & ignobili

1. *VEra nobilitas est, facere voluntatem Dei.*] D. Chrysost. Homilia 45. in c. 12. Matthæi, & Homiliâ de Nomin. Abrahã Tom. 1. addit ibid. Quid tibi confert sanguis illustris, si mores habeas alicuius infamis; aut quid nocet, natum esse ex parentibus vilibus, si ornatus sis magnis virtutibus? Cham filius fuit Noë secundum carnem; at secundum animam factus est seruus, & maledictus patris sui. Quid etiam nocuit Timotheo, quod natus fuit ex patre gentili; aut Abrahæ, quod ex Thare idololatra? sicut è contra parum profuit Regi Achab alijsque magnis peccatoribus generis nobilitas, & quod essent Messiæ progenitores; siquidem eam horrendis adeo sceleribus macularunt.

2. *Præstat vt parentes glorientur de filio quam filius ob parentes.* Idem ibidem.] Si turpis esses, dicit quidam, contentúsne esses, dicendo, patrem tuum fuisse pulchrum? Et si os tum fœteret, diceresne, tuum genitorem suauissimum odorem exhalasse? quod si timidum te quispiam appellaret, respõderesne, auos tuos fuisse animosos? &c. Ita igitur, ne contentus sis maiorum tuorũ nobilitate, sed stude, vitijs eam non defœdare. Ne iure audias: *Quantas tenebras, à quo fulmina nasci passi estis Dij immortales?*

3. *Si quid boni est in nobilitate, est necessitas æmulandi maiores.*] Traditur à Boëtio l. 3. de consolatione, vbi docet, certâ necessitate, successores constringi, vt æmulentur maiores, nec degenerent à virtute & excellentia, quam illi ipsis reliquerunt.

Hac ratione vſus eſt Chriſtus, Ioan. 8. 39. loquens Iudæis, gloriantibus ſe patrem habere Abraham: *Si filij Abrahæ eſtis, opera Abrahæ facite*; quaſi dicat: Ne ſolum nomen iactetis & nobile genus, ſed date operam, vt vita veſtra nobilitati veſtræ reſpondeat. Alioqui parum vobis proderit, quod radix ſit ſancta; ſi ramus eſt aridus & inutilis. Neque enim virtutem cum ſemine parentes transfundunt, neque eorum vita præclarè & laudabiliter acta noſtra eſſe poteſt, non magis, quàm promerita eorum. Saluari alioqui parentum virtute filius poſſet. Bene ille: *Nemo in gloriam noſtram vixit, neque quod ante nos fuit, noſtrum eſt.* Seneca Epiſt. 44. Significat, virtutem aut doctrinam parentum non tranſire in filios; & nobilitatem, non ita à maiorum, quàm à propriâ cuiuſque virtute metiendam.

4. *Summa apud Deum nobilitas eſt, clarum eſſe virtutibus.* S. Hieron. Epiſt. ad Celantiam.] Maiorem virtutis, quàm nobilioris rationem habendam eſſe, exemplo ſuo docuit Veſpaſianus, qui nobilem adoleſcentem, quod muſcum redoleret, conceſsâ præfectura exuit, indignum munere arbitratus, qui plus vnguenta, quàm allium, Suetonio teſte, oboluiſſet.

5. *Nobilius eſt non acceptam nobilitatem parere, quàm acceptam vanè extollere.* Sumitur ex oratione Magni illius Marij apud Saluſtium.] Ratio per ſe manifeſta eſt. Etenim vera nobilitas, non tam hæreditate, quàm laboribus, periculis, virtute paratur; Et vanè illi gloriantur, qui maiorum ſuorum facta fortia non imitando, ſed memorando clariores ſe autumant: Nam quantò vita illorum præclarior, tanto horum ſocordia flagitioſior. Rectè Satyricus, more ſuo:

Quid

Quis enim generoſum dixerit hunc, qui
Indignus genere, & præclaro nomine tantum
Inſignis? Miſerum eſt aliorum incumbere famæ.

Dandum eſt quidem poſteris aliquid, ob præclara maiorum merita: ita tamen, ſi ad natalium ſplendorem mores haud diſſimiles, induſtriam virtutemque ipſi adiecerint. Ignaua nobilitate nihil eſt turpius, qui maiorum gloria tumidi, opes hæreditate acceptas in nequitia & leuitate abſumunt, confiſique auorum laude, ignauia ipſi atque ſocordia marceſcunt.

6. *Omnes pari ſorte naſcimur, ſola virtute diſtinguimur.*] Nimirum in gradu vetæ nobilitatis. Celebre illud pronunciatum explicat eruditè, & proponit Agapetus in hunc modum: *Maiorum nobilitate ne quis inſolentius ſe efferat. Omnes enim hominem habent generis auctorem, tam qui purpura & byſſo magnificè & gloriosè veſtiuntur, quàm qui egeſtate & morbis atteruntur: tam ij, quibus diademata ſunt impoſita, quàm qui ante domos verſantur cuſtodiæ cauſa. Ne igitur nos de luteo genere iactemus; ſed morum innocentia probitateque nos venerabiles præſtemus, & commendemus.* Conſonat Seneca Epiſt. 44. *Omnibus nobis totidem ante nos ſunt: nullius non origo ante memoriam iacet.* Plato ait; *Neminem Regem non ex ſeruis eſſe oriundum, neminem non ſeruum ex Regibus. Omnia iſta longa varietas miſcuit, & ſurſum deorſum fortuna verſauit. Quis ergo generoſus? ad virtutem bene à natura compoſitus. Hoc vnum eſt intuendum: alioqui ſi ad veteres reuocas, nemo non inde eſt, ante quod nihil eſt.* Profectò vehemens & conſtans animi militia virtus eſt, quæ facit, vt humili loco nati, ad ſummam dignitatem conſurgant. Clari verò natalibus, ob animi

mollitiem turpitudini & dedecori seruientes, acceptam à maioribus lucem in tenebras conuertant.

DISTINCTIO III.

De Domino & seruo.

1. *Vre naturæ neme seruus est, nemo Dominus.*] Ratio communis huius pronunciati est; quia omnes homines naturæ conditione sunt pares, cum sint eiusdem sortis & naturæ, ex eodem parente, & ad eundem finem conditi, vt iam explicatum est, & expressè traditur Regula 32. Iuris antiqui. Liberi itaque naturæ conditione nascuntur omnes; quoniam vnum est, & ex vno omne genus hominum. Sunt nihilominus quidam à natura magis apti ad imperandum, alij ad seruiendum, eaque quarundam gentium ex tarditate ingenij & stupore barbaries est, vt ad seruitutem genitæ esse videantur: multi item neglectu institutionis, & seductionis efficacia tam improbi sunt & in vitijs contumaces, vt planè vtile videatur illis seruitutem seruire, cum ferre non possint libertatem. Ita plurimi vagabundorum & erronum Rempublicam grauant, & cum est occasio, produnt, vel perdunt, quos præstaret moderatis dominis seruire, laboribus exerceri, peculium colligere, vindicta prætoris manumissionem exspectare. Iuxta hunc sensum intelligi potest illud Aristotelis:

2. *Quidam natura serui sunt, quidam domini.* l. 1. Politic. cap. 1. 3. & 5.] Vbi loquitur in hunc modum: *Et statim ab ortu hac differentia est, vt quædam ad imperandum, quædam ad parendum fuerint nata.* Probat id in animalibus, ac tandem ad homines ga-

Digitized by Google

tura ſeruos ſic procedit: *Præterea mas cum fœmina comparatus melior eſt; hæc autem imperio parere debet. Eodem modo ſe res etiam habeat in omnibus hominibus neceſſe eſt. Quicunque igitur tanto cæteris hominibus ſunt inferiores & deteriores, quanto animus corpori, & homo feræ præſtat (tales autem ſunt ij, quorum opus in uſu corporis poſitum eſt, &c.) hi ſunt ſerui natura, quibus melius eſt huic imperio parere. Natura enim ſeruus eſt is, qui alterius eſſe poteſt: ideoque & alterius eſt.* Intellige, tales naturæ conditione magis idoneos eſſe ad ſeruiendum, quàm imperandum, iuxta explicationem præcedentis: Proptiè autem nemo natura ſeruus eſt, vt diximus; cuius etiam ſignum eſt, quod in ſtatu naturæ integræ nulla fuiſſet ſeruitus, vt communiter docent Patres, Auguſtinus lib. 19 de Ciuit. cap. 15. Gregor. lib. 21. Moralium c. 11. & alij, ac ratio eſt; quia ſeruitus eſt pœna peccati. Loquimur autem hic de ſeruitute perſonali, quæ à perſona debetur perſonæ, & iure gentium introducta eſt in eos præcipuè, qui bellum iniuſtum inferunt. Iuxta illud:

Iudice me fraus eſt conceſſa repellere fraudem
Armaque in armatum ſumere iura ſinunt.

Quod ſi verba Ariſtotelis accipiantur, vti ſonant, de ſeruitute propriè dicta, ſententia illius abſolutè falſa & generi humano pernicioſa eſt. Hinc enim ſuperbiſſima Græcorum ſapientia ius putabat, Barbarorum nationes imperio ſubdere, iuſtumque eſſe bellum, vt deteriores parerent melioribus: ſeſe verò ex φιλαυτίᾳ meliores iudicabant; cum tamen conſtet, multas barbaras gentes, innocentius modeſtiuſque vixiſſe Græcis. Quod etſi minimè facerent, non idcirco debellandi tamen; ſed monendi potius & eruditendi barbari. Cur enim tibi ſeruiant, cur ius vitæ neciſque in eos habeas, quia callidior illis es?

3. *Quisque est sui iuris in ijs, quæ ad statum vitæ pertinent.*] Ita quidem, vt non possit ad ea, nisi suo consensu obligari. Patet id in Matrimonio, Sacerdotio, Cælibatu, Religione &c. In his enim nulla potestas humana quempiam potest contra suam voluntatem obligare; cuius ratio est, quia huiusmodi onera, quæ homini perpetuò adhærent, & in negotio salutis tantum in vtramque partem momenti habent, sponte suscipi debent: non verò ex alieno arbitrio pendere.

4. *Qui sentit onus, sentire debet & commodum.*] Est hæc Regula 55. Iuris in sexto, quæ intelligitur non solum de propriè dicto seruitio; sed etiam, ac potiori ratione de latiùs accepto, siue de qualicunque famulatu vel obsequio; Et veritatem obtinet in ijs, in quibus nec lex, nec aliqua obstat prærogatiua. Sic, v. c. Clericus, qui seruit altario, æquum est, vt etiam viuat de altario; & contra: qui percipit fructus & emolumenta Ecclesiæ, suo illi officio seruiat necesse est; quia iuxta tritum illud: *Beneficium datur propter officium.* alioqui qui non sentit onus, is neque commodum sentiat oneri annexum.

5. *Rationi congruit, vt succedat in onere, qui substituitur in honore.* Est hæc Regula 77. Iuris in sexto.] Vera eodem sensu, quo præcedens. Et patet in filijs, nepotibus, & alijs hæredibus ac successoribus. Sic Prælatus, qui succedit in honore etiam succedit in onere soluendi Prædecessoris debita pro Ecclesiæ vtilitate contracta: & ita in alijs, iuxta explicationem præcedentis. Plura, quæ huc referri possent, explicata sunt Titulo *de Prudentia Oeconomica.*

6. *Nulla Seruitus turpior est, quam voluntaria.* Seneca Epist. 47.] Voluntaria autem est, qua proprijs seruitur affectibus. Seruit his, ait Ambrosius lib. 2. de Iacob & vita Beata, quicunque metu

Digitized by Google

frangitur, vel delectatione irretitur, vel cupiditate ducitur: vel indignatione exasperatur, vel mœrore deijcitur. Beatus ille, qui tantò minorem affectibus libertatem indulget, quanto minus ipse vult seruire vitijs: & vt rationi suum stabiliat sceptrum; crucem statuit affectibus. *Bonus*, Augustino teste, *etiamsi seruiat liber est*: *Malus*, *etiamsi regnet*, *seruus est*; tot videlicet Dominorum, quot vitiorum.

DISTINCTIO IV.

De Possessore & re possessa.

1. IN *pari causa melior est conditio possidentis.*] Est communis sententia Doctorum, & refertur Regulâ 65. Iuris in sexto; paulò tamen mutatis verbis. Vt si beneficium aliquod vacans collatum fuerit duobus à diuersis collatoribus eiusdem potestatis, is qui prius possessionem obtinuit, potior erit iure, cum cetera ponantur esse paria.

2. *Nemo plus iuris transferre potest in alium, quam sibi competere dignoscatur.*] Est hæc Regula 79. Iuris in sexto, cuius ratio eadem est, quæ dicti illius vulgaris:

3. *Quod quis non habet, non potest dare.*] Nempe quod nec formaliter aliquis habet aut possidet, nec virtualiter aut eminenter, vt explicat Medina 1. 2. quæst. 18. a. 3. Omninò enim necessarium est, vt aliquo modo saltem in se rem contineat, qui illam in alterum transfert, vt per se manifestum est. Eodem sensu verissimè dicitur, Neminem posse perdere id, quod non habet; &, Non pos-

se auferri quippiam ab illo, qui eo omninò caret.

4. *Non tutò possidetur, quod ab omnibus concupiscitur.*] Traditur ab Alberto Magno in lib. 1. Ethic. tract. 7. c. 2. vbi refert sententiam Theophrasti in libro, qui Actalus dicitur, negantis vxorem ducendam esse viro studioso, eò quod querelæ illius impediant ab operibus felicitatis, & sollicitudo de custodienda vxore à studio bonorum, *quæ*, vt ait, *si fœda est, concupiscit, si pulchra, concupiscitur, & quod omnia concupiscit, vel ab omnibus concupiscitur, non tutò possidetur.* Quæ sententia licet per auxêsin & hyperbolem dicta videatur; cum in multis honestis matronis contrarium accidat: constat tamen sibi veritas effati propositi, quoad ea, quæ communiter in hac vita possidentur, vt perspicuum est tum ex allato modò, tum ex aliis quamplurimis exemplis.

5. *Meum & tuum sunt causa potissima dissensionum.*] Sumitur ex lib. 2. Politic. cap. 2. & 3. & ex l. 5. Politic. cap. 1. Vbi Philosophus diuitiarum abundantiam *fontem* vocat *seditionum*; ac refertur à D. Chrysostomo, Homilia 33. in Genesin, & sermone de S. Philogono, Tomo 3. vbi *meum & tuum* dicitur esse *frigidum verbum*, vtpote cuius maligna actiuitate Caritatis ignis extinguitur, & tollitur concordia ac pietas Christiana: Quemadmodum enim ex vnione animorum nascitur rerum communio, iuxta illud: *Amicorum omnia sunt communia*, ita è contra, litium ac discordiarum seminarium est proprietaria rerum ex natura sua communium possessio, & concupiscentia. Cuius rei veritas quotidiana satis constat experientia. Etenim verissimè in Catholica sua Epistola S. Iacobus ait: *Vnde bella*

Digitized by Google

& lites in vobis? nonne hinc ex concupiſcentijs veſtris, quæ militant in membris veſtris? &c. cap. 4. v. 1. in eandem ſententiam Poëta, neſcio quis:

Si duo de noſtris tollas prænomina rebus,
Prælia ceſſarent, pax ſine lite foret.

Porro diſſenſiones, lites aliaque grauiora incommoda, quibus genus humanum ob habendi deſiderium quotidie pulſatur, non tam oriuntur ex rerum communium ac dominiorum diuiſione ac proprietate; quia ad pacem & concordiam tuendam, illa communi gentium iure introducta eſt, vt bene notat Leſſius, & explicatum à nobis eſt diſtinctione de Iure in genere; ſed potius omnia iſta proficiſcuntur ex inordinata hominum cupiditate ac improbitate. Vnde ſubdit Apoſtolus ibidem: *Concupiſcitis & non habetis, occiditis & zelatis, & non poteſtis adipiſci: litigatis & belligeratis, & non habetis*, &c. Conſule, ſi placet, Cornelium à Lapide in locum citatum.

6. *Malè parta malè dilabuntur.*] Plautus in Poenulo. Veteris huius pronunciati (quod Feſtus Pompeius ex Næuio citat) fidem, & hiſtoriæ confirmant, & exempla, non vetera modo; ſed domeſtica etiam & viua. Tandem enim diuina Nemeſis ferit auaros & improbos, & vno temporis momento ſæpe aufert opes multorum annorum iniuſtis laboribus congeſtas. Vt vel in primis in his locum habeat iſtud: *Dij lances habent pedes; ſed ferreas manus.*

DISTINCTIO V.

De Diuite & Paupere.

1. *PEcunia obediunt omnia.* Eccles. 10.] Quàm verum sit celebre istud sacræ paginæ Elogium, à Græcis pariter & Latinis auctoribus frequẽter vsurpari solitum, non experientia modo quotidiana; sed omnes retro historiæ contestantur. Nam & argenteis hastis plurima expugnantur, quæ ferreis non cedunt, & argentangina in iustitiæ tribunalibus crebrò dominatur; & sapientia ipsa muneribus vincitur, iuxta illud Deuteron. 16. *Munera excæcant oculos sapientium, & mutant verba iustorum.* Et certè nullum peccatum est, quod non auarus homo committat, vt diues euadat; cum autem opes cupitas obtinuit, pecunia, cui obediunt omnia, illi fomentum est, vt omnia mala desideria & conatus exequatur, præcipitando sese in omne genus vitiorum, donec non solum charitatem & iustitiam; sed etiam Fidem ipsam abjiciat, quæ est Christianæ Religionis fundamentum. Bene hoc periculum nouerat sapiens ille Rex, cum peteret à Deo: *Diuitias ne dederis mihi, ne forte satiatus illiciar ad negandum, & dicam, quis est Dominus?* Prouerb. 30. v. 7. Et licet huiusmodi Deum non negent, amittendo fidem: multi tamen factis ipsum negant, incidentes in miserandam auaritiæ idololatriam, vt eam nominat Apostolus Ephes. 5. v. 5. Vide, si placet, supra, Distinctionem de Auaritia, ea de causa pecuniæ, non absque ratione *facultates*, à nonnullis esse dictæ putantur, quod rerum omnium facultatem & quasi facilitatem præbeant,

Græcorum imitatione, qui facilitatem & opulentiam vno verbo significant.

2. *Diuitijs qui excedunt, difficulter obediunt rationi.* Lib. 4. Politic. cap. 1.] Rationem assignat; quia *persæpe superbi sunt, nec imperium cuiusquam pati volunt, nec sciunt.* In eandem sententiam D. Thomas in l. 6. Politic. lect. 3. ait, *Diuites ex ipsa abundantia inclinati ad contumeliam, & ad alia iniuriosa, ac parum curare de iniustitia.* Ordinariè siquidem diuitias velut indiuiduæ sociæ comitantur insolentia & arrogantia: vt proinde rara sit virtutis & opum societas, quemadmodum perrara est eruditionis ac diuitiarum. Præcipuè tamen insolescit animus opibus nouis, vt plerumque nihil pene ijs, qui subitò in altum subuecti sunt, inhumanius sit, & arrogantius.

3. *Animi elatio paupertate domatur.*] Sumitur ex lib. 3. Moral. Eudemiorum cap. 3. & lib. 3. Politic. cap. 11. vbi docet Philosophus, homines in magna indigentia constitutos, deijci animo & viles euadere; quo fit, vt sæpe gerere magistratum nesciant; sed potius ad parendum seruiliter nati esse videantur. Veritas huius clara fit per explicationem præcedentis, cum oppositorum eadem sit ratio. Constat nihilominus non ratò Magnorum virorum & Regum ortus egenos fuisse & ignobiles. Tullij Hostilij incunabula agreste tugurium excepit, Seruius Tullius à seruo imperium tenuit, protulitque in imperio conditionis suæ nomen; seruies Roma Consulem ab aratro Marium vidit, &c.

4. *Agricola in nouum annum diues est.* De ijs dicitur, qui spe futuri compendij sunt diuites, ac sibimet rerum amplarum expectatione blandiuntur, quod præcipuè cõtingit Agricolis, cum opes eorũ in

herbis sunt, id est, quando fruges eorum nondum maturuerunt; sed ipsem modo bonam de se præbent. Tunc enim maximè, *spes alit agricolas.*

5. *Nunquam parum est, quod satis est.*] Seneca Epist. 120. ad Lucilium probationem assignat ibidem; quia *plus Iuppiter non habet, qui tamen omnia possidet.*

6. *Nunquam satis est, quod multum est.* Idem ibid.] Quo autem sensu id intelligat, patet ex verbis, quæ subdit: *Post Darium & Indos pauper est Alexander Macedo, quærit quod suum faciat, scrutatur maria ignota, in oceanum classes mittit nouas, & vt ita dicam, mundi claustra perrumpit. Quod naturæ satis est, hominis non est. Neminem pecunia ditem fecit. Imò contra nulli non maiorem cupiditatem iniecit. Quæris quæ sit huius rei causa? plus incipit habere posse, qui plus habet.*

7. *Victus & vestitus Christianorum diuitiæ sunt.* S. Hieron. Epist. ad Paulinum Presbyterũ.] Veritas huius perspicua fit ex dictis. In eandem sententiam Aristoteles l. 4. Polit. c. 11. docet tranquilliorem esse & optabiliorem vitam ciuium mediocrium, quam potentium ac principum: *Quoniam enim in confesso est,* inquit, *mediocritatẽ ac medium esse optimum, constat bonorũ fortunæ mediocrem possessionẽ omnium esse optimã.*

8. *Affatim dives est, qui cum Christo pauper est.* S. Hieron. in Regula c. de Paupertate.] Quid enim eum deficiat, qui Deum amicum habet, cuius sunt omnes mundi diuitiæ, qui sine dubio prospiciet illi, si ita expediat? Lazarus deferebatur ab hominibus. At protectus fuit ab Angelis: nec vnquam dives ille Epulo tãtum cordis solatium cum omnibus suis diuitiis ac deliciis habuit; ac ipse Lazarus cum suis vlceribus & miseriis.

9. *Non est census in crimine; sed affectus.* S. Greg. l. 10. Mor. c. 17.] Sensus est; non est culpa, bona

fortunæ poſſidere, quæ Deus creauit & diſtribuit; ſed culpa eſt deprauatus affectus, quo illa poſſidétur: quem ſi mortificet homo, & bene diuitijs vtatur, erit ipſi Deo ſimilis, qui æquè diues ac ſanctus eſt, quique, vti potentes non abjicit, cum ipſe ſit potens; ita ſimiliter cum ipſe ſit diues non abjicit diuites.

TITVLVS XLVIII.

De Actione & Paſsione generatim.

DISTINCTIO PRIMA.

Varia Actionum diuiſio.

1. ACtionum alia eſt ſubſtantialis, quæ terminatur ad ſubſtantiam, vt generatio: alia accidentalis, quæ terminatur ad accidens, vt calefactio.

2. Alia actio eſt interna, ſeu immanens, vt intellectio, volitio, &c. quæ manent in illo principio, à quo eliciuntur, nec verſantur proximè circa materiam externam: alia eſt externa ſeu tranſiens, quæ ab illo principio, à quo procedit, tranſit vel progreditur ad aliud, & ferè verſatur circa materiam externam; vt calefactio, quæ ab igne progreditur, & tranſit in aquam.

3. Rurſus alia actio eſt humana ſeu libera, quæ per rationem dirigi poteſt, quales ſunt primò actiones voluntatis: ſecundo etiam operationes intellectus & aliarum potentiarum, prout ſubſunt voluntati: Alia eſt naturalis ſeu neceſſaria, & determinata ad vnum, vt nutritio, vegetatio, &c.

4. Plures, quæ hinc adferri poſſent diſtinctiones,

commodiùs explicabimus in sequentibus. Vide, si placet, Dialecticam *Du Trieu*.

DISTINCTIO II.

Quæ sit Actionis & passionis natura.

1. *Actio est vltimus actus agentis, quo mediante fit effectus.*] Sumitur ex doctrinâ, quam de Actione & Passione tradit Aristoteles l. 3. Phys. c. 3. & verum est in sensu formali. Ratio est; quia id, per quod agens actu agit, & effectus actu fit, propriè est actio & passio diuerso respectu; sed per vltimum actum, seu exercitium potentiæ actiuæ agens actu agit & effectus actu fit, propriè est actio & passio diuerso respectu: In re verò siue in sensu materiali est ipsa dependentia effectus ab efficiente. Dicitur autem actus *vltimus*; quia ipsa etiam potentia actiua, à quâ elicitur actio, est quidem actus agentis; non tamen vltimus.

2. *Idem motus est actus agentis & patientis.* Sumitur ex libro 3. Phys. c. 3. t. 22.] Sensus est, eundem numero motum esse & actionem à parte rei, & passionem, secundum diuersos conceptus; siue, quod in idem recidit, actionem, passionem, & motum non distingui re; sed ratione duntaxat. Explico & probo: actio, passio, & motus neque sunt res distinctæ, neque sunt modi distincti à parte rei; sed sunt vnus & idem; qui, prout forma exit ab agente, dicitur actio, & denominat agens; prout recipitur in patiente, dicitur passio & denominat patiens; prout est fluxus, via, seu tendentia subiecti, ad formam, dicitur motus, seu mutatio & denominat mobile: sicuti realiter etiam, *Eadem est*

Digitized by Google

via Athenis Thebas, & Thebis Athenas: differt tantũ ratione seu definitione: dũ enim incipimus ab Athenis, sic definimus: Hoc spatium est via, quæ ducit Thebas; dum à Thebis incipimus sic exprimimus: Hoc spatium est via quæ ducit Athenas. Ita actio, passio, motus est vnus & idem modus formæ, id est, fieri seu dependentia formæ: differt autem solâ ratione & definitione. Nam quatenus forma præcisè concipitur egredi ab agente, vocatur actio, & definitur, *Actus agentis, quà agens est*: quatenus verò cõcipitur vt via seu fluxus inter duos terminos, vocatur motus, & definitur, *Actus Entis mobilis quà mobile est*: denique quatenus præcisè cõcipitur recipi in patiente, vocatur passio, & definitur, *Actus patientis, quà patiens est*. Iuxta hanc sentẽtiam intelligendum est, quod ibidem ait Aristoteles:

3. *Actio non est propriè idem quod passio.*] Sicuti, v. c. doctrina non est omninò idem ratione, quod disciplina. Et quamuis ante operationem intellectus forma exit ab agente, & recipitur in patiente, sicque ante operationem intellectus sunt egressio, motus, & receptio: tamen hæc non sunt actu tria seu distincta, nisi intellectus illum eundem actum seu modum formæ semel concipiat, prout exit ab agente, non considerando, quod fluat, vel recipiatur in passum; semel prout fluit, non considerando quod exeat ab agente, vel recipiatur in passum; semel prout recipitur, non considerando, quod exeat vel fluat: sicque per diuersos conceptus inadæquatos, concipiendo eundem actum, distinguit in tres: Differunt nihilominus tria ista ratione, iuxta illud:

4. *Actio est actus ab hoc, passio in hoc.* Ibidem.] Quia vnum, definitur sine altero, & habent rationes formales, saltem inadæquatè diuersas: *Actio enim est actus egrediens ab agente, Passio est actus receptus*

in passo, Motus est tendentia mobilis ad formam. Item quæ omninò sunt idem & in ratione formali alicuius includuntur; pertinent ad idem prædicamentum; sed neque passio, neque motus formaliter & præcisè sumptus pertinet ad prædicamentum Actionis, vt communis est Philosophorum sententia: imò hic in nullo est prædicamento per se; tum quia est actus imperfectus, quo subiectum tendit ad actum perfectum, id est formam, seu terminum; tum quia vt sic, non est forma alicuius subiecti, neque vt talis concipitur; sed solum, vt via ad formam seu terminum, & ideo reducitur ad prædicamentum sui termini. Vide, si placet, Hurtado, disp. Physic. 11. sect. 3. & 4. & disput. Metaph. 16. sect. 4. Vbi quidem ostendere videtur, ne quidem rationis distinctionem inter hæc tria intercedere; sed vel loquitur quoad conceptus adæquatos & minimè præcisos, vel grammaticâ potius quàm philosophicâ distinctione nititur. Si dicas; mouere formaliter est agere: Ergo motus formaliter est actio. *Resp.* Negando antecedens si philosophicè loquamur, non grammaticè; quia mouere est transmutare subiectum ab vno termino ad alium, & moueri est transferri ab vno termino ad alium; quod quia non fit sine actione, ideo materialiter se includunt, non formaliter: sicuti neque formalis ratio passionis consistit in motu seu mutatione subiecti; sed in receptione actionis seu formæ: quæ tamen receptio est cõiuncta omninò cum mutatione seu motu, & ideo realiter est idem, non formaliter.

5. *Omne fieri terminatur ad actum.*] Commune istud refertur ab Alexandro de Ales in 7. Metaphysic. tex. 30. Significat autem per omnem actionem produci actum aliquem seu terminum

actionis, qualiscunque demum ille sit. Vnde alij dicere malunt : *Omne fieri terminari ad factum;* quomodo etiam creatio materiæ terminatur ad eam, quæ creatur materiam. Ratio pronunciati est; quia omnis actio, vt actio, nihil est aliud quàm productio, effectio, seu causalitas causæ efficientis; sed implicat, vel mente concipere veram productionem, quin per eam aliquid producatur, & veram causalitatem actualem, quin per eam aliquid causetur, scilicet effectus seu terminus. Item: Actio nihil aliud est, quàm fieri, seu dependentia alicuius ab agente : Ergo per actionem omnem necessariò aliquid fit; quia repugnat fieri, & nihil fieri; produci & nihil produci, dependere ab aliquo, & non dependere: Etenim dependentia non consistit in hoc, vt ipsa dependeat ab agente; sed vt aliquid per eam dependeat ab agente: Ergo per eam aliquid aliud dependet ab agente, videlicet terminus.

6. *Nulla actio est maioris entitatis, quam sit eius terminus.* Sumitur ex lib. 3. Physic. cap. 1.] Ratio est; quia omnis actio identificatur cum suo termino, vt modus illius: atqui nullus modus est maioris entitatis, quàm sit res cuius est modus, vt explicatum est Titulo 20. Dist. 2. num. 3. Eapropter cum Ens rationis non habeat in se entitatem realem, non datur etiam realis actio seu productio, quæ immediatè terminetur ad illud, veluti ad terminum suum verum & primarium; licet per accidens illud & secundariò resultare dicatur ad operationem & actum intellectus. Eadem de causâ motus corruptiui non dicuntur esse actiones reales & positiuæ, nisi prout identificantur cum termino à quo; quia terminus, ad quem tendunt, non est, positiuus sed negatiuus. Vide Suarez distinct. 7. Me-

taphyſic. num. 20. & ſequentibus.

7. *Actio ſecundum id, quod eſſentiale ei eſt, non poteſt eſſe in pluribus ſpeciebus.* Traditur à D. Thoma 1. 2. quęſt. 18. ar. 9.] Ratio eſt; quia diuerſorum generum, & non ſubalternatim poſitorum diuerſæ ſunt differentiæ, & ſpecies; vt docetur in libro Categoriarum c. 3.

8. *Temporis diuerſitas actiones non variat eſſentialiter.* Traditur à Suarez, diſput. 5. Metaph. ſect. 9. nu. 5.] Intelligitur autem præcipuè de tempore extrinſeco, quod in motu cæli conſideratur: hoc enim nihil per ſe refert ad intrinſecam indiuiduationem, vel diſtinctionem numericam actionum; quia ab hoc tempore ſolum ſumitur denominatio quædam extrinſeca eorum, quæ in tali tempore eſſe dicuntur: Vnitas autem vel diſtinctio numerica non conſiſtit in extrinſeca denominatione. Quo fit vt idem numero effectus productus vno tempore, potuerit produci alio: v. c. idem calor, qui fuit heri productus, potuit produci hodie. Vide, ſi placet, Suarez loco citato.

DISTINCTIO III.

Agere & pati rebus naturalibus eſſe naturale.

1. *Rebus naturâ conſtantibus non minus naturale eſt agere, quam pati.*] Commune iſtud pronunciatum Philoſophicum ſumitur ex l. 1. de Gen. & Corr. cap. 6. t. 45. Ratio illius eſt; quia rebus naturâ conſtantibus naturale eſt, ſeſe vel alia perficere, ad quod non minus actio neceſſaria eſt, quam paſſio, iuxta

iuxta illud: *Actio & passio in omni operis perfectione requiritur*, patet in qualibet efficientia naturali: in moralibus verò comprimis locum habere debet: Omnis enim, qui in virtute perfectus euadere desiderat, patiatur multa necesse est: qui vero non vult pati, idem quoque recusat perfici: Nam, vt inquit Commentator 2. Physicorum Com. 48. *Passionum non exit in actum, nisi à potentiâ activâ*: hæc autem actuare non potest potentiam passiuam, nisi illa patiatur, vt per se est manifestum.

2. *Actio non datur sine agente.* Sumitur ex l. 3. Phys. cap. 3.] Ratio huius est: quia actio est causalitas agentis, siue influxus ille, quo agens actu influit esse in effectum, & quo præcisè posito, ponitur, ac sublato tollitur agens seu efficiens actu. Positâ enim actione, necessariò intelligitur agens actu, & illâ sublatâ impossibile est, intelligere agens actu.

3. *Agens non datur sine patiente.* Sumitur ex lib. & c. citato.] Intelligitur & verum est de agente physico siue naturali: Non autem de agente supernaturali & increato: Hoc enim in actu creationis non supponit subiectum patiens; vt proinde dicat Hurtado, *notum esse, quod actio creatiua realiter à passione distinguatur; quia creatio est independens à subiecto; passio verò est ipsa dependentia à subiecto.* Disp. 16. Metap. sec. 4. initio: Vt verò omne agens creatum, in qualibet suâ actione necessariò præsupponit aliquod patiens, iuxta illud: *Omnis actio ex se infert passionem.* Ita loquuntur Philosophi ex lib. 3. Phys. c. 3. Vide, si placet, Suarez, disp. Metap. 48. sec. 2. n. 23. Quod si in actu creationis dicere libeat, creaturam, quæ actu creatur, esse patiens, non quidem subiectiuè sed terminatiuè, eò quod fiat ex nihilo passiuè, vel producatur, vt terminus actionis ab Agente procedentis; absolutè & vniuersaliter verum erit pro-

nunciatum,in omni actionum genere,siue naturales illæ sint, seu supernaturales.

4 *Agere nobilius est,quam pati.* Sumitur ex l. 3. de animâ t. 19.] Veritas illius patet tum in naturalibus tum in moralibus: Nam & regere nobilius in se est, quam regi; & dare beatius, quam accipere; ac amicitia consistit magis in amare quam amari, vt docet Aristoteles 8 Ethic.c.8. parum à principio, & ratio est; quia: *Vnumquodque agit,secundum quod est actu*, vt communiter loquuntur Philosophi, ex l. 3. Phys. c.3. Nã vt ex capite illo colligitur, actio est agentis, quatenus agens est,actus siue perfectio: passio verò est patiẽtis, quatenus patiẽs est,actus siue perfectio. Vnde etiam. *Vnumquodque patitur secundum quod est in potentiâ*: Atqui nobilius esse actu, quam esse in potentiâ;sicuti etiam, vt docet Philosophus 9. Metaph.t. 19. *Omnis actus est nobilior suâ potentiâ*: Nempe in rebus creatis, in quibus actus est aliud à potẽtiâ: nam in Deo actus non est aliud à potentiâ;cum vtrumque sit essentia diuina; proindeque vnum non est altero nobilius: ratio autem, cur in rebus creatis actus censeatur nobilior suâ potentiâ, illa est; quia actus se habet ad potentiam, sicuti forma ad materiam: atqui forma nobilioris naturę est, quam sit materia, vt clarum est ex ijs,quæ dicta sunt, Titulo *de causâ materiali*.

5. *Qui rem facit actu ipsum quodammodo opus est.* l. 9. Ethic.c.7.] Vbi ex eo probat Aristoteles, quemlibet naturaliter diligere suum opus, vt poëtas sua poëmata, parentes filios,&c. quia quilibet naturâ diligit suum esse. Sensus pronunciati est:causa efficiens suâ actione, seu efficientiâ constituitur quodammodo in esse sui effectûs. Sic v. c. potentia cognoscens, dum producit cognitum in esse intelligibili,fit aliquo modo per speciem expressam,ipsa res,quæ cognoscitur.

Digitized by Google

Sic etiam, qui generat hominem est homo, & quod producit lumen, est lumen, si non formaliter, saltem virtualiter & eminenter.

6. *Vbicumque est passio, ibi & imperfectio.* Sumitur ex l. 3. Physic. c. 3.] Intelligitur autem & verum est, de omni omninò verâ & proprè dictâ passione, cuiuscunque illa sit generis. Ratio est; quia passio in rebus inuenitur, prout sunt in potentiâ, & per actum disponuntur ad sui perfectionom: Omnis enim passio à parte rei idem est cum motu qui est, *actus entis in potentiâ prout in potentiâ est*: Omnis item mobilitatis & mutabilitatis principiũ est rei potentialitas: vt quæ actuatur per motum. Vnde glorioſus Deus, qui omnibus numeris absolutè & infinitè perfectus est, passionis omnis & mutationis est incapax. Vide, si placet, D. Thomam 1. p. q. 9. a. 1. in Corp.

7. *Omnis passio abijcit à substantia.* l. 6. Topic. c. 2.] Inter principium & medium, & refertur ab Alexandro de Alesin 5. Metap. t. 26. ratio est; quia passio est via in corruptionem, & quo magis vnumquodque est patibile, eo magis est corruptibile. Intelligitur itaque & verum est pronunciatum de passione corruptiuâ, qualis datur inter 4. primarias qualitates, & ea corpora; quæ istis qualitatibus sunt affecta, siue mixta illa sint siue elementa: non autem intelligi debet de passione & actione perfectiuâ; quia illuminatio aëris v. c. vel cæli, nihil de eorum substantia abijcit, nec vllum reale accidens per se expellit.

Digitized by Google

TITVLVS XLIX.

De *motu generatim.*

DISTINCTIO PRIMA.

Variæ diuisiones motûs.

1. MOtus generatim est triplex, Naturalis siue secundum naturam, violentus siue contra naturam, & præternaturalis, siue præter naturam; Horum quisque, vel est simpliciter talis, id est, ratione materiæ & formæ, vel secundum quid, id est, ratione materiæ tantum, vel formæ, vt pluribus explicabitur in sequentibus.

2. diuiditur motus ratione mouentis, ratione mobilis, & ratione termini ad quem; Respectu horum singulorum est triplex, per accidens, per se simpliciter & per se secundum partem. Ita Aristoteles 5. Physic. c. 1. initio quædam enim ex accidente mouentur, vt cum ambulare musicum dicimus: quædam secundum partem, quæ tamen simpliciter moueri dicuntur, vt cum Socratem sanari dicimus, quia oculo sanatur: Quædam denique per se primò, id est nec ex accidente, nec merito partis alicuius vt cum dicimus Socratem currere; quia cursus ei per se ac primariò inest.

3. Motus per se quadrupliciter consideratur: Vel enim est transitus à subiecto in subiectum, & est motus propriè dictus, qui est triplex augmentatio, alteratio, latio: Vel est transitus à non subiecto in subiectum, & est generatio: vel à subiecto in non subiectum, & est corruptio: vel denique à non sub-

Digitized by Google

recto in non ſubiectum, & talis non datur. Vide, ſi placet, Ariſtotelem l. 5. Phyſ. c. 1.

DISTINCTIO II.

De *naturâ motus & eius terminis in genere.*

1. MOTUS *eſt actus Entis in potentiâ, prout in potentiâ eſt.* 3. Phyſic. c. 2.] Dicitur primo *actus*, pro quo nota. Actus alius eſt primus, qui eſt principium operationis, vt intellectus, virtus, ſcientia; alius ſecundus, qui eſt ipſa operatio, vt intellectio: Et ideo, *primus eſt quaſi ſomnus, ſecundus quaſi vigilia.* Vt docetur 2. de animâ t. 5. Rurſus alius eſt perfectus, qui perfectè actuat ſubiectum, ita ſcilicet, vt vltra non ſit in potentiâ, vt calor ſummus, quo lignum ita eſt calidum, vt non poſſit plus caloris ſuſcipere; alius imperfectus, qui partim actuat ſubiectum, partim relinquit in potentiâ ad vlteriorem actum. Hic iterum eſt duplex: aliquando ex ſe non eſt ordinatus ad vlteriorem perfectionem ſeu formam ſubiecto acquirendam, vt v. c. calor vt duo in aquâ, ſi aqua in eo quieſcat, nec vltra calefiat; aliquando ex ſuâ naturâ eſt ad hoc ordinatus. Talis eſt motus, quia ex naturâ ſuâ eſt ordinatus ad productionem alicuius formæ. Cum ergo dicitur, *motus eſt actus*, intellige ſecundus & imperfectus, dicitur ſecundò, *Entis*, ideſt, rei verè exiſtentis: quod enim non exiſtit, non poteſt moueri, tertiò, *in potentiâ*, ſubaudi paſſiuâ & proximâ ad formam, non ad motum recipiendũ quia potentia ſubiecti non actuatur principaliter per ipſam viam, ſeu fluxum ad terminum; ſed per ipſum terminũ, quatò

prout in potentiâ eſt, id eſt, quatenus ſubiectum, vel ens tendit ad acquirendam formam; ſiue id ſucceſſiuè fiat; ſiue per mutationem inſtantaneã. De vtroq; enim motûs genere intelligitur illata definitio, vt bene notant D. Thomas, Rubius, Hurtado, & alij.

2. *In omni motu ſunt duo termini.* l. 5. Phyſic. c. 1.] Ratiò eſt; quia omnis motus eſt mutatio, quæ definitur tranſitus ab vno ad aliud, id eſt à termino *à quo*, ad terminum *ad quem* vt loquuntur Philoſophi, ex 5. Phyſic. c. 1.

3. *Terminus à quo prior eſt termino ad quem.* Sumitur ex eodem capite.] Semper quidem prioritate naturæ: non tamen ſemper prioritate temporis, aut prioritate dignitatis; quia omnis actio principalius & prius quoad intentionem ordinatur ad terminum ad quem, quam ad receſſum à termino, à quo, vt rectè obſeruat Suarez Tomo 4. in 3. p. diſp. 2. ſec. 2. n. 3. Item, motus omnis naturalis à termino non naturali procedit, & tenditin terminum naturalem, vt explicat S. Thomas in l. 4. Phyſ. lect. 12. t. 74.

7. *Quantum recedituꝛ à termino à quo tãtum accediꝛ ad terminum ad quem.*] Ratio huius per ſe manifeſta eſt; quia receſſus ab vno, nihil à parte rei eſt aliud, quam acceſſus ad alium: quemadmodum eadem eſt via Athenis Thebas, & Thebis Athenas, vt latius explicatum, Titulo *de actione generatim.*

5. *Motus ſpecificatur à termino ad quem* 5. Phyſic. c. 4.] Nimirum termino ad quem vltimato & per ſe intento; ita vt illi motus ſint eiuſdem ſpeciei, qui habent terminum eiuſdem ſpeciei: v. c. omnes caleſactiones, qui ordinantur ad calorem: illi verò diuerſæ ſpeciei qui habent terminum diuerſæ ſpeciei. Sic generatio ſubſtantialis & caleſactio differunt ſpecie; quoniam illa eſt ad ſubſtantiam, hæc verò ad calorem, quæ differunt ſpecie,

Ratio pronunciati est ; quia à quo vnumquodque nomen habet & definitionem, ab eo quoque speciem desumit & distinctionem : atqui motus denominationem habet & definitionem à termino ad quē; v. c. calefactio denominatur à calore, & definitur motus ad calorem: Ergo inde suam quoque desumit specificationem: Excipitur tamen motus localis, qui ad vnitatem sui specificam, prēter terminum ad quē, requirit etiam spatium seu medium idem specie. Vnde.

6. *Motus rectus & circularis differunt specie.* 5. Phys. c. 4.] Ratio est, quia rectum & obliquum spatium differunt specie : rectum autem & circulare siue curuum differre specie, manifestum est ex eo ; quia, vt docent Mathematici, & explicatum est, Titulo *de Formâ & Figurâ*, minima mutatio in figuris mutat speciem : formaliter nimirum & mathematicè, ratione figuræ : nam materialiter & physicè loquendo, potest idem numero motus continuus, priùs rectus, postea obliquari paulatim & circulariter fieri. Lege, si placet D. Thomam 1. p. q. 45. a. 1. ad 2.

7. *Omne mutatum esse antecedit motus.* l. 6. Phys. t. 58. & seqq.] Ratio est manifesta; quia mutatum esse est terminus motûs præcedentis : ac proinde, quemadmodum implicat contradictionem, aliquid actum esse, sine præuiâ actione, per quam sit actum, & dari concretum sine abstracto, siue totum sine parte suâ, ex quâ constituitur; ita repugnat, aliquid mutatum esse, sine præuio motu siue mutatione per quam sit mutatum, quod etiam patet ex ipsâ vocis etymologia : Nam mutatum esse propriè significat existentiam subiecti in tali statu formæ, quæ acquiritur, vt eam prægressa fuerit aliqua pars motûs, ratione cuius mutatum esse perhibetur.

8. *Motus non eſt in certo prædicamento.*] Commune iſtud refert Commentator in 5. Phyſic. t. 9. Pro cuius explicatione notandum eſt, motum ſumi dupliciter, primo præcisè prout eſt via ad terminum, & ita eſt ens incompletum, & non ponitur in certâ categoriâ; ſed reuocatur ad prædicamentum ſui termini, 2, prout eſt actus ipſius mobilis, & ita concipitur vt ens completum, ac ponitur in prædicamento Paſſionis cum quâ eſt idem realiter. Ita ferè Cõmentator loco citato. Vide quæ Titulo ſuperiore dicta ſunt ad illud: *Actio eſt actus ab hoc: Paſsio in hoc.* diſt. 2. n. 4.

DISTINCTIO III.

De motu in ordine ad oppoſitionem.

1. *Omnis motus eſt inter terminos oppoſitos.* Sumitur ex l. 5. Phyſ. t. 7.] Vbi docet Philoſophus, eam motus, ſiue mutationis ſpeciem, quæ eſt ex non ſubiecto in non ſubiectum, non eſſe veram mutationem: Propterea quod in oppoſitione non ſit poſita: *neque enim in contrarijs eſt*, ait, *neque in contradictione*, itaque relictâ eâ coniugatione, quæ eſt inter terminos vtrimque negatiuos (quia talis nulla datur) triplex eſt motus ſiue mutatio per ſe, iuxta diuiſionem tertiam ſupra diſt. 1. ex Ariſtotele allatam. Sumuntur autem oppoſita hic generatim pro ijs, quæ ſibi quouis modo repugnant, vt perſpicuum eſt ex dictis. Et quidem omnis motus habet mutationem contradictoriè oppoſitam, vt generatio corruptionem eius termini, accretio diminutionem, remiſſionem intenſio: Deinde plures motus habent contrarium poſitiuum, vt alteratio, quæ eſt inter qualitates contrarias; Latio ſurſum, opponitur la-

Digitized by Google

tioni deorſum, ſi ſumatur aſcenſus & deſcenſus per eandem lineam adæquatam, nam ſi ſint per eandem inadæquatè tunc non opponuntur, vt inquit Hurtado: Præterea, vt docet Ariſtoteles.

2. *Motus in circulo facti ad oppoſitas partes ſunt contrarij.* l. 8. Phyſic. t. 68.] Ideſt, motui circulari opponitur motus per eundem circulũ ordine inuerſo; quæ contrarietas ſumitur ab incompoſſibilitate terminorum & ſubiectorum, quæ ſimul penetrari non poſſunt in eodem loco: quapropter impediũtur mutuâ quantitate. Sumitur itaque contrarietas hic latè pro ijs quę quolibet modo ſibi opponuntur, ſiue pro quauis incompoſſibilitate in eodem ſubiecto vel ſpatio: Nam contrarietate proprè dicta.

3. *Motui circulari nullus eſt contrarius.* l. 1. de cælo c. 3. & 4.] Non enim motus circularis contrarius eſt alteri circulari; quia motus propriè & perfectè contrarij fiunt ad terminos contrarios, vt docent Philoſophi, & notat D. Thomas 1. 2. q. 23. a. 2. ſiue, vt inquit, Ariſtoteles loco cit. *Latio contraria eſt determinatae ex contrario in contrariũ*: Atqui in motu circulari non ſunt termini contrarij; quia hic redit in ſeipſum: de quo conſule, ſi placet, D. Thomam 1. p. q. 66. a. 2. Neque etiam motus rectus contrarius eſt circulari; quia.

4. *Motus rectus ſolum eſt contrarius motui recto.* 1. de cælo c. 4.] Contrarietate ſcilicet ptopriè dictâ & perfectâ, iuxta explicationem effati præcedentis: nam impropriè etiam quies eſt contraria motui, ideſt priuatiuè, ſiue vt loquitur Ariſtoteles, contradictoriè motui opponitur 5. Phyſic. t. 53. Ratio pronunciati eſt; quia contrarietate perfectâ, *Vnum vni tantum eſt contrarium.* Vt explicabitur, titulo *de oppoſitione rerum.* Porro ad contrarietatem motus localis requiritur, vt fiat è loco contrario in contra-

Digitized by Google

rium per lineam breuiſſimam,id eſt,rectam,idq; penes adæquatam & maximam diſtantiam locorum, qualis non inuenitur niſi in lineâ rectâ vt docet Auerroës 5. Phyſic. t. 73. Nam, *Diſtantia maxima non menſuratur niſi ſecundum lineam rectam.* Commentator in 1. de cælo. t. Com. 18. Ratio huius manifeſta eſt; quia omnis diſtantia, quæ menſuratur lineâ curuâ ,minor eſt eâ, quæ definitur eâdem lineâ, ſi eſſet recta. Huiuſmodi igitur contrarietate motui circulari nullus eſt contrarius , iuxta præcedens Axioma : Neque verò motus cæli v. c. ab ortu in occaſum,vel occaſu in ortum ſunt contrarij aut ſpecie differunt ; quia vterque motus eſt æquè naturalis cuilibet parti corporis cæleſtis.

5. *Motus ſecundum naturam contrarius eſt motui præternaturam.* l. 5. Phyſic. t. 59.] Motus præter naturam ille hic intelligitur, qui reuera eſt contra naturam , vt patet ex citato textu, vbi in exemplum Philoſophus adducit ignem , qui ſurſum quidem fertur naturâ : deorſum verò præter ſiue contra naturam,& ipſius motus ſecundum naturam cõtrarius eſt ipſius motui præter naturam : quoniam

6. *Motus ſurſum contrarius eſt motui deorſum.* 5. Phyſic. t. 59.] Rationem ſubiungit ibidem ; quia hæ ſunt propriæ contrarietates loci: ſic ignis eâ latione,quâ ſupera petuntur,terra autem,latione quâ ad infera loca acceditur,feruntur naturâ;& lationes ipſorum ſunt contrariæ;quandoquidem.

7. *Contrariorum contrarij ſunt motus.* l. 1. de cęlo. ci 3.] Intelligitur de motu vtrobique naturali vel violento : ſi enim alterutrius naturalis, alterius corporis motus violentus ſit, poteſt fieri , vt non contrarius; ſed ſimilis vtriuſque ſit motus:vt v. ç. motus naturalis ignis ſurſum,& motus violentus lapidis ad eundem locum. Ratio pronunciati eſt;quia motus natu-

Digitized by Google

ralis sequitur naturã rei cuius est motus. Hinc motus ignis & aëris contrariatur motui terræ & aquæ; quia hæc elementa sunt inter se contraria. Hinc etiam non bene conuenit homini miti & iracundo; quia motus & affectiones hominis mansueti repugnant affectibus iracundi.

DISTINCTIO IV.

De motu in ordine ad mouens.

IN mouentibus & motis non datur processus in infinitum. Sumitur ex 8. Physic. c. 5. & ex 2. Metap. t. 5.] Sensus est, in omni motionum genere deueniẽdum esse tandem, & sistendum in primo aliquo motore, qui cum omnia alia moueat, ipse sit immobilis omninò & independens ab alio mouente, vt pluribus explicatũ est ad illud: *Omne quod mouetur, ab alio mouetur*, Titulo *de causa efficienti*, dist. septima. Sic etiam in omni actionum serie datur finis aliquis vltimus (qui est mouens metaphoricum) in quo sistat intentio, vt docet Aristoteles l. 1. Ethic. c. 2. vbi inquit: *Neque omnia ob aliud eligimus: in infinitum enim fieret progressus, vanusque & inanis appetitus noster esset.* De quâ re, vide, si placet, quæ diximus. Titulo *de causa finali*, dist. 6.

2. *Primum mouens in vnoquoque genere est non motum in illo genere motûs.* Sumitur ex 8. Physic. c. 1. & 4.] Ratio manifesta est; quia alioqui non esset primum in illo genere motûs, quod est contra hypothesin: sic v. c. sol illuminat; sed non illuminatur: ignis calefacit sed non calefit, & ita de ceteris. Vide si placet, D. Thomam, 3. p. q. 12. a. 3. in Corp. & q. 22. a. 4. in Corp.

3. *Primum mouens est immobile.* 8. Physic. t. 44. & 4. Metap. t. 29.] Vbi rationem hanc assignat Philosophus; quia ne in mouentibus detur processus in infinitum (quod fieri non potest, vt constat ex dictis) necessariò constituendum est aliquod agens, quod semper moueat ea, quæ mouentur, manens ipsum immobile, eandem doctrinam habet Aristoteles 8. Physic. t. 45. & 86. Vbi addit illud, *sempiternum esse & vi infinitâ pollere.* Intelligitur itaque pronunciatum de primo & vniuersalissimo omnium motore Deo, qui vti omnis imperfectionis ita mutabilitatis est expers, & *solus stat in essentia*, vt loquitur Philo in libro, quod deterius insidietur potiori.

4. *Proprium est primi motoris mouere non motum.*] Commune istud scholæ Peripateticæ Axioma desumptum est ex textu modo citato, & refertur à D. Augustino l. 6. de Genesi ad litt. & lib. 5. de ciuit. Dei cap. 9. Vera eius interpretatio est huiusmodi: Proprium est primi motoris mouere non motum, idest, agere independenter à superiore causâ conuenit soli motori supremo, qui est glorioſus Deus. Item propriũ est primi motoris mouere nõ motum, actu scilicet vel potentiâ; quoniam neque actu mouetur, nec vllâ potentiâ est mobilis, iuxta præcedens Axioma.

5. *Proprium est primi alterantis alterare, cum ipsum non alteretur.*] Sumitur ex eodem textu. Verum est eodem sensu, quo proximè antecedens: in hoc enim distinguitur primum mouens seu alterans, à secundis mouentibus & alterantibus, quod illud nec motum sit aut alteratum actu, nec potentiâ mobile aut alterabile; hæc verò vel actu sint mota aut alterata, vel certè moueri aut alterari possint: quo sensu verum est istud.

6. *Nullum corpus mouet non motum.* Refertur à

Digitized by Google

Commentatore in 3. de cælo t. 30. & à Themistio in 8. Physic. t. 20. ex quo desumitur.] Zimara, & ex illo interpres Axiomatum Bedæ explicant in hûc modum: Nullum agens corporeum mouet alterum immediatè per impulsum vel motum ei impressum, quin ipsum etiam moueatur, & ita vniuersaliter quidem verum est in motu locali, vt inquit Zimara Propos. 95. non autem locum habet in motu alterationis, aut in alio quolibet qui fit per occultam sympathiam aut antipathiam, vel aliam quamcunque influentiam. Vt patet in magnete, qui mouet ferrum localiter, tametsi ipse permaneat immotus; quo pacto etiam cælum empyreum agit in hæc inferiora, vt communiter docent Philosophi, cum ipsum sit actu immobile. Itaque vt absolutè & vniuersaliter verum sit, respectu omnium motuum naturalium, siue illi fiant per virtutem internam, siue per externam, aut alio quocunque modo; dicendum est, nullum agens corporeum aut naturale mouere non motum, actu videlicet, vel potentiâ, iuxta explicationem præcedentium Axiomatum, ita rectè docet Caietanus 1. p. q. 3. a. 1. vt obseruat Interpres venerabilis Bedæ.

DISTINCTIO V.

De motu in ordine ad mobile.

1. *Motus vni corpori præternaturalis, alteri est naturalis.* lib. de cælo. c. 2.] Vbi probat Aristoteles, præter 4. elementa dari 5. corpus simplex, & arguit in hunc modum: motus, qui conuenit vni corpori præter naturam, conuenit alteri secundum naturam; sed motus circularis conuenit

alicui corpori, v.c.elemento ignis, præter naturam: Ergo alicui alteri ſecundum naturam: hoc autem eſt cælum: Ergo datur cælum, quod eſt quintum corpus ſimplex. Itaque nomine motûs præternaturalis, ſiue præter naturã, intelligitur hoc loco tam motus violentus, quã is qui nec naturalis eſt, nec violentus. Sic motus ſurſum, terræ contra naturam, igni verò cõpetit ſecundum naturam, motus circularis igni eſt præternaturalis cælo naturalis. Habet autem & hic locum diſtinctio illa de actu & potentiâ cuius paulò ante eſt facta mentio: Nam eſto, non exiſtat aliquod corpus, cui à naturâ conueniat motus ille, qui actu alteri eſt præternaturalis, clarum tamen videtur, eſſe poſſibile eiuſmodi corpus, quod à naturâ talem ſibi motum vindicet, vide, ſi placet, Conimbric. in hunc locum.

2. *Corporis ſimplicis ſimplex eſt motus.* Ibidem t. 8.] Intelligitur & verum eſt hoc ſenſu, vni corpori ſimplici competit ex ſuâ naturâ vnus motus naturalis & ſimplex: motum ſimplicem voco, qui fit ſecundum magnitudinem ſimplicem, vt circa lineam rectam. v. c. & eſt duplex, circularis, qui fit circa medium, vt motus ordinarius cæli; & rectus, qui vel tendit à mundi medio, vt motus ignis vel ad mundi medium, vt motus terræ. Senſus huius pronunciati moralis valet in ſimulatores & hypocritas, qui germani & ſinceri eſſe & haberi volunt: cum tamen motus eorum & actus, non ſimplices reuera ſint, ſed potius duplices: quamquam & hæc eorum fictio ferè dignoſci à prudentibus ſoleat: nam, *mores ex motionibus diſcernuntur*, vt docet Ariſtoteles l. 4. Ethic. c. 8. & mendacij ac veriſimilitudinis difficilis eſt connexio, vt explicatum eſt ſuo loco.

3. *Omne corpus naturale habet intrinſecum principium ſui motus.* Sumitur ex l. de cælo t. 5.] Vbi inquit Phi-

Digitized by Google

losophus: *Omnia namque corpora naturalia, magnitudineſue, mobiles per ſe loco dicimus eſſe.* Rationem aſſignat ibidem; quia omne corpus naturale eſt, ſiue conſtat naturâ, quæ eſt principium & cauſa, vt id moueatur & quieſcat, in quo primò & per ſe, & non per accidens ineſt, vt docetur in ſecundo Phyſicorum: Et quidem in quibuſdam eſt principium actiuum motûs, vt in elementis & mixtis: in aliis verò paſſiuum tantum, vt in cælis, iuxta mentem Ariſtotelis.

4. *Moteris & moti idem eſt actus.* l. 3. Phyſic. t. 18.] Explicat ibidem & probat in hęc verba: perinde atque vnius ad duo & duorum ad vnum idem eſt interuallum: & idem ſpatium accliue dicitur & decliue pro diuerſo reſpectu, & eadem eſt via Athenis Thobas & Thebis Athenas, repetit idem effatum l. 11. Metaph. ſummâ quarta cap. 1. cum hac explanatione: Motus eſt actus motiui, vt ſcilicet eſt ab eo tanquam à causâ efficiente, & eſt actus mobilis, vt eſt in eo, tanquam in ſubiecto.

5 *Idem ſecundum idem non mouetur ſimul, diuerſis lationibus.* Sumitur ex l. 5. Phyſic. t. 34.] Vbi ad motum vnum numero requiritur ſpatium ſiue locus vnus numero, per quod mobile corpus moueatur, & t. 35. vbi expreſsè dicitur, *vnius vnus eſſe motus.* Ratio eſt; quia idem ſecundum idem, id eſt, vt ſecundum ſe totum, vel etiam ſecundum eandem ſui partem, non poteſt ſimul acquirere duo vel adæquata, quemadmodum non poteſt ſimul eſſe in duobus locis adæquatis: Atqui motus localis, de quo præſens effatum intelligitur, nihil eſt aliud, quam acquiſitio vbi, quod eſt terminus eius immediatus & per ſe, vt docent Philoſophi, intellige, viâ ordinariâ & naturali; quia per Dei potentiam

abſolutam, non implicat idem corpus ſecundum ſe totum, moueri ſimul duobus vel pluribus motibus, ſicut nõ implicat; eſſe illud ſimul in duobus vel pluribus locis. Dixi autem, *idem ſecundum idem*; quia ſecundum diuerſas ſui partes poteſt ſimul moueri corpus ad terminos oppoſitos; vt ſi quis ſimul vnum brachium eleuet, & alterum deprimat. Iuxta hanc explicationem docent multi Philoſophi, cælum & Planetas, non moueri ſimul pluribus motibus, ſed in quolibet cæleſti corpore dari vnum motum variè modificatum: ſicuti ſi lapis v. c. rectâ lineâ ex alto decidens, in obliquum propellatur, per impreſſam ab extrinſeco qualitatem, ita vt per eam motus lapidis obliquetur, non mouebitur ſimul diuerſis motibus; ſed vno duntaxat modificato, id eſt, obliquato motu. Vide, ſi placet, Ariſtotelem l. 2. de cælo. t. 102.

DISTINCTIO VI.

De motu in ordine ad ſpatium, tempus, &c. circunſtantias.

1. *NOn fit tranſitus ab extremo ad extremum, niſi per medium.* Citari ſolet, ex l. 5. Phyſic. c. 3. t. 22.] Vbi in terminis non habetur, tantum enim definitur *intermedium* eſſe id, *quo res, quæ mutatur, prius peruenire apta eſt, quam ad id, in quod vltimo mutatur*: ſatis tamen congruè ex eodem textu elicitur. Intelligitur autem & verum eſt abſolutè de motu locali phyſico: tali enim motu non poteſt mobile ab vno loco moueri ad alium, niſi per medium locale: ſeruatur etiam in aliis motibus phyſicis ſucceſſiuis, vt in augmẽtatione, alteratione ſucceſſiuâ, &c.

Nam

Digitized by Google

Nam prius dimidiũ caloris, v. c. inducitur in aquam, quam ſummus calor, vt expreſſe docet Ariſtoteles l. 10. Metap. c. 10. t. 22. Non verò locum obtinet, nec intelligi debet, de actionibus quibuscunque inſtantaneis, vt eſt, generatio, intellectio, volitio, illuminatio, &c. Ratio, in his enim cum per ſe nulla ſit neceſſaria ſucceſſio, nulla etiam per ſe requiritur medij prius, in motu quam extremi attactio, aut pertranſitio.

2. *Vbicũque eſt prius in motu & poſterius, ibi eſt ſucceſſio.* Sumitur ex l. 4. Phyſ. t. 113. & alijs.] Declaratur exemplo: ſint duo lapides, quorum vnus cadat è cælo in terram, alter è terrâ feratur in cælum, per eandem lineam rectam: hi duo neceſſariò ſibi occurrent in medio: Ergo prius peruenient ad medium, quam ad extremum ſeu terminum; quia illo inſtanti, quo occurrunt ſibi in medio, nec dum ſunt in termino: Ergo non mouentur in vno inſtanti: Ergo in tempore: Ergo eſt ibi ſucceſſio: Hoc quoque ſenſu verum eſt iſtud vulgare: *Nulla latitudo ſubitò acquiritur & deperditur*: ea nempe, quæ intenſionem & remiſſionem ſuſcipit; quæque acquiritur per motum ſucceſſiuum: non autem per mutationem inſtantaneam. Lege, ſi placet, Zimaram in hoc Theoremate.

3. *Motus non fit in inſtanti.* Sumitur ex l. 3. Phyſ. c. 1. t. 1.] Vbi docet Philoſophus, motum eſſe non poſſe ſine tempore. Et ex l. 6. Phyſ. t. 27. vbi ait, *nihil moueri in ipſo nunc*. Intelligitur itaque tum hoc, tum etiam præcedẽs Theorema de motu locali phyſico. Ratio eſt; quia moueri motu locali phyſico, eſt tranſire ab extremo ad extremum per medium, id eſt, ita, vt omnes partes mobilis pertrãſeant omnes partes ſpatij interiecti inter terminũ, à quo fit motus, & inter terminũ ad quẽ fit motus, & ita; vt priores par-

tes mobilis prius perueniãt ad idem punctum ſpatij quam poſteriores: hoc autem non poteſt fieri in inſtanti, quia, vbicunque eſt prius & poſterius, ibi eſt ſucceſſio.

4. *In motu continuo mobile partim eſt in termino à quo, partim in termino ad quem.* Traditur ab Ariſtotele l. 6. Phyſ. c. 3. q. 5. & 10.] Ratio eſt; quia ſi omninò eſt in termino à quo, iam non mouetur: ſi eſt in termino ad quem, iam motum eſt: motus autem eſt via inter hos duos terminos; vt ex eius definitione conſtat. Ex hoc Theoremate quidam docent; angelum vel aliud quodcunque indiuiſibile non poſſe mutare locum in tempore; quia, vt arguunt, Angelus non poteſt eſſe partim in termino à quo, partim in termino ad quem, eò quod non habeat partes. Ita Capreolus in 2. d. 2. q. 1. & quidam alij, quos citant & ſequuntur Conimbricenſes l. 6. Phyſ. c. 10. q. 2. Sed reſponderi poteſt, non neceſſariò intelligi id de partibus mobilis ſed ſatis eſſe, ſi explicetur de partibus ſpatij intermedij: quia quidquid mouetur prius acquirit & pertranſit partem medij propinquam, quam remotam; vt bene aduertit Suarez l. 4. de Angelis c. 20. n. 12. Vaſquez d. 195. Albertinus, Tannerus & alij recentiores.

5. *Motus naturalis in fine eſt velocior.* l. 8. Phyſ. t. 76. & l. 1. de cælo t. 89. & in mechanicis c. 7. & alibi.] Ita eſſe docet experientia quotidiana: propterea enim aqua ex tegulis primò defluit continua, poſtea ſoluitur in guttas; quia inferiores partes aquæ propter velocitatem motus præuolant, & ab aliis ſe auellunt. Hinc etiam ſecuris, quo altius attollitur, eò, cæteris paribus, validiorem ictum infligit & lapis, quo altius, eò vehementius decidit, cauſa eſt incrementum naturalis impulſus, ex grauitate & leui-

Digitized by Google

tate corporis continuò emanantis, dum fertur in ſuũ locum naturalem : nam, vt inquit Ariſtoteles Quæſtionum Mechanicarum c. 19. *Omnia cum motu fiunt, & graue ipſum grauitatis magis aſſumit, dum mouetur, quam dum quieſcit*, ex quibus verbis ſumptum eſt iſtud vulgare :

6. *Graue dum mouetur, vires acquirit eundo.* Nempe ſi moueatur motu ſibi naturali. Etenim impulſus ille naturalis, quem grauitas cuiuſque corporis, dum incipit ferri in ſuum locum, naturali quadam emanatione continuo ex ſe fundit, tantò magis intenditur, quantò, mobile longius fertur. Eodem modo contingit in motu naturali leuium, vt aëris & ignis : colligitur ex l. 1. de cælo t. 88. vbi ait Philoſophus, celeriorem motum grauium & leuium oriri ex augmento grauitatis & leuitatis; hæc autem non augentur in actu primo; ſed in actu ſecundo, quo longius mouentur grauia & leuia, eò plus acquirunt grauitatis & leuitatis. Motus eorum violentus contrario modo ſe habet; initio enim velociſſimus eſt, & paulatim langueſcit : Motus progreſſiuus animalium initio tardior, in medio celerrimus, in fine deficit : Nam ſpiritus vitales incitatiſſimi in medio, demum langueſcunt.

7. *Motus cæli omnium motuum eſt velociſſimus.* l. 2. de Cælo t. 17.] Ratio ſumitur ab ingenti vaſtitate ſpatij, quod motu diurno à cælis conficitur; vt ex certis fundamentis demonſtret Clauius, quodlibet punctum in conuexo firmamenti conficiens circulum maximum, motu diurno celerius ferri, quam ferretur auis, quæ ſpatio vnius ſalutationis angelicæ vniuerſum terræ ambitum ſepties circumvolitaret : Si quis autem tam celeriter moueretur, ac punctum iſtud, poſſet ſpatio vnius horæ millies octingenties octies quater circuire totam terram. Intelligitur

itaque pronunciatum de motibus localibus & ſucceſſiuis, vt per ſe, & ex dictis eſt manifeſtum.

DISTINCTIO VII.

De Motu violento.

1. *Violentum eſt id, cuius principium eſt extra, nihil conferente paſſo.*] Sumitur ex l. 3. Ethic. c. 1. vbi inter alia ſic ait Philoſophus: *Quænam igitur dicenda ſunt violenta? An ea, quidem ſimpliciter quiſpiã agit inuitus, quorum externa eſt cauſa, & ipſe agens nihil omninò confert?* Et paulo inferius: *Id igitur violentum eſſe videtur, cuius principium eſt foris: nihil prorſus eo conferente, cui vis eſt illata.* Intellige non ſolum negatiuè; ſed etiam contrariè, vt ſenſus ſit, violentum eſſe contra internum impetum, & quaſi conatum internum; alioquin habitus ſupernaturales dicerentur violentè infundi voluntati, & aër violentè illuminaretur. Ita autem accipiendum eſſe patet ex libro 1. de Cælo cap. 2. & ex lib. 2. Moralium Eudemiorum c. 8. vbi ſolum definitur, *Violentum* eſſe *id, quod eſt præter internum impetum aut præter naturam*, vtiturque ijs locis Ariſtoteles Græcâ particulâ παρὰ, quæ iuncta caſui accuſandi, ſignificat idem, quod *Contra*.

2. *Vbicunque eſt violentia ibi & renitentia.* Sumitur ex loc. cit. & ex 5. Phyſic. t. 56.] Ratio colligitur ex dictis; quia omnis violentia pugnat cum natura rei; cum ipſi ſit poſitiuè contraria: Itaque res illi naturali impetu pro poſſe renititur; vel actualiter: vt ſi quis rapiat alterum ad carcerem, renitente illius voluntate & corpore reluctante; vel certè virtualiter: vt cum quis hominem dormientem occi-

dit, aut ex loco altiore præcipitat; ille licet secundum voluntatem actuali inclinatione non resistat, virtualiter tamen niti in oppositum dicitur.

3. *Nullum violentum perpetuum.*] Sumitur ex l. 1. de Cælo c. 2. t. 15. vbi inquit Philosophus: *Limites rationis egredi videtur, motum continuum, perpetuumque illum esse, qui præter naturam corporibus inest: in cæteris enim ea, quæ præter naturam sunt, citissimè corrumpi & perire videntur.* Et l. 2. c. 3. t. 18. vbi in terminis ait: *nihil præter naturam esse perpetuum*: id enim, quod præter naturam est, siue quod violentum est, posterius est eo, quod est secundum naturam: quia scilicet violentia aduenit rei, in suo esse, & statu naturali prius constitutæ, & est excessus quidam recedens & exorbitans à statu rei naturali, quem violenter turbat & debilitat; vel ergo excedit simpliciter, & tum corrumpitur id quod patitur; vel excedit secundum quid, & tum corrumpitur ipsum: neutro autem modo violentia erit sempiterna, quia vires vtrobique finitæ sunt, & limitatæ. Intelligitur itaque pronunciatum de violento simpliciter, per se, & secundum totum: nam violentum non simpliciter, sed secundū quid, aut secundum partem, per accidēs perdurare non repugnat. Vt patet in aëre, cuius media regio violenter, siue contra naturā est frigida: Et cruciatus inferni, perpetui sūt & violēti ex supernaturali ordinatione Dei. Vide, si placet, D. Tho. de Potent. q. 4. a. 1. & in 3. sent. dist. 13. q. 2. a. 2. Zimarā in suis Theorem. prop. 19. & alios, apud Conimbr. in cap. 3. lib. 2. de Cælo. Eodem sensu in Iure Ciuili dicitur:

4. *Nullum violentum perpetuò est tolerandum.*] Lege 2. *de his, qui sunt sui.* Ratio huius perspicua fit ex dictis; quia non in naturalibus modò, sed moralibus etiā & liberis veritatē obtinet axioma: pro cuius maiore explicatione notandum est, necessitatem,

coactionem, & violentiam inter se differre, quod necessitas dicat tantum determinationem potentiæ ad vnum; violentia verò requirat, vt actus fiat ab extrinseco, repugnante passo, per appetitum naturalẽ, vel elicito: Coactio denique fiat ab extrinseco, repugnante appetitu elicito. Vnde latissimè patet necessitas; reperitur enim tam in carentibus appetitu, quàm illo præditis: minus latè violentia; quia tantum reperitur in præditis appetitu: minimè verò latè, seu prestissimè coactio. Etenim solis animalibus est propria. Quocirca violentum latius patet, quàm inuoluntarium, vt rectè notat Vasquez t. 1. in 1. 2. Disp. 25. n. 12. quem consule, si placet.

5. *Vi fiunt, quæ contra cupiditatem aut ratiocinationem agentis fiunt.* l. 1. Rhetoric. cap 10. post mediũ.] Ratio huius est; quia id dicitur vi fieri, siue violenter, quod fit contra naturam, siue naturalem inclinationem rei: tali autem modo fiunt ea omnia, quæ agens exequitur, iudicio suo, aut etiam voluntate repugnante. Eâ de causâ docent viri prudentes & spirituales, ad perfectam religiosæ obedientiæ virtutem consequendam, necessarium esse, vt non modo voluntas; sed iudicium etiam siue intellectus, quoad eius fieri potest, committatur legitimo superiori; Nec posse ibi stabilem esse & perfectum obedientiæ statum, vbi opinionum fuerit sententiarumque dissensio: cum enim vires animi nostri appetitiuæ naturaliter sequantur apprehensiuas, vt explicatum est, Titulo *de Potentiâ appetitiuâ*, voluntas iudicio repugnante non nisi adhibitâ vi aliquâ obtemperare poterit; nullum autem violentum perpetuum est, iuxta dicta.

6. *Omne moderatum ab immoderato dissoluitur.*] Galenus lib. 10. de vsu partium, & refertur à D. Thomâ, in quæstionibus disputatis, q. de Animâ a. 8.

Ratio eſt; quia moderatum formaliter nihil aliud eſt, quàm menſurata quędam & modificata rei temperies, quæ, ſi accedat aliqua immoderatio, neceſſariò perit ſiue corrumpitur & pro temperie ſuccedit intemperies: vt harmonica modulatio in fidibus atque cantu, ſi chordæ voceſque aut validius obgraueſcant, aut impenſiùs euibriſſent, quàm intenſionis & concentûs ratio poſtulat, protinus diſſidere incipit, & tota mox ſymmetria ac conſpiratio diſſoluitur. Hinc etiam eſt, quod *vehemens ſenſibile lædat ſenſum*, vt explicatum eſt ſupra, Titulo *de Potentiâ ſenſitiuâ*. Vide, ſi placet, Themiſtium 2. de Animâ cap. 42. ſuæ paraphraſis.

7. *Vehemens mutatio inimica eſt corpori.*] Sumitur ex Problematis Ariſtotelis ſect. 8. n. 15. vbi docet, eos qui vehementer frigent, ſi paulatim tepefiant, ſine magno dolore recreari: ſin autem ſubitò ad luculentum ignem calefiant, dolore percelli, eò quod ſine vehementi & moleſtâ corpori mutatione ſubitò ex contrariis in contraria non eatur. Pulchrè hoc ipſum proponit Hippocrates lib. 2. Aphoriſmo 51. qui ſic habet: *Plurimum & repente vacuare, aut explere, calefacere, aut frigefacere, aut aliter quomodocunque corpus mouere perculoſum eſt: Et omne animium naturæ eſt inimicum; Quod verò paulatim fit, tutum: præſertim vbi quis ab altero ad alterum progreditur.*

8. *Inter ſtatum naturalem & violentum datur medius.*] Colligitur ex l. 1. de Cælo c. 2. & traditur à D. Thomâ 1. p. q. 89. a. 1. Sic anima rationalis, dum eſt ſeparata à corpore, etſi non ſit in ſtatu naturali: nō tamen eſt in violento; ſed in ſtatu præternaturali, vt loquuntur Philoſophi. Sic etiam motus circularis, quo elementum ignis perpetuò rapi dicitur à cælo, neque eſt contra propriè, neque ſecundū, ſed potius præter naturā ignis, ac per cōſequēs non eſt violētus.

DISTINCTIO VIII.

De Motu moderato.

1. *QVi ordinatè incedit, finem perfectissimè attingit.* Sumitur ex l. 2. Phys. c. 8. ¶ Monet effatum, non præcipitanter & inconsideratè; sed sensim & cunctanter aggredienda esse negotia, & arte magis consilioque quàm impetu rem gerendã, iuxta illud vulgare: *Paulatim longiùs itur.* Notent hoc præcipuè illi, qui temerario & cœco quodam impetu, in quæuis opera feruntur, & præcipitando sæpenumerò totum negotij cursum interturbant, plurimisque se ac periculosis casibus exponunt, vt rarò vel ægrè admodũ, præfixum sibi finem consequantur: sæpe etiam rem planè euertunt, quam tempore atque assiduitate placidâ perfici licuisset. Quinimò eiusmodi præcipitatio vitæ humanæ tranquillitati, quàm maximè est noxia: siquidem turbatur & impeditur per eam spirituum vitalium & animalium commeatus, & corporis totius temperies ac vegetatio. Quo fit, vt, qui in agendo præcipitare solent, paulatim manibus, & linguâ, ac toto corpore tremuli euadant. Huc pertinet illud Catonis:

2. *Sat citò, si sat bene.*] Cõsonat huic celebre istud Græcorum prouerbium: σπεῦσε βραδέως, & illud vulgare: *Gutta cauat lapidem non vi; sed sæpe cadendo.* Licet verò Aristoteles l. 8. Physic. t. 23. dicat, ab vltimâ guttâ cauari lapidem: id tamen si accidat, non fit, nisi in virtute guttarum præcedentium, quæ lapidis duritiem paulatim emolliunt, ac subigunt, vt rectè docet S. Thomas 2. 2. q. 24. a. 6. ad 2. Porrò quod Græci duobus istis vocabulis exprimunt, id

Digitized by Google

auctore Gellio, Latinis commodè vno verbo dicitur, *Matura*: Nam maturare idem est, quod neque præproperè fieri nec serius, quàm oporteat; sed ipso in tempore. Ita habet l. 10. c. 11.

3. *Qui nimium properat, serius absoluit.*] Indicat sententia industriã potius ac curam, quàm præpostoram ac præproperã festinationem rei perficiendæ adhibendam esse: Ex illâ enim perfectio rei & cõsummatio: ex hac confusio & perturbatio oritur, iuxta illud Aristot. *Canis festinans cæcos parit catulos.* Desumptũ ex l. 2. de Gen. Animaliũ circa medium. Vtrumque valet in eos, qui temerè sua negotia, & indiscretè præcipitant; quos plerumque sequitur pœnitentia sera & inutilis: sæpe enim, quæ magna confici poterant cum vtilitate & gloriâ, præcipitatâ actione euaserunt gloriæ & vtilitatis sterilia. In hunc sensum rectè pronunciauit D. Leo: *Melior est gressus lẽtior per iter rectum, quàm velocitas festinaper deuium.*

4. *Non est cuiuslibet appellere Corinthum.*] Siue vt Poëta inquit: *Non cuiuis homini contingit adire Corinthum.* Veteri hoc prouerbio docemur, non affectare res arduas, & statui siue conditioni nostræ minimè consentaneas, iuxta illud: *Altiora te ne quæseris*, &c. Eccles. 3. Nam, vt rectè etiam monuit olim Socrates: *Quæ supra nos, nihil ad nos*: non autem est Sapientis, alienis frustra occupari negotijs: valet hoc dictum Socraticum in illos, qui, cum curta ipsis domi supellex sit, de negotiis Principum aut Campiducum stratagematis solliciti sunt, aut de peregrinis sibi scientijs ac facultatibus, vt de altissimis Theologiæ mysteriis; Grammaticorum more, temerè fabulantur, cuiusmodi hominum vitia grauiter & eruditè perstringit Maximilianus Sandæus in suo Grammatico profano, quem consule, si placet.

5. *Nemo repente fit summus.*] Refert hanc sententiam & veriſſimam eſſe docet S. Bernardus, de Ord. vit. & Mon. inſtit. Intelligi autem poteſt de vtroque extremo, ſiue in bonum, ſiue in malum. Nam vt graues corporis infirmitates ſenſim generantur, ita etiam ſpirituales: Et vt domus quæpiam non vno die perficitur; ſed quotidianis proficit incrementis; ita neque vno impetu ſubitò ea ſternitur, ſed paulatim ruinæ initia fiunt. Et vti Gutta cauat lapidem non vi, ſed ſæpe cadendo; ſic homo fit doctus non vi, ſed ſæpe ſtudendo. Et vti ex minimis guttis multiplicatis inundationes aquarum fiũt, quæ & magna aliquando mœnia ſubruunt; ita

6. *Parua ſæpe ſcintilla contempta magnum excitauit incendium.*] Curtius l. 6. & fusè explicatur à Marſil. Ficino Epiſt. 5. Adit quis conuiuium; audit verbum ſibi minùs honorificum; oritur rixa; occiditur. Alius exit veſperi ebrius, vt domum redeat; incidit in aduerſarium; contrahitur pugna; confoditur. Alij iter facienti occurrit biuium; eligit viam quæ videtur commodior; incidit in latrones, qui viatoribus ibidem inſidiabantur; ab his ſpoliatur & interficitur. Hac ratione innumeri pereunt, quorum & exitium à minima occaſione originem traxit; ſicuti è contra quidam leuiſſima occaſione ad ſalutem perueniunt. Atque hac de causâ, qui vel opibus coaceruandis, vel virtutibus acquirendis ſtudioſiùs operã dant, non facilè occaſionem etiam minimam acceſſionis faciẽdæ prætereunt. Memores dicti illius vulgaris.

8. *Iunat commodum quantumlibet puſillum.*] Simili ratione ſpirituales magiſtri tantopere adlaborant, vt minimi etiam, quoad eius fieri poteſt, caueantur defectus: Nam vt monet Eccleſiaſticus c. 19. *Qui ſpernit modica, paulatim decidet*; idque eò vel maximè, quod verſutiſſimus dæmon, à leuiſſimis machi-

nis & quasi insensibilibus, spiritualis ædificij euersionem moliri soleat, ne repellatur subitò, aut malitia ipsius deprehẽdatur. Quamobrem verissimè S. Gregorius 3. parte Pastoralis, Admonit. 35. docet, certâ quâdam consideratione, maius esse periculum minorum peccatorum, quàm maiorum. Hęc enim quantò clariùs primo statim occursu cognoscuntur, tantò studiosiùs euitantur: illa verò veluti minutiora non æstimantur, non cauentur etiam; sed per contẽptum inualescunt quotidie, & damnabili exercitatione non in sui modo consuetudinem; sed in grauiorum quoque amorem pelliciunt.

DISTINCTIO IX.

De Labore, & Ignauiâ.

1. *Enerosos animos labor nutrit.* Seneca, Epistolâ 30.] Vti per desidiam & torporem vires & ingenium diffluunt, ita è conuerso, exercitio & labore honesto firmatur natura & perficitur. Exemplum habemus in Alexandro Magno; cui vt primum instantibus curis laxatus est animus, excepêre eum voluptates & muliebręs illecebræ: quemque arma Persarum non fregerant, vitia fregerunt. Iuxta hunc sensum verè dictum est istud:

2. *Plus ferrum rubigine in alto otio, quam exercitio conteritur.*] Etenim quies diuturnior & exercitationis intermissio, qualem habet desidiosa vita, inertem calorem, spiritus ignauos, & ad omnem vitæ functionẽ segniores reddit. Corpus vniuersum emollit & degrauat, vt tandem verum sit illud: *Ignauum corrumpunt otia corpus.* Eâ de causâ Aurelianus Imperator, vt de eo scribit Vopiscus, nullum vnquam diem prę-

Digitized by Google

termiſit, quamuis feſtum, quamuis vacantem, quo non ſe pilâ, & ſagittâ, cæteriſque armorum officiis exerceret. Maximinus Imperator, cum non robore ſolum corporis, verum etiam labore eſſet maximo; à Tribunis ſuis reprehenſus: parum decere, militum Ducem & Imperatorem tantopere laborare: *Ego verò*, inquit, *quo maior fuero hoc laboriosior esse cupio.* Vide Reuſnerum ſymbol. Imper. Claſſe 1. n. 24. & 30.

3. *Dij laboribus omnia vendunt.*] Dictum iſtud duplici ſenſu intelligi poteſt. Prior eſt, per laborem & ſtudium, omnia nos obtinere poſſe, iuxta illud: *Labor improbus omnia vincit.* Poſterior nihil præclarum eſſe, quod ſine labore acquiri poſſit, iuxta illud: *Nihil magnificum, quod non idem ſit arduum*; & iſtud vulgare: *Non tibi per ventos aſſa columba venit*; & hoc patet experientiâ: Non enim eruuntur auri argentiue de fodinis metalla, niſi & labore & impenſis annumeris, nec ſceptra & diademata ſine moleſtijs obtinentur: Et *qui addit ſcientiam*, quæ in præclarioribus mortalium donis cenſenda eſt, *addit & laborem*, Eccl. 1. Vterque ſenſus verus eſt, dummodo non intelligatur de gratiâ diuinâ, nec de alijs Dei donis, quatenus dependent à gratiâ. Iuxta hanc explicationem intelligi poteſt illud:

4. *Omnia fiunt cum motu.* cap. 19. quæſtionum mechanicarum.] Vbi Philoſophus ex eo probat, ſi quis ſuper lignum, magnam imponat ſecurim, deſuperq; illi magnum adijciat põdus, non ſecuturã notabilem ſectionem: At verò, ſi ſecurim extollens percutiat, fore vt ſciſſio ſequatur; Et ſi multò minus habeat põderis id, quod percutit, quàm quod ſuperiacet & premit. Cuius rationem aſſignat; quia incũbens ſecundũ connatam graui motionem non mouetur: motum verò & ſecundũ hanc mouetur, & ſecundũ eam, quæ

eſt percutientis. Vide, ſi placet, quæ diximus ad illud: *Grauè dũ mouetur, vires acquirit eũdo.* diſ. 6. huius Tit.

5. *Satius eſt otioſum eſſe, quàm nihil agere.*] Senſus dicti iſtius vulgaris eſt, conſultiùs eſſe abſtinere ab opere, quàm ſine finis intenti aſſecutione inaniter occupari. Vti dè Siſypho fabulantur Poëtæ, qui voluendo ſaxum fruſtra ſe fatigabat; cum nè hilum quidem proficeret, de quo conſule, ſi placet, Natalem Comitem l. 6. Mythologiæ c. 17.

6. *Principem non decet ſolidam dormire noctem.*] Monet vigilantiam ac ſolicitudinem maximè conuenire Principibus ac grauibus viris: Nã ſomnus Endymionis eſt hominum ignauorum. Tranſlatum eſt ex illo Homeri, οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα.

7. *Mente ſimul & corpore laborare non conuenit.* l. 8. Polit. c. 4.] Rationem aſſignat Philoſophus ibidẽ, quia corporis & animi exercitia ſeſe inuicem impedire nata ſunt: labor quidem corporis mentem: mentis autem occupatio corpus.

8. *Radix deſperationis eſt ignauia.* Chryſoſtomus l. de lapſu.] Imò non ſolum radix; ſed etiam *nutrix*, illius & *mater*: quemadmodum enim veſtimentum & tineam generat & nutrit; ita ignauia non ſolum gignit ex ſe deſperationem, ſed alit etiam ac fouet. Itaque rectè Seneca.

9. *Pigritia eſt nutrix egeſtatis.*] Quam verè dictum id ſit, teſtatur & ratio ipſa & experientia quotidiana. Pulchrè Saluſtius in Catilinario: *non votis neque ſupplicijs muliebribus auxilia Deorum parantur; ſed vigilando, agendo, bene conſulendo omnia proſpere cedunt. Vbi ſocordiæ atque ignauiæ te tradideris nequicquam Deos implorabis.*

10. *Corpus ſine motu putreſcit.* Traditur in Problematis Ariſtotelis ſect. 1. t. 54.] Vbi docet Philoſophus, corpus ita regẽdum eſſe, vt ſimul atque ſit

perfluam materiam & excrementitiã admiſit, habeat quo modo eam commodè excernat, eumq; in finem ſit motui deditum potius, quam quieti: Quod enim manet ſine motu, vitium contrahit, & putreſcit, Quemadmodum aqua in ſtagnis & paludibus ob motionis defectum putida efficitur. In hanc ſententiam eſt illud: *Deſidiam fugito, mœſtos ſeclude timores; Corpore ſis agili, læta mente, & generosâ.*

DISTINCTIO X.

De Quiete & Recreatione.

1. *QVod eſt aptum moueri idem & quieſcere.* Sumitur ex l. 6. Phyſ. c. 8. t. 72.] Ratio ex eo colligi poteſt; quia, vt inquit Albertus Magnus in 5. Phyſ. trac. 1. quies nihil aliud eſt, quam motus priuatio ab eo, quod natum eſt moueri, & quando aptũ eſt ſuapte naturâ moueri: natura autem, in quâ fit huiuſmodi quies, eſt natura ſiſtẽs motum, & quieſcens. Loquitur autem Albertus de quiete priuatiuâ, quæ motui opponitur, non de poſitiuâ, cuius principium definitur eſſe Natura, & ad quam motus veluti ad terminum ordinatur. De vtraque nihilominus propoſitum axioma commodè intelligitur: Nã abſolutè vti, *Natura eſt principium motus & quietis*; ita omne id, quod aptum nihilominus eſt, vt quieſcat, ſuotempore. Valet pronunciatum in improbos dominos ac ſuperiores, qui famulos, famulasque, aut alios ſibi ſubditos, vel iumenta etiam ad continuos vrgent labores, & nullam feſſis membris quietem indulgent. Si conuertatur propoſitio, valebit in deſides & ignauos: Nam, *quod eſt natum quieſcere idem etiam moueri.* Et Natura prius ac principalius

dicitur esse motus, quam quietis principium, vt patet ex dictis.

2. *Quies omnis est in tempore.* l. 4. Physic. c. 12: t. 118.] Probat hoc dicto Philosophus, quietem mensurari à tempore, eo quod tempus mensura sit motus: quia oppositorum eadem est ratio: *quies* autem *est privatio motus*, vt docetur ibidem. Addit tamen, quietem non mensurari à tempore per se; sed tantum per accidens; quia id tantum per se mensurat, in quo datur prius & posterius, & partes sibi mutuò succedentes: quæ in quiete per se & reipsa non dantur; sed factâ comparatione ad motum; quatenus dum res quiescit, apta est subire motum, cui per se conuenit ratio prioris & posterioris. Valet & hoc dictum in eos, qui vix vnius quadrantuli quietem sibi aut alijs concedunt.

3. *Animalia conseruat requies.* l. de Somno & Vigil. c. 6.] Quemadmodum motu ac labore continuo animal fatigatur, ita vicissim opportunâ quiete reficitur. Proinde ad vitæ conseruationem, labore & quiete discriminata tempora, videntur esse necessaria, gaudiaque subinde curis grauioribus interponenda: nam vt in vulgari diuerbio est: *Quod caret alternâ requie durabile non est.*

4. *Humana omnia ad operandum assiduè sunt imbecilla.* l. 10. Ethic. c. 4.] Rationem assignat D. Thomas. 2. 2. q. 168. a. 2. cum ex parte corporis, tum etiam ex parte animi; quia vt homo indiget corporali quiete ad corporis refectionem, quod quia finitæ virtutis est, non potest laborare continenter, & in laboribus deficit, nisi cessando quiescat à labore: Sic ex parte animæ, cuius virtus quoque finita est, & fatigatur laboribus immoderatis (præsertim quia per organa corporea operatur, quæ etiam ob eandem causam lassantur) requiritur pariter quies, quæ

in animâ est delectatio. Ita ferè D. Thomas locò citato. Vtrumque ante illum in specie monuit Aristoteles hoc dicto:

5. *Requies & ludus in vitâ videntur necessaria.* l. 4. Ethic. c. 8.] Vti enim quiete corpus reficitur, quæ opponitur labori, ita ludo etiam relaxatur & recreatur anima, qui curis & tristitiæ est contrarius. Videri potest de hac re Tractatus Asceticus 15. Iulij Nigroni, vbi fusè disputat de necessitate relaxationis animi, & multis ostendit, eam omnibus esse Religiosis necessariam.

6. *Arcus semper intensus rumpitur.*] Monet sententia, auream in omnibus, etiam in labore mediocritatem seruandam esse & gaudia interdum curis esse interponenda. Pulchrè Seneca de Tranquillitate animi c. 15. *Danda est*, ait, *remissio animis, meliores alacriores que requieti surgent: vt fertilibus agris non est imperandum: cito enim illes exhauriet nunquam intermissa fœcunditas: ita animorum impetus assiduus labor frangit: vires recipient paulum resoluti & remissi. Nascitur ex assiduitate laborum hebetatio quædam animorum & languor.* Hæc ille. Atque hac de causâ auctor naturæ Deus, cum ab initio creasset cœlum & terram, & omnia quæ in eis sunt, die septimo quieuit ab omni opere, quod fecerat, nullâ quidem defatigatione, vt nos solemus; sed solâ omissione operationis, vt rectè notat Delrio in caput 2. Gen. versu 2. Eo tamen fine, vt nos, qui indigemus quiete, certo tempore, ab operibus seruilibus abstinentes, diuinis laudibus vacemus. Vide, si placet, Cornelium à Lapide, ad cap. Exodi 20. ver. 10.

7. *Animalia, quæ nimis laborant, minus viuunt.*] Indicatur ab Alberto magno, de morte & vita. Trac. 2. cap. 9. Vbi docet, animalia, quæ nimio labore & exercitio sese fatigant, præ reliquis esse vitæ brevioris!

uioris: *quoniam*, inquit, *labor excellens animal exsiccat*: dum scilicet humidum radicale, ac spiritus vitales, animalesque absumit. Et senium per se siccum est, eo quod sit effectus laboris: In hanc sententiam verè dictum est illud: *Immodicis brevis est ætas, & rara senectus.* Hac quoque de causâ arbores fructus præcoces & copiosos ferentes citius exsiccantur, vt tradit Albertus M. l. 13. de Animalibus Tract. 1. c. 2.

8. *Quies est summum remedium membri affecti.*] Refertur ab Alexandro Aphrodiseo in Problem. num. 143. & verum est, cæteris paribus, non modo in particulari animalis alicuius membro; sed generatim veritatem obtinet in corpore toto, laboribus vel alio quouis symptomate malè affecto.

9. *Somnus est perfectissima quies animalis.* Traditur ab Alberto Magno in 8. Physic. Tract. 1. cap. 10.] Ratio est, quia, cęteris paribus, vires labore fractæ, per somnum maximè redintegrantur, partim quia potentia animæ vegetatiuæ, quæ motu & labore non mediocriter impediri solet, in somnis maximè videtur operari, & vt docet Aristoteles l. 1. Eth. c. 13. & multis probat Cardanus in Ephemeride Reuerendissimi Domini D. Ioannis Amultham Archiepiscopi in Scotiâ, vbi adducit testimonia Hippocratis & Galeni: partim etiam, quia somnus propriè est ligamentum virtutum sensibilium & motiuarum cũ augmento & confortatione earum, vt etiam docet Aristoteles, & ex illo Albertus M. de somno & vigiliâ l. 1. Tract. 2. c. 4.

10. *Somnus est quies virtutum animalium, & labor naturalium.* D. Thomas de somno & vigilia lect. 4.] Sensus est, tempore somni, quiescere virtutes siue facultates viuentis animales; vt sunt potentiæ sensitiuæ, quæ quoad exteriora opera, & munia præcipua

Digitized by Google

ligatæ ſunt tempore ſomni: laborant verò maximè, & ſuo funguntut officio facultates naturales, vt ſunt potentia nutritiua, per quam viuens inſtaurat ſubſtantiam deperditam vi caloris naturalis; augmentatiua per quam conſequitur, vel etiam conſeruat debitam & conuenientem magnitudinem; Et quæ his adminiſtræ ſunt, vt attractiua, retentiua, digeſtiua ſiue concoctiua, &c. De quibus vide, ſi placet, Galenum l. 2. Præſagiorum c. 37. Ariſtotelem l. 2 de animâ c. 4. & alios.

TITVLVS L.

De Generatione & cæteris actibus potentiæ vegetatiuæ.

DISTINCTIO PRIMA.

Varia acceptio termini Generatio.

GEneratio ſumitur quadrupliciter, primò latiſſimè pro qualibet nouâ productione ſubſtantiæ vel accidentis. Ita accipitur lib. 5. Phyſicorum c. 1. & l. 1. de Gen. & Corr. t. 11. vbi dicitur *ex ægro generari ſanum*, quæ eſt mutatio accidentalis.

2. Strictiſſimè pro ſolâ productione viuentis. Ita libro de vitâ & morte' c. 1. dicitur participatio animæ vegetatiuæ in calido. Et communiter à Philoſophis definitur, *Proceſſio viuentis à principio vitæ conuncto, ſecundum rationem ſimilitudinis, ſaltem in ſpecie infima.*

3. Pro introductione formæ ſubſtantialis, vnà cum alteratione præuiâ, quæ dum durat, dicitur aliquo modo res generari; quatenus per alterationem &

Digitized by Google

dispositionem materiæ tenditur ad rem generandam, tanquam ad terminum alterationis extrinsecum.

4. Pro solâ instantanea introductione formæ substantialis in materiam. Ita Sumitur ordinariè à Philosophis, & ab Aristotele l. 1. & 2. de Gen. & alibi passim.

DISTINCTIO II.

De Natura & terminis Generationis.

1. [*Generatio est mutatio à substãtia potentiâ ad substantiam actu.* l. 1. de Gen. & Cor. t. 25.] Est hæc definitio Generationis Aristotelica, prout ea sumitur propriè siue quarto modo; quam alij sic clarius proponunt: *Generatio est mutatio à priuatione formæ substantialis ad formam substantialem in materiâ.* Complectitur hæc definitio tria Generationis physicæ principia intrinseca, diciturque mutatio; quia supponit materiam vel subiectum, quod transit ab vno termino, ad alium id est, à priuatione ad formam. Conuenit itaque dicta definitio omni ac soli generationi naturali. Proinde excluditur 1° creatio, & transubstantiatio; quia non supponunt subiectum, quod idem permanens transeat ab vno termino ad alium, 2° excluditur Generatio æterna Filij Dei Redemptoris nostri; quia non est mutatio, nec productio cum nouitate essendi: Nec sanè Filio Dei conuenit id, quod consentaneè ad hanc sententiam alibi docet Aristoteles:

2. *Generabile est id, quod contingit prius non esse.* l. 1. de Cælo t. 120.] Verba illius sunt: *Omne ergo, quod semper est, incorruptibile simpliciter est, simpliciter & ingenitum est: Nam si generabile est, erit possibile, ali-*

quo tempore non esse. Intelligitur itaque dictum Aristotelis propositum de omni eo duntaxat, quod cum sui mutatione generatur in tempore purè naturaliter per veram causam physicam, à qua in suo esse dependeat: huiusmodi autem dependentia & mutatio, nec datur nec dari potest in diuinis.

3. *Mutatio est transitus alicuius ex vno in aliud.* l. 5. Physic. t. 7.] Patet huius pronunciati veritas ex ipso nomine mutationis, vt ibidem Aristoteles obseruat: Nam μεταβολὴ (quod est mutatio) significat μετ' ἄλλό τι, atque adeo vnum prius, alterum posterius. Quare tria requiruntur, & sufficiunt per se ad quidditatiuum conceptum, seu essentiam mutationis, primò res, quæ transit, id est subiectum, 2° id, à quo transit id est, terminus à quo, 3° id, ad quod transit, id est forma. Hæc tria in Generatione, quam paulo ante diximus esse mutationem: sunt materia, priuatio, forma: materia est res, vel subiectum quod transit, siue mutetur idem in se manens intrinsecè sub vtroque termino: priuatio est terminus, à quo transit seu mutatur: Forma est terminus ad quem transit.

4. *Generatio est via in naturam.* l. 2. Physic. c. 7. t. 14.] Dicitur generatio via in naturam; quia itur à materiâ in formam, ex quarum vnitione constituitur compositum naturale, vt explicat Alexander Aphrodisæus in l. 6. Meta. vel secundum latinos in 7. c. 13. sed minus aptè ad mentem Aristotelis, qui textu citato probat formam esse naturam, ex eo quod generatio sit via in naturam: Nam, vt arguit, Generatio propriè & proximè tendit ad Naturam; generatio proptiè & proximè tendit ad formam: Ergo forma est natura: Neque verò etiam materia est terminus à quo generationis; sed potius priuatio, iuxta illud:

5. *Generatio est mutatio ex non ente ad Ens.* l. 8.

Digitized by Googl

Phyſic. t. 62.] Id eſt à priuatione, quæ eſt immediatus & per ſe terminus à quo generationis: terminus autem mediatus & per accidens eſt compoſitum, vel forma præcedens; quia naturaliter generatio vnius ſupponit corruptionem alterius. Dicitur ergo Generatio eſſe via in naturam, non quod à materiâ eatur in formam; ſed quod à priuatione formæ ſubſtantialis ad formam ſubſtantialem eatur in materiâ: Poteſt nihilominus per *non ens* intelligi materia prima prout habet priuationem formæ introducendæ, vt colligitur ex l. 1. de Gen. t. 22. & ita Alexandri ſaluatur explicatio. Eodem ſenſu l. 5. Phyſic. t. 7. definitur. Generatio eſſe *mutatio ex non ſubiecto in ſubiectum*, & l. 1. de Gen. t. 25. *à ſubſtantia potentia ad ſubſtantiam actu*, vt conſtat ex dictis.

6. *Generationis ſubiectum eſt in potentia Alterationis in actu.* Sumitur ex l. 1. de Gen. & Cor. c. 2. t. 10.] Indicatur hoc dicto diſcrimen generationis & alterationis: Hæc enim fit, cum ſubiectum manens ſubſtantialiter idem, mutatur ſecundum qualitates; vt cum ex frigido fit calidum; Illa verò eſt ſubſtantialis mutatio totius, nullo ſenſibili ente completo manente eodem, vt cum ex ligno fit ignis. Itaque Generatio differt ab alteratione, & reliquis mutationibus non ſolum ratione termini, ad quem; quia nimirum terminus generationis eſt ſubſtantia, alterationis eſt qualitas, augmentationis quantitas, lationis vbi, ſiue præſentia rei vbicatæ: Verum etiam ratione ſubiecti: Nam ſubiectum generationis eſt materia prima; aliarum verò mutationum eſt compoſitum ſubſtantiale.

DISTINCTIO III.

De Corruptione & morte generatim.

1. *Corruptio est mutatio ex subiecto in non subiectum.* l. 5. Phys. t. 7.] Id est transitus à composito in non compositum: *Mutatio* excludit annihilationem, quæ non est mutatio; quia in eâ non manet subiectum transiens ab vno termino ad alium: *In non subiectum*, excludit generationem, quæ est mutatio in subiectum, siue in totum compositum physicum, qui est terminus vltimatus, & per se principaliter intentus à generante. Differunt itaque Generatio & Corruptio, quod illius terminus à quo sit priuatiuus; huius vero positiuus: contra terminus ad quem illius sit positiuus; huius vero priuatiuus. Tendit enim Generatio à non esse ad esse formæ in materiâ; Corruptio ab esse ad non esse formæ in materiâ. Cæterum ex l. 1. de Gen. & Corr. t. 23. aliam Corruptionis (vti & Generationis) definitionem colligunt Philosophi, quæ potius videtur eorum disceptationi relinquēda, quàm hîc pro nostro instituto methodicè explicāda.

2. *Corruptio est de genere malorum.* l. 9. Metaph. cap. 4. t. 17.] Ratio patet ex definitione Corruptionis; quia nimirum tendit per se ad non esse rei, quod de se est malum naturæ: Sicuti è contra Generatio dicitur bonum naturæ, quia per se tendit ad Ens. Atque hac de causâ Corruptio non intenditur per se à naturâ, quia nullam in se bonitatem habet, ob quam appeti possit; Et nullum agens operatur respiciens ad malum vel per se intendens malum, quatenus malum est, formaliter proximè: cum illud non sit obiectum amoris, sed odij, vt pluribus explicatur, Titulo *de*

Digitized by Google

Bono, & Titulo *de Potentia Volitiuâ.*

3. *Mors est vitæ priuatio.*] Refertur ab Alberto M. de morte & vitâ Tract. 1. c. 3. vbi addit, eam procedere ex corruptione proportionis, quæ est inter viuificans & viuificatum. Hæc autem vel fit violenter, si principium extrinsecùs aduenerit: vel secundũ naturam; si principium sit omninò intrinsecum, vt docet Aristoteles de Iuuẽtute, & Senec. vita & morte c. 14. quod secundum alios est octauum de Respiratione. Prius mortis genus violentum dicitur, & fit cum dolore ac conuulsione; posterius est secundum naturam, & fit sine luctâ difficili passionum; siue vt loquuntur Conimbricenses ex Aristotele, fit sine externo & violento affectu. Vnde

4. *Mors in senectute est sine dolore.*] Aristot. de Iuuentute & Senect. vitâ & morte, c. 10. quod secundũ alios est quartum de Respiratione. Rationẽ assignat ibidem; quia fit per quietem & naturalem quasi resolutionem, sine contrariatum certamine qualitatum violentiam inferente: At verò mors iuuenum & vegetorum adhuc, difficilis est supra modum & violenta, iuxta illud: *Mors in iuuentute fit cum diuulsione.* Sumitur ex eodem cap. eò videlicet quod sensus, illis adhuc integer, & validæ suo stent robore vires membraque etiam tum habilia, non sine graui diuulsione & contorsione extremã illam separationem sustineant. Hæc autem intellige de morte, non præcisè & secundum se, quatenus priuatio est; hæc enim cum non sit accidens reale & positiuum, nec insit homini vel ligno; sed cadaueri, &c. nullam per se diuulsionem aut dolorem efficere potest; sed de morte prout includit dispositiones præuias ad corruptionem subiecti quæ inesse solent subiecto adhuc integro, illudque malè afficere. Eandem de morte doctrinam tradit Plato in Timæo in hæc verba:

Quæ postsenectam ad finem secundum naturam accedit, inter omnia mortis genera, à dolore alienissima est, & magis cum voluptate, quam cum dolore fit : causam assignat ibidem; quia, *Id, quod præter naturam est, dolorem inducit: quod autem est per naturam, iucundum est: at mors, quæ per morbos & vulnera contingit, præter naturam euenit, quæ calore vltro extabescente, secundum naturam.* Dicitur autem mors, quæ in senectâ accidit, esse secundum naturam, siue naturalis; quia naturalem subiecti complexionem necessariò consequitur: cum reuera alio respectu sit contra naturam, vtpote quam tollit omninò & destruit, vt proinde rectè dicatur:

5. *Mors omnium terribilium est maximè terribile.* l. 2. Eth. c. 6.] Rationem dat Philosophus ibidem; quia est vltimum vitæ, & extremum malorum omnium, quæ naturaliter accidunt viuenti cum sit non sanitatis modo seu bonæ complexionis priuatio, vel opum aut amicorum, &c. sed insuper ipsius esse substantialis destructio, quæ licet in se præcisè mera priuatio sit: sufficit tamen ad terrorem animalibus incutiendum, tum respectu sui: quia naturæ prorsus aduersaria est; tum etiam respectu aliorum, quæ mortem necessariò comitantur. Est autem mors omnium terribilium terribilissimum respectu appetitûs sensitiui, & rationis humanæ inferioris, non autem superioris. Rationem inferiorem hoc loco intelligo rationem ipsam (omissâ altercatione, de quâ Vasquez in 1. 2. Tomo 1. disp. 105.) quatenus iudicat per rationes humanas, siue inspectis ac consultis solis temporalibus principijs, de vtili aut inutili, iucundo vel molesto, quibus mouemur, secundum naturalem propensionem, ad commoda huius vitæ: superiorem verò, quatenus iudicat, per considerationes æternas, id est, inspiciendo, quid lex naturalis, seu

Digitized by Google

recta ratio dictet, siue considerando, num id quod agendum proponitur, consentaneum, aut dissentaneum sit legi positiuæ, siue humanæ, siue diuinæ, quæ est legis æternæ interpres. De hac duplici ratione videri potest S Thomas 1. 2. q. 74. a. 7. D. Augustinus l. 12. de Trinit. c. 12. Cæterum homo Christianus & iustus, etsi secundum appetitum sensitiuũ, & rationalem etiam inferiorem mortem naturaliter timeat, æquo tamen animo secundum rationem superiorem eam oppetit; tum vt sese diuinæ conformet voluntati; tum ob testimonium bonæ conscientiæ, & spem ac fiduciam in diuinâ misericordiâ de felicitate æternâ, iuxta illud:

6. *Beati mortui, qui in Domino moriuntur.* Apocal. 14.] Eodem sensu accipi potest illud M. Tullij: *Mors terribilis est ijs, quorum cum vitâ omnia extinguuntur: non ijs, quorum laus emori non potest.* Paradoxo 2. & illud: *sed profectò mors tum æquissimo animo oppetitur, cum suis se laudibus vitæ occidens consolari potest. Nemo parum diu vixit, qui virtutis perfectæ perfecto functus est munere.* Eâ etiam de causâ, vir iniustus mortem æquiore subit animo; quia videt se in hac miseriarum valle, graui carnis onere grauari, quod vnionem cum Deo perfectissimam impedit; ac denique quia intelligit, mortem suam esse imitationem mortis Christi; qui morte suâ nostram mortem dulcem reddidit & amabilem; in quam sententiam rectè dicitur illud:

Sine mori me Christe iubes, seu viuere malis:
Dulce mihi tecum viuere, dulce mori.

7. *Gloriosa mors turpi vitæ anteferenda est.*] Commune istud sapientum proloquium refertur à Platinâ in vitâ Pij II. Sic Leonidas illam, & ipsius commilitones cariorem habuerunt seipsis quum libertatem Græciæ, & suorum popularium salutem ante-

posuerunt suæ ad Thermopylas contra maximum Xerxis exercitum. Potissimè itaque locum habet, in causâ religionis, in patriæ, ac libertatis defensione, iuxta illud D. Ignatij Martyris: *Ignis, crux, bestiæ, confractio ossium, membrorum diuisio, & totius corporis contritio, & tota tormenta diaboli in me veniant; tantum Christo fruar.* Ex libro S. Hieronymi de Scriptoribus Ecclesiasticis; Et illud, *Dulce & decorum est pro patriâ mori.* Horatius l. 3. Odâ 2. & illud Ciceronis, in 10. Philipp. *Ita præclara est recuperatio libertatis, vt ne mors quidem in repetenda libertate sit fugienda. Quod si immortalitas sequeretur periculi fugam; tamen eò magis ea non fugienda videretur, quo diuturnior esset seruitus. Quum verò dies & noctes omnia nos vndique fata circumstent, non est vestri, Romanique nominis dubitare, eum Spiritum, quem naturæ quis debeat, patriæ reddere.*

DISTINCTIO IV.

De Oppositione generationis & corruptionis.

1. *Generatio & corruptio sunt motus contrarij.* Sumitur ex l. 5. Physic. c. 1.] Nomen motûs sumitur dupliciter. Primò latè pro mutatione in genere. Ita l. 4. Physic. c. 10. in fine: *Nihil interest*, inquit Philosophus, *vtrum motum nunc dicamus, an mutationem.* Secundò strictè & magis proprie: *Mutatio* in genere *est transitus à quodam ad quiddam*, l. 5. Physic. c. 7. Id est ab vno termino, nimirum à quo, ad alterum terminum, videlicet ad quem. Hæc diuiditur in mutationem præsè sumptam, quæ est inter terminos priuatiuè oppositos, vt generatio, illuminatio; Et motum præsè sumptum, qui est inter ter-

Digitized by Google

minos vtrimque positiuos, & propriè contrarios. Sensus itaque pronunciati est, Generationem & Corruptionem esse motus priuatiuè oppositos; sumendo motum latè, pro qualibet mutatione physica. Terminus enim Generationis est, *esse*; Corruptionis, *non esse in materia*. Ac proinde Generatio est mutatio realis ac positiua; quia per illam materia acquirit formam, & transit à non esse illius ad esse: Corruptio est mutatio deperditiua & priuatiua; quia per eam materia perdit formam, & transit ab esse illius ad non esse. Eodem sensu lib. 1. de Gen. cap. 3. dicitur.

2. *Generatio est mutatio à contrario in contrarium.*] Id est, à non esse, ad esse formæ in materiâ. Dicitur mutatio potius, quam motus; quia strictè & propriè loquendo, Generatio non est motus, vt docet Aristoteles l. 5. Physic. t. 8. & 9. vbi inquit, *motum esse eam solam mutationem, quæ è subiecto ad subiectum acceditur*, vt cum ex nigro fit album, ex calido frigidum, &c. inter quæ est contrarietas propriè dicta: Hîc autem contrarietas latè accipitur, pro eorum oppositione, quæ habent rationes inter se pugnãtes, siue positiuè se mutuò expellant, siue non; quo sensu l. 1. Physic. t. 42. docet, *Principia rerum naturalium esse prima contraria*. Potest nihilominus vtrũque pronunciatum intelligi etiam de motu & de contrarietate propriè dictâ, sumendo Generationem pro aggregato ex generatione ipsâ & præuia alteratione, & Corruptionem pro aggregato ex corruptione ipsâ & præuiâ alteratione: inducuntur enim qualitates cõtrariæ, per quas idem subiectum, motu presse ac propriè sumpto alteratur ad generationem vnius formæ substantialis, & ad corruptionem alterius formæ substantialis, iuxta illud:

3. *Quidquid corrumpitur à suo cõtrario corrumpitur.*

Digitized by Google

Sumitur ex 1. Phyſic. c. 5.] Ratio eſt; quia quidlibet non patitur per ſe à quolibet; ſed à ſuo contrario: Cum omnis actio fundetur in contrarietate; actio nimirum phyſica, quæ eſt inter qualitates corruptiuas, vt fuſiùs explicatum eſt, Tit. *de Cauſa Efficiente.* Eodem ſenſu l. de Longitudine & Breuitate vitæ dicitur c. 2.

4. *Corrumpi impoſſibile eſt, vbi non eſt contrarium.* Ratio eſt; quia illa ſolum corrumpi poſſunt viâ naturali ab alijs, quæ nata ſunt ad ſe inuicem tranſmutari; quia ſcilicet ſibi inuicem contraria ſunt ſecundum qualitates actiuas & paſſiuas. Vide, ſi placet, quæ diximus Titulo 11. Diſtinctione 9. quæ eſt de contrarietate inter agens & patiens.

5. *Vnumquodque reſoluitur in ea, ex quibus conſtat*, actu ſcilicet vel potentiâ.] Sumitur ex lib. 3. Phyſic. cap. 4. t. 45. & 1. de Cælo t. 140. & 3. Metaph. t. 15. Sic mixtum reſoluitur in 4. elementa; quia virtute ſaltem ea ſunt in mixto, v. c. quando comburitur lignum, reſoluitur in flammam, qui eſt ignis, in fumum, qui eſt aër, in humorem, qui eſt aqua, in cinerem, qui eſt terra: quando moritur homo, reſoluitur in ſpiritus, qui partim ſunt ignei, partim aërij, in pituitam, quæ eſt aqua, in cineres, qui ſunt terra. Sic & in artefactis domus, v. c. reſoluitur in ligna, lapides, cæmenta, &c. ex quibus integrè conſtructa fuit. Sic homo muſicus reſoluitur in hominem, & muſicum, vt docet Ariſtoteles lib. 1. Phyſic. t. 65. conſideratione nimirum & mentis deſignatione. In hanc ſententiam eſt illud Prophetæ Iob: *Deficiet omnis caro ſimul, & homo in cinerem redigetur*, c. 34. v. 15. In hunc quoque ſenſum Regula 3. Iuris antiqui, *Nihil tam naturale eſſe dicitur, quàm eo genere, quidque diſſoluere, quo colligatum eſt.* Ideoque vti verborum obligatio verbis tol-

Digitized by Google

litur; ita nudi consensus obligatio contrario consensu non incongruè dissoluitur.

DISTINCTIO V.

De vicissitudine Generationum & Corruptionum.

1. *VNius Generatio est alterius Corruptio.* l. 1. de Gen. & Cor. t. 17. & 20.] Ratio est; quia plures formæ substantiales natæ constituere compositum physicum cum materiâ, repugnant sibi mutuò secundum differentias specificas, & sunt incompossibiles naturaliter in eodẽ subiecto; materia etiã limitatã habet capacitatem seu potentiam receptiuam vt non possit simul naturaliter admittere & sustentare plures eiusmodi formas adæquatas, & constitutiuas compositi totalis. Hinc Generatio vnius, nempe cõpositi Physici substantialis per se adæquate subsistentis, de quo propriè intelligitur & verum est axioma, est corruptio alterius, & è conuerso.

2. *Vnius Corruptio alterius est Generatio.* Ibidem.] Non quidem formaliter, quasi mutatio corruptiua, sit mutatio generatiua: hæc enim tendit ad esse, illa ad non esse, vt explicatum est; sed concomitanter, id est, quando corrumpitur vnum compositum, tunc alterum generatur, & contra; quia hæc duo naturaliter sunt connexa. Item causaliter; quia Corruptio suo modo est causa dispositiua Generationis, & Generatio vicissim causa effectiua Corruptionis. Intelligi etiam potest vtrũq; axioma non solum de cõpositis physicis; sed etiã de ipsis compositorum formis substãtialibus adæquatis: quãquam de hisce nõ eodẽ modo; quoniã cũ ex homine, v.c. generatur cadauer, qõ corrũpitur anima rationalis, quod esse, vt cõtingit

in morte equi vel leonis; ſed tantum quoad informare. Sicuti neque locum habet in omnibus formis accidentalibus, quaſi quotieſcunque vnum accidens corrumpitur, alterum generetur, & contra: hoc enim falſum eſt in accidentibus, quæ carent contrario, vt ſunt lumen & ſpecies intentionales, quæ producuntur, nullâ pereunte, & pereunt nullâ expellẽte & per ſe ſuccedente formâ poſitiuè contrariâ. Intelligitur itaque abſolutè, & veritatem obtinet vtrumq; pronunciatum in compoſitis phyſicis ſubſtantialibus: In his enim Ariſtoteles vnius Generationem dixit eſſe Corruptionẽ alterius vel totalem, vel partialem. Vt perſpicuum fiet intuenti verba textus.

3. *Rerum tranſmutatio nunquam deficit.* l. 1. de Gen. & Cor. c. 3. t. 17.] Rationem aſſignat ibidem; quia vnius generatio eſt corruptio alterius; & huius corruptio eſt generatio alterius. Cum enim materia, quæ indefciens eſt, & incorruptibilis, nequeat eſſe ſine omni formâ, fit vt vnâ recedente per corruptionem, alia ſuccedat per generationem, & ita perpetua ſit viciſſitudo accedentium & recedentium formarum in materiâ. Valet hoc dictum ad ſolamen eorum, qui diuerſo rerum ſuarum ſtatu nimium dejiciuntur: E contra verò ad illorum demiſſionem, qui proſperis ſecundæ fortunæ flatibus plus nimio efferuntur. Vtroſque meminiſſe iuuerit, omnium rerum ſublunarium permutationem eſſe & viciſſitudinem, eamque nunquam quieturam, quandiu ſtabit naturalis hic ordo vniuerſi.

4. *Omne generabile eſt corruptibile.* Ariſtoteles l. 1. de Cælo t. 33. & 138. & ex illo Commentator 5. Phyſic. t. 14.] Verum eſt hoc ſenſu: omne id, quod generatur per ſe tanquam proprius terminus generationis, hoc etiam eſt corruptibile. Sic homo eſt compoſitum phyſicum generabile & corruptibile:

Digitized by Google

non tamen anima rationalis corruptibilis eſt ſecundum ſe, præcisâ informatione: anima enim ſecundum ſe non generatur; ſed creatur à ſolo Deo: per illius autem introductionem generatur compoſitum humanum, qui eſt terminus proprius & adæquatus Generationis. Intelligi item debet de Generatione naturali (quam ſolam agnouit, & de quâ, textu citato, loquitur Ariſtoteles) nam Filius Dei, ab æterno generatus, nullo modo eſt corruptibilis.

5. *Omne alterabile eſt corruptibile.* Sumitur ex l. 1. de Gen. & Cor. c. 4. & alijs.] Alteratio duplex eſt, corruptiua; qualis viſitur inter 4. primas qualitates elementarias; & perfectiua, vt eſt illuminatio, ſcientiæ & gratiæ perceptio, &c. De priore intelligitur & verum eſt pronunciatum, vt patet ex terminis: non autem de poſteriore.

6. *Generatio & mors communis eſt omnibus animantibus.* l. de Iuuentute & Senectute vitâ & morte c. 14. quod ſecundum quoſdam eſt octauum de Reſpiratione.] Ratio huius pronunciati clara eſt ex dictis, quia omne generabile eſt corruptibile; & contra, omne corruptibile eſt generabile. Atqui omne animal eſt corruptibile cum alterabile ſit alteratione corruptiuâ, non ab extrinſeco modo, vt à ſiderum afflatu, aëre ambiente, regionum ſitu & naturâ, aliiſque eiuſmodi, quæ ſuâ qualitate corpora animalium imbuunt, & in deteriorem ſtatum ſæpenumerò vertunt; ſed etiam ab intrinſeco, vt à contrariarum, quibus corpora animalium conſtant, qualitatum pugnâ, & actione caloris natiui humidum perpetuò depaſcentis, à ratione temperamenti minus diuturni, ab intemperantiâ cibi ac potus, aliiſque id genus compluribus. Vnde etiam:

7. *Res inanimatæ longioris æui ſunt quam animatæ.*] Ratio eſt; quia animatæ corrumpuntur tum ab in-

trinſeco, cum ſecum diſſolutionis ſuæ cauſam circunferant, vt ex dictis conſtat; tum ab extrinſeco propter multiplicia incommoda ijs incidentia, & incongruentium contrariorum vim, quibus minus, quaminanimatæ reſiſtunt. Item quia formæ rerum non viuentium cum magnâ intemperie qualitatum in materiâ permanent: non ita verò formæ viuentium, quæ vt perfectiores ſunt, ita plus ad ſui conſeruationem exigunt. Lege, ſi placet, quæ diximus ad illud: *Quo res eſt futura perfectior eo plurium indigentior.* Titulo *de Perfectione*, Diſtin. 4.

DISTINCTIO VI.

De Generante & corrumpente.

1. *Generare ſibi ſimile eſt naturaliſſimum viuentibus.* l. 2. de animâ t. 34.] Nempe viuentibus perfectis, & quę non ſine ſemine oriuntur, vt ibidem ſubiungit Ariſtoteles. Triplex autem ſimilitudo conſiderari poteſt inter generans & genitum; prima eſt ſimilitudo in ſpecie, ſecunda in ſexu, tertia in formâ & figurâ, aliiſque accidentarijs affectionibus, de primo ſimilitudinis genere præcipuè intelligitur axioma. Ratio eſt; quia inter cæteras actiones animæ vegetatiuæ, quæ propriæ ſunt viuentibus, vt ſic, generatio ſui ſimilis in ſpecie, cenſetur perfectior, magiſque intenta eſt à naturâ, ac per conſequens rectè præ cæteris dicitur eſſe naturalior. Pertinet enim huiuſmodi generatio ad conſeruationem totius ſpeciei: Reliquæ verò operationes vegetatrices, vt nutritio, augmentatio, alteratio inſeruiunt ad conſeruationem viuentis particularis, nec tantam naturæ integritatem ac perfectionem arguunt, quantam

tam generatio ſui ſimilis: Etenim ex communi Sapientum ſententia, *Perfectum eſt id, quod tale alterum, quale ipſum eſt, efficere poteſt*, Cuius explanationem vide ſupra, Titulo 6. Diſtin. 5. num. 1. Vide etiam Tit. 11. d. 8. n. 3.

2. *Corrumpere facilius eſt quam conficere.*] Vulgare iſtud ſumitur ex l. 1. Priorum Analyticorum c. 27. & refertur ab Alexandro Aphrodiſæo ibidem, eiuſque veritas clarior eſt, quàm vt probationis indigeat: cernitur enim id, non in naturalibus modo; ſed in moralibus etiam & artificialibus.

3. *Sol auctor eſt perpetuæ viciſſitudinis rerũ.* Sumitur ex l. 2 de Gen. & Corr. c. 10.] Vbi inquit Ariſtoteles, obliquum motum ſolis cauſam eſſe perpetuæ generationis & corruptionis rerum ſublunarium; qui motus, prout eſt perennis, eſt cauſa perpetuitatis in generationibus, & corruptionibus; prout eſt difformis, & quaſi contrarius reſpectu noſtri, dum ſolem nunc ad nos admouet, nunc à nobis remouet; eſt cauſa viciſſitudinis & ſucceſſionis generationum & corruptionum. Vnde videmus ſole accedente, circa æquinoctium vernum, omnia refloreſcere, plantas, arbores, herbas &c. Recedente verò circa æquinoctium autumnale omnia defloreſcere: qua etiam de causâ verè dicitur illud:

4. *Sol per ſe cauſa eſt ortûs, per accidens interitûs.*] Sumitur ex eodem capite. Dicitur ſol potius eſſe cauſa generationis, quàm corruptionis; quia curſu ſuo ordinario per ſe concurrit ad vegetationem viuentium: per accidens verò, quatenus recedit, ad eorum corruptionem. Quamobrem ſol ex communi Aſtronomorum ſententiâ, vti luminis auctor dicitur & fons, ita influentiæ eſt viuificæ, ſeu aurâ vitali plenæ. Hæc autem non ita intelligas, quaſi ſole accedente nihil intereat, aut eodem recedente nulla fiat

Digitized by Google

rerum generatio ; sed quod viuentia, quæ præcipua pars sunt huius vniuersi, multò vberius & salubrius prouenire soleant accedente sole, & eodem recedente interire. Etenim accessu solis vis quædam viuifica tribuitur viuentibus, quæ eiusdem abcessu illis adimitur. Denique hæc intelligenda sunt de causis secũdis vniuersalibus, quæ ad ortum & interitum viuentium concurrunt in genere causæ efficientis: In ceterarum autem causarum generibus aliæ assignandæ sunt, vt per se est manifestum.

5. *Sol & homo generant hominem.* l. 2. Physic. t. 26. & l. 12. Metap. t. 13. & t. 18. & alibi.] Dicitur sol vna cum homine, hominem generare, atque actiuè ad productionem rerum concurrere, ideo ; quia materiam fœtus, v. c. humani, cœlesti, ac per illum natiuo etiam calore (qui qualitas vitalis dicitur) imbuit, promouetque ac disponit ad recipiendam formam. Sic cum equo generante, generat sol equum, cum leone leonem, non quidem vt causa partialis coordinata : qualiter, v. c. intellectus Beati, & lumen gloriæ producunt visionem beatificam, aut duo equi eundem curru trahunt : Neque vt causa principalis ; quia hæc debet esse perfectior suo effectu : Sol autẽ est imperfectior viuentibus ; sed dispositiuè cooperans per suos influxus ; quo sensu D. Dionysius ait c. 4. de diuinis nom. *Solis radius ad generationem sensibilium corporum confert, & ad vitam ipsam mouet, & auget, & nutrit, & perficit.* Lege, si placet, Vasquez in 1. 2. Tomo 1. Disp. 129. n. 13. Vbi similem adhibet distinctionem & addit, solem & reliqua corpora cælestia non concurrere tanquam causas primarias ad aliquam rationem in hisce substantijs producendam ; sed solum esse causas per accidens & secundarias, præparantes materiam ; quia : vt ait, nullius substantiæ conseruatio ita pendet à sole aut cælo,

quin ſine influxu illorum per aliquod tempus conſeruari poſſit; Ergo ſimiliter eius productio non pendet ita ab his cauſis, vt non poſſit ſine illarum concurſu, à ſolâ ſecundâ & proximâ causâ, concurrente etiam Deo, produci, quæ Vaſqueſij licet vniuerſaliter vera non ſit, cum plura requirantur ad productionem rei, quam ad conſeruationem, vt docent Philoſophi: militat tamen hoc loco, & accidentalem duntaxat eſſe dependentiam ab his cauſis manifeſto declarat.

TITVLVS LI.

De Actibus potentiæ Cognoſcitiuæ.

DISTINCTIO PRIMA.

De Cognitione ſecundum ſe.

1. *Cognitio nobilior eſt actione.*] Refertur ab Alexandro Aphrodiſæo in l. 1. Metap. c. 1. Vbi id vel inde patere docet, quod omnis actio ad alium finem referatur: Nam & virtutum actiones, quæ alioqui vel maximè ſuapte naturâ videntur expetẽdæ, ad aliud quiddam referri videntur: at vero cognitio ſiue ſpeculatio ſui eſt gratia, nec per ſe ad aliud vt inſtrumentum vel medium refertur. Ea de causâ, ſi duo circa eandẽ rem occupentur ita vt alter illam cognoſcat ſeu intelligat tantum, alter verò agat ſolummodo ſeu efficiat; intelligens tantum, agente & efficiente honorabilior erit, vti Architecti digniores ſunt opificibus, vt docet Ariſtoteles l. 1. Metap. c. 1. cuius ratio eſt; quia hi quatenus tales, famuli illorum & viua inſtrumenta ſunt, quoniam ſeruiliter & mechanicè id exequuntur, quod illi ſecundum artis præ-

cepta faciendum præscribunt. Sumitur itaque hoc loco nomen Actionis præsè ac propriè prout cognitioni & speculationi opponitur, in quem ferè sensum ex multorum Philosophorum sententia scientia practica contradistinguitur speculatiuæ. Vide, si placet, quæ dicemus ad illud: *Contemplatio est nobilissima hominis operatio.* Titulo *de Felicitate.*

2. *Cognitio ad artes sufficit, ad virtutes parum vel nihil valet.* Sumitur ex l. 2. Ethic. c. 4.] Vbi inquit Philosophus, ad cæteros habitus obtinendos, non requiri aliud, præter ipsum scire: ad virtutes autem possidendas scire quidem parum aut nihil prodesse; quia nimirum longè à se diuersa sunt, scire quid sit virtus, & virtute pręditum esse: artem verò scire, & arte prędituin esse Synonima sunt. Huic verò minimè repugnat commune istud: *Artes vsu magis, quam experientiâ constant.* Quia id non ita de naturâ Artium ac dignitate, quàm de vtilitate intelligendum est, vt pluribus explicuimus Titulo *de Arte*, Distin. 4.

3. *Omnis cognitio fit per aliquam abstractionem.*] Sumitur ex l. 2. de Anima. t. 124. & intelligitur de qualibet cognitione naturali tam sensitiua, quàm intellectiua: Nam vt cognoscatur quidpiam à sensu vel intellectu, debet ipsi suo modo conformari & assimilari, quod non fit sine aliquâ abstractione. Et ideo ea entia, quæ non recipiunt formas, nisi materialiter, nullo modo sunt cognoscitiua, vt docet Aristoteles loco citato, in hæc verba: *Patet autem, quam ob causam non sentiunt plantæ, tametsi partem aliquam habent animæ, atque ab ipsis tangibilibus patiuntur, frigescunt enim, & calefiunt vt patet: Nam huius causa est, mediocritatem non habere, neque principium esse tale, vt sensibilium sine materiâ susceipiant formas, sed cum materiâ patiantur.* Id est, quia nec organa habent idonea ad munus sentiendi, & ad vsum formarum abs-

que materiâ. Intelligitur autem propositio de cognitione quauis rerum materialium duntaxat, siue de qualibet cognitione, quæ fit dependenter à sensu; qualis est hominum & ceterorum animalium: res enim spirituales per se non indigent abstractione à materiâ; quo sensu docent multi Theologi Angelos cognoscere seipsos intuitiuè, non per speciem intelligibilem; sed per suam substantiam; quia hæc est intimè præsens intellectui Angelico, & maximè proportionata, seu intelligibilis actu, cum sit immaterialis. Vide, si placet, quæ diximus ad illud: *Materia prima quoad nos non est per se intelligibilis.*

4. *Quo magis abstrahitur res à materiâ, eo perfectius cognoscitur.*] Sumitur ex eodem textu, & verum est eodem sensu quo effatum præcedens. Sic intellectus, qui abstrahit speciem non solum à materiâ; sed etiam à materialibus conditionibus, perfectiùs cognoscit, quàm sensus, qui accipit formam rei cognitæ sine materiâ quidem; sed cum materialibus conditionibus. Et inter ipsos sensus visus est magis cognoscitiuus quia est minus materialis, vt docet 1. p. q. 78. a. 3. Et inter ipsos intellectus, tanto quilibet est perfectior, quanto immaterialior vt idem docet 1. p. q. 84. a. 2. in corpore sub finem, quo fit, vt si est aliquis intellectus, qui per essentiam suam cognoscit omnia, eius essentia habeat in se immaterialiter omnia; sicut antiqui posuerunt, essentiam animæ actu componi ex principiis omnium materialium, vt cognosceret omnia. Hoc autem est proprium Dei, vt suâ essentiâ sit immaterialiter comprehensiuus omnium. Quare solus Deus per suam essentiam omnia perfectissimè intelligit. Vide, si placet, D. Thomam locis citatis.

5. *Perfectio cognitionis in eo consistit, vt res cognoscatur sicuti est.*] Sumitur ex l. 1. Metaph. c. 2. & l. 3.

t. 12. & t. 22. alij ita proponunt: *Perfectio cognitionis consistit in adæquatione potentiæ cognoscentis ad rem cognitam*: ad eum videlicèt modum, quo veritas formalis consistere dicitur in conformitate intellectûs cum re intellectâ; de qua re vide, si placet, quæ diximus ad illud: *Ex eo quod res est, vel non est, propositio vera vel falsa est.* Titulo *de Veritate*, Dist. 3. Nam modum essendi sequitur modus cognoscendi, &, vti secundum esse vnumquodque se habet, ita etiam secundum veritatem & perfectionem cognitionis, iuxta illud:

6. *Cognitio fit per assimilationem inter vim cognoscentem & rem cognitam.* Albert. M. in l. 1. de Animâ tract. 2. c. 4. & D. Thomas in 5. Metap. lec. 9. t. 22.] Quamobrem illa vera & perfecta cognitio est, quâ res ita repræsentatur potentiæ cognoscenti, & ab eadem percipitur, sicuti in se est: in hac enim perfecta est & adæquata assimilatio inter potentiam & rem obiectam. In hanc sententiam docent Theologi, in Diuinis processionem Verbi esse veram generationem, processionem Spiritus sancti non item; quia nimirum Verbum diuinum procedit per intellectum diuinum, & eius infinitam intellectionem, cuius munus est assimilare terminũ & actum suo obiecto: Spiritus sanctus autem procedit per volũtatem diuinam, cuius munus non est assimilare terminum & actum suo obiecto; sed producere impulsum in illud. Quare cum Verbum diuinum viuens sit, & procedat à viuente in similitudinem naturæ, non tantum specificè; sed etiam numericè, propriissimè generari dicitur: Spiritus S. autem non procedit, vt similis in natura: Ergo eius processio non est generatio. Vide, si placet, Suarez l. 11. de Trinit. c. 5. n. 16. Granadum, Florauantium & alios.

Digitized by Google

DISTINCTIO II.
De Sensatione.

1. *Sensus & sensibilis idem est actus.* l. 3. de Animâ c. 2.] Sic v. c. cognitio, quæ est actus vitalis potentiæ cognoscentis visiuæ, quatenus pendet ab obiecto sensibili cognito, est causalitas obiecti: quatenus autem pendet à potentiâ cognoscente est causalitas potentiæ: Et tamen est vna & eadē actio, solum distincta ratione, prout exercet duplicem causalitatem, obiecti scilicet cogniti, & potētiæ cognoscentis. Intelligitur itaque & verum est pronūciatum de qualibet sensatione naturali, siue potentiæ sensitiuæ internæ sit, siue externæ: semper enim obiectum & potentia simul concurrunt ad constituendum principium sensationis, vt docet Aristoteles l. 2. de Animâ c. 5. & 6. & alij Philosophi ibidem. D. Thomas 1. p. q. 56. a. 1. & 1. 2. q. 31. a. 5. Scotus in 1. d. 3. q. 7. §. *Ad quæstionem respondeo.* Suarez To. 1. in 3. part. disp. 29. §. *Suppono* 1. Idem porro contingit in qualibet naturali cognitione intellectiuâ. Et similiter fit in potentiâ appetitiuâ: idē enim appetitionis actus, quatenus est à potentiâ appetente, est actiua dependentia ab illâ, & causalitas illius: quatenus est à potentiâ appetente, est actiua dependentia ab illâ, & causalitas illius: quatenus est ab obiecto, seu fine, est dependentia finalis, & causalitas illius, vt docet Suarez & alij Philosophi in materia de causâ finali Vide Hurtado d. 12. Metap. n. 33. vbi similem doctrinam habet de cognitione Angelica.

2. *Ab obiecto & potentiâ paritur notitia.* Traditur à S. Augustl. 9. de Trinit. c. 12.] Vbi paulò ante mediū ait: *Notitiam generari & à cognoscente & à cognito:*

quibus verbis generatim de qualibet cognitione, ſiue intellectiua illa ſit, ſiue ſenſitiua, idem dicit S. Doctor, quod præcedenti axiomate de ſenſitiuâ pronunciat Ariſtoteles. Hinc docent Philoſophi adæquatum obiectum intellectûs noſtri, per ſe primò motiuum & terminatiuũ illius, prout in corpore eſt, eſſe ſolum Ens per ſe ſenſibile; quia hoc ſolum per propriam ſpeciem eſt repræſentabile, non quod proximè & præcisè ad actum intellectionis concurrat; ſed ad ſenſuum motionem & ſenſationem præuiam, impreſsâ vicaria ſui ſpecie, tanquam virtute quaſi ſeminali obiecti abſentis. Vt bene notat Rubius de Potẽtijs animæ ſenſitiuæ, q. 2. Reliqua verò omnia entia indirectè & per ſpeciem alienã, ac cum diſcurſu ab eo cognoſcuntur conceptu non ſimpliciter; ſed aliquo tamen modo ſimplici; cuius ratio eſt; quia *omnis noſtra cognitio pendet à ſenſu*. Intelligitur autem & abſolutè verum eſt propoſitum effatum de qualibet notitiâ naturali & creatâ: de ſupernaturali & increatâ non item: Etenim in Deo nullum obiectũ eſt principium cognitionis per modum cauſæ: propterea namque obiectũ in nobis vel ſeipſo, vel per vicariam ſui ſpeciem concurrit; quia noſter intellectus non eſt ſuum intelligere, nec ſecundum ſe eſt magis determinatus ad vnã, quàm ad aliam intellectionem, ideóque eget obiecto, vel ſpecie vti concausâ: at verò intellectus diuinus, eſt ſuum intelligere, & determinatus ad omne intelligibile cognoſcendum vnicâ actione: ac proinde obiecta reſpectu Dei tantum ſunt terminatiua; non verò etiam motiua; cum neque per ſe vniantur obiecta Deo cognoſcenti in ratione ſpeciei intelligibilis, nec ſint principium ſpeciei intelligibilis, neque illius rei, quæ vicem ſpeciei gerat. Vide, ſi placet, Suarez in 1. p. Tract. 1. l. 2. cap. 12. nu. 11, & Tract. 3. l. 9. c. 5. n. 4. & 5.

Digitized by Google

3. *Quædam melius eſt non videre, quàm videre.* l. 12. Metap. t. 51.] Ratio eſt; quia in hac mundanarum rerum turbâ & colluuione, multa occurrunt non ſolum minuta & contemptibilia; ſed etiam vana & noxia, quibus homo curioſus non modo diſtrahitur, & à rerum nobiliorum conſideratione præpeditur; verum etiam multis errandi & peccandi periculis exponitur; præcipuè cum ex omnibus ſenſibus externis, viſus, phantaſiam & animum hominis celerrimè immutare ſoleat, iuxta illud Horatij de Arte Poëtica:

Segnius irritant animum demiſſa per aures,
Quàm quæ ſunt oculis ſubiecta fidelibus ---.

Vnde S. Auguſtinus l. 10. Confeſſionum c. 34. *Reſiſta*, ait, *ſeductionibus oculorum, ne implicentur pedes mei, quibus ingredior viam tuam, & ad te erigo inuiſibiles oculos meos, vt tu euellas de laqueo pedes meos.* Fuſiorem huius pronunciati explicationem, vide, ſi placet, ad illud: *Quædam ignorare melius eſt quàm ſcire*, Titulo *de Scientiâ*, Diſtinct. vltimâ.

4. *Amor & oculi eodem ſolent concurrere.* Veritas dicti iſtius vulgaris patet experimentali humanæ naturæ inclinatione: quod enim quis amat, eius præſentiâ libenter oculis fruitur; & contra, quem animo auerſatur, eum oculis perægrè intuetur. Patet etiam in diſcriminato brutorum & humanorum oculorum flexu. Etenim bruta affectu & aſpectu deorſum ſuopte pondere feruntur: Homo verò, vtpote ad cæleſtia amanda & contemplanda natus, (quod rectè olim, teſte Ariſtotele, pronunciauit Anaxagoras) animo, oculiſque ſuperiora naturaliter petit, iuxta illud:

Pronaque cum ſpectent animalia cætera terram,
Os homini ſublime dedit, cælumque videre
Juſſit & erectos ad ſidera tollere vultus.

Consule, si placet, Paulum Cortesium l. 2. sententiarum distinct. 2. Plura, quæ huc etiam referri poterant, commodiùs explicata sunt, Titulo *de Potentiâ cognoscitiua, & sensitiuâ.*

TITVLVS LII.

De Actibus potentiæ appetitiuæ, seu de Passionibus in genere.

DISTINCTIO PRIMA.

Varia Passionum acceptio.

PAssio accipitur primò simpliciter pro receptione formæ in subiecto nihil aliud connotando, hoc modo etiam patitur intellectus recipiens intellectionem, & aër dum illuminatur. 2° accipitur pro receptione formæ cum expulsione alterius, siue illa sit naturalis, siue non, Quomodo aqua calida dicitur pati, dum frigescit. 3° accipitur pro receptione formæ disconuenientis cum expulsione conueniẽtis; quæ nihil aliud est, quàm, *Motus appetitus sensitiui ex apprehensione alicuius boni vel mali proueniẽs cum quadam corporis immutatione non naturali.* Ita docent communiter Philosophi, cum D. Damasceno l. 3. de Fide c. 20. Dicitur autem fieri hic motus cum immutatione corporis non naturali; quia actum appetitus sensitiui, qui vocatur Passio, semper subsequitur quædam mutatio in corpore humano, ita vt non remaneat in statu naturali. V. c. per metũ & tristitiam cor hominis constringitur, & coarctatur vltra solitum: per gaudium verò dilatatur. Atque de huiusmodi passionum genere, hoc loco agimus, quarum in

Digitized by Google

vniuerſum numerantur vndecim; ſex in appetitu cõcupiſcente; Amor, Deſiderium, Gaudium, Odium, Fuga, Triſtitia. Quinque in appetitu iraſcente, Ira, Timor, Audacia, Spes, Deſperatio. Vide Suarez l. 5. de Anima c. 5. D. Thomam 1. 2. q. 23. a. 4.

DISTINCTIO II.

Natura & proprietas Paſsionum.

1. *OB affectus non laudamur neque vituperamur.* 1. Eth. c. 5.] Affectus ſeu paſſiones poſſunt ſpectari tripliciter, primo abſolutè & ſecundum ſe, quatenus paſſiones ſunt, & ita non habent rationem laudis vel vituperij; aut meriti vel demeriti; Cum ſint motus naturales appetitus ſenſitiui, qui per ſe nec virtutis rationem habent nec vitij, eò quod rationis & electionis ſit expers. Secũdò, prout regulantur à ratione, & ita rationem meriti vel laudabilis habere poſſunt. Tertiò, prout rationem excludunt, & vel nimiæ ſunt, vel nimis languidæ præter rectam rationem; & ſecundum hoc importatur ratio demeriti vel vituperabilis. Vnde ibidem Philoſophus dicit: *non enim qui metuit aut iraſcitur, laudatur, neque qui ſimpliciter, ſed qui modo quodam metuit aut iraſcitur.* Intelligitur hoc pronunciatum de affectibus abſolutè & ſecundum ſe conſideratis, vt clarum eſt ex dictis. Vide, ſi libet, D. Thomam 2. 2. quæſt. 158. art. 1. in Corpore.

2. *Paſsiones ſunt ſeminaria boni & mali.*] Refertur ab Alberto Magno de Motibus Animalium lib. 1. tract. 2. cap. 7. nimirum vt aptantur per ſtudia bona vel mala. Magna fuit olim Stoicos inter & Peripateticos, quoad hanc materiam diſceptatio: illi enim

negabant, viro sapienti passiones, vt plerisque placet: hi verò contrarium asserebant; alij tamen rectius iudicant, verbis tãtum illos inter se discrepasse; quod illi passionum nomine intellexerint animi motus turbulentos, qui haud dubiè non cadunt in virum Sapientem: hi verò quascumque appetitus sensitiui affectiones, quas Sapienti conuenire dubitari non potest; cum & Christus eas admiserit. Et ratio est, quia sunt seminaria virtutum, & ad earum actiones sæpè magno adiumento, vt v. c. ira moderata in superiore ad puniendos subditorum errores, compassio ad misericordiam, & ita de cæteris.

3. *Omnis passio inclinat cum impetu in obiectum.*] Refertur à S. Thoma 1. 2. q. 17. art. 2. in Corp. Vt v. c. ira milites in prælium, timor in fugam, amor in rem amatam, & ita de cæteris. Et quidem tanto vehementius impellit, quanto magis sequitur inclinationem naturæ, vt docet D. Thomas q. 155. art. 2. in Corpore. Ratio est, quia, impulsus secundum naturam potentior est eo, qui est contra naturam, aut qui minus est consentaneus naturæ. Iuxta hunc sensum verum est etiam illud:

4. *Passio appetitus causat in corpore transmutationem.*] Omnis enim passio est motus appetitûs sensitiui ex apprehensione alicuius boni vel mali prouenies cum quadam corporis immutatione non naturali, vt communiter docent Philosophi ex S. Ioanne Damasceno, & explicatũ est Distinctione prima.

5. *Passiones omnes in lætitia finiunt vel in dolore.*] Cum in vniuersum vndecim numerentur affectus siue passiones animi, sex appetitus concupiscentis, Amor, Desiderium, Gaudium, Odium, Fuga, Tristitia, & 5. appetitus irascentis, Ira, Timor, Audacia, Spes, Desperatio, Omnes has naturaliter siue secundum naturæ ordinarium cursum comitatur vel con-

Digitized by Google

ſequitur, dolor aut lætitia, quotieſcunque iis mouetur anima, excipe tamen eas, quæ à lætitia vel dolore non differunt. Veritas huius patet experientia quotidiana: videmus enim eos, qui paſſionibus maximè ſubiecti ſunt, nunc lætitia geſtiente in altum temerè & inſipienter vrgeri; mox verò, verſis quaſi velis, in abyſſum triſtitiæ præcipites deturbari. Vide, ſi placet, D. Thomam 2. 2. quæſt. 148. art. 6. in Corpore.

6. *Virtutis eſt dolere & lætari vti oportet.* 4. Eth. cap. 1.] Ratio eſt; quia virtutis eſt auream in omnibus ſeruare mediocritatem, & ſeſe loco, tempori & perſonis prudenter accommodare; gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus, in quantum modeſtia Chriſtiana & conſtantia patitur. Hinc etiam ex Platonis ſententia, homines ab ipſa ſtatim adoleſcentia ita inſtitutos eſſe oportet; *Vt iis gaudeant doleantque, quibus dolere illos, & gaudere conuenit.* Hoc enim pertinet ad bonam educationem, teſte Ariſtotele 2. Ethic. c. 3. ſub initium, vbi iſtam Platonis ſententiam refert & approbat. Et idcircò addit: *Boni moderatores iuuentutis, ſi benè ſe habeant pueri, laudare illos ac præmijs afficere ſolent: ſin autem malè agant, increpare.*

DISTINCTIO III.

Vnde maxime oriantur Paſsiones.

1. *PAſſionum cauſæ è corporis diſpoſitione pendent.* Lib. 1. de Anima tex. 14.]. Vbi id, vel ex eo patere docet Ariſtoteles, quod aliqui ſubinde non iraſcãtur, neque etiamſi vehementes ipſis, manifeſtæ, & cauſæ ſeſe offerant, cõmoueantur: Interdum verò à

paruis quibusdam, atque exiguis si ferueat, concitatumque sit corpus. Aliqui item nulla re penitus accedente, quæ quidem terrere eos possit, nullóque imminenti periculo, afficiantur timore ac perturbentur, non secus atque ijs, qui iustè reuera metuunt. Ex his manifestum esse docet, quod Passionum rationes in corpore sint, nimirum, quia ab ipso corpore oriuntur, & semper cum ijs corpus aliquid patitur; & definitiones earum à corpore sumuntur, vt fusiùs explicat Philosophus ibidem. Vide, si placet, quæ diximus ad illud: *Anima & corpus sibi inuicem compatiuntur.*

2. *Passiones nascuntur ex opinione.* Sumitur ex 3. de Anima. c. 3. textu 153] Vbi de sensu interno, id est, de imaginatione agens, docet eandem ab opinione distingui, quod hanc sequatur passio in appetitu sensitiuo, vt metus, v. c. de malo imminente; tristitia de præsenti; desiderium ex opinione boni futuri, & ita de cæteris: Ex imaginatione verò præcisè sumpta nihil eiusmodi oriatur, vti neque ex intuitu alicuius picturæ, quantumuis enim terribilia imaginemur, non timemus, nisi accedat opinio, id est, existimatio vel metus; quod illa nobis sint euentura. Quoniam verò opiniones hominum sæpè vanæ sunt, & falsæ, mirum non est, multos sæpè falsis ludi & turbari imaginibus.

3. *Affectus animi sequuntur apprehensionem phantasiæ.*] Est commune dictum Philosophorum & Medicorum, sumiturque ex 3. de Anima, cap. 3. iam citato, & cap. 10. Ratio vtriusque est, quia vires appetitiuæ naturaliter subordinatæ sunt viribus animi apprehensiuis, & ductum earum vt vocem sequuntur iuxta ea, quæ dicta sunt supra. Porrò phantasiæ apprehensio conformis est dispositioni corporis, & humoribus, qui in corpore domi-

Digitized by Google

nantur, iuxta illud:

4. *Motuum diuerſitas ex diuerſitate complexionum gignitur.*] Refert hoc effatum S. Thomas in 3. Ethic. lect. 4. Veritas eius quotidiana comprobatur experientia. Nam Cholerici ſomniant ignes, incendia, bella, cædes; Sanguinei volatus, curſus, conuiuia, cantus, amores; Phlegmatici pluuias, lacus, flumina, ſubmerſiones, &c. Melancholici tenebras, funera, ſepulchra, ſpectra, fugas, & triſtia omnia. Somnia verò nihil aliud ſunt, quam phantaſiæ apprehenſiones, cęteris ſenſibus ſopitis; vnde ſicut in ſomnijs, ita etiam in vigilia phantaſia pleráque apprehendit conſentaneè humori & qualitati prævalenti, præſertim primo obiecti appulſu, priuſquam à ratione corrigatur. Ita Leſſius & alij. Vide Suarez *l.* 5. de Anima, c. 5. n. 18.

DISTINCTIO IV.

Homines non pati niſi à ſemetipſis.

1. *NEmo læditur niſi à ſeipſo.*] Pronunciatum hoc, communi Chriſtianorum ac Gentilium Philoſophorum calculo comprobatum, intelligitur, & verum eſt de læſione interna virtutis, quæ proprium hominis bonum eſt, & per ſe ad beatitudinem diſponit; Ea de cauſa non notatur hoc pronunciatum ſigno vniuerſali, quod commune ſit homini cum brutis: non enim dicitur: *Nullus* aut *nihil*; ſed *nemo* læditur à ſeipſo: nam & ferrum læditur à rubigine, & arbores ac cęteræ plantæ à ſiccitate, locuſtis, erucis; & ouium greges à lupis, & omnia denique corpora elementaria à qualitatibus ſibi contrariis: non verò à ſemet-

ipsis lęduntur, iuxta illud: *Nihil patitur à seipso.* 9. Metaph. t. 2. Nempe per se & secundum intentionem naturæ: licet per accidens aliter euenire possit, vt explicatum est Titulo *de Causa Efficiente*: Distinct. 7. At verò, Homo in veris animi sui bonis detrimentum non capit, nisi à semetipso. Nam:

2. *Homines non rebus turbantur, sed ijs, quas de rebus habent, opinionibus.*] Ita prętet Aristotelem loco citato etiam docet Epictetus, cap. 10. Proinde cum perturbatur aliquis, aut internam animi læsionem sentit, non alios culpet; sed seipsum, & suam peruersam opinionem ac voluntatem. Et sanè iniurius est Deo, qui ob aduersos fortunæ casus, grauius animo dejicitur, dummodo id sine culpa eius acciderit. Huc spectat id 1. Petri 3. *Et quis est, qui vobis noceat, si boni æmulatores fueritis.* Consule, si libet, D. Chrysostomum, qui luculenta oratione dictum vtrumque pertractat.

3. *Omnis inordinatus animus sua ipsius sibi est pœna.*] Verum est iuxta explicationem duorum præcedentium, & sumitur ex Magno Augustino lib. 2. Confes. vbi ait: *Iussisti Domine, & ita est, vt pœna sua sibi sit omnis inordinatus animus.* In eandem sententiam vir illuminatissimus Thomas à Kempis: *Si est gaudium*, ait, *in mundo, hoc vtiq; possidet puri cordis homo: & si est alicubi tribulatio & angustia, hoc melius nouit mala conscientia.* Idem agnouit M. Tullius oratione pro Milone: *Magna*, inquiens, *est vis conscientiæ in vtramque partem, vt neque timeant, qui nihil commiserunt, & pœnam semper ante oculos versari putent, qui peccauerunt.*

4. *Damnum*

Digitized by Google

4. *damnum, quod quis ſua culpa ſentit, ſibi debet non aliis imputare.* Eſt hæc regula 86. Iuris in 6.] Etſi nemo lædatur niſi à ſeipſo in bonis animi internis, eo ſenſu, quo explicatum eſt; poteſt tamen in externis fortunæ, aut etiam corporis bonis detrimentum capere ab aliis, quod ſi ſua culpa id ſentiat, ſibi etiam non aliis, imputet; nempe, ſi ille totalis ratio culpæ fuerit, & hoc modo vera eſt regula iuris: ſecus autem ſi participatione cauſæ & culpę cum ſocio acciderit, vti per ſe patet.

DISTINCTIO V.

De domandis paſsionibus.

1. *QVælibet virtus affectus animi prærequirit ſedatos.*] Eſt communis ſententia Patrum ac Philoſophorum, quæ monet, ad acquirendas quaſlibet veras ſolidaſque virtutes requiri & præſuppoſi neceſſario moderationem noſtrarum paſſionum. Nam qua ratione fieri non poteſt, vt cum vitio incõtinentiæ v.c. ſit virtus ipſa continentiæ; aut cum exceſſu iræ virtus manſuetudinis: eâdem fieri nequit, vt generentur hæ, ſimileſque virtutes, niſi prius vitiorum & paſſionum contrariarũ exceſſus auferatur. Ea de cauſa Plato, Ariſtoteles, Plutarchus & alij volũt eum, qui futurus eſt cultor ſapientiæ, ſedatas habere omnes perturbationes, & appetitũ rationi obedientem, hic ſiquidem niſi perdomitus fuerit, & veluti iniecto freno in gyrum rationis ductus, magnam partẽ animi ſæpè detorquet, & à contẽplatione cognitioneque veritatis abducit. Etenim, vt aëre nebulâ obſcurato, ſol aſpectum noſtrum fugit, nec quemquam vitali radiorũ calore recreat; ita tranquilitate

animæ noſtræ paſſionum nebulis obtenebrata, neque ad veritatis lucem contemplandam facilè erigit ſe homo, neque virtutum deſiderio animus ſolidè incaleſcit. Quod ſi priſci & gentiles Philoſophi rectè negant vllum hominem ſapientiam humanam adipiſci poſſe, niſi prius paſſiones animæ ſuæ pacauerit, multo minus fieri poterit, vt aptus quis ſit ſapientiæ Chriſtianæ & diuinæ ſapientiæ acquirendæ, quæ in Chriſtianarum virtutum exercitio & vera Dei contemplatione conſiſtit; niſi firmiter ſtatuat animum ab omni affectuum inordinatione expurgare.

2. *Ibi pax eſſe non poteſt, vbi non eſt ſubiectio repugnantium.*] Veriſſimam hanc eſſe S. Auguſtini ſentẽtiam, non quoad corporalem malitiam ſolum, ſed etiam quoad ſpiritualem, docet experientia quotidiana & omnis retro ſacra iuxta ac profana hiſtoria. Monet autem, vt quiſquis veram pacem & tranquillitatem animi aſſequi cupit, repugnantiam rebellium ſuarum appetitionum vincat, eaſque imperio rationis ſubijciat. Nihil enim eſt, quod in regno animi humani ſeditionem excitare & tumultus inteſtini materiam præbere poſſit, niſi ipſæ noſtræ concupiſcentiæ & affectus inordinati iuxta illud: *Nemo læditur niſi à ſeipſo*, & illud Iacobi 4. *Vnde bella & lites in vobis? nonne ex concupiſcentijs veſtris, quæ militant in membris veſtris?*

3 *Anima quieſcens fit ſapiens.*] Intelligitur non ſolũ de quiete à corporalibus aut externis occupationibus & curis; ſed etiam & multo magis à motibus animi inordinatis ſiue à paſſionibus. Sumiturque ex lib. 7. Phyſic. T. 20. Vbi inquit Philoſophus: *Ex eo quod perturbationes ſedantur & tranquilla fit anima, ſapiens quiſpiam & prudens euadit.* Ratio eſt, quia talis longè clarius & ſincerius verũ à falſo poteſt diſ-

Digitized by Google

cernere, quam qui aut corporis curis, aut rerum terrenarum tumultibus, aut potiſſimè, qui inordinatis animi perturbationibus inquietatur; iſtæ enim turbidi ſunt animorum concitatique motus, auerſi à ratione, & mentis inimiciſſimi, vt rectè inquit Tullius l. 3. Tuſcul. quæſt. Itaque vt aqua tranquilla aptior eſt, quam turbida ad repræſentandas rerum imagines; ita animus tranquillus ad contemplandas rerum naturas, quò pertinet illud Eccli. *Sapientiam ſcribe in tempore vacuitatis, & qui moratur actu, ſapientiam percipiet.* c. 38. v. 25. contra verò.

4. *Conturbatus animus non eſt aptus ad exequendum munus ſuum.* lib. 5. Tuſcul. quæſt.] Notent hoc diligenter illi, qui & paſſionibus multum obnoxij ſunt, & parum operæ in ijs domandis poſuerunt, quemadmodum enim ebrius aut dormiens aut morbo depreſſus rectè ſuis viribus naturalibus vti non poteſt, & operari per illas, niſi ab ebrietate ſeſe receperit, aut experrectus ſit, aut à morbo cõualuerit; ita animus conturbatus non niſi extincta perturbatione menteque iam inde ad tranquillitatem redacta idoneus eſt ad viri prudentis munia obeunda, vt pulchrè docet Ariſtoteles 7. Phyſic. T. 20. iam citato. Et reuera, ſi vnquam eſt tempus tacendi, iuxta monitũ ſapientis, maximè tunc illud eſt, quando animus ira aut alia perturbatione corripitur. Quãobrẽ virorum prudentum conſiliũ eſt, vt quoties perturbationibus hiſcè ſeſe quiſpiam grauius commoueri ſentit, nihil deliberet aut ſtatuat eo tẽpore, nihil dicat, aut faciat, imo neq; ſibi ipſi credat, licet iuſtas rationes cor ſuggerere videatur; Quieſcat igitur omnino aut iuxta Athenodori conſiliũ, pia ſe occupans meditatione motũ cõponere ſtudeat: Nam, vt inquit Ariſtot. loco citato: *affectũ & cogitationẽ in quiete & ſtatu poni, id demũ ſcire & ſapere dicim⁹.* Quod autẽ de

quiete affectuum hactenus dictum est, idem & de alia qualibet ab aliis intelligitur: Nam & quieto noctis silentio anima nostra subtilius intelligit ac contemplatur, quam inter strepitus diurnos & corpore inoffenso, quam conturbato, & ætate matura ac prouecta, quam iuuenili, eo, quod iuuenum corpora & animi plurimo motu æstuent, vt inquit Themistius in lib. 1. de anima cap. 21. ex Aristotele, qui ait: *quo circa infantes nec discere possunt, nec sensibus perinde iudicare, atque seniores, cum multa in ijs perturbatio sit & motus.* Alia huius rei exempla quotidie sunt obuia, quibus abunde vtriusque pronunciati veritas comprobatur. Denique probabile est hinc quoque duxisse originem, consuetudinem illam apud Iurisconsultos vsitatissimam, vt nimirum non valeat sententia iudicis, quæ non fuerit ab ipso iudice sedente prolata; imo maleficos & reos sedere iuberi, cũ mortis sententia fertur; nempe vt illi maiore collectione mentis sententiam ferant; & hi facilius animi perturbationes cohibeant, quæ ex horrore nuntioque mortis prouenire solẽt. Vide si placet, explicationẽ illius, *qui metu sunt multi, parum sunt memorativi.*

5. *Facilius est initia affectuum prohibere, quam impetum regere.* Seneca Epist. 85. & 116.] Nam sicut in præceps dato corpori, nullum sui arbitrium est, nec resistere deiectum potest; sed omne consilium irreuocabilis præcipitatio abscidit: ita animus, si in iram, amorem, aliosue affectus se proiecerit, non facilè reprimet impetũ: rapiet illum ad imum, vitiorum procliuis natura. Optimum igitur, ipsis repugnare seminibus, cuiuscunque demum malignioris affectûs.

Digitized by Google

TITVLVS LIII.

De *paſsionibus in ſpecie.*

DISTINCTIO PRIMA.

De amore

1. *ANima potius eſt, vbi amat, quam vbi animat.*] Sumitur ex lib. 2. Polit. c. 2. & intelligitur de vnione amoris affectiua præcipuè, qua amans affectu ſuo iungitur amato, iuxta illam Chriſti ſententiam: *Vbi eſt theſaurus tuus ibi eſt cor tuum.* Atque hæc vnio non diſtinguitur ab ipſo amore: præter illam verò alia datur amoris vnio realis, ſiuè, vt quidam vocant, effectiua, quæ cauſatur à priore, & dicitur effectus amoris. Cum enim amans deſideret vnum fieri cum amato, nec poſſit fieri ſubſtantialiter, quærit modum ſaltem accidentalem ſeſe illi coniungendi quam perfectiſſimè: Hinc amantes libenter ſibi mutuo colloquuntur, cohibitant, iudicium & voluntatem conformant, ſecretum & alia faciunt omnia communia iuxta illud vulgare: *Amicorum omnia ſunt communia.* Hanc duplicem amoris vnionem tradit D. Thomas 8. Ethic. lect. 7. & 1. 2. & 28. art. 5. Vbi affert D. Auguſtinum lib. 8. de Trinit. dicentem.

2. *Amor eſt velut iunctura duo aliqua copulans vel copulare appetens.*] Et exponit D. Thomas. Quod dicit copulans, referri ad vnitatem affectus, quod dicit, copulare appetens, pertinere ad vnionem realem. Hinc etiam Suarez lib. 12. de Trinit. c. 5.

Digitized by Google

Num. 14. Probat Deum peculiari modo esse in animis iustorum; quia enim Deus non tantum diligitur à iustis, sed etiam maximè eos diligit, & quia Deus id, quod intendit, assequi potest, ideo ex vi talis amoris vnitur animæ secundum præsentiam realē, ita vt licet per impossibile Deus nō esset immensus, neque realiter præsens intra animā iusti: eo ipso tamē quod ipsam amaret, & gratiæ sanctificātis donis eā afficeret, veniret ad illā per præsentiā personalem, & in ea esset ac maneret, quādiu gratia in ea duraret, iuxta illud: *Si quis diligit me*, &c. *ad eum veniemus & mansionem apud eum faciemus.* Vide si placet, D. Thomam in l. 1. sententiarum dist. 15. q. 5. a. 3.

3. *Quilibet sibi maximè amicus est.* Sumitur ex lib. 1. Rhet. c. 11.] Vbi docet Philosophus: Omne simile esse amicum simili, quia sunt eiusdem generis & naturæ, id verò contingere vnicuique maximè respectu suiipsius, quia non hic similitudo tantum, sed mera est idēcitas, proinde homines maximos etsi suiipsorum amatores, suaq; sibi maximè placere opera. Ea de causa familiare hominibus est: Omnia sibi ignoscere, pauca verò, vel, vt inquit Velleius, *nihil aliis relinquere.* Eadem de causa sibi quisque maximè vult bona, vt docetur l. 8. Eth. c. 7. Vbi ex eo probat Aristoteles, amicum etsi velit omnia, & maxima bona amico: fortasse tamen non velle ipsi omnia bona, quia sibi maximè amicus est, ac proinde sibi maxima bona desiderat.

4. *Pater filios plus amat, quam filij Patrem.* 8. Eth. cap. 12. & 9. Eth. cap. 7. & alibi.] Alij ita proponunt: *Amor paternalis maior est, quam filialis.* Ratio est, quia parentes viuunt in filiis tanquam in aliquo sui: sunt enim nati quasi alteri parentes, in locum decedentium constituendi, itaque naturali pondere amor fertur in filios veluti in alteros seipsos, tum ob

Digitized by Google

ſanguinis vnionem, tum vero ob deſiderium immortalitatis quæ in filiis ac nepotibus ſperatur. Non ita filiorum dilectio erigitur in parentes. Aliam rationem aſſignat Philoſophus 9. Ethic. c. 7. quia: *opus ſuum quilibet magis diligit, quam ab ipſo diligatur.*

5. *Beneficij plus amant beneficiatos, quam amentur ab illis.* 9. Ethic. cap. 7.] Rationem datibidem Ariſtoteles, quia is, qui confert beneficium maiori cum voluptate & diuturniore amat: honeſtæ enim actionis delectatio aſſiduè delectat: qui autem accipit, etſi aliquando delectetur, tamen vtilitate ceſſante voluptas illa euaneſcit 2. qui beneficium accepit, videtur benefactorem amare, maximè propter ſuam vtilitatem, qui verò contulit propter honeſtatem; ergo vehementius. 3. quod laborioſius eſt in rectè factis, id, cæteris paribus, magis amatur; ſed beneficiũ dare eſt laborioſius, ergo beneficium datũ magis amatur.

6. *Matres liberos magis amant, quam patres. 9.* Eth. c. 7. ſub finem.] Intelligitur & verum eſt, tùm hoc, tùm præcedentia pronunciata de amore naturali ordinario; ſiuè qui eſt ſecundum inclinationem & affectum naturæ. Nam ex accidenti poteſt contingere contrarium. Ratio autem huius propoſitionis eadem eſt, quæ ſuperioris; nimirum quia matris beneficium in liberos laborioſius eſt, quam patris. Matres namque & maximo cum dolore filios pariunt, & plurimis cum moleſtiis eos enutriunt. Item matres certiores ſunt eſſe filios illos ſuam ſobolem. Vide ſi placet, D. Thomam in locũ Ariſtotelis citatũ.

7. *Sic diligendi ſunt homines, vt eorum non diligantur errores.*] Eſt hæc ſecunda ex ſententiis D. Auguſtini, quæ referuntur in fine Tomi 3. operum illius, & collectæ putantur à D. Proſpero Aquitanico Epiſcopo Regiẽſi. Ratio aſſignatur ibidẽ; *quia aliud eſt amare*

quod facti sunt, aliud odisse, quod faciunt.

8. *Sic hominis displiceant peccata, vt non displiceat homo.* Sumitur ex eodem M. Augustino, & indicatur à D. Thoma 1. Part. q. 2. a. 1.] Vbi docet, odium Dei circa peccatores non esse odium hominis, quia non est ex displicentia ipsius hominis, vel naturæ illius; sed esse odium peccatoris, vt peecator est; quia est ex displicentia ipsius peccati. Est in hanc sententiam symbolum Othonis secundi Imperatotis; Pacem cum hominibus, cum vitiis bellum de quo videri potest Reusnerus classe 3. numero 12.

DISTINCTIO II.

De odio.

1. *PErfectum odium est, quod nec iustitia nec scientia caret.*] Est hæc sententia 65. inter eas, quas ex operibus S. Augustini collegit D. Prosper. Monet autem, eam in odio cautionem esse habendam, vt nec propter vitia homines oderis, nec propter homines vitia diligas. Rectè igitur in malis odimus malitiam, & diligimus creaturam, vt nec propter vitia natura damnetur, nec propter naturam vitium diligatur.

2. *Amatanquamosurus, oderis tanquam amaturus.*] Etsi amicitias immortales esse oportet, eaque quæ desinere potuit, amicitia vera vix vnquam fuerit, vt testatur Lipsius Epist. 43. Centur. ad Germanos & Gallos: non tamen absque discretione, amicis vtendum est nec quæuis arcana ijs sine discrimine cõmitẽda; cũ ea humanæ mutabilitatis cõditio sit, vt ex amicis sæpè acres insurgant inimici, &

Digitized by Google

qui ante prodeſſe ſolíti erant, iidem mutata voluntate obeſſe plurimum norint & incipiant.

3. *Mores amici noueris, non oderis*] Monemur hoc dicto, in moribus amicorum vitia quædam eſſe diſſimulanda, ſic vt intelligantur quidem & ſuo tempore amicus de iis moneatur: ſed tamen ſi emendari nec ſubito, nec commodè poſſint, æquo animo, quoad fieri par eſt, tolerentur.

4. *Proprium eſt ingenij humani odiſſe quem læſerit.*] Tacitus in vita Agricolæ: vti benefactores naturali inclinatione eos amant, in quos beneficia contulerunt, & quidem magis quam vice versâ ab illis redamentur, vt explicatum eſt diſtinct. de amore. Ita qui malè de aliis meriti ſunt, ingenito naturæ corruptæ vitio ab iiſdem auertuntur. Lucius Annæus Seneca lib. 2 de ira c. 33. vitium iſtud antonomaſticè potentiorum animis aſſcribit. *Hoc habent peſſimum*, inquit, *animi magna fortuna inſolentes, quos læſerunt & oderunt.*

5. *Quem quiſque odit, periiſſe expetit.*] Verum eſt vetus iſtud dictū in ſenſu formali, nimirum in quātū & ſecundum quod alium quis odio proſequitur, & verbi cauſa; qui odit alicuius imperfectiones & habitus vitioſos, eum is periſe, & nō eſſe expetit, qui odit quempiam ſimpliciter & abſolutè eum perire deſiderat, ratio eſt, quia omnis qui alium odit; hoc ipſo poſitiuè ei vult non bonum, qui autem vult non bonum, vult etiam non eſſe alteri, quia omne eſſe, eſt bonum & contra, omne non bonum eſt non eſſe.

6. *Omnis Apoſtata oſor eſt ſui ordinis.*] Eſt hoc trito ſermone factum prouerbium, cuius veritas experientiâ ipsâ rerumque vſu ſatis comperta eſt. Neque enim ordines religioſorū aduerſarios ſibi inimiciores, nec Eccleſia hoſtes offenſiores, & viperino

odio infestiores habet, quam apostatas. Regnis quoque & prouinciis maxima sępè numero damna intulerunt perfidi transfugæ, ac perduelles.

7. *Virtuosus & felix nihil operãtur odibile.*) Sumitur ex 10. Eth. c. 9. & vlt. Ratio est, quia qua tales benè viuunt & operantur bona; bonum autem secundum se non est obiectum odii sed amoris. Item, *qualis quisq; est talia tã dicit, quam agit, & ita etiam vivit*, vt inquit Aristoteles 4. Eth. c. 7. sic homo felix & virtuosus, quatenus talis est, ex virtute viuit & operatur ex virtute; quod cum bonum sit non est odibile, sed in se amabile.

DISTINCTIO III.

De *desiderio & fuga.*

1. *Appetitus est ratione carentis.* l. 2. Rhet.] Intelligitur & verũ est de appetitu desiderii; quia illa, quibus caret, aliquis desiderat naturaliter, si bona ipsi appareant. Desiderĩũ enim versatur circa bonũ absens vt absens est; Non autẽ intelligitur de appetitu complacentiæ, vt rectè notat interpres axiomatum venerabilis Bedæ: ille enim est rei præsentis, & ratione præsentię, vt pluribus explicabitur infra. Pro maiore autem huius, & sequentiũ explicatione notandũ est, appetitum desiderii in homine esse duplicẽ naturalem & rationalẽ. Naturalis dicitur, qui fertur in res conseruationi naturæ necessarias, vt in cibũ, potũ, &c. Rationalis est qui fertur in conuenientia & cõmoda vltra naturæ necessitatem. Dicitur autem hic secundus appetitus rationalis, non quasi sit actus voluntatis, est enim actus appetitus sensitiui, sed dicitur rationalis, quod sequatur imaginatiuam potẽtiam peculiari ratione obiectum apprehendentem, propter summam connexionem, qua ipsi coniungitur & verè cooperatur intellectus; quo fit, vt ipso

Digitized by Google

operante hæc operetur & eadem percipiat obiecta.

2 *Desideria crescunt in infinitum.*] Sumitur ex l. 2. Pol. c. 6 Vbi ait Philosophus, homines primum pauca appetere, quæ cum fuerint consecuti maiora desiderare, & vbi hæc fuerint adepti rursus alia sine fine, iuxta illud Solonis,

Finis opum positus non est mortalibus vllus.

Refertur id ab Aristotele 1. Polit. c. 5. & verum est de appetitu secundū se siue de appetitu rationali, provt inordinatè fertur absque iustæ moderationis habenis: is enim nullis satiatur quæsitis, sed potius eo magis accenditur quo pluribus potitur iuxta illud vulgare: *Quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ.* Non autem intelligi debet de amore viri prudentis ordinato, quia hic certis terminis concluditur. Etenim modico satiatur mens hominis benè ordinata; inordinatus autem aut auarus & quilibet imperfectus nūquam sua est sorte contentus; vt recte notauit interpres axiomatum Venerabilis Bedæ. Idem expressit Seneca ad Lucilium his verbis. *Desideria naturalia finita sunt, quæ autem ex falsa imaginatione proueniunt vbi desinant, non habent.* Quanquam verò præcipuè id locum habeat in diuitiis artificialibus, quæ ab hominibus inuentæ sunt ad negotiationes & cōmercia licet natura secundū se iis minimè vtatur, vel iis iuuetur; vt sunt pecuniæ &c. potest nihilominus etiam habere locum in diuitiis naturalibus, vt sunt cibus, potus, vestimenta, aliaque ad naturæ conseruationē necessaria. Ratio est, quia bona omnia creata minora sunt, quam vt perfectè satiare possint desiderium humanum; satiabitur illud, cum apparuerit gloria tua Deus. Huius etiam signum est, quod nemo in hac vita suas appetitiones in vna aliqua resistat, sed semper ad alia atque alia extendat, & obtenta augeri exoptet, vt qui congessit diuitias, quærit honores,

quibus obtentis quærit voluptates, & omnium moleſtiarum vanitatem. Deinde in ſingulis eorum appetit creſcere & confirmari. Vide Leſſium de ſtatu vitæ deligendo nu.135.

3. *Omnibus innatum eſt deſiderium excellentiæ.*] lib. 1. Rher. c. 38. vbi ex hoc pronunciato deducit Ariſtoteles, rem iucundiſſimam ex plurimis eſſe victoriam; eo quod ſit excellentiæ quædam opinio, & inde probat magnam eſſe iucunditatem ludorum, quia in iis ludenti ſæpè victoria obtingit, ac licet nõ ſemper ludenti faueat victoria; ſpes tamen vincendi perpetua comes ludi in ſeſe iucunda eſt. Nam eodem magiſtro; *Ea in ſpe ſunt iucunda, quæ præſentia cum ſunt, vel oblectare vel prodeſſe multum videntur.*

4. *Finis curarum eſt perfectio deſideriorum.*] Eſt hæc ſententia 130. illarum, quas ex operibus S. Auguſtini collegit D. Proſper. Additur eodem numero, quemque in id tendere ac niti, vt ad illud perueniat, quo delectatur, iuxta illud vulgare. *Trahit ſua quemque voluptas.* Sapientis igitur eſt hoc appetere, quod bonum facit, non id amare quod decipit. Cæterùm perfectiò deſideriorum in iis curis finem imponit, quibus homo in deſiderata nondum poſſeſſa ferebatur, abſolutè autem in hac vita nunquam expletur nec ſatiatur, cupiditas ſe porrigit & felicitatem ſuam non intelligit, quia non vnde venit, reſpicit, ſed quo tendat, l. 2. de beneficiis cap. 27.

5. *Omne quod ſecundum hominis cupiditatem eſt voluntarium iudicatur,* l. 2. moral. Eudem. c. 7.] Senſus eſt omne, quod homini accidit ſecundum deſiderium ſuum hoc in quantum tale eſt, cenſetur ei voluntarium. Patet ex ratione, quam ſubdit Ariſtoteles, nam, inquit, inuoluntarium omne violentum videtur, & ſi violentum ſit, etiam acerbum erit, omne, quod coacti faciunt aut trahuntur homines,

Digitized by Google

quemadmodum Euonus dixit.

6. *Omnis res neceſſaria moleſta eſt.*] Sumitur hic neceſſitas propriè pro eo, ad quod vis ipſa compellit. Senſus itáque propoſitionis eſt, omnis res in quantum neceſſaria & coacta eſt, moleſta accidit, ac proinde fugitur naturaliter, ſi enim moleſtum quid eſt, idem etiam violentum erit, & contra naturæ propẽſionem, & docet Philoſophus ibidem.

7. *Quidquid præter cupiditatem eſt, id omne dolorem infert*] Idem ibidem, nimirum in ſenſu formali, ſiue quatenus tale eſt. Rationem addit, quia iucundorum cupiditas eſt, itaque violenta etiam inuoluntaria ſunt, & quæ ſecundum cupiditatem voluntaria, hęc enim inter ſe inuicem ſunt contraria, ita Philoſophus loco citato.

8. *Mollitudinis eſt fugere laborioſa.* 3. Eth. c. 7.] Vbi ex eo probat Ariſtoteles, violentas ſibi ipſi manus inferre & mortem ſibi conſciſcere, vt ad fugiendam paupertatem aut amorem aut moleſtiam aliquam, non eſſe hominis fortis, ſed timidi potius & mollis *non enim quia res honeſta eſt*, inquit, *talis appetit mortem, ſed quia difficultate terretur & vincitur.*

DISTINCTIO IV.

De gaudio ſiue delectatione.

1. *OMne animal naturaliter appetit delectationẽ.*] Sumitur ex l. 7. Eth. c. 12. & 13. & 14. & ex lib. 10. c. 2. Ita quidem appetit, vt diu ſine ea viuere non poſſit, iuxta illud prouerb. 17. verſ. 22. *animus gaudens ætatem floridam facit: Spiritus autem triſtis exſiccat oſſa.* & Eccleſ. 38. *A triſtitia feſtinat mors.* Ideoque homo carens ſpirituali delectatione naturaliter tranſit ad corporales. Hinc etiam 7. Eth. c. 14.

docet Philosophus eos, qui patiuntur tristitiam, maximè sequi delectationes, vt quæ sint optimum aduersus eam antidotum, & homines melancholicos vehementer affici delectationibus, ad expellendam ab animo tristitiam, eò quod corpus eorum continuo quasi prauo humore corrodatur.

2. *Delectatio perficit operationem* 10. Eth. c. 4.] Eo nimirum modo, *quo decor perficit iuuentutem*, vt inquit Aristoteles ibidem; vnde delectatio est quædã perfectio concomitans operationem, non autem est perfectio faciens eam in sua specie esse perfectam. Ita explicat D. Thomas 1. 2. q. 4. a. 2. & in librum 10. Eth. lect. 6. vbi sic expressius allatam propositionẽ distinguit. Duplex, inquit est perfectio: vna efficiens, quomodo intellectus perficit suã operationẽ medicus morbi curationem, &c. altera formalis, quæ rursus est duplex. Primaria, siuè essentialis, quomodo sanitas est perfectio temperamenti animalis: & secũdaria siue accidentalis, quomodo pulchritudo dicitur perficere sanitatem, quam consequitur. Et de hac posteriore intelligendum est pronunciatum; non autem de priore, vt patet ex dictis. Eandem ob causam verè dicitur istud:

3. *Delectatio conseruat operantem in opere suo*. Ibid.] quia nimirum efficit, vt agens naturale minori cum difficultate & tædio suas operationes continuet, quibus alioqui non mediocriter defatigatur, idcirco D. Thomas ibidem docet, homines in suis laboribus aliqua indigere delectatione, quo minori eos cum molestia perficiant.

4. *Quod connaturale est, idem quoque delectabile*. 1. 1. Rhet. c. 11.] Vbi ex eo probat Aristo. simile gaudere simili, & æquale suo delectari æquali, & feram agnoscere feram, & graculum semper esse cum graculo & reliqua huius generis quia nimirum, *quæ sunt*

Digitized by Google

eiusdē generis, sunt ex natura, Vt ait Arist. ibidem, & quæ ex natura sunt, siuè quæ sunt connaturalia, eadem sunt delectabilia.

5. *Consueta sunt delectabilia.* l. 1. Rhet. c. 11. & 3. Top. c. 1.] Ratio est, quia, cæteris paribus id magis delectat, quod naturæ est conformius, iuxta præcedens pronunciatum; atqui omne consuetum naturæ paulatim conformatur iuxta illud vulgare: *consuetudo est altera natura.* Hoc eodem sensu; *delectabilius est contemplari iam cognita, quam inquirere ignota*, vt dicitur 10. Eth. c. 10. & alibi, quia scilicet operationes habituum per consuetudinem acquisitorum cum delectatione fiunt. Vnde etiam 2. Eth. c. 3. docet esse signum generati habitus, operari cum delectatione. Eadem de causa: *cantilenam notam suauius audimus, quam ignotam*, vt docet idem Aristoteles in problematis sect. 15. Vbi rationem assignat modo explicatam. Ait enim, discere lætabile esse, eiusque delectationem tum in capienda doctrina, tum in vsurpanda agnoscendaque versari. Idem effatum habet Textu 41. eiusdē lectionis vbi etiā causam addit; quod auditor vnà cum eo afficiatur, qui notam illam exprimit cantilenam, quippe qui aliquid succinat, sociumque se præbeat cantanti,

6. *Rara contingentia sunt delectabilia.* Sumitur ex eodē c. 11. l. 1. Rhet.] Sunt autem delectabilia ratione admirationis & desiderii iuxta illud: *Varietas & nouitas delectat, & quæ cara sunt rara*, vt significat Aristoteles ibidem & primo magnorum moral. cap. 9. vbi ait; *rarum est, quod probum est.* Verba illius sunt. σπάνιον τὸ σπουδαῖον. Itē ratione tædij & fastidij, quod ex longo assiduoque aliorum vsu percipitur. Rectè enim ab Isocrate dictum est: *Omnium rerum est satietas*, oratione ad Dæmonicum: Hac verò per vicissitudinem contingentis alicuius nouitatis homo ordinariè subleuatur. Nam teste Aristotele.

7. *Iucunda est rerum vicissitudo.*] Varietas & vicissitudo rerum tantam in humanis vim habet, vt commendatione nouitatis etiam mala placeant præ bonis, vt patet experientia quotidiana. Veterum autem dictum istud Philosophorum, Aristoteles 1. Rhet. c. 11. benè ab illis pronunciatum esse ostendit ex eo, quia: *commutatio*, inquit, *res iucunda est, & commutari naturæ accommodatum est*; Quod enim semper idem est, in exsuperantiam transit, & præsentem habitum corrumpit: qua etiam de causa, quæ fiunt interposito temporis spatio, iucunda sunt. & homines & res post longum tempus delectant, quoniam præsentem statum commutant. Ita Aristoteles loco citato.

8. *Iucundissimum est potiri eo, quod cupias.* Sumitur ex l. 4. Eth. c. 8.] Vbi inquit Aristot. Epigrāma fuisse in Telo: *si vales, optima, si es iustus pulcherrima res est, iucundissima, si quis, quod amat potitur.* Verumtamen est respectiuè non modo, quoad alterius materię superlatiua, vt patet ex textu citato; sed etiam in ordine ad diuersa obiecta delectabilia, in quæ fertur appetitus: Quot enim sunt animalium genera, tot sunt motuū huiusmodi, & plures diuersitates. Ouis frondem, Cerus fontem, Canis Leporem, veterem Pylades sectatur Orestem, & generatim:

9. *Id cuique voluptati est, cuius amator est quisque.*] Ibidem, vt equus equorum amatori, & spectaculum spectaculorum identidem amatori, eodem modo & amatori iustorum iusta, & omnino virtutum amatori ea, quæ per virtutem efficiuntur. Nam vt recte Poëta dixit. *Trahit sua quemque voluptas*, quod refertur à S. Augustino t. 26. in Ioannem, vbi explicans, quomodo Pater Cęlestis trahat homines ad Christum, iuxta illud Ioannis versu 24. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit illum,*

Ramum

Ramum, inquit, viridem oſtendis oui, & trahis illam: nuces puero demonſtrantur, & trahitur, & quod currit trahitur, amando trahitur, ſine læſione corporis trahitur, cordis vinculo trahitur. Si ergo iſta, quæ inter delitias & voluptates terrenas reuelantur amantibus, trahunt: quoniam verum eſt: trahit ſua quemque voluptas: non trahet reuelatus Chriſtus à Patre? Quid enim fortius deſiderat anima, quã veritatem? &c. Hactenus S. Doctor Auguſt.

10. *Improbæ naturæ improba voluptas eſt, probæ proba.* lib. 2. Magnor. Moral. c. 7.] Vbi; *naturæ*, inquit Ariſtoteles, *animalium diuerſæ ſunt bonæ & malæ* (Latius hic malum ſumitur pro qualicunque re noxia, licet in entitate ſua ſit bona) *ſicuti hominis quidem bona, lupi verò vel alterius feræ mala; at quoniam diuerſæ naturæ ſunt quoque diuerſæ voluptates: vnumquodque enim quærit delectationem ſibi congruã malæ igitur naturæ mala voluptas eſt, vt probæ proba.* Sic vt idem ait lib. 1. Eth. cap. 8. Amatoribus honeſtatis ea ſunt voluptati, quæ ſunt naturâ iucunda. Tales autem eæ ſunt actiones, quæ à virtute emanant; quare & his ipſæ ſunt voluptati, atque per ſe ipſas iucundæ. Ex quibus infert neminem eſſe dicendum bonum, qui non delectetur actionibus honeſtis.

11. *Iuuenilis delectationis velox eſt tranſmutatio.* Refertur à D. Thoma in octauum Ethi. lect. 3. & ſumitur ex lib. 2. Rhet.] vbi Ariſtoteles docet, iuuenes eſſe quidem veheinenter cupidos, ſed nihilominus rerum cupitarum faſtidioſos. Acutas enim habent voluptates, ſed non magnas, vt ægrotantium fames & ſitis. Similia habet lib. 7. Eth. cap. 14. Eadem de cauſa lib. 8. Eth. cap. 3. docet; adoleſcentes facilè amicitias contrahere & contractas facile diſſoluere. Veritas huius pronunciati patet

inquiete poſſidetur, eſt in eſſe perfecto, & propriè dici poteſt fruitio, ſiue vitalis quies in re ſecurè poſſeſſa.

14. *Voluptati reſiſtere difficilius eſt, quam iræ.* Dictum iſtud Heracliti refert Ariſtoteles 2. Eth. cap. 3. ſub finem.] Cuius ratio eſt, quia licet pugnare contra iram videatur difficillimum propter eius impetum; abſolutè tamen pugna contra voluptatem cenſetur difficilior, eo quod concupiſcentia delectationis, & communior ſit, & naturalior: propterea loco citato docet virtutem circa voluptatem & dolores potius, quam circa iram verſari, eo quod circa difficilius & artes occupentur & virtutes.

15. *Voluptates expetendæ ſunt, ſed non à turpibus rebus*, 10. Eth. cap. 13.] Quemadmodum diuitem eſſe expetibile quidem eſt; ſed non ex patriæ proditione, & ſanum eſſe, at non ex cuiuſlibet rei vſu, ita inquit loco citato Ariſtoteles, delectationes quidem expetibiles ſunt, ſed non à quolibet delectabili; nam & à turpibus, & honeſtis rebus delectationes prodeunt: cum hoc tantum diſcrimine, quod illæ veræ ſint: & ex ſe ſtabiles: hæ verò falſæ & inſtabiles iuxta illud: *Sine virtute nulli ſolidum eſt gaudium.* Platina in vita Pij ſecundi. Quamobrem illæ bonæ ſunt & expetendæ: hæ verò malæ & fugiendæ.

16. *Voluptatem vicisſe voluptas eſt maxima.*] Ita non eleganter minus quam verè pronunciat S. Cyprianus li. de bono pudicitiæ, vbi addit immediate: *Nec vlla maior eſt victoria, quam quæ de cupiditatibus refertur.* Quibus verbis pulchertimam delectationis tantæ tamq; iuſtæ rationē exhiber. Etenim omnis victoria iucūditatis quiddā parit, omneſq; homines natura duce eo feruntur, vt putēt retuliſſe victoriā, eſſe quiddā preclarū, vnde fit quo iuſtior, vtilior, ſtrenuior fuerit de pernicioſiore & potētiore hoſte victoria, eo

sit ipsa iucundior: atque nihil est, quod vel iustius vel vtilius, vel difficilius vincatur, quam innata hominibus praua cupiditas. Terrores enim, timores, minæ vno verbo, quod idem S. ait.

17. *Malum omne facilius vincitur, quam voluptas.* Ibidem] rationem assignat: quia illud quidquid est, horridum est, hoc verò blandum. Et sanè cupiditate deuicta, à fœdissima seruitute vitiorum ab improbissimo dominatu sensuum in libertatẽ rationis homo asseritur, & ad vitam rationali creatura dignam aspirat, ac tum demum gustando experitur, quando purior & suauior sit mentis oblectatio, quã corporis, quæ per illam veluti clauus clauo extruditur, siquidem.

8. *Omni homini conuerso ad* Deum *mutatur delectatio, non subtrahitur.* S. Augustinus in Psalm. 74.] mutantur delitiæ in meliores in sanctiores & penetrantiores, ac pro illicitis licitæ, puræ pro turbidis, pro sordidis intaminatę succedunt, id quod benignissimus Deus pro infinita sua prouidentia sapientissimè prouidit; quia nimirum.

19. *Anima sine delectatione esse non potest.* S. Gregorius Magn. lib. 18. moral. cap. 8. v. g. Et refertur ab Alberto Magno in Ethicam T. 3. c. 1.] Vti nemo est, qui in continuis doloribus, & angustiis viuere appetat, ita neque dici incolumis, in illis sine omni delectatione persistere potest. Nam vt docet Aristoteles 10. Eth. cap. 4. *delectatio conseruat operantem in esse & in opere*: & vt communiter loquuntur Philosophi; *ex sanitate in anima fit sanitas in natura.* Corpus siquidem & anima sibi mutuo compatiuntur, & huius incolumitas ab illius salute dependet, vt pluribus supra est explicatum.

Digitized by Google

DISTINCTIO V.

De Dolore siue Tristitia.

1. *OMne animal naturaliter fugit dolorem.* Sumitur ex 7. Eth. *cap.* 12. 13. & 14.] Ratio est, quia quemadmodum delectatio siue gaudium per se bonum est naturæ animalis, ac proinde appetendum: ita tristitia mala est & fugienda; ideo præcipuè, quia ex omnibus aliis animæ passionibus maximè bonæ noceant corporis valetudini, & vitæ animalis. Tum quod vitalem cordis motum impediat, vt docet D. Thomas prima 2. q. 37. art. 4. Tum etiam quod præter naturam cor refrigeret: vnde in problematis S. 11. n 13. *dolor*, dicitur esse, *pectoris refrigeratio*, vbi ex hoc probat Aristoteles, eos, qui rident, anhelitum calidiorem emittere, qui vero flent frigidiorẽ.

2. *Omnis tristitia est quoddam malum*, 7. Eth. cap. 13. & 14.] Nempe per se & ratione sui: per accidens potest esse quoddam bonum, quo sensu intelligi potest S. Augustinus lib. 3. Confess. c. 2. cum inquit: *Nonnullus dolor approbãdus: Nullus amãdus est.* Item omnis tristitia est malum pœnæ, non autem est malum culpæ, sed solum, quando ex inordinato affectu procedit. Vnde D. August. l. 14. de ciuitate Dei c. 9. tùm de ista, tùm de omnibus etiam aliis animi motibus, *Cum rectam*, ait, *rationem sequuntur istæ affectiones, & quando & vbi oportet, adhibentur, quis eas tunc morbidas, siue vitiosas passiones audeat dicere?*

3. *Dolor corrumpit naturam eius, quod dolore afficitur.* 3. Eth. c. 12.] Sub initium, ratio est, quia spirituum, vitalium, & animalium generationem impe-

dit,dum vitalem cordis motum infringit. Quemadmodum enim lætitia animum dilatat& vegetat atq; ad omnia flexilem ac promptum reddit,ita dolor ſiue triſtitia naturalem ſanguinis dilatationem cohibet, & motus ſpirituum conturbat, ac per conſequens hominem miſere conſtringit,& cruciat,vt vix aliud quippiã cogitare rectè aut agere poſſit.Qua de cauſa qui triſtitię indulgent, dici ſolent, *coangustati & abstracti*; eo quod opinio præſentis mali ab omnibus aliis eos auellat, & luctui tabifico triſtem animam affigat.

4. *Nulla maior est pœna, quam esse miserum nec videri.*] Monet ſententia,aliquod lenimentumcalamitatum eſſe, lacrymas dediſſe malis, & pectus laxaſſe ſuſpiriis :at verò dolorem incluſum & cor æſtuans intus acerbiſſimam eſſe tyrannidem. Ratio patet ex dictis.

5. *Omnis cupiditas est cum dolore*, 3. Eth. c. 11.] Omnis quidem ; ſed præſertim ea, quæ finem ſuum quem deſiderat vel ægrè admodum vel omnino non aſſequitur ; vt S. Iacobus ait, cap. v. 1. *Concupiscit homo, & non potest adipisci*, quo ſenſu verum eſt iſtud : *Spes quæ differtur, affligit animam.*

6. *Nihil lacryma citius arescit.*] Monet ſententia vehementes affectus non eſſe diuturnos, & nimios amores facilè verti in tædium ,ac contra. Quemadmodum enim nullum violentum eſt perpetuum, ita nec vehemens quippiam & immodicum.

7. *Quælibet delectatio mitigat quamlibet tristitiam.*] Sumitur ex 7. Ethicor. cap. vltimo, & lib. 10. cap. 5. vbi docet Philoſophus à delectatione expelli triſtitiam,& quæ contraria eſt,& quę contingens. Ratio eſt quia quælibet delectatio repugnat cuilibet triſtitiæ ſecundum diſpoſitionem ſubiecti ; & ſecundum effectum, ſimpathiam videlicet omnium

Digitized by Google

potentiarum, & affectionum animæ ac corporis; qua de causa per quamlibet delectationem natura dilatatur & confortatur: per tristitiam vero contrahitur & molestia afficitur: etenim delectatio est quædam quies appetitus in bono conuenienti: tristitia autem est ex eo, quod repugnat appetitui. Vnde sic se habet delectatio ad tristitiam in motibus appetitiuis, sicuti se habet in corporibus quies ad defatigationem. Quemadmodum igitur vnaquæque quies mitigat quamlibet corporis defatigationem, ita quælibet delectatio mitigat suo modo quamuis tristitiam: maxime tamen ea mitigatio fit, quando delectatio contrariatur tristitiæ, non solum secundum dispositionem subiecti, & secundum effectus; sed etiam secundum propriam sui speciem: de qua re vide D. Thomam 1- 2. q. 35. a. 4. ad 2.

DISTINCTIO VI.

De Ira.

1. *Iræ incontinentia minus turpis est, quam voluptatum.*] Sumitur ex 7. Eth. ca. 8. ratio est, quia incontinentes iræ ante rationem ducuntur perinde ac vigiles canes audito ad ostium pulsu aut sonitu extemplo oblatrant non attendentes, vtrum Dominus pulsauerit, an amicus aut peregrinus. *Neque enim rationis dictamen huiusmodi expectant, siue ob celeritatem incontinentiæ, vt cholerici, siue ob vehementiam, vt melancholici.* Verba sunt Philosophi sub finem ca. 7. eiusdem libri: At verò alij, quos voluptas ad vitia pertrahit, rationē quidē habēt sed ea non

vtuntur; & ordinariè à minore vel certè non ita ſubita perturbatione ſuperantur. 2. Iræ motus habet aliquam ſpeciem iuſtitiæ; motus autem concupiſcentiæ abſque omni imagine rectæ rationis totus eſt ſecundum ſenſum: vnde ira petit manifeſtè operari, quaſi in opere nihil ſit dedecoris; concupiſcentia verò latebras quærit veluti conſcia ſuæ turpitudinis. Denique concupiſcentia quærit voluptatem ſuperfluam, ira verò repellit malum immeritum; plus autem habet rationis, qui in malo à ſe depellendo modum excedit, quam qui in voluptate ſuperflua adſciſcenda.

2. *Ira eſt maximus ad pericula ſubeunda aculeus.* 3. Eth. cap. 8.] Eſt enim ira excandeſcentia quædam efferueſcentis animi contra id, quod moleſtum eſt, & de quo vel vindictam ſumere vult, vel pœnam exigere. Itaque ad indignationem animatur homo, & mutatur rei indignitate conſiderata, indeque de malitia vel iniuria ſibi aut alteri illata pœnas ſub iuſtitiæ imagine repoſcit, vnde eſt illud; *Iracſt coſorsitudinis* Errat tamen in eo, quod modum qui à ratione præſcribitur, non attendat, ſicut veloces famuli, vt ait Ariſtoteles, qui ſimul atque dominum imperantem aliquid audiunt, anticipant, & priuſquam totum imperium perceperunt, ruunt ad executionem, & in errores varios inde impingunt. Eſt in hanc ſententiam ſymbolum Fl. Valent. Imperatoris: *Alienus ab ira, alienus à inſtitia* vt videre eſt claſſe 2. ſymbolorum Imperal. 11.

3. *Ira eſt ſatellitium rationis.* Ita eam rectè appellat Nemeſius lib. 2. de natura hominis cap. 21. verba illius ſunt, ὁ θυμὸς δορυφορικὸν τῦ λογισμοῦ. Eſt autem ſatelles præcipitans, vt patet ex dictis. Itaque quemadmodum ſatelles non ſumere debet arma, nec miles adhibetur, niſi poſt Principis vel magiſtratus decre-

Digitized by Googl

tum, ſed iubetur quieſcere donec accerſatur ad opus. Similiratione ira contineri debet, ne rationem præueniat, & tunc ſolum excitari & adhiberi, quando poſt maturum conſilium, veniendum eſt ad executionem.

4. *Difficulter conciliantur homines acerbi* 4. Eth. cap. 5.] Rationem aſſignat ibidem Philoſophus; *quia* inquit, *continent iram & non niſi talionem reddiderint à vindictæ appetitu quieſcunt.* Vltio enim his iram, ſed etiam dum voluptatem loco doloris inducit, & huiuſmodi homines, vt ibidem ſubiungit Philoſophus, tum ſibiipſis, tum amicis etiam moleſtiſſimi ſunt.

5. *Iræ fratrum ſunt acerbiſſimæ.*] Euripides in Iphigenia. Innuit Effatum, ſimultatem, quæ incidit inter fratres, aut alios etiam ſanguinis vel amicitiæ vinculo arctius coniunctos, atrociorem eſſe ſolere, quam vulgarium amicorum. Id autem ex eo prouenit, quod ſummus amor, ſi exaſperetur, in ſummum odium tranſeat, vti & ſumma clementia & mititas, ſi efferentur in extremam crudelitatem & ferociam ſæpè degenerent, iuxta illud vulgare: *Patientia læſa fit furor.* Tardè enim ferè hæc lentéque eueniunt, & ſyluarum more ignem concipiunt, quò nimirum tardius, eò vehementius. Exempla ſuppeditat hiſtoria cum ſacra, tùm profana

6. *Habet & muſca ſplenem, & formicæ ſua bilis ineſt.*] Vtroque dicto ſignificatur nullum animal tam eſſe puſillum, neque tam inualidum, quod laceſſitum non habeat iræ aut vindictæ ſumendę motus: vnumquodque enim naturaliter ſeſe in eſſe conſeruare deſiderat, & corrumpentibus ſe ac nocentibus pro virili ex naturæ inſtinctu reſiſtit. Simile huic eſt illud. *Et pueri naſum Rhinocerotis habent.*

7. *Infirmi facilè iraſcuntur.* lib. 9. de hiſt. animal.

cap. 1. infirmi ſunt duplices: alij corpore malè habent, alij animo. De vtriſque verum eſt pronunciatũ. Hinc & mulieres, quia natura ſua viri debiliores, ſunt quoque præ ijs ad iram promptiores, & vindictæ appetentiores; Et certè nihil conſtantis ſolidæque virtutis, nihilque roboris aut animi eos habere credendum eſt, qui veluti miiuutiſſimus puluis ob leuiſſimum flatum in turbidum impatientiæ gyrum agũtur. Fœminarum & viliſſimorum è plebe hominum eſt, conuitiã conuitiũs repellere, & illum habere victorem, qui fortius conuitia iaculatus eſt. Equus quo generoſior eſt, eo adlatrantium canum minas magis contemnit, & leo ad venantium clamores vix lentè reſpicit, vt docet Ariſtoteles lib. 9. de Hiſtor. animal. cap. 44.

8. *Ira dulcior eſt melle liquente.* lib. 2. Rhet. cap. 2. ſub initium.] Vbi rectè illud de ira à veteribus dictum eſſe docet Ariſtoteles, quod de fluente melle dulcior in virorum pectore gliſcit, ideſt, in ijs, qui forti & robuſto ſunt animo, & non extra limites prudentiæ ſeſe vindicare volunt. Rationem addit ibidem, quia inquit, *iram voluptas ſequitur, nàm ob ſpem vlciſcendi, tum etiam, quia phantaſia quę cum ſit, delectationem affert*; vti & in ſomniis contingere aſſolet. Siquidem iucundum eſt exiſtimare ſe conſecuturum eſſe, quæ quis appetit. Intelligitur itaque & verum eſt dictum non de ira ſecundum ſe: hæc enim nihil niſi amarum habet, & ante alios ſuum poſſeſſorem torquet, & cruciat; ſed de ea, quæ iram conſequitur opinione: & hoc ſenſu iutelligendus eſt Seneca lib. 2. de ira cap. 37. cum negat iram habere aliquam voluptatem, & dulce eſſe dolorem reddere; contra vero.

9. *Ira non manifeſta graniter affligit interius.*] Refertur à D. Thoma. 4. Eth. lect. 13. vbi addit ad

hanc maximè disposítos esse homines melancholicos: Illi enim interius coquere solent, & ruminare ab aliis sibi illatas iniurias; vnde sæpenumero tam grauiter concitantur, vt vel in apoplexiam aut morbum comitialem incidant; vel paralysi totius corporis, & articulorum præcipue conuulsione ac tremore concutiantur Est in hanc sententiam illud Chrysostomi: Vindicta in corde posita nocentior est est vipera Hom. 41. in Acta Apost. Vide, si placet, quæ diximus ad illud: *Nulla maior est pœna, quam esse miserum & non videri.* distinct. 5.

10. *Ignis igne non extinguitur.* Sensus moralis huius pronunciati est, iram non iracundia; sed potius patientia sedari, vti ferocitas lenitate, & iniuria beneficio vincitur. Ea de causa scriptura monet, vt ne reddatur malum pro malo, nec maledictum pro maledicto; sed vt studeamus vincere in bono malum & benefaciamus his, qui oderunt nos. Eodem sensu verè dicitur istud: *Oleo incendium non extinguitur*; & illud, *Oleum camino non oportet addere.*

11. *Ira, breuis est furor.*] Ita eam nominat Flaccus Epist. lib. 3. Epist. 7. Non incongruè ad mentem Aristotelis lib. 4. Eth. cap. 5. vbi docet cholericos citò vehementius quam par sit, commoueri, sed facilè ac citò etiam ab ira desistere. Fit tamen à plerisque consuetudine & patientia *furor longus*, vt rectè notat Franciscus Petrarcha in dialogo de ira; sed tum in odium transit vel iracundiam, quæ est vitium oppositum mansuetudini, vt docet D. Thomas 2. 2. q. 152. a. 1. in Corp. Est in hanc sententiam symbolum Fl. Iulij Crispi Imperatoris: *Homo non homo iratus*, vt videre est classe 2. symbolor. Imperat. n. 2. tanta enim, tamque noxia vis est Iræ, vt non solum ea vehementer immutetur corpus hominis; sed & mens ratioque perturbetur, ne quid intersit fere iratũ inter ac furiosũ, quàm tempus, vt dixit Cato.

Digitized by Google

12. *Ira eſt mater diſſentionis.*] Antonomaſticè nimirum ſiue per excellentiam. Quam verum ſit iſtud pronunciatum, manifeſtò docet experientia quotidiana: Nam præcipua inter homines turbatio ferè ab ira ortum vel incrementa ſumit, & homines impatientes ac iracundi nullum ferè ſibi aut fauentem aut amicum habent; ſed omnibus ſunt importabiles, ſibique ipſi intoletabiles, vt inquit ſcriptura de Iſmaël, cuius manus erat contra omnes, & manus omnium contra ipſum. Ratio eſt, quia nullus eſt amicus tam ſincerus & bonus, qui non aliquando faciat aliquid aut dicat, quod alteri moleſtum ſit; cum ita ferat humanæ fragilitas conditio. Quare ſi alter, ad quamlibet offenſionem iraſcatur, & nihil in charitate ſupportans, legem amicitiæ violet; nullus facilè reperietur, qui cum huiuſmodi homine fero amicitiam colere poterit aut volet. At vero illi, qui natura aut exercitatione manſueti ſunt, & multa ferre ac diſſimulare poſſunt, plures ordinariè fautores habent & amicos, iuxta illud: *Fili in manſuetudine operatua perfice & ſupra hominem diligeris.* Vide Leonardum Leſſium de Temperantia c. 4. dub. 3. n. 22.

DISTINCTIO VII.

De Timore.

1. *Timor facit homines conſiliatiores.* libr. 2. Rhetoric. cap. quinto poſt medium.] A timore non redditur homo conſiliatiuus tanquam à facultate benè conſiliandi, vt loquitur D. Thomas 1. 2. cap. 44. art. 2. quia timor & cæterę paſſiones faciunt, vt videatur homini aliquid maius vel minus, quam eſt ſecundum rei veritatem. Dicitur ta-

Digitized by Google

men facere timor homines promptos ab benè consultandũ de rebus, quia sollicitos reddit vt in periculis & rebus dubiis sibi cõsulant & prospiciant, vt pluribº explicat D. Tho loc. citat. Eodẽ sensu dicit S. Hier.

2. *Timor virtutum custos est, securitas mater negligentia.* Epist. 127.] Sumitur hoc loco securitas, pro vt opponitur timori & sollicitudini, vt patet ex terminis; quo sensu Tertullianus de cultu fœminarum ca. 2. ait. *Qui securus agit, non est sollicitus, non possidet tutam & firmam securitatem*; & paulò superius: *Qui præsumit*, inquit, *minus veretur, minus præcauet, plus periclitatur*; *at verò timor fundamentum salutis est.* In eandem sententiam dixit Cicero: *Malim videri nimis timidus, quam parum prudens.* In eundem quoque sensum est istud vulgare: *Felix ciuitas, quæ tempore pacis de bello cogitat.* Depictum id aureis litteris in porta Aquaria ciuitatis Embrincensis almæ liberalium artium nutricis.

3. *Cor magnum est pauidis, parumq; mediocre audentibus.* lib. de part. animal. c. 4.] Vbi inquit Philosophus: Cor esse magnum certa proportione lepori, muri, hyenæ, asino, mustelæ, & reliquis ferè omnibus, quæ apertè sunt timida. Rationem huius assignat Albertus Magnus de animal. lib 1. t. 3. c. 4. Quia cor magnum non potest calefacere, quantitatem sanguinis ad ipsum accedentem. Calor enim, qui animi & audaciæ fomes est, fornacis suæ laxitate debilitatur, atque exolescit. Vnde fere videmus magnos & corpulentos ordinariè esse tardiores & languidiores paruulis. Paruos autem longè ad iram & cæteros animi feruentioris motus esse promptiores iuxta illud: *Parui corpore acuti sunt mente*, & illud *Magni corpore tardi sunt mente.*

4. *Homini probo non competit verecundia.* lib. 4. Ethic. cap. 9. & vltimo] Vbi; *Laudamus quidem in-*

uenum eos, inquit, *qui sunt verecundi, sed nemo ex eo seniorem hominem laudauerit, qui verecundus est. Nihil enim eorum ipsum oportere censemus agere, pro quibus emergere verecundia solet.* Etenim vt rectè S. Augustinus ait.

5. *Verecundia est dissimulandi metus.* Ex cap. 9. citato,] vbi Aristoteles eam definit, *Timorem dedecoris siuè infamiæ*, qui licet sit passio vtilis, ad virtutem in incipientibus, & imperfectis, eo quod à peccatis, abstrahat: in virum tamen probum, qua talis est, cadere non potest, regulariter nimirum & moraliter loquendo. Potest enim duobus modis spectari verecundia, vt notat Vasquez de pœnitentia ad quæst. 852. art. 1. dubio vnico. Primo quatenus præcisè oritur ex instinctu naturali, & sic nullius est virtutis actus. 2. quatenus fit ex motiuo alicuius virtutis, vt cum erubescit ob Dei offensum, aut ex alia causa honesta, & sic habet rationem virtutis, potestque locum habere in viris etiam perfectis. Primo, quia licet omnes virtutes illi possideant; possunt tamen adhuc aliquando peccare & propterea verecundari. 2. quia possunt reuocare in memoriam peccatum aliquod in iuuentute commissum, & ob id dolere & erubescere. Similia docet Suarez de pœnitent. d. 7. sect. 1. n. 9. & seq. Quamquam illud non fiet ab ijs quatenus probi sunt & perfecti; sed quatenus improbi & peccatores vel de præsenti vel certe de præterito. Itaque absolutè & vniuersaliter verum est, in virum probum qua probus est, non cadere verecundiam, & hoc voluit Aristoteles.

6. *Egenti viro inutilis est verecundia.*] Monet effatum abiiciendum esse vel politicum nimis vel rusticum pudorem; quoties iusta vrget necessitas. Notum istud: qui pecunias non habet in bursa; mel habeat in bucca.

Digitized by Google

DISTINCTIO VIII.

De *Audacia.*

1. *AVdaces fortuna iuuat.*] Audacia est actus appetitus sensitiui, quo fertur in bonum, ita, vt malum imminens siuè periculum negligat; oriturque vel ex immatura periculorum consideratione, vt plerumque accidit in iuuenibus, qui propterea sæpius initio sunt feruentissimi; sed statim deficiunt iuxta illud Senecæ.

2. *Elanguet ardor, qui citò nimium tumet.*] vel ex matura & prudenti discriminum peruestigatione, vt plerumque contingit in senioribus & fortibus viris. Qui autem mouentur hac audacia, constantius difficultates aggrediuntur & superant, & hi maximè à fortuna iuuantur, quippè cum & ratio pro illis stet & vera fortitudo. Proinde rectius dicitur: *Fortes fortuna iuuat.* de quo Tit. de forti.

3. *Periculosa est audacia, si vires non suppetant spiritibus.* Plutarchus in Laconicis, vbi refert Apophtegmata Archidami, qui videns filium suum cum Atheniensibus iuuenibus temerè aciuuenliter congredientem; *aut viribus*, inquiebat, *adde, aut animis adime*, docens, vanam esse sine viribus iram, & periculosam audaciam. Pro huius autem & præcedentium maiore explicatione notandumest, duplicem esse audaciam, irrationalem & rationalem, vt docet D. Thomas 1. 2. q. 45. art. 1. Illa solum sensum siue imaginationem consequitur sine discursu rationis: hæc vero tendit in executionem mediorum præmisso rationis discursu; illa initio præualet, sed paulatim remittit motum suum: hæc verò ordinariè felices

habet euentus, & sensim incrementa sumit. Ratio est, quia pericula, quæ non præuidentur, cum sese offerunt, deterrent appetitum: cum autem prospiciuntur, vt contingit in audacia rationali, rationes excogitantur quibus obuiam periculis eatur, & sæpè ipsa experientia, comperiuntur esse minora, quam fuerant mente cogitata.

4. *Iniusta passi audaciores fiunt.*] Cæteris nimirum paribus. Sumitur ex 3. Eth. cap. 8. Ratio illius assignatur lib. 2. Rhet. cap. 5. Quia huiusmodi æstimant, quod Deus auxilium ferat ijs, qui patiuntur iniuriam. Eadem de causa docet ibidem Aristoteles, eos, qui benè se habent ad diuina, cæteris paribus esse audaciores, quia: *quò quisque in Deo fidentior est, eò est audacior.* Fidentior autem est, qui melius se habet erga Deum, quia certius sibi pollicetur auxilium diuinum, per quod omnia possit. Etenim audacia generatur ex opinione & spe consequendæ victoriæ, siuè per virtutem propriam, vt si adsit robur ac fortitudo corporis, experientia in periculis, multitudo pecuniarum & alia huiusmodi, siuè per potentiam aliorum, vt si adsit multitudo amicorum, vel quorumcumque auxiliantium; præcipuè vero, si homo confidat de auxilio diuino, vt rectè ex Aristotele notat S. Thomas. Absolutè namque, quò maior in viribus siue propriis siue alienis fiducia est, eò est maior audacia. Hac præditus audacia rationali exclamabat Regius Propheta Dauid. *Dominus illuminatio mea & salus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum.*

DISTINCTIO

DISTINCTIO IX.

De Spe & desperatione.

QVæ de his duabus affectionibus dici possunt, sufficienter explicata sunt Titulo de habitibus supernaturalibus, quem consule, si placet.

TITVLVS LIV.

De Actibus intellectus.

DISTINCTIO PRIMA.

Quid & quod sint operationes intellectus.

1. *Operationes illæ sunt actiones immanentes nostri intellectus circa obiectũ intelligibile.*] Dicuntur primo *immanentes*; quia manent in illo principio, à quo eliciuntur: nec per se versantur circa materiam externam; quo modo calefactio v. c. ab igne egreditur & transit in aquam. Dicuntur tamen secundo versari, *circa obiectum intelligibile*; quia omnes actus specificantur per obiecta, vt docet Aristoteles lib. 2. de Animâ t. 33. & explicatum est, Titulo *de Habitu in genere* Distinctione quinta.

2. *Tres sunt operationes intellectus cognoscitiuæ*] 1. *Simplex apprehensio* quâ simplici quodam intuitu rem cognoscit, nihil de ea affirmando aut negando; vt

cum cogitat hominem, leonem, plantam. Secunda *Compositio & diuisio*, qua res duas vel plures per primam operationem apprehensas, aut componit inter se affirmando vnam de aliâ; aut diuidit à se negando vnam de aliâ. Tertia *discursus* quâ ex vnâ vel pluribus operationibus per secundam cognitis aliam infert, interpositâ particulâ illatiuâ, *ergo*.

3. *Tribus hisce quidam annumerant etiam istas:*] Methodum, Locutionem, Imperium, interrogationem, Dubium, Productionem specierum intelligibilium, Inuentionem, & Admirationem; Ex quibus quæ cognoscitiuæ sunt, non distinguuntur à tribus dictis.

4. *Actus intellectus, vel est absolutus, vel comparatiuus: item vel directus vel reflexus.*] Prętera vel primarius vel secundarius, vt perspicuum fiet ex sequentibus.

DISTINCTIO II.

De conceptu rerum.

1. *Conceptus sunt similitudines rerum obiectarum.* lib. 1. de Interpret. cap. 1. pro huius explicatione notandum est, conceptum in genere esse duplicem. Formalem; & obiectiuum: Formalis est actualis imago rei intellectæ, ad quam intrinsecè terminatur intellectio, & dici solet species expressa, seu notio. Obiectiuus est res illa, quæ per conceptum formalem obiicitur. Prior dicitur formalis; quia est forma intellectui inhærens. Posterior obiectiuus dicitur; quia intellectui obiicitur; & vocatur conceptus per denominationem extrin-

Digitized by Google

secam. Sensus itaque pronunciati est : conceptus formales, (qui propriissimè & intrinsecè conceptus sunt) esse formas & simulacra conceptuum obiectiuorum siue rerum, quæ potentiæ cognoscenti obiiciuntur & repræsentantur ; quarum nomine intellige omnia illa, quæ concipi à nobis seu apprehendi possint, siue vera sint entia realia, seu fictitia tantum. Hinc patet discrimen inter conceptum formalem & obiectiuum ; quia ille semper est realis ; & intrinsecè conceptus dicitur : hic verò extrinsecè tantum, & potest esse ens rationis, vt Chimæra quæ fingitur ab intellectu.

2. *Conceptus idem sunt apud omnes.* lib. 1. de Interp. cap. 1. id est, suapte naturâ idem apud omnes significant : in quo distinguuntur à vocibus articulatis, quibus colloquimur, & scriptis quorum non est eadem apud omnes significatio. Sunt enim conceptus signa naturalia, vt vocant, quę idem apud omnes naturaliter faciunt in cognitionem venire : At verò voces, sunt signa ex instituto siue ex impositione ; quam institutionem si quis ignoret, vocis significationem non apprehendet. Hinc etiam. *Conceptus non sunt æquinoci*, vt docet Aristoteles ibidem : nempe respectu earum rerum, quarum sunt similitudines naturales, vt perspicuum est ex dictis.

3 *Vnumquodque vt verè concipiatur, debet concipi sicuti est*] Sumitur ex tertio Metap. t. 12. & lib. 4. t. 4. ratio est ; quia alioqui conceptio non est conformis rei conceptæ : perfectio autem cognitionis in eo consistit, vt res cognoscatur sicuti est ; & ex communi sententiâ ; *sicuti se res habet ad esse ita etiam ad cognosci*, de quo vide, si placet, quæ diximus Titulo de *Potentia cognoscitiua* Atque hinc docent Philosophi, in primâ operatione nostri

Digitized by Google

intellectus non inueniri propriè falsitatem; quia id semper est eius obiectum, quod repræsentatur; ac proinde vel repræsentatur ei res, vt est, vel non: si non, non est obiectum, & ideo nec falsus est conceptus. Sicut imago non bene repræsentans Christum, non dicitur falsa, sed imperfecta; quia eatenus non est eius imago: ac proinde falsitas est in nostri intellectus attributione, qua per operationem secundam iudicamus esse illam Christi imaginem, & attribuimus illam Christo, quem non repræsentat. Nota tamen, quando nos concipimus res spirituales, vt Deum v. c. vel Angelum, aliud est, nos concipere diuina, & de illis loqui modo nostro; in quo potest esse aliqua proportio, quę non est in re conceptâ: aliud vero est, obiectiuè concipere in Deo, eique aliquid attribuere quod in re non sit: prius enim verum esse potest, & non reddere falsam nostram conceptionem: posterius verò non potest esse sine falsitate; quia reuera sic tribuitur aliquid Deo, quod ei minimè conuenit, vt bene docet Suares Tomo 1. in 3. p. disp. 5. sec. 2. in *dico* 2.

4. *Essentia rei potest concipi sine proprietatibus.*] nempe veris, & realiter ab ipsâ rei substantiâ distinctis. Ratio est, quia hæ cum accidentia sint, à rei naturâ per efficientiam aliquam dimanantia, formaliter non includuntur in conceptu essentiali rerum: licet enim fundamentaliter & quoad conuenientiam vera proprietas de subiecto negari non debeat; siquidem videtur non posse fieri, vt sit & plenè concipiatur aliquis homo, cui non conueniat esse risibilem, vel cui repugnet, risibilitas: formalis tamen conceptus essentiæ distinctus est ab omnibus veris proprietatibus & attributis. At vero.

Digitized by Google

5. *Essentia rei non potest concipi sine aliquo, quod est de essentia.*] Nempe perfectè & adæquatè. Ratio est; quia quidquid est de rei essentiâ, illud ingreditur conceptum illius essentialem plenum & adæquatum; cum vnumquodque, vt verè concipiatur, concipi oporteat, sicuti est, vt docetur in 5. Metap. cap. 2. & alibi. Atque hinc docent Theologi, essentiam Dei, secundum se, prout est à parte rei, & adæquatè concipi non posse, quin concipiantur omnes ipsius perfectiones, siue attributa; quia enim essentia Dei quatenus essentia, per se à parte rei, & formaliter est infinita in omni genere, necessariò sequitur, eam continere debere omnem perfectionem simpliciter: Ergo ab eâ nulla earum præscindi potest: Ergo vt rectè concipiatur debet concipi, vt includens omnia prædicata attributalia. Sed in hac materia de diuinâ essentiâ grauis est controuersia inter Vasques, 1. part. disput. 119. & Gillium l. secundo tr. 20. integro, ex vna parte: Et inter Suarez cum aliis ex altera parte, cuius determinatio non est huius loci.

DISTINCTIO III.

De vocibus & locutione.

1. *Omnis vox est significativa alicuius affectus.* Sumitur ex lib. 2. de Animâ cap. 8. t. 90.] Vbi ad rationem vocis requirit Philosophus, vt edatur cum imaginatione siue intentione significandi aliquem affectum vel conceptum animi: Per hoc enim distinguitur vox à tussi, & cæteris sonis animalis: Sic v. c. cantus significat lætitiam,

gemitus tristitiam : quamquam non omnis est significatiua ex instituto, vt loquuntur Dialectici; licet esse possit, vt verbi causa scyndapsus potest significare lapidem, si ita inter homines conueniat. Itaque, *vox est sonus editus, ab animali, ictu aeris ad fauces allisi cum intentione, significandi*, vel sensa phantasiæ & appetitus sensitiui tantum, vt in brutis; vel etiam conceptus mentis, & affectus voluntatis, vt in hominibus; quibus solis conuenit sermo, siue vox articulata ad significandum res & conceptus animi instituta, iuxta illud.

2. *Voces sunt signa conceptuum.*] libro primo Perihet. cap. primo, immediata scilicet & proxima: nam mediatè sunt etiam signa rerum conceptarum. Ratio est; quia vocum vsus est introductus vt re concepta, quæ latebat in mente concipientis, exprimatur alteri per vocem in locum conceptûs ipsius constitutam. Vnde voces dicuntur signa conceptuum significatiua tantum: rerum autem & significatiua & suppositiua, vt aiunt Dialectici; quia nimirum pro rebus supponunt voces. Atque hac de causâ nulla vox hominis aut creaturæ respectu Dei vicem signi sustinere potest: cum enim nihil latere possit Deum (vtpote qui scrutator est cordium & rerum) nihil etiam Deo significare possumus per voces: neque cum voce vtimur, in oratione verbi causa agentes & loquentes cum Deo, propriè significamus Deo conceptus nostros; quos ipse optimè & intimè nouit; sed tantum eo fine oratione vocali vtimur, vt affectus nostri, verbo expressi, magis incalescant, &cæt. Cæterum nomine vocum intelliguntur hic propriè solæ voces articulatæ, & significantes ex instituto;

Digitized by Google

quæ proferuntur eo fine, vt animi ſenſa aperiant. Excluduntur ergo voces inarticulatæ, vt gemitus, cachinnus, mugitus &c. quæ ſignificant quidem affectus internos; ſed non conceptus intellectûs, item voces pſittacorum, ebriorum, amentium, &c. quæ non exprimunt eorum conceptus. Deniq; voces eorum; qui cum dolo, & contra mentem loquuntur: Tales namque ſermonis & linguæ vſum quem natura & communis hominum conſenſus voluit eſſe nuntium & interpretem animi, impiè peruertunt, quo fit vt etſi poſtmodum vera dicant; fide tamen habeantur indigni.

3. *Proprium hominis eſt locutione vti.*] Eâ videlicet, per quam vnus homo conceptus ſuos alteri poteſt totaliter exprimere. In hoc ſiquidem homo differt ab animalibus brutis; quę paſſiones ſuas exprimunt in communi: vt canis latratu iram, columba gemitu triſtitiam. Sumitur ex libro quarto de Hiſtoria Animalium cap. 9. Vbi Philoſophus diſtinguit inter ſe, ſonum, vocem & locutionem: & illum quidem communem eſſe docet rebus animatis & inanimatis: iſtam verò conuenire ſolis animalibus, non tamen omnibus: Nam, *Inſectis animalibus nulla eſt vocis facultas*; licet ſonent non exteriore ſolum; ſed etiam interiore ſpiritu, vt apes, cicadæ &c. Hanc denique propriam eſſe hominibus licet non omnibus etiam competat: Nam *qui ſurdi iam inde ab ortu naturæ ſunt, iidem etiam muti: vocem ergo emittere poſſunt: locutionem autem nullam.* Nomine igitur locutionis intelligitur vox articulata, ſic dicta, quod litteris ac ſyllabis, velut artubus ſeu articulis ita ſit copulata & diſtincta, vt ſcribi poſſit, coniuncta cum determinato conceptu proferentis.

à quo procedit vitaliter. Et hæc est vox humana. In hanc sententiam Aristoteles lib. 1. Rhetor. cap. 7. *Si turpe est hominem sibi ipsi corpore opitulari non posse quanto turpius est, non posse, locutione? cum locutio peculiarior homini habeatur quam vsus roboris, & virium corporis.* Dicuntur & Angeli subinde loqui in corporibus assumptis, sed impropriè; quia sonus ille non editur per vocalia instrumenta à vitali potentia iis inhærente: alia Angelorum locutio mentalis est, de qua Hurtado disp. 12. Metap. n. 31.

4. *Vocis grauitas naturæ generosæ inditium est.* libro quinto de Gener. Animal. ca. 7.] Patet inductione maiorum ferarum, & earum inter se collatione: quo enim vnaquæque naturâ generosior est; eò vox illi est grauior. Eâ de caussa Aristoteles lib. 4. Ethic. cap. 3. inter officia & notas viri magnamini refert, *Habere motum tardum, vocem grauem, orationem stabilem & sedatam*: Nam vti reliquæ animalium motiones; ita vox etiam & sermo sunt ingeniorum & morum imagines. Vide, si placet, quæ diximus ad illud: *Mores ex motionibus discernuntur.*

5. *Actio est quædam corporis eloquentia.* Vnus pronunciati huius sensus elicitur ex lib. quarto Eth. cap. 8.] Vbi Philosophus docet, interiores corporis dispositiones, per actiones & motus corporis exteriores cognosci: quemadmodum enim oris eloquentia sensa mentis, ita corporis motione interna eius constitutio manifestantur, quo sensu etiam dixit Ambrosius libr primo Offic. c. decimo octauo: *vox quædam mentis est corporis motus.* Verum propriè hoc dictum oratorium est, & intelligitur de eâ actione, quæ in gestu flexuque

Digitized by Google

corporis posita est, ac vocis moderatione perficitur: hæc siquidem non secus, ac ipsa linguæ facundia plurimum momenti affert ad persuasionem, vt docet Aristoteles Rhetoricâ ad Alexandrum c. 17. & alibi. De ipsâ plurima scripserunt Cicero, Quintilianus & alij. Certè Demosthenes tanti eam fecisse perhibetur; vt cum rogaretur, quid in dicendo esset primum, huic primas dederit, huic secundas, huic tertias. Ita de eo testatur M. Tullius l. 3. de Oratore, & alij.

6. *Taciturnitas mulieri decus adfert, non item viro.* l. 1. Polit. ca. 8.] Mulier animal magnæ loquentiæ, paruæ prudentiæ & eloquentiæ, nullâ re ferè magis cohonestatur; quam moderatione linguæ, & silentio; maximè apud viros, & in conuentibus publicis, vbi de rebus seriis agitur: Hinc Apostolus 1. Tim. 2. v. 12. *docere mulieri*, inquit, *non permitto*: Nempe publicè & solenniter in Ecclesia, vt communis sensus interpretum in locum citatum, priuatim enim licere, quando res ita exigit, patet ex Actorum c. 18. v. 26. Vbi Aquila & Priscilla eius vxor narrantur alios docuisse viam Domini. At verò viros non ita silentium ornat, si viri reuera sint, & animum non gerant effœminatum. Vide, si placet, quæ diximus ad illud: *Consilium mulierum*, ἄκυρον.

DISTINCTIO IV.

De enunciatione generatim.

1. *Affirmatio est prior negatione.*] Enũciatio affirmatiua prior est, quam sit negatiua, non tãtum prioritate honoris seu dignitatis; quia scilicet

enunciatio affirmatiua significat rem esse, quod nobilius est, quam non esse; id quod significat enunciatio negatiua: verum etiam prioritate ordinis & naturæ: Nam etiam.

2. *Omnis cognitio falsi supponit cognitionem veri.*] Patet inductione, & ratio est; quia omnis cognitio falsi præcedit suo modo, & dependet à cognitione veri; siquidem impossibile est, vt cognoscam hanc propositionem esse falsam: *Homo est brutum*: nisi prius cognoscam, quid sit homo, & quid sit brutum, eodem modo res habet in cæteris. Notandum autem aliud esse: Omnis cognitio falsa præsupponit necessariò cognitionẽ aliquam veram in cognoscente; aliud: Omnis cognitio falsi, præsupponit necessariò aliquã cognitionẽ veri: illud.n. est falsũ, vt patet experiẽtiâ quotidianâ: hoc autẽ verũ, vt iã explicatũ est.

3. *Philosophus nihil affirmat aut negat absq; ratione.*] Nẽpe qua Philosophus: illi* qnippe est nõ modo de qualibet re subtiliter & aptè disserere to; sed etiã eorũ omniũ, quæ in vnaquaq; re insunt, causas omnes tum proximas, tum etiam generales & primas perspectas atq; cognitas habere; Et aperire fontes omnium dubitationum ac difficultatum, earumq; solutionẽ rite tradere. Deniq; *loqui sententias & sermonem promere doctrinalem*, vt docet Aristoteles l. 1. Metaph. ca. 2. Quamobrem si quidpiam asseratur à Philosopho, quod non vsque adeò videatur probabile, ratio assertionis postulari ab illo potest iuxta illud vulgare.

4. *Affirmãtis incumbit probare.* Significat id Arist. l. 1. Metap. c. 2.] Vbi generatim & absolutè pronũciat, docentis esse, vt reddat causas eorũ, quæ docentur, præsertim si sententiam aliquã, tanquam veritatem fundamentalẽ ponat, cui doctrinã aliam velit superstruere: tunc enim necesse est, vt propositionẽ illam siue affirmatiua, siue negatiua sit cõgruè ad suum institutum probet ac stabiliat. Itaq; per affirmantẽ hic

generatim intelligitur is qui ponit sentẽtiam qualẽcunque, in eundem sens. l. 7. Ethic. c. 14. Sub initium, inquit Philosophus.

5. *Non sufficit verũ dicere, nisi & falsi causa assignetur.*] rationẽ addit ibidẽ, quoniam id plurimũ ad fidẽ faciendam conducit: *Nam cum id rationi consentaneũ fuerit visum*, inquit, *ob quod verũ esse videtur, quod nõ est verum; facit vt ipsi vero magis assentiamur*: id est, cũ appareat & perspiciatur vis rationis, propter quã videbatur esse verisimile id, quod non erat verum, inde fieri, vt magis assentiamur veritati; ideoq; aperiendam esse non solum solutionem dubitationis: sed etiam assignandam esse causam falsitatis, quæ erat in obiectione, vt bene obseruat D. Thomas in hunc locum. Simili modo, si in dissertatione Philosophicâ, negetur propositio aliqua, quæ omninò videatur probabilis, non est inconueniens, petere ἔνστασιν siue instantiam, aut rationem negandi: Nam:

6. *Malè illud negatur, quod cũ ratione negari non potest.*] Sicuti malè illud affirmatur, quod nullo argumẽto potest cõprobari. Notandũ tamẽ hoc loco, nõ omnẽ propositionẽ absolutè verã esse, quæ per nullã instantiam potest infirmari: in hoc enim syllogismo: Omne ens reale habet causam sui esse; Deus est ens reale. Ergo Deus habet causũ sui esse; maior omnino falsa est, cũ ex illâ falsissima oritur cõclusio: Et nihilominꝰ per nullius rei enstasin præter eã, quæ in quæstione versatur, eneruari potest; siquidem omne ens reale, pręter solũ Deũ glorioſum, causam habet sui esse, cum *omnia per ipsum facta sunt*, vt dicitur Ioã. c. 1.

7. *Quid insuper bibere opus est, cum strangulat aqua*: Prouerbium istud refertur ab Aristotele l. 7. Ethic. c. 2.] Vbi docet, illi obnoxium esse hominẽ incontinentẽ; qui licet persuasum habeat non esse agenda ea, quæ agit: nihilominus talia agit. Pulchrè quadrat in eos, qui pertinaciter manent in sen-

tentiâ absurdâ, vel negant manifestè veram ; licet pondere argumentorum sese oppressos videant, & vt in scholis dicitur, sacco concluſi palpitent.

8. *Ratio ratione antiquatur & tollitur.* Ita pronunciat Achilles apud Euripidem, in Ephigen. Act. 4. vers. 209.] Sensus illius est; vti in omni rerum genere reperire est bonũ bono mellus ; ita etiam persæperationem esse ratione prægnãtiorem, & hanc illi titulo iusto præualere. vt constat experientiâ quotidianâ. Verba Euripidis sunt ista: ἀλλ' οἱ λόγοι κρατοῦσι λόγους.

DISTINCTIO V.

De significatione illius.

1. *Significatio totius orationis conflatur ex significationibus partium.*] Idest terminorum vel dictionum, ex quibus tota oratio constituitur : Est enim oratio nihil aliud, quam multarum dictionum ex instituto significantium comprehensio. Ratio pronunciati est ; quia significatio vel est ipsa impositio, vel ex impositione oritur : iam verò tota oratio non habet aliam impositionem & distinctam ab impositionibus partium, seu vocum, ex quibus constat : Ergo significatio totius orationis non est alia, neque distincta à significationibus partium ; sed conflatur ex illis.

2. *Significationis potius, quam vocis habenda est ratio.*] Nempe Philosophis & omnibus ijs, qui rem potius quærunt, quam verba : Non verò Grammaticis; quia horum est disputare de litteris & nominibus: quare vti temerè & insulsè agunt Grammatici, qui sese in altiorum facultatum studia ingerunt, vt

Digitized by Google

rectè docet Maximilianus Sandæus in Grammatico profano commentatione 14. & alibi; ita parum suæ professioni conformiter agunt Philosophi, Theologi & alij superiorum facultatum cultores, qui citra necessitatem ad inanem verborum contentionem sese abijciunt. Valet hoc dictum in multos huius æui sciolos mortales, qui dum morales, & pias instructiones vel legunt vel audiunt, ad phrasim potius & sermonis elegantiam, quam ad latentem in dictione fructum spiritualem aduertunt.

3. *Vniuersalis enunciatio æquipollet aggregationi omnium suarum singularium.*] Vt hæc, Omnis homo est Philosophus, huic orationi: hic homo est Philosophus, & ita ceteri. Item hæc: nullus homo est Philosophus, huic: hic homo non est Philosophus, & ille non est Philosophus, & ita ceteri.

14. *Qui totum dicit nihil excludit.*] Vniuersaliter verum est, manendo in eâdem ratione totalitatis: qui enim totum dicit absolutè, nihil excludit absolutè: qui in certo genere, nihil excipit in eodem genere. Quod si aliquid excluditur, clarum est, quod totum non dicitur. Vsus huius effati valet in eos, qui propositionem aliquam vniuersalem & veram instantiâ minimè opportunâ vanè infirmare solent.

5. *Particularis enũciatio æquipollet disiunctioni omniũ suarũ singulariũ.*] Vt hæc: aliquis homo est Philosophus; huic orationi: Hic homo est Philosophus, aut hic homo est Philosophus, aut ille &c. Et hæc: aliquis homo non est Philosophus huic: hic homo est Philosophus, aut hic homo non est Philosophus, aut ille; & ita ceteri disiunctiuè.

6. *De Æquipollentibus idem est iudicium.*] Nempe quoad sequelam, & iudicium philosophicum; quia scilicet ab vno ad aliud est bona consequentia, eò quod idem valeant, vt ipsa ostendit Etymologia,

seseque mutuò inferant aut tollant: non vero quoad modum significandi, aut alias considerationes grammaticas, vt rectè notauit interpres Axiomatum Ven. Bedæ.

DISTINCTIO VI.

De diuisione.

1. *Diuisio est oratio, quâ totum in suas partes diuidiur.*] Diuisio & definitio dupliciter spectari possunt, 1. pro interno iudicio enunciatiuo de duabus vel pluribus rebus per primam intellectus operationem apprehensis, quo intellectus vnam rem alteri conuenire aut non conuenire iudicat 2. pro oratione vocali, quâ internum mentis iudicium pronunciatur. Hoc posteriore modo potissimè dicitur diuisio esse oratio totum in suas partes distribuens. Vt si dicas: Hominis altera pars est corpus, altera anima.

2. *Diuisio est veluti imperfectus syllogismus.* l. 1. Prior. sec. 2. c. 7.] Ita appellatur; quia est vnus è differendi modis, quibus ignotum aliquod ex notis aperitur: Cum enim tria sint, quæ de re quapiam sciri possint; nimirum essentia rei, partes, & affectiones; vti essentiam ostendit definitio, & affectiones siue attributa argumentatio: ita partes rei aperit diuisio: Quando namque totum in suas partes diuiditur, tunc distinctè qua totum est, declaratur.

3. *Diuisione, nihil probatur aut refellitur.*] Bene diuisio syllogismus dicitur imperfectus; quia nihil per se infert ac concludit; ac per consequens neque probat

Digitized by Google

quicquam neq; refellit. Proinde licet bene dicere dicatur qui benè distinguit: Non tamen quælibet diuisio vel distinctio est argumenti solutio. Valet pronunciatum in eos, qui pondere argumentorum pressi, distinctiones in medium proferunt parum vel nihil ad rem facientes, & quas ipsi sæpe vel non intelligunt, vel certè materiæ propositæ accommodare non possunt.

4. *Omnis diuisio fieri debet secundum vnius cuiusque rei naturam.* Sumitur ex l. 3. Physic. c. 4. t. 45.] Ita videlicet, vel in multitudinem diuidatur; si id quod diuidendum proponitur, numerus sit: vel in magnitudinem, si sit totum continuum; vel in partes physicas essentiales, si sit totum continuum, vel in subiecta, si totum vniuersale: & ita de cæteris. Vide si placet quæ diximus, Titulo *de Quantitate*, Distin. 11. n. 1. & seqq.

5. *Diuisio naturâ est posterior compositione.*] Supponit diuisio compositionem vti artifex suum præsupponit obiectum: nihil enim potest diuidi, nisi certis constet membris diuidentibus, in quæ diuidatur; sicuti etiam illud non diuiditur, quod nullo modo est vnum. Vide, si placet, Hurtado Disp. logicâ 10. n. 23. & 24. Vbi addit, omnem diuisionem ferri in partes alicuius compositi.

6. *Diuisio vtilis est ad definitionem.* 2. Poster c. 13. t. 18.] Ratio est: quia conducit ad intelligendum, quæ differentiæ vniuersaliores sint, quę minus vniuersales: quæ series vel ordo partium definitionis: in quo conueniat res definienda, cum aliâ quauis, & in quo discrepet, vt bene explicat Themistius in caput Aristotelis citatum. Atque hac de causâ omne æquiuocum prius distinguẽdũ est quàm definiendũ, vt dicetur suo loco. Porro quæ hactenus attulimus pronunciata, spectant potissimè ad diuisionẽ

Logicam & Metaphysicam: de Physicâ diuisione actum est Titulo *de quantitate.*

DISTINCTIO VII.

De definitione.

1. *Definitio est oratio, quæ essentiam alicuius naturamue declarat.*] Vt animal rationale declarat naturam hominis. Eâ de causâ l. 2. Poster. t. 20. dicitur, *Quod quid est*, quia distinctè ostendit quidditatem rei, per partes essentiales. Dicitur etiam *definitio* l. 1. Top. c. 3. & 4. quod ceteris veluti limitibus determinet naturam rei, & dicitur *Terminus*, l. 1. Poster. t. 79. quod sicuti termini agros, ita definitio naturam cuiusque rei claudat ac terminet.

2. *Ratio quam nomen significat, est definitio rei.* 4. Metap.] Sensus est, id quod significatur per nomen cuiuslibet rei, esse ipsam rei quidditatem seu naturam. Patet id in nominibus generum & specierum. Homo enim significat propriam hominis naturam, equus equinam, corpus corpoream, & ita de ceteris. Item Petrus significat hanc indiuiduam naturam Petri, Paulus illam, & ita consequenter in aliis: sequitur tamen nomen modum essendi, non prout est in rebus; sed prout est in nostrâ cognitione vt docet D. Thomas 1. p. q. 13. a. 9. ad 2.

3. *Vnius rei vna tantum est definitio.* l. 5. Metaph. cap. 29. t. 34.] Vbi addit Philosophus, posse esse plures rei vnius definitiones per accidens, intelligitur itaque de definitione perfectissimâ & per omnes causas; quo sensu D. Thomas. 1. 2. q. 55. a. 4. in Corp. ait: *perfectam rationem vniuscuiusque rei colligi*

ligi ex cauſis eius. Poſſunt autem plures eſſe rei vnius definitiones, per plures & diuerſas cauſas. Sic verbi gratiâ Baptiſmus materialiter tantum acceptus definitur à D. Thomâ ex Magiſtro in 4. diſt. 3. *Ablutio corporis exterior facta ſub præſcripta formâ verborum.* Formaliter acceptus tantum eſt, *Sacramentum regenerationis*, ſiue ſacramentum ad ſpiritualem hominis regenerationem inſtitutum; quibus verbis deſcribitur peculiaris illa ſignificatio practica gratiæ, quâ Baptiſmus diſtinguitur ab alijs ſacramentis: ſicuti priore definitione explicatur, quæ ſit ſubſtantia illius rei, cui conuenit talis ſignificatio. Porro ex vtraque iſtâ definitione partiali vna conflatur integra, quæ ſic habet: *Baptiſmus eſt ſacramentum regenerationis per lauacrum aquæ in verbo vitæ*: ita Catechiſmus Concilij Tridentini, verbis ex ſcripturâ contextis.

4 *Omnis definitio in Iure ciuili periculoſa eſt.* Eſt hæc 21. ex regulis Iuris antiqui.] Ratio illius eſt; quia vt ibidem additur, rarum eſt, quin ab aliquo ſaltem ſecundum quid labefactari & ſubuerti poſſit; quâ etiam de causâ: *Ab vno caſu in Iure expreſſo, non licet regulariter argumentari ad alium*, vt explicabitur ſuo loco. Idem porrò locũ habet in definitionibus multis philoſophicis, vt patet experientiâ quotidianâ: Quamobrem, vt recta ſit, & periculo vacet Definitio, multa regulæ & cautiones traduntur à Dialecticis, tum ex parte definitionis, tũ etiam ex parte definiti; quæ cum paſſim ſint obuiæ, non eſt, quod illis commemorandis hic immoremur. Lege, ſi placet, l. 5. Dialecticæ Fonſecæ.

5. *Definitio notior eſt ſuo definito.*] Nempe cognitione perfectâ & diſtincta. Ratio eſt; quia proprium eſt definitioni, intellectui diſtinctè ſubijcere, quod nomen definiti confusè proponit;

Sumitur ex 6. Top. c.2. Vbi docet Ariſtot. definitionem talem eſſe debere, vt ipsâ propoſitâ, ſtatim nulloque negotio cognoſci poſſit, cuius rei ſit definitio.

6. *In definitione nihil de aliquo prædicatur.* l. 2. Poſter. c. 3.] Definitio accipitur dupliciter, 1. pro operatione primâ intellectus, ſiue pro diſtinctâ apprehenſione eſſentiæ compoſitâ ex ſubordinatis conceptibus partium eſſentialium; quo ſenſu dixit Ariſtoteles l. 1. de Interpret. cap. 4. ipſam hominis rationem, definitionemue, niſi vel *eſt* vel *erat*, vel *erit*, vel aliquid ſimile addatur, non eſſe enunciationem; quia vnum eſt, & non multa, *animal greſſibile bipes*. Et hoc ſenſu intelligitur, & verum eſt pronunciatum, ſecundo ſumitur pro plenâ enunciatione: quæ ex definito, vt ſubiecto, ex definitione autem tanquam prædicato conſtruitur, & de eâ hoc poſteriore modo acceptâ intelligitur iſtud.

7. *Omnis definitio eſt affirmatiua.* l. 2. Poſt. c. 3.] Aſſeritur enim in eâ, omnem definitionem, ſtrictè ſumptam conuenire rei definitæ. Iuxta hanc poſteriorem acceptionem Quintilianus ait: *Finitionem eſſe reipropoſitæ propriam, & breuiter comprehenſam verbis enunciationem.*

8. *Cui tribuitur definitio, tribuitur definitum.* &

9. *Cui non tribuitur definitio, nec definitum tribuitur.*] Intelligitur & verum eſt vtrumque, ſi tota definitio attribuatur vel non attribuatur, cum omnibus iis, quæ explicitè vel implicitè includit. Quando enim in materiâ morali v. c. definitur actus alicuius virtutis, ſæpe præſupponuntur ea, quæ ſunt communia tali actui, cum actibus aliarum virtutum, vel omnium, vel etiam tantum aliquarum, nec ſemper opus eſt ea exprimere & ingeminare; ſufficit nãq; exprimi differentias, quibus ab omnibus aliarum

Digitized by Google

virtutum, vel etiam eiuſdem virtutis actibus aliis diſtinguitur. Sic e. c. in hac definitione : *Actus ſpei Theologica eſt expectatio beatitudinis æternæ nobis per auxilium diuinum conſequendæ*, præſupponitur & ſubintelligitur, quod ſit actus virtutis , & quod ſit actus virtutis ſupernaturalis &c. alioqui ſi ſpectarentur verba vt nudè ſonant, tota definitio conuenire poſſet, non ſolum actui ſpei naturalis ; ſed etiam præſumptionis , quod eſt vitium oppoſitum.

10. *Quando res deſinit eſſe, nomen perdit & definitionem.* Auerroës l. 1. Phyſic. Com. 63.] Vt ſi lignum corrumpatur, & tranſmutetur in ignem, amittit etiam eſſe ligni, & eiuſdem nomen ac definitionem: Nõ enim poteſt ipſi competere definitio ligni, ſi ipſum non maneat tale definitum. Vide Suarez diſp. 31. Metap. ſec. 13.

DISTINCTIO VIII.

De *prædicatione.*

1. *CVm quippiam de quopiam prædicatur , vt de ſubiecto , ea quæ de prædicato dicuntur , dicuntur etiã de ſubiecto.* In Categoriis c. 3.] Celebris iſtius regulæ anteprædicamentalis hic eſt ſenſus: Quæcũq; de prædicato affirmantur eſſentialiter, in quid, & & vniuersè, illa etiã affirmãtur de ſubiecto. v. c. ſubſtantia, corpus, viuẽs prædicãtur de animali; idcirco quidquid prædicatur de corpore, viuẽte , ſubſtantiã prædicatur etiã de animali. Dixi eſſẽtialiter & vniuerſim: quia nõ ſequitur: Homo eſt doctus , Socrates eſt homo, Socrates eſt doctº; quia doctũ eſſe, nõ dicitur eſſẽtialiter de Homine; nec vniuersè, ſed accidẽtaliter

tantum & indefinitè. Est ergo hæc regula intelligenda de prædicatis superioribus, essentialibus, in quid, & ita comprehenduntur tantum prædicationes generis & speciei. Notãdum autem, quædam esse, quæ conueniunt alicui generi vt animali v.c. sine vllo ordine ad differentias quibus illud contrahitur, vt esse sensibile, esse corpus, esse substantiam; Et hæc conueniunt omnibus speciebus, quæ pro genere habent animal: Quædam verò conueniunt illi, in ordine ad differentias, quibus contrahitur; vt posse contrahi pluribus differentijs, posse multiplicari in speciebus, esse genus, &c. in suppositione simplici: Et hæc non conueniunt ipsis speciebus, licet de eorum essentiâ sit animal. De prioribus intelligitur pronunciatum, non autem de posterioribus.

2. *Quum quippiam de quopiam prædicatur vt de subiecto, ea quæ de prædicato negantur, etiam negantur de subiecto.*] Vt v. c. quia color prædicatur de albedine, & quantitas negatur de colore, negatur etiã de albedine. Pronunciatum istud negatiuum Auicenna & alij antiqui Philosophi elicuerunt ex priore illo affirmatiuo, iam explicato; eademq; est huius & illius ratio. Quare, vt verum sit, ijsdem conditionibus, quibus affirmatiuum, limitari debet; alioqui sæpe deficiet; Vt exemplis cuilibet obuiis facilè ostendi potest.

3. *Quidquid vniuersè affirmatur de subiecto, affirmatur de quouis contento sub illo.* Sumitur ex l.1. Priorum c.1.] Vt si homo est animal: Ergo Petrus est animal, & Paulus &c. Differt hoc effatũ à Regulâ anteprædicamentali iã explicatâ, quod illa minus latè pateat; quia locum habet solum in materiâ necessariâ, & requirit, vt prædicatũ dicatur de subiecto, tanquã aliquid superius de inferiori essentialiter & in quid, saltem ex mente Aristotelis; quorum neutrum re-

Digitized by Google

quititur ad hoc pronunciatum ductum enim est ex illo principio regulatiuo syllogismorum.

4. *Dici de omni.* Habetur l. 1. Priorũ c. 1. & vocatur *prioristicum*, vt distinguatur cõtra aliud *dici de omni*, quod traditur l. 1. poster. t. 29. & dicitur *posterioristicũ*; quæ duo ita differũt, quod posterioristicũ minus latè pateat; quia exercet vim suã in propositionib⁹ tantũ necessariis & veris: Prioristicũ verò, etiam in cõtingentibus & apparenter solũ veris. Ratio est; quia illud inseruit soli syllogismo necessario, seu demonstratiuo: Hoc autem tum probabili tum necessario. Vnde ad illud requiritur, vt prædicatum conueniat omni & semper: ad hoc sufficit, vt sit de omni, etsi non semper: vt homo currit. Fundatur autem hoc dici de omni, in illo.

5. *Esse in toto. l.* 1. Priorum c. 1.] Est prædicatum in toto subiecto, & dicitur de omni, cũ nihil sumi potest sub subiecto, in quo non sit prædicatũ, & de quo prædicatum non affirmetur, siue verè siue falso. Vt cum dico: omnis homo est animal, hic prædicatum animal dicitur esse in toto subiecto, id est, homine: & affirmari de omni homine; quia est in omnibus & singulis indiuiduis hominibus, contentis sub homine, deque iis affirmatur.

6. *Quidquid uniuerse negatur de subiecto, negatur de quouis contento subillo.* Sumitur ex eodẽ c.] Vt si nullus homo est lapis: ergo nec Petrus est lapis, nec Paulus, nec Henricus &c. Ductũ est hoc theorema ex altero principio syllogismorum regulatiuo, quod est.

7. *Dici de nullo. 1.* Priorũ c. 1.] Quemadmodũ principio affirmatiuo, dici de omni, dirigũtur omnes modi syllogizandi affirmatiui; alij quidem mediatè, vt Barbara, & Darij: alij vero immediatè, vt reliqui affirmatiui omnes: ita hoc principio negatiuo nitũtur omnes modi syllogismorũ negatiui; primariò quidẽ

& immediatè duo modi primæ figurę Celarẽt, & Ferio ſecundariò verò & mediate ceteri negatiui. Fundatur hoc dici de nullo in iſto.

8. *Eſſe in nullo.* ibidem.] Eſt prædicatum in nullo & dicitur de nullo, quando remouetur è toto ſubiecto, & ab omnibus contentis ſub illo: vel cum nihil eſt ſumere ſubiecti, de quo non negetur prædicatũ, ſiue verè, ſiue falsò. Vt cum dico: Nullus homo eſt lapis: Nullus homo eſt animal. Ratio autem, cur dictum de Omni, & de Nullo fundetur, in eſſe in Toto & Nullo, inde petitur: quod res eſt, vel non eſt, ſumitur affirmatio vel negatio: vt bene notat Hurtado D. 10. logica ſec. 16. n. 85. Vide, ſi placet, Conimbricenſes in caput citatum.

9. *Quędã dicuntur de ſubiecto, & nõ ſunt in ſubiecto.*
10. *Quædã ſunt in ſubiecto & nõ dicũtur de ſubiecto.*
11. *Quædam dicuntur de ſubiecto, & ſunt in ſubiecto.*
12. *Quædam nec ſunt in ſubiecto, nec dicuntur de ſubiecto.*] In Categoriis c. 2. Magnus horum 4. axiomatum vſus eſt, & maior adhuc eſſe poteſt in omni ſcientiâ & materiâ. Nam & in quotidianâ conuerſatione aduertere licet, quoſdam commendari à probitate, qui fortaſſis eâ non ſunt prædiți: alios prædiditos eſſe, nec tamen ab eâ commendari: alios & cõmendari & eſſe prędițos: quoſdam denique nec eſſe prædițos, nec commendari. In ſimilem ferè ſenſum Carolum 5. Imperatorem ea accommodaſſe ferunt militibus Hiſpanis, Gallis, Italis, Germanis, aliis. Vt verò intelligantur iuxta mentem Philoſophi. Notãdum eſt, Duplex eſſe ſubiectum, quoad hanc materiam, vnum *inhæſionis*, quod ſubiicitur accidentibus, quæ illi inhærent, vt v. c. Cygnus reſpectu albedinis: Alterũ *prædicationis*, de quo aliquid prædicatur vniuocè tanquam de ſuo inferiore, vt animal de homine, equo, &c. Hoc poſito. *Eorum quæ ſunt*, id eſt Entiũ vel rerũ ſimpliciũ, alia dicũtur de ſubiecto, nimi-

Digitized by Google

rũ prędicationis;& nõ sũt in ſubiecto, ſc.inhęſionis. Sic corpus,viuens,animal , &c. dicuntur de Socrate Ioanne, &c. Tanquã de ſubiecto prædicationis vniuocè & eſſentialiter;neq; tamẽ ſunt in illis,vt in ſubiecto inhæſionis: Alia sũt in ſubiecto,ideſt , inhæſionis;de nullo tamẽ ſubiecto dicũtur,ideſt,prędicationis;ſic hæc Albedo eſt in hoc cygno, tãquã in ſubiecto inhæſionis;de nullo tamẽ ſubiecto dicitur, id eſt, de nullo tãquam inferiore prædicatur: Alia dicuntur de ſubiecto,nimirum prædicationis;& ſunt in ſubiecto,ideſt,inhæſionis: vt nigredo dicitur de coruo,Æthiope,&c.tanquam de ſubiecto prædicationis vniuocè & accidentaliter; & eſt in illis,vt in ſubiecto inhæſionis. Denique alia nec dicuntur de ſubiecto,nẽpe prædicationis,nec ſunt in ſubiecto,ideſt inhæſionis. Vt ſubſtantię ſingulares,Petrus,Paulus, &c.

13.*Subiecta ſtant materialiter.*[Vt in hac v.c.enũciatione. Calidum eſt dulce,materialiter ſtat ſubiectũ, ſiue ſupponitur pro ſignificato ſuo materiali ; quia nimirum ipſa ratio prædicati hoc ex propriã ſignificatione requirit,vt patet in propoſitione allatâ. Celebre iſtud Philoſophorum pronunciatum vniuerſaliter verum eſt quotieſcunq; ſubiecta non definiũtur & determinantur à ſuis prædicatis , vt ſtent formaliter;quæ determinatio cũ rara ſit,& præter ordinem regularis prædicationis fiat,facilè intelligitur ex vi & ratione prædicandi. Vt ſi dicas : Calidum eſt terminus alterationis , mutabitur ſuppoſitio , & appellatio terminorum , ac formaliter ſtabit ſubiectum : Neque enim ſuppoſitum ipſum eſt terminus alterationis , neque ipſi materialiter ſumpto hoc verè tribui poteſt:ſed tantũ vt ſubeſt calori:ſeu potius compoſito ex calore & ſubiecto. Atque hinc docent Theologi,regulariter loquendo, ea prædicata , quæ ſimpliciter dicũtur de Chriſto,dici etiã poſſe de verbo

aut filio Dei: vt, quia verè dicitur Christus esse redemptor, esse homo, &c. verè etiam dicatur Verbum, siue Deus, esse redemptor, esse homo; quia subiectum illud stat materialiter pro supposito. At verò, si contingat determinari subiectum ratione prędicati, vt stet pro toto composito, vt sic: tunc prædicatum non communicabitur Verbo, eò quod mutetur suppositio subiecti: Vnde licet rectè dicam: Christus est compositum ex duabus naturis, Christus est terminus resultans ex vnione duarum naturarum in vnâ personâ, & similia: non tamen ea prædicare fas est de Verbo diuino; quia Verbum non dicit huiusmodi compositum: sed tantum personam Verbi secundum se, ita Suarez Tomo 1. in 3. p. disp. 35. in fine

14 *Incrementum prædicati sequitur incrementum subiecti. 2. Top. c. 4.*] Vt si bonum est honestum: Ergo melius est honestius. Verum est pronunciatum de prædicatis per se; quale est in dato exemplo: Non autem verificatur in aliis: Neque enim sequitur; maior vini vsus est peior, aut maximus pessimus: igitur vini vsus est malus. Ratio est; quia nec maiori vini vsui conuenit per se vt sit peior; nec maximo, vt sit pessimus; sed per accidens: alioquin omnis vini vsus esset malus. Vide, si placet, quæ diximus ad illud: *Vt se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis.*

15. *Quidquid conuenit naturæ per se, conuenit omnibus participantibus illam naturã.* Sumitur ex l. 1. Poster. t. 29.] Vt quia animali per se cõuenit esse sensitiuum ideo & huic, & illi animali, & absolutè omnibus in indiuiduo, conuenit in hoc. Ratio patet ex dictis.

16. *Quidquid alicui cõuenit, vel per se cõuenit, vel per accidẽs.*] Explicatio huius manifesta est ex dictis. Veritas ex eo patet: quia nullꝰ est aliꝰ cõueniẽtiæ modꝰ.

Digitized by Google

Etenim per ſe conuenire, ac per accidens, idē valent, ac conuenire neceſſariò, & non neceſſariò; quæ cum contradictoria ſint nullum admittunt medium.

17. *Eſſendi modi proportionales ſunt modi prædicandi.* traditur à D. Thomâ 3. Phyſic. lec. 5. t. 22.] Eâ nimirum ratione, quâ eſſentiæ proportionatæ ſunt ſuis proprietatibus, & hæ viciſſim illis: Prędicabilitas enim ſequitur eſſentiam ſiue naturam rei cuiuſcunque, vti riſibilitas ſequitur naturam hominis. Nã vt docet Ariſtoteles c. 2. in Prædicamentis: *Ex eo, quod res aliqua eſt in aliquo, poteſt de illo affirmari*: v. c. quia natura humana eſt in Petro, Paulo, & ceteris eiuſdem ſpeciei indiuiduis, poteſt de iis prædicari, & verè affirmari: Petrus eſt homo, Paulus eſt homo, &c. item quia albedo eſt in pariete, ideo paries dici poteſt albus, & ita in aliis.

DISTINCTIO IX.

De Illatione.

1. IN *bona conſequentia non datur antecedens verum, & conſequens falſum.*] Ratio eſt: quia bona cõſequentia eſt, in qua aliquid ex aliquo verè colligitur ſicut è contra vitioſa eſt, in qua non verè aliquid concluditur. Intelligitur itaque propoſitum axioma, de conſequentia formali, qualis eſt in formâ ſyllogiſtica, & alio quouis rectè argumentandi modo, qui nempe tali diſpoſitione conſtet, vt eâ ſeruatâ in qualicunque materiâ conſequens verè ſequatur ex antecedente, & nunquam ſit antecedens verum & conſequens falſum. Vt bene notat Vaſques in 1. p. Diſp. 67. n. 25. Hinc.

2. *Ex vero non niſi verum.* l. 2. Prior. c. 2. & l. 1.

Poſter. c. 6. ſubintellige, colligitur in bonâ conſequentia. Ratio eſt; quia alioquin in ea poſſet dari antecedens verum & conſequens falſum. Hinc etiã.

3. *In bona cõſequentia ex contradictorio, cõſequentis infertur contradictorium antecedentis.* l. 1. Prior. c. 42. & l. 2. Prior. c. 2. & 4.] Vt ſi hæc eſt bona conſequentia: omne animal eſt album, ergo omnis homo eſt albus; licebit ita concludere: aliquis homo non eſt albus; ergo aliquod animal non eſt album. Item ſi hæc eſt bona: cõſequentia; Habet vulnus in corde; ergo morietur breui; erit & hæc vera: non morietur breui: Ergo non habet vulnus in corde. Pronũciatum iſtud planè eandem vim habet, ac *Dictum de Nullo*, ideo enim, à quo remouetur conſequens, id eſt terminus communis ac ſuperior, remouetur etiã antecedens, id eſt terminus minus communis & inferior; quia terminus communis eſt quoddam totum reſpectu antecedentis, vt animal vniuerſim ſumptũ reſpectu hominis, vt cõſtat ex dictis d. 8. n. 7

4. *Ex affirmatione vnius rectè infertur negatio contrarii,*] v. c. bene ſequitur, paries eſt albus: ergo nõ eſt niger, item hæc res eſt iucunda, ergo vt ſic non eſt moleſta; nempe in ſenſu formali, ſecundum veram oppoſitionem, & naturæ ordinem. Effatum propoſitum magnum habet vſum in Theologiâ morali, ex eoque docent Theologi, præceptum affirmatiuum ſemper in ſe virtute continere contrarium negatiuum vt v. c. præceptum de honorandis parentibus, quod eſt affirmatiuum, continet in ſe virtualiter illud negatiuum, de non afficiendis iniuriâ: Si enim parentes honorandi ſunt, bene ſequitur, eos non eſſe contumeliis aut iniuriis onerandos. At vero.

5. *Ex negatione vnius non ſequitur neceſſario affirmatio contrarii.*] Vt v. c. ex hac enunciatione negatiua: res iſta non eſt iucunda, non rectè infertur; ergo eſt

Digitized by Google

moleſta; quo modo in moralibus ex præcepto negatiuo de non occidendo, non ſequitur neceſſariò præceptum affirmatiuum, de vitâ aliis tribuendâ; quiavt rectè aiunt Theologi: *Prohibitio malorum latius patet, quam præceptio bonorum*, de quo, vide ſi placet, quæ diximus Titulo *de Bono*, diſtin. 7.

6. *Ex pari ratione ſequitur par conſequentia.*] Sicuti ex omni pari causâ, ſequitur par effectus; in quantum ſcilicet ille pendet à causâ, prout illa talis eſt: poteſt autem ex parte ſubiecti aut circunſtantiarum oriri aliqua diſparitas; vt patet per explicationem illius: *omnis cauſa operatior iuxta diſpoſitionem ſubiecti.* De quo ſupra Titulo *de Causâ efficiente.*

7. *Qui vult antecedens vult etiam conſequens.*] Refertur hoc dictum l. 1. *ff. ſi vſus fructus.* Intelligitur & verum eſt in omnibus iis quæ ita inter ſe connexa ſunt, vt vnum ſit alteri conſequens, vel ex naturâ rei; quo modo qui vult ignem, vult etiam cõſequẽter calorẽ, qui nimiã vult cõpotationẽ, etiã velle cenſetur eam, quæ exinde ſequitur ebrietatem: vel ex hominum inſtitutione: tunc enim eo ipſo, quod vni adhibetur conſenſus formalis, virtute quoque cenſetur adhiberi alteri, quod eſt conſequens, vt cũ quis formaliter vult ordinem ſacrum in Eccleſiâ latinâ, virtute vult caſtitatem, ex Eccleſiæ inſtitutione ordinibus ſacris coniuncta. Eodem ſenſu vera eſt Regula trigeſima nona Iuris in ſexto: *Cum quid prohibetur, prohibentur omnia, quæ ſequuntur ex illo.*

8. *Poſito poſſibili in actu nullum ſequitur inconueniens.* l. 1. Phyſic. t. 9.] In fine capitis primi. Senſus eſt, ſi tale aliquid: quod ex ſuâ naturâ eſſe aut fieri poteſt, nec inuoluit repugnantiam, de potentia reducatur ad actum, nihil ſequi abſurdi, quod rei naturæ repugnet. Vnde ſi v. c. propoſitio *de poſſibili*

mutetur in ſuam *de ineſſe*, vt vocant, non ſequitur aliquid repugnans. Ratio eſt; quia.

9. *Poſſibile eſt illud, quo poſito in eſſe, nihil ſequitur impoſſibile.* l. 9. Metaph. t. 7.] Verum eſt hoc pronunciatum abſolutè & ſecundum ſe: dummodo ſeruetur proportio inter poſſibilitatem & actum: quædam enim poſſibilia ſunt ſecundum actum ſucceſſiuum, & non ſimultaneum. Vt continuum diuidi in infinitum eſt poſſibile: non ita tamen, vt tota diuiſio poſſibilis ſimul ponatur; ſed vt ponatur ſucceſſiuè, & numquam finiatur. Item quædam poſſibilia ſunt in ſenſu diuiſo: non autem in ſenſu compoſito, vt album fieri nigrum, Petrum, qui ſedet currere, hominem, qui prædeſtinatus eſt, damnari &c. Itaque reductio poſſibilitatis ad actum cum proportione fieri debet, ſecundum naturam rei, quæ reduci intelligitur.

DISTINCTIO X.

De Syllogiſmo.

1. *Omnis Syllogiſmus eſt argumentatio formalis.*] Argumentatio formalis dicitur, in qua conſequens ex antecedente neceſſariò colligitur vi formæ, ſeu neceſſitate conſequentiæ: Talis & omnis ſyllogiſmus verus & probatiuus: In hoc enim, quibuſdam poſitis, aliud à poſitis ex neceſſitate accidit eò quod hæc ſunt, id eſt vi formæ ſiue propter legitimam diſpoſitionem propoſitionum, quæ reipsâ iudicatæ ſunt veræ; quod ſoli ſyllogiſmo probatiuo, non item illatiuo conuenit. Reliquæ argumentationes Enthymema, Inductio, Exemplum per ſe materiales ſunt: quia nihil concludunt vi formæ, cum

Digitized by Google

careant figurâ & modo, & vnicâ tantum præmiſsâ conſtent, ex quâ nihil vi formæ colligitur, teſte Ariſtotele l.1. Prior.c.22. & 1. Poſt. c.3. aliquæ Inductiones formales quidem ſunt conſequentiæ: non autem argumentationes. Reducuntur verò hæ Argumentationis ſpecies ad ſyllogiſmũ,cui principaliter conuenit ratio argumentationis;cum illis tantum ſecundariò conueniat, & analogicè per attributionem ad ſyllogiſmum. Vide, ſi placet, Fonſecam l. 6. Dialect. c.6. t. 34.& 36. Conimbricenſes.l. 1. Prior c.1.q.2.a 3.

2. *Quæcunque ſunt eadem vni tertio,ſunt eadem inter ſe.*] Sumitur ex l.3. Phyſic.t.21. & aliis locis, & intelligendum eſt cum proportione, vt eo nimirum modo intelligantur eſſe eadem inter ſe, quo ſunt eadem vni tertio: nam ſi ſint eadem re, vni tertio, ſimili modo erunt eadem inter ſe; poterunt autem ratione eſſe diuerſa:ſi verò re & ratione ſint eadem vni tertio, erunt eodem modo eadem inter ſe,vt bene notat Suarez in Metaphyſicâ diſp. 7. Sectione 3. n.8. Pronunciatum hoc aliqui putant euerti ob myſterium ſanctæ Trinitatis, ſiue ob identitatem eſſentiæ diuinæ, & Relationum realiter inter ſe diſtinctarum;ſed non rectè philoſophantur:licet enim in aliquibus ſenſibus, & quatenus myſterio ſanctæ Trrnitatis obſtare poſſet, admitti non debeat: in aliis tamen ſenſibus certum & euidens eſt, tam in creatis, quam in diuinis; eſtque fundamentum artis ſyllogiſticæ,quo nititur bonitas conſequentiæ in argumentis affirmatiuis. Imò, vt loquitur abſolutè Hurtado diſp.10.logicâ ſec.16. n.87. & diſp. 11.ſec. 3. n.15. *Cui innititur tota vis ſyllogiſtica.* Tres autem potiſſimæ illius ſunt expoſitiones probabiles & æquiualentes. Prima eſt Molinæ 1.p.q.28.a.3. diſp.2. eſſe verum de iis, quæ conueniunt in vno tertio ſin-

Digitized by Google

gulari incommunicabili. 2. Fonſecæ l. 6. Dial. & aliorum, qui citantur ibidem; eſſe verum, quando illud tertium ita eſt vnum, vt nec ſit plures res, nec idem re cũ eâ, quæ eſt plures 3. Capreoli in 1. d. 2. q. 3. a. 1. in fine, & aliorum apud Suarez de Trinitate l. 4. c. 3. eſſe verum, quando in vno tertio conueniunt adæquatè id eſt, quorum ſingula non latius patent, quam illud tertium, cui identificantur. Eo ipſo enim impoſſibile eſt, hoc tertium identificari cum aliquo, quod non ſit idem cum illo, à quo hoc tertium non differt alias illud tertium extenderetur ad plura, quàm vnũ extremorum, quod illi identificatur, contra hypotheſin. Quod ſi duo non ſint eadem adæquatè vni tertio, non neceſſario erunt eadem inter ſe; ſicut Petrus & Paulus ſunt idem realiter vni naturæ humanæ ſpecificæ, & tamen realiter diſtinguuntur inter ſe quia identitas illa eſt inadæquata: Natura enim humana eo ipſo, quod ſecundum ſpeciem communicabilis eſt multis indiuiduis, poteſt reipſa communicari multis, quibus ſingula indiuidua non poſſunt; ideoque inter ipſa indiuidua erit diſtinctio. Simili modo in diuinis vna eadẽq; natura communis eſt tribus perſonis, ac proinde identificatur pluribus, quam identificentur ſingulæ perſonæ. Vnde ex eo, quod oẽs tres ſunt idem realiter illi, non infertur, eas eſſe realiter idem inter ſe Hæ igitur ſingulæ expoſitiones accommodatæ ſunt & ſufficientes ad reſpondendum in formâ difficultatibus ſiue in creatis, ſiue in diuinis circa propoſitum axioma occurrentibus.

3. *Quæcunque non ſunt eadem vni tertio, nec ſunt eadem inter ſe.*] id eſt; quæ ita ſeſe habent ad aliquod tertium, vt alterum ſit idem illi, alterum non idem, iuxta explicationẽ prẽcedentis; ea non ſunt eadem inter ſe; eo nimirum modo, quo non ſunt eadem vni tertio. Vtrumque hoc principium citari ſolet ex l. 3.

Digitized by Google

Phyſic.t.21. Vbi Philoſophus neutrum habet in terminis ; ſed diſputans de diſtinctione inter agere & diſcere,doctrinam & diſciplinam,ait : *iis omnia competere, quæ aliquo modo ſunt eadem: ſed hiſce dumtaxat, quorum eſt eadem ratio.*. Clarius vtrumque proponit l. 1. Top.loco 4. vel ſecundum alios 5. vbi ait: *Rurſum conſiderandum, ſi alterum idem & alterũ non: nam ſi non ſint ambo eidem eadem, facilè conſtat, quia nec ſibi invicem.* Vide, ſi placet, Clauium in l. 1. Elementorum Euclidis ad primum illius axioma, quod eſt: *Quæ eidem æqualia ſunt & inter ſe ſunt æqualia.*

4. *Omnis diſputatio fit ex quibuſdam poſitis.*] Eſt commune pronunciatum academicum. Quemadmodum in omni ſyllogiſmo, vt concluſio rectè inferatur, poni debent, & concedi quædam propoſitiones, vt docet Philoſophus l. 1. Prior. c. 1. ita in omni diſputatione, vt legitimè & fructuosè procedat, fundamentorum inſtar ſupponi debent certa quædam Principia, de quibus inter vtramque partem conueniat ; ſiue illa communia axiomata ſint, ſiue definitiones, ſiue poſtulata, aut aliæ hypotheſes. Ea de cauſâ, ex communi ſententia, *contra negantes principia non eſt diſputandum.* Sunt enim illa prima fundamenta ſcientiarum ; quibus ſublatis, fruſtra omnis adſtruendi laborabſumitur, vt multis explicatum eſt Titulo. 1. Diſtinct. vltima, quam conſule, ſi placet.

5. *Concluſio ſequitur debiliorem partem antecedentis.*] Axioma iſtud Philoſophicum, ſuffragiis omnium firmatum refert Commentator, in quæſt. Logic. t. 9. vbi inquit: *Concluſionem iuxta Eudemii, Theophraſti, & vetuſtiorum Philoſophorum ſententiam ſequi viliorẽ partem præmiſſarum.* Ratio eſt; tum quia effectus non poteſt eſſe nobilior ſuâ cauſa, vt explicatũ eſt ſupra; tum quia extrema inter ſe coniunguntur in concluſione eâ perfectione, quâ copulantur cum medio in

Digitized by Google

præmiſſis: itaque ſi eſt aliqua imperfectio vel debilitas coniunctionis extremorum cum medio in præmiſſis, illam quoque participabit concluſio. Et patet inductione: Nam ſi altera præmiſſa ſit ſophiſtica, aut pſeudographa, iudicium illatiuum ſophiſticum erit vel erroneum: ſi altera particularis vel negatiua, oportet concluſionem eſſe particularem vel negatiuam, vt perſpicuum fiet, inducendo omnes triuum figurarum modos. Recipitur hoc effatum ab omnibus, quoad quantitatem & qualitatem aliquam propoſitionum, ſecundum exempla iam illata; dubium verò eſt, quoad alias perfectiones; ad quod Reſpondent Torres & Gillius, cum Molina 1.p.q. 1.a.11.d 11. Concluſionem ſequi deteriorem partem antecedentis quoad effectus, qui pendent ab vtrâque præmiſsâ, vt ſunt certitudo, & euidentia: non autem quoad eos, qui ab vtraque præmiſsâ non pendent qualis eſt v. g. ſupernaturalitas; quia cauſa ſupernaturalis per ſe, quoad hoc prædominatur, & traducit effectum ad ſuum ordinem, vt videre eſt, in omnibus actibus ordinis ſupernaturalis, qui vitaliter attinguntur à potentiâ naturali; & tamen non manent intra ordinem naturæ. Et ita ex eorum ſententiâ, licet aſſenſus Theologicus pendeat etiam ex aliqua propoſitione, ſiue conſequentia naturaliter euidente: Ex vi tamen alterius propoſitionis ſupernaturalis traducitur ad ordinem ſupernaturalem, & ita ſecundum quid eſt imperfectior aſſenſu naturali euidente; quia ipſe eſt ineuidens: Quoad ſupernaturalitatem verò, quam habet ab aſſenſu Fidei, eſt præſtantior. Hanc limitationem non adhibent, qui docent aſſenſum Theologicum eſſe naturalem, vt ſunt Suarez, de Fide, Spe, & Car. diſp. 3. ſec. 11. n. 8. Vaſquez t. 1. in p. diſp. 4. c. 8. n. 23. & alij. Quidquid porro ſit de naturalitate, vel

Digitized by Google

ſupernaturalitate aſſenſus Theologici, axioma propoſitum admitti vniuerſaliter debet hoc ſenſu: Concluſio ſequitur debiliorem partem: ideſt, contrahit imperfectionem ac defectum aliquem ex debilitate alteriuspartis, licet non ſequatur debiliorē partem, quoad omnimodam paritatem, in qualibet conditione, vt patet ex dictis, tum hoc loco, tum ſupra ad illud: *Effectus ſequitur debiliorem partem ſuę cauſæ.* Titulo *de cauſis in genere*, diſtin. 4. Vide, ſi placet, Maximilianum Sandæum in Theologia varia. l. 3. Comment. 5. Exerc. 4.

6. *Concluſio non deſtruitur, niſi deſtruantur præmiſſæ.* Commentator lib. 2. Prior. cap. 8.] Ratio eſt; quia abſolutè & vniuerſaliter, *poſitâ cauſâ ponitur effectus*, & hic non tollitur, niſi illâ ſublatâ, vt explicatum eſt, Titulo *de cauſis in genere*, diſtin. 3. In hanc ſententiam docent communiter Philoſophi, poſitis aſſenſibus præmiſſarum formaliter quatenus verè præmiſſæ ſunt; Intellectum neceſſariò aſſentiri concluſioni quoad ſpecificationem, imò etiam quoad exercitium, ex parte ſui præcisè: non autem ſi conferatur cum voluntate; quia hæc poteſt illum ad alia cogitanda ita auertere, vt cōcluſioni actualem aſſenſum non prębeat. Vide, ſi placet, Conimbric. l. 1. Poſt. c. 1. q. 4. a. 4.

7. *Arguere in contrarium non eſt ſoluere argumentum.*] Valet & vſurpari ſolet hoc dictum in eos, qui, ſi quando illis ſyllogiſmus, aut argumentum aliquod ſoluendum proponitur, non reſpondent categoricè ad rationem dubitandi: ſed potius elabendi vel eludendi gratiâ rationem aliquam in contrarium opponunt. Quo ſanè modo difficultas propriè non tollitur; ſed ſępius augetur, & effugium potius quęri videtur, quam vera argumenti ſolutio. Itaque modus ille minimè conuenire videtur.

Profeſſoribus ſeu Doctoribus, quando à diſcipulis eruditionis gratiâ dubij alicuius enodatio petitur.

DISTINCTIO II.

De Demonſtratione.

1. *Demonſtratio eſt ſyllogiſmus efficiens ſcientiam.* l. 1. Poſter. c. 2.] Per ſcientiam intellige cognitionem concluſionis ſcientificam: Hanc enim immediatè generat demonſtratio. Eſt verò hæc definitio ex proprio fine & effectu demõſtrationis: ſciẽtia enim tum finis tum effectus eſt demonſtrationis diuerſo reſpectu; ſicuti ſanitas eſt finis & effectus Medicinæ: Demonſtratio autem ipſa eſt inſtrumentum; quo noſter intellectus, vel anima, tanquam cauſa principalis efficit rei propoſitæ ſcientiam; Cuius intrinſeca forma eſt iudicium illatiuum; extrinſeca tum veritas principiorum, ob quam aſſentimur concluſioni vt veræ; tum recta diſpoſitio propoſitionum, ob quam aſſentimur concluſioni tanquam bonæ.

2. *Illa demonſtratio eſt melior, quæ melioribus vtitur principiis.* l. 1. Poſter. c. 21. t. 43.] Ratio eſt; quia ſicutĩ ſe habet ſimpliciter ad ſimpliciter, ita magis ad magis. Vnde ſicuti abſolutè bona dicitur demonſtratio, quæ bonis conſtat principiis; ita comparatiuè melior eſt, quæ per meliora efficitur principia; cum iuxta dignitatem cauſę, ceteris paribus ſequatur dignitas proprij effectûs; vt fuſius explicatum eſt, Titulo *de cæuſis in genere*, diſtinctione quarta.

3. *Principia demonſtrationum ſunt definitiones.* l. 1.

Digitized by Google

Poſter. cap. 10.] Definitio poteſt ſpectari dupliciter, 1. ſecundum ſe, quatenus definitio eſt. 2. in ordine ad demonſtrationem; quatenus medium illius eſt, & cauſa Paſſionis, ac connexionis ſubiecti & prædicati. Priore modo officium definitionis eſt, diſtinctè oſtendere quidditatem rei per partes eſſentiales, vt animal rationale. Poſteriore modo officium eius eſt, oſtendere connexionem extremorum concluſionis, ſeu cur paſſio inſit ſubiecto. Priore modo dicitur definitio Formalis; poſteriore Cauſalis, & eſt medium demonſtrationis non vnicum; ſed inter cetera vnum.

4. *Demonſtratio affirmatiua dignior eſt negatiua.* l. 1. Poſter. cap. 21. t. 40.] Ratio eſt, quia, vt inquit Ariſtoteles ibidem, illa ex paucioribus petitionibus, aut ſuppoſitionibus, aut proportionibus exiſtit, aliam rationem aſſignat Philoponus; quoniam affirmatiua demonſtratio nullo indiget, vt monſtretur; Et ſi demonſtratur, per ſeipſam demonſtratur: negatiua autem per affirmationem. Etenim hæc propoſitio v. c. *Quantitas non eſt qualitas*, non eſt omninò prima & immediata; quia datur alia prior, per quam probetur: vt *Quantitas eſt ens extenſum*: Ex eo enim, quod quantitas per ſe ſit ens extenſum, ſequitur non eſſe qualitatem. Sic etiam prius eſt, hominem eſſe animal rationale; quam non eſſe brutum. Dicuntur nihilominus huiuſmodi propoſitiones aliquando immediatæ, in ratione negationis, quemadmodum ſumma genera ſunt inter ſe primo diuerſa: alioqui prius naturâ habent eſſe poſitiuum, quod eſt ratio diuerſitatis negatiuæ. Quemadmodum igitur propoſitiones affirmatiuæ priores ſunt negatiuis, vt explicatum eſt diſtinctione 4. huius Tituli; ita demonſtratio affirmatiua præcedit negatiuam. Nam, vt inquit Albertus M. in hũc locum:

Sicut nobilius est, esse quam non esse, ita affirmatiua potior est negatiua.

5. *Impossibile est, omnium esse demonstrationem.* l. 3. Metap. t. 4. & 4. Metap. t. 67.] Ratio est, quia multa sunt, quæ carent medijs ad demonstrandum necessariis, quæque per se ita manifesta sunt, vt demonstrationis minimè indigeant. Valet pronunciatum in eos, qui vt curiosius omnia inquirunt, ita enucleatius singula explicari volunt. Lege, si placet, Aristotelem l. 8. Physic. t. 22.

6. *Principiorum non est demonstratio.* l. 1. Poster. c. 8. t. 36.] Ratio est, quia immediata sunt, & prima, nec habent causas, ex quibus veluti prioribus & notioribus demonstratiua Principiorum scientia generetur. Vt in simili dictum est supra de cognitione essentiæ demonstratiua. Titulo *de scientia.*

7. *Definitionis non est demonstratio.* Refertur à D. Thomâ in 3. Metaph. t, 6. & sumitur ex l. 1. Poster. cap. 3.] Vbi dicitur definitio esse ipsius, *quod quid est*, & substantiæ rei: Huius autem, vti & Principiorum, non est demonstratio à priori & propter quid, vt patet ex dictis; ac per consequens neque definitionis. Porro quænam Principia, & quo sensu dicantur indemonstrabilia, fusè explicatum est Titulo 1. dist. 5. quæ est de notitiâ Principiorum.

§ 8. *In demonstrationibus non est processus in infinitum.* l. 1. Poster. t. 34. & sequentibus.] Vbi id Aristoteles probat de demonstrationibus tam affirmatiuis, quam negatiuis: *Demonstratio enim est, de iis, quæ sunt per se* (vt inquit t. 36.) *Et hæc vel insunt rebus, in eo, quod quid est, vel res illis insunt, quorum nomina sunt infinita.* Etenim, vt in finibus, ita etiam in mediis, siue demonstrationis illa sint, siue

alterius cuiuſque rei, non datur proceſſus in infinitum, vt probatum eſt, Titulo *de cauſa finali.* diſt. 6. alioqui namque neque inciperemus vnquam, neque finiremus; quod abſurdum eſt vt ex Ariſtotele, demonſtrauimus ibidem.

9. *Petere principium eſt non demonſtrare propoſitum.* l. 2. Prior. c. 18.] Vb id variis oſtenditur fieri modis, 1. ſi is non ratiocinatur, cui incumbit probare. 2. ſi ratiocinatur; ſed per ignotiora. 3. ſi per ſimiliter ignota, 4. ſi per poſteriora, 5. ſi id, quod per ſeipſum non eſt aptum cognoſci, conetur quiſpiam per ſeipſum monſtrare, quæ propriiſſima eſt principij petitio. Prioribus quoque modis peti principium dicitur; quia importuni ſunt, & parum vel nihil faciunt ad demonſtrandum propoſitum. Præter hos, alios inſuper modos petendi principium aſſignat Ariſtoteles 8. Top. 5. quos lege, ſi placet, apud Fonſecam l. 8. Dial. c. 13.

10. *Demonſtratio non debet transferri de genere in genus.* l. 1. Poſter. cap. 7. t. 20.] Alii ita communius proponunt: *Non licet tranſcendere de genere in genus*, in argumentando videlicet: ille enim ratiocinandi modus vitioſus eſt, in quo tranſitus fit ad res diuerſi ordinis, ac generis: vnde v. c. non ſequitur; Eò perfectior eſt amor cæteris paribus, quo verſatur circa perfectius obiectum; ſed amor noſter, quo amamus Deum, verſatur circa obiectum infinitè perfectum: Ergo eſt infinitè perfectus. Ratio eſt; quia in antecedente agitur de amore rei creatæ, in qua datur maius & minus; in conſequente de amore rei increatę, in qua non datur maius & minus. Eodem modo non ſequitur: Eò maior eſt offenſa, quò maior eſt perſona, quę offenditur; ſed perſona Dei eſt infinita: Ergo etiam offenſa eſt infinita: ergo in quolibet peccato eſt malitia infinita; quia

etiam hic fit tranſitus de genere in genus. Itaque comparatio, quæ fit in maiore propoſitione, debet intelligi non ſecundum æqualitatem; ſed ſecundum proportionem: Eſt autem proportio, quod ſicuti Deus eſt altioris ordinis, quam creatura, ita etiam iniuria Dei ſit ſuperioris rationis. Vnde bene ſequitur: Deus eſt infinitus: Ergo offenſa, quæ circa Deum verſatur, eſt in ſuprema ſpecie offenſæ, quæ eſſe poteſt. Et hæc ratione iniuria diuina poteſt dici infinita, quaſi ſyncategorematicè; quatenus ſcil. quantumuis creſcat in infinitum dignitas creaturæ, & grauitas iniuriæ contra illam, nunquam tamen erit æqualis minimæ iniuriæ diuinæ. Sed hæc res non caret difficultate Theologicâ, cuius determinatio non eſt huius loci. Vide, ſi placet, Becanum 1. 2. Tract. 2. cap. 2. q. 6. num. 5. Suarez Tomo 1. in 3. p. Coninck de Pœnitentiâ & alios. Quod ſi res diuerſi generis vel in ratione ſubiecti, vel abſtractionis, vel ſubalternationis qualiſcumque conueniant, velà ſe mutuò dependeant, licebit ab vnâ ad aliam procedere, in quantum inter ſe, iuxta præſentem argumẽtationis ſtatum analogiam aliquam, ſiue proportionem habent.

Digitized by Google

TITVLVS LV.

De *actibus voluntatis.*

DISTINCTIO PRIMA.

De *actionibus potentiæ volitiuæ secundum se.*

1. *VOluntas apud Deum pro facto reputatur.*] Celebris ista propositio traditur à Suarez Tom. 1. in 3. & disp. 4. sect. 7. sub finem & disputatur à Theologis in 1. 2. q. 20. a. 3. & sequentibus. Intelligitur autem de actu voluntatis interno & efficace, ideſt, qui natus est reipsa ponere opus externum, si aliunde non impediatur; & verum est hoc sensu. Voluntas sola efficax ex seſe tantum valet apud Deum, quantum opus, quod ab ea proficisceretur, si illa voluntas posset in opus exire, verbi gratia, tantum meretur aliquis eliciens voluntatem dandi eleemosynam, ita, vt ex illa voluntate verè se applicaret ad opus, si haberet pecunias, vel si adesset aliquis pauper, quantum mereretur, si de facto daret eleemosynam. Ita expressè traditur à D. Augustino expositione 4. super illa verba Matth. *In qua mensura mensi fueritis*, vbi ita scripsit: *In qua voluntate bene feceritis, in ipsa liberabimini, & in qua voluntate malefeceritis, in ipsa puniemini.* Et paulo inferius: *in voluntate quippe propria metietur bonus bona facta, & in ea metietur ei beatitudo. Item, in voluntate propria metietur malus homo mala opera, & in ea metietur ei miseria*, &c. Et alibi: Quidquid vis, & non potest, factum Deus comprobat. *Non autem intelligi debet de qualicũque voluntate ineffica-*

vt quandocunque voluntas aliquid vult, tota perfectio, quæ est in obiecto secundum se refundatur in voluntatem. Nam si aliquis vellet verbi gratia, infinitè amare Deum, non propterea statim infinitè amaret, aut si desideraret mereri tantũ, quantũ meritus est D. Paulus, nõ ideo tantũ mereretur, nisi volũtas ei⁹ tã efficax esset vt nata esset ponere oẽs actus heroïcos, quos D. Paulus exercuit. Ita ferè Suar. loco cit. Vasq. & alij dicunt, volũtatẽ pro facto reputari, quando voluntas versatur circa opus externũ ordine directo; quia tunc voluntas accipit eandem malitiam ex obiecto & circunstantiis ab opere exteriori, vel habet eandem bonitatem cum illo: at vero in actibus reflexis aliter contingere, vt cum quis vult habere actum charitatis vel affectum Martyrij, &c. quia actus reflexus nec tribuit bonitatem aut malitiam, nec eam accipit ab actu supra quem reflectitur, vt docet Vasquez 1. 2. disp. 51. c. 5. Vtraque distinctio bona est, & quoad modum loquendi potius, quàm in rei veritate altera discrepet ab altera.

2. *Virtus non respicit effectum sed affectum.*] Verũ est eodem sensu, quo axioma præcedens, & elicitur ex S. Augustino loco citato, vbi ait, *affectum voluntatis omnium esse meritorum, factorumque mẽsuram. Ex qualitatibus quippe volũtatum, non ex temporũ spatiis, &c sine rectè facta sine peccata mẽsurari.* Ratio vtriusq; pronunciati est. Prima, quia actus externi qui imperantur per actum volũtatis interni, non sunt intrinsecè moraliter boni vel mali: ergo nihil possunt superaddere bonitatis moralis actib⁹ internis. Secũda, quod est necessarium, non reddit nos perfectiores, vel imperfectiores; sed posita efficaci voluntate necessariò producuntur actus externi à suis potentiis; ergo non reddunt nos vel imperfectiores, vel perfectiores: ergo nihil superaddunt bonita-

Digitized by Google

tis vel malitiæ. Tertia, ſi actus externi ſuperadderẽt aliquid bonitatis vel malitiæ, ſequeretur viros bonos priuari poſſe à cauſa extrinſeca, magna parte meritorum, quia opera externa ſæpiſſime ab extrinſecis poſſunt impediri. Hinc verò non ſequitur opera externa non eſſe neceſſaria ad vitam æternam; primo quia cum conſtemus corpore & animâ, debemus Deum honorare corpore & anima. Secundo quia poſito actu efficaci interno, ſequitur neceſſariò opus externum, ſi adſit facultas. Tertiò, quia per opera externa in hac vita nos mutuò iuuamus, quo modo Sacramenta etiam non poſſunt conferri ſine opere externo. Et generatim.

3. *Multa conueniunt actui externo, quæ non competunt interno.*] Primo enim occaſione operis externi voluntas ſæpe fit melior aut peior, quia homo dum verſatur in opere externo, excitatur ad feruentius volendum, ad diutiùs in voluntate perſeuerandum, & cætera. Vel etiam quia renouat ſæpius volitiones propter difficultatem, vel delectationem, quam ex opere percipit. Vnde opus externum cenſetur pars ſaltem materialis & moralis ipſius actus interni, ſiue vitioſus ille ſit, ſiue ſtudioſus. Secundo, opus externum cauſat ſcandalum vel ædificationem proximi, item pacem vel perturbationem, commodum vel damnum, & conſequenter obligationem in operante ad reſtitutionem. Tertio actus internus cum externo plus ſatisfacit quam internus ſolus, quia pœnalitas, quæ eſt in opere externo, eſt per ſe ſatisfactoria. Quarto, opus externum maximè iuuat, vt frænemus paſſiones & appetitui noſtro dominemur. Denique idem opus externum reſpectu diuerſorum poteſt eſſe bonum & malum; quia, verbi gratia, eleemoſina poteſt imperari à Domino ex charita-

te, & executioni mandari à famulo ad vanam gloriam; hæc autem dici non poſſunt de actu interno; quia ille non eſt bonus per denominationem extrinſecam tantum. Vnde ſi in adæquato ſubiecto actus, ſub quo etiam circunſtantiæ continentur, aliquid ſit mali, actus eſt ſimpliciter dicendus malus; quia, *bonum eſt ex integra cauſa, malum autem ex ſingulis defectibus.*

4. *Intentio eſt oculus mentis.*] Intentio proprie eſt actus voluntatis tẽdentis in finẽ per media cõſequẽdum, intendere enim nihil aliud eſt, quam finem ſiue terminum proponere ſibi, ſic dicimur intendere virtutem, ſcientiam, beatitudinem &c. dum volumus illa per media conſequi. Dicitur autem intentio oculus mentis per meraphoram ſiue tranſlationem, quia ſicuti per oculum diriguntur motus & actiones hominis; ita per intentionem actiones humanæ tendunt in certum finem.

5. *Intentio eſt finis, electio mediorum,* 3. Eth. c. 2.] Intentionem verſari circa finem patet ex dictis: electionem autem verſari circa media ex eo perſpicuum fit; quia voluntas, facta intentione, ſiue deſiderio efficaci, vt vocat Ariſtoteles tertio cap. quarto, virtutis, verbi gratiâ, potiendæ, mouet intellectum ad vias, mediaque virtutis obtinendæ exquirenda; quo facto intellectus conſultat, ſiue media ac modos conuenientes inquirit. Poſt conſultationem fert iudicium de rebus agendis; tum pronunciat, hoc loco & tempore, circa hanc, verbi gratia, materiam hoc modo virtutis mediocritatem obtineri poſſe; vel etiam media quædam accommodata decernit ad virtutis, verbi gratiâ, honeſtatem conſequendam. Hoc iudicio peracto, ſi voluntati tantum ſimpliciter placeant viæ, modi, ac media excogitata, conſenſus vocatur; ſin autem efficaciter deſideret, ele-

ctio dicitur. Vel quia inter plura media oblata vnum eligit; vel quia cum antea hæsitaret intellectus, an in hac materia verbi causa virtutis functio obeunda; iam vero sententiam absolutam tulerit, voluntas se huic iudicio accommodat, & quod intellectus consultatione & iudicio, id ipsa affectu efficacis desiderii eligit atque amplectitur.

Plura quæ huc referri possent, commodius explicantur titulo *de fine vltimo*, *de bono & eius appetitu*, & alibi.

DISTINCTIO II. *De Actibus vitiorum.*

Supra 481. Huc pertinet.

DISTINCTIO III.

De Actibus vitiorum siue de Peccatis.

1. *OMne peccatum est voluntarium.*] Quamuis, vt habet D. Tho. 1. p. q. 63. a. 1. nomen peccati generaliter dicatur de omni eo quod deficit, & non est perfectum suæ congruenter regulę, ita vt extendatur tam ad ea, quæ à natura vel arte fiunt, quam ad ea, quæ à libera hominis voluntate procedunt. Vsus tamen communis ferè obtinuit, vt quæ contra suam regulam ab arte fiunt, *Errores*, quæ verò à natura *Monstra* appellẽtur: *peccatorum* autem nomine absolutè intelligantur ea, quæ à libera voluntate procedunt sine rectitudine sibi debita quæ non conformantur suæ regulæ, quæ est lex Dei æterna, & sub hac notione intelligitur, ac verum est pronunciatum de quo videri potest D. Th. 1. 2. q. 71. a. 5. in Corp.

2. *Peccatum adeò est voluntarium, vt si non sit voluntarium non sit peccatum.* Est hoc axioma M.

Digitized by Google

Augustin, quod eo refertur causâ 15. quæst. 1. in principio. Ratio eius est, quia peccatum nil aliud est, quàm actus humanus malus, aut omissio voluntaria actus humani debiti, atqui actus non est, neque dicitur humanus nisi qui à voluntate hominis deliberata procedit, vt docet S. Th. 1.2 q. 1. a. 1. & omnes Theologi ac Philosophi cum eo.

3. *Nemo peccat inuitus.*] Est hoc pronuntiatum S. Cypriani in serm. de bapt. Christi. Ratio est, quia omne peccatum adeo debet esse voluntarium, vt si non sit voluntarium non sit peccatum: hinc docent Theologi, motus concupiscentiæ in appetitu sensitiuo, siue passiones animi circa rem illicitam, v. c. motus iræ, odij, &c. quatenus libertatem & consensum voluntatis præueniunt per se, non esse peccata; alioqui sæpe peccaremus inuiti, cum motus illos sæpè inuitus patiatur homo, & fieri possit vt excitentur in dormiente.

4. *Concupiscere est naturale, at malè concupiscere, voluntarium.*] Est hoc effatum S. Chrysostomi, hom. 19. ad pop. sensus eius est, motus concupiscentiæ siue appetitus sensitiui secundum se, non esse liberos sed naturales, & homini cum brutis animalibus cõmunes fieri autem malos & rationem peccati cõtrahere, prout voluntarij sunt, ideſt prout à libero voluntatis consensu inordinatè procedunt. In eandem sententiam est illud D. Bernardi, lib. de interiori domo cap. 19. *Non nocet sensus, vbi non est consensus*, etenim aliud est, tentatione aliqua pulsari, aliud eidem tentationi succumbere, malitia peccati non in priori sed in posteriori est posita.

5. *Nemo tenetur ad culpam nisi propria voluntate deflexerit.*] Est hoc pronũtiatum S. Ambrosij relatũ c. 15. in iure canonico q. 1. ca. *Non est*, Intelligitur de peccato actuali hoc sensu: nemo actualiter & pec-

Digitized by Google

cando, culpam actualem contrahit nisi liberè per propriam voluntatem à lege Dei æterna deflexerit. Ratio eius est, quia repugnat peccato actuali esse voluntarium voluntate aliena, vt docet S. August. l. 1. de peccatorum meritis c. 35. hoc enim differt peccatum actuale ab originali, quod actuale contrahatur propria voluntate: originale vero aliena nempè primi parentis vt docent Theologi.

6. *Delictum personæ redundare non debet in detrimentum Ecclesiæ.*] Est hæc regula 76. Iuris in sexto, cuius veritas perspicua fit huiusmodi exemplo. Syndicus verbi causa Ecclesiæ vel procurator dum eius causam agit committit falsum, ac proinde si causa fuisset propria, cecidisset; non tamen id fit quia est causa Ecclesiæ, sensus huius pronuntiati magnum vsum habet, in personarum delictis cuiuscunque illæ congregationis sint aut ordinis.

7. *Facientem & consentientem par pœna constringit.*] Est hoc axioma celebre in iure can. & refertur cap. *Notum* 2. causas qu. 1. sensus eius est, non solum peccati executorem, sed eos etiam qui peccato cõsentiunt eadem pœna obstrictos teneri, iuxta illud ad Rom. 1. Digni sunt morte, non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus, ex qua D. Pauli sententia dictum axioma desumptum esse indicant verba illa cap. primi de officio de legatis, Agentes & consentientes pari pœna, scripturæ testimonio, puniantur, vbi Glossa, in verbo, pari pœna, ad quadruplicem, consensum distingunt, primum Negligentiæ, secundum Consilii. Tertium cooperationis. quartum Autoritatis seu Defensionis.

8. *Omne peccatum est mendacium.*] Vetus istud dictum refertur sententia centesima quinqua-

geſima D. Proſperi, quæ ſic habet; cum homo ſecundum ſe viuit, non ſecundum Deum, ſimilis eſt diabolo, quia nec Angelo ſecundum Angelum ſed ſecundum Deum viuendum fuit vt ſtaret in veritate, & veritatem de illius, non de ſuo mendacio loqueretur. Vnde non fruſtra dicitur, omne peccatum eſſe mendacium; quia non peccatur, niſi ea voluntate quæ contraria eſt veritati id eſt, Deo; ſumpſiſſe autem videtur, hæc D. Proſper. ex cap. 4. lib. 14. de Ciuit. Dei. Porrò mendacium hic latè ſumitur, non modo pro iudicio contra mentem facto; ſed etiam pro eiuſdem obiecto, item omne peccatum dicitur mendacium; quia declinat à veritate boni: iuxta illudi Prouerb. 14. *Errant, qui operantur malum.* Nemo enim malum eligit niſi iudicet illud eſſe diligibile ſub aliqua ratione boni: hoc autem iudicium imperfectum eſt, & erroneum in moribus cum de ſe ad peccatum inducat, vt pluribus explicat Suarez lib. 7. de Angelis c. 6. n. 32.

9. *Ab impiis egredietur impietas.*] Eloquio hoc vtitur S. & Regius Propheta Dauid, 1. Reg. cap. 24. Cum enim Saül, perſequens Dauidem incidiſſet ipſe in manus Dauidis. *Animaduerte*, ait Dauid ad eum verſ. 12. & 13. *& vide, quoniam non eſt in manu mea malum, neque iniquitas, neque peccatum, tu autem inſidiaris animæ meæ, vt auferas eam, iudicet Dominus inter me & te, & vlciſcatur me Dominus ex te manus autem mea non ſit in te, ſicut in prouerbio antiquo dicitur? Ab impiis egredietur impietas*; hactenus Regius Propheta, nuſquam verò reperitur hoc prouerbium in ſcriptura niſi cap. cit. ea itaque cauſa antiquum dicitur, quia eò tempore ſermonis quotidiani vſu

Digitized by Google

protritũ fuit; eius hoc loco ſenſus eſt iſte: etſi manus mea nihil hoſtile contra te ſuſcipiat, nec quiſquam meo iuſſu in te vindictam attentet, non deerit tamen impius aliquis & ad ſcelus proiectus qui te puniat. quin imò ſi nullus alius id fecerit, tum tamen ipſe qui in me impius es, manu & ferro tuopte, pœnas à te exiges. Valet hoc dictum in illos, qui vel ad vlciſcendum proni ſunt, vel ad male agendum ſolent eſſe primi; illi enim manifeſtè impij ſunt, à quibus præcipuè mala proficiſcuntur, ſicut enim bonus homo de bono theſauro cordis profert ea quæ bona ſunt, ita malus ſimiliter mala.

10. *Præſtat millies mori quam* Deum *vel leuiſſimè offendere.*] Oſtenditur hoc dicto grauitas peccati, etiam venialis, quæ tanta eſt, vt pro nullo huius mundi bono admitti debeat, ne quidem, etſi inde penderet conuerſio omnium Hæreticorum, Turcarum, & Gentilium, adeoque ſalus æterna omnium Angelorum & hominum, qui ſunt, fuerunt & erunt; oritur autem hæc grauitas peccati, ex dignitate infinita perſonæ quæ offenditur, & ex vilitate ſumma & ingratitudine perſonæ offendentis, quæ inordinatè egit ſi lædat bonum infinitum & increatum ratione vllius boni finiti, & creati, atque hinc patet, mirum non eſſe, quod tam ſeuere peccata etiam venialia cum in hac tum in altera vita à Deo puniantur, & tantopere à vini virtute deditis caueantur: quia non ſunt contemnenda tanquam parua ſine quibus magna conſtare non poſſunt: peccata venialia efficaciam ſacramentorum debilitant ad diuinos afflatus & Angeli cuſtodis monita ſentienda animum ſegnem reddunt, eundem in moleſtias, ſollicitudines, & an-

gustias difficiles coniiciunt, sensum & gustum voluptatum cælestium impediunt, gratiam, charitatem, ceterasque virtutes infusas vel opprimunt, vel suffocant, quodammodo, vt in præclaras actiones difficulter erumpant, denique procliuem parant lapsum, & sæpè fit; vt qui negligit leuiora, grauissimis implicetur.

11. *Initium salutis est notitia peccati.*] Nimirum vel in remedium, vel in fugam. Dictum hoc Epicuri refert & probat Seneca; nam qui peccasse se nescit, corrigi non vult, adeoque nec potest quandiu illum ignoratio hæc tenet, deprehendas te oportet, antequam emendes. Pronunciatum veritatem obtinet non tantum in emendatione defectuum naturali ac Philosophica, sed etiam in supernaturali ac Theologica: Etenim communis Theologorum sententia est gratiam Dei excitantem, quę ad vitæ emendationem & ad omnes Christianæ virtutis actus necessaria est duplicem esse, priorem in intellectu, posteriorem in voluntate; illa est supernaturalis illuminatio, qua repræsentatur intellectui nostro vel dignitas rerum diuinarum, vel fœditas & turpitudo peccatorum, vel miseria humanæ naturæ, &c. Hæc verò est pia aliqua affectio, vt sunt bona desideria, timores, terrores, quibus excitamur ad faciendum bonum & declinandum à malo. Iuxta hanc explicationem verum est & illud:

12. *Initium operum bonorum confessio est operũ malorum.*] S. Augustinus Tract. 12. in Ioannem sub finem. Rationem assignat ibidem, quia: *qui confitetur peccata sua & accusat peccata sua, iam cum Deo facit:* & infra: *Accusat Deus peccata tua, & si tu accusas, iam coniungeris cum Deo:* & rursus: *Cum autem cœperit tibi displicere, quod fecisti, inde incipiunt bona opera tua, quia accusas mala opera tua.*

13. Non

13. *Non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.*] Dictum hoc M. Augustin. epist. 54. ad Macedonium. Refertur in decret. part. 13. c. 4. & part. 15. c. 25. & alibi, & ponitur Regula 4. Iuris in 6. Intelligitur autem propriè de peccato furti aut violentia, & alia quauis illicita rei alienæ vsurpatione, in his enim omnibus via ordinaria peccatum non remittitur, nisi sub conditione rem ablatam restituendi, vel alio modo damnum illatum resarciendi. Ideo Deus negat grata sibi esse ieiunia eorum, qui rem alienam detinebant; Et Niniuitis Rex indicens iustitium, præcipit, vt rapinâ manus vacuefaciant, naturæ ductu intelligens, sine tali restitutione pœnitentiam à Iona prædicatam inanem fore. Dixi sub conditione, quia si is qui damnum intulit præ inopia non possit restituere dimitti quidem poterit, remanebit tamen obligatio restituendi suo tempore, si ad pinguiorem fortunam peruenerit. Dixi 2° via ordinaria, quia potest contingere, vt vel Deus ipse, vel etiam creditor liberaliter sine vlla vlteriore obligatione remittat. Vide Lessium de Iure & Iustitia l. 2. c. 7. n. 47. Grotium de Iure Belli l. 3. c. 10. n. 3. Vbi ita sentire docet non Iudæos solum, & Christianos, sed & Mahumetistas.

14. *Peccati venia non datur nisi correcto.* Est hæc regula 5. Iuris in 6.] Intelligitur primo via ordinaria vti præcedens, secundo intelligitur de venia culpæ, non autem de venia pœnæ, quæ appellatur impunitas, quantum ad pœnam temporalem imponendam in hoc sæculo, quia dimittitur talis pœna quandoque non correcto, vt cum propter scandalum vel alia de causa peccata relinquuntur impunita, correctus autem hoc loco intelligitur is, qui per dolorem & detestationem cum emendationis proposito se à peccatis auertit. Iuxta illud S. Augustin.

epist. 50. ad Bonifacium. Quomodo gaudebis te fore correctum, nisi te primo doleas fuisse peruersum.

TITVLVS LVI.

De Præmio actuum à virtute profectorum, & primo de Felicitate.

DISTINCTIO PRIMA.

De Prȩmio virtutum in genere.

1. PRobos mores *sua præmia non deserunt.* Boëtius lib. 4. de Consolat. Prosa 3.] Idem pulchrè ostendit & explicat Aristoteles cap. 1. Eth. 1. ad Nicomachum cap. 8. Exemplo eorum, qui certabant in ludis Olympicis: *Vt enim in Olympia*, inquit (id est, in Ciuitate ob celebritatem illam quinquennalem ludorum olim inclyta) *non ij, qui sunt elegantissimi forma, præstantissimique robore; sed ij, qui decertant, coronis afficiuntur: Ipsorum enim aliqui viuunt; sic etiam, qui benè agunt, eorum quæ sunt in vita pulchra bonaque compotes fiunt.* Eadem de causa lib. 1. Rhetoric. inquit:

2. *Virtus est bonarum rerum conciliatrix.*] Virtutem namque comitantur: eiusdem Aristotelis testimonio familiarium amicorum, sociorum, hospitum, denique omnium, bonorum præsertim amor & beneuolentia. Item spes bona, tranquillitas animi & vno verbo felicitas ipsa: *Vna enim res virtutes est*, ait Seneca lib. de immatura morte, *quæ nos immortalitate donare possit, & pares dijs facere.*

Digitized by Google

3. *Maiori virtuti maius debetur præmium.*] Ratio est, quia sicuti se habet simpliciter ad simpliciter, ita etiam maius ad maius. Traditur à S. Thoma Opusculo 20. lect. 1. cap. 9. quod scripsit ad Regem Cypri de gubernatione principum, vbi ex illo ostendit Reges & Principes omnésque alios, qui in illustri gradu prælationis positi sunt, si suo muneri satisfaciant, longè præstantiora esse præmia consecuturos, quam homines plebeios: sua etenim virtuti præmia certa proportione respondent, & virtus Principis, v. g. multis nominibus maior est, quàm sit hominum gregariorum; tum ob varia, quæ vincere debent, impedimenta vt sunt occasiones peccandi, &c. tum ob munetis amplitudinem, & vigilias ac labores longe eminentiores.

4. *Ad magna præmia per magnos venitur labores.*] Sanctus Gregorius homilia 37. in Euangelia, quia nimirum vti virtutibus, ita etiam laboribus sunt præmia proportionata. Cæterum, duplex est in genere præmiũ virtutũ, vnum primarium & essentiale, quod viri probi in honestis actionibus iure intendunt, & illud est vera beatitudo: alterum secundarium & accidentale, vt est honor, fama, gloria, beneuolentia, &c. & huiusmodi præmium viri probi, qua tales sunt, neque intendunt, neque intendere possunt, alioqui non exercerent actum virtutis, sed ambitionis aut alterius vitij. Vltro tamen ab hominibus aliis, hæc etiam virtuti præmia dantur, quia nihil maius habent, quod dare possint. De vtroque præmiorum genere deinceps agetur in specie.

DISTINCTIO II.

Quidnam sit Felicitas?

1. *Felicitas est finis rerum humanarum.* 10. Ethic. cap. 9.] Naturalis quidem, si res humanæ præcisè secundum ordinem naturæ spectentur, & de hac locutus est Aristoteles. Supernaturalis verò beatitudo finis earum est vltimus si consideretur homo prout à Deo eleuatus est ad vitam cælestem & æternam. Creatus enim est homo ad hunc finem vltimatè, vt Deum factorem suum laudet ac reuereatur, eique per studia virtutum seruiens ad salutem tandem perueniat sempiternam. Vide D. Thomam p. 1. qu. 26. art. 1. ad 2.

2. *Felicitas est præmium virtutis.* Traditur ab Aristotele 1. Eth. cap. 5. 7. 9.] Vbi de modo acquirendæ felicitatis disputans eam diuinissimum quid esse asserit. *Præmium enim*, ait, *finisque virtutis optimum & diuinum quiddam ac beatum esse videtur.* Et ratio est, quia homo per virtutum exercitia ordinatur ad suum finem, iisque assecutionem illius promeretur. Est autem felicitas præmium virtutis intrinsecum & essentiale, vt loquuntur Philosophi, & patebit ex dicendis.

3. *Felicitas est summum bonum.* 1. Eth. c. 4.] Ita esse, probatur ex communi omnium sensu: Omnes enim iudicant felicitatem esse bonum quoddam perfectum, & per se sufficiens, quod per se faciat vitam optabilem, & nullius rei indigentem, quodque tale sit, vt propter nihil aliud expetatur, sed cætera omnia ordinentur ad ipsum, & sint appetibilia propter ipsum. Proinde omnes cætera bona expe-

Digitized by Google

sunt propter felicitatem, vt tandem feliciter viuere possint. Eadem de causa rectè dicitur felicitas *esse finis bonorum*, siue, vt alij inquiunt, *extremum appetendorum.* Quod enim est summum bonum hominis, necessario est vltimus eius finis, quia propter ipsum cætera appetenda sunt, ipsum verò propter se, in quo finis vltimi ratio consistit, vt docet Aristoteles 1. Ethic. cap. 7. quia quod summum bonum est, perfectum bonum ac sufficiens sibi est, ergo non habet ex se, vt ad aliud bonum ordinetur, & propter aliud appetatur, habet ergo rationem vltimi finis.

4. *Beatitudo est status omnium bonorum aggregatione Perfectus.* Boëtius lib. 3. de Cõsol. Prosa 2. Summum bonum vltimus finis & beatitudo siue felicitas, idem ferè valent & significant à parte rei, vt rectè notat Lessius libro 1. de Summo bono cap. 1. licet in illis distinctio formalis reperiri possit. Nam ratio boni est ratio entis, vt illud est conueniens subiecto, in quo est. Ratio finis est esse id, propter quod aliud fit. Ratio felicitatis est esse id, in cuius possessione homo redditur beatus. In singulis autem distinguitur materiale & formale; illud est res ipsa extrinseca, in qua consistit summum bonum, & dicitur beatitudo obiectiua; hoc verò est possessio siue fruitio aut vnio, qua nobis res illa coniungitur, & dicitur beatitudo. Vtráque rursus dupliciter sumitur. Primò in genere siue in communi. 2. in specie siue in particulari. Beatitudo in genere est cumulus omnium bonorum & absentia omnis mali satians perfectè appetitum non considerando an sit in hac vel illa materia particulari, vt rectè notat Vasquez prima secundæ, disputatione 6. cap. 5.

& de hac intelligitur propriè effatum, in quam etiam ſententiam dixit Cicero.

5. *Beatitudo eſt ſecretis malis omnibus cumulata bonorum complexio.* lib. 3. Tuſc. Quæſt.] Beatitudo in particulari eſt res illa particularis, cuius fruitione reddimur beati: Hæc verò ſecundum veram philoſophiam eſt ſolus Deus. Secundum profanas hominum opiniones putantur eſſe honores, voluptates, pecuniæ, &c. Huic etiam commodè applicari poteſt, ſed in ſenſu cauſali & eminentiali. Deus enim licet non contineat omne bonum formaliter, continet tamen omne bonum vel formaliter, vel eminenter, idque longè nobiliore modo, quam vnumquodque ſit in ſeipſo formaliter, omnia in ipſo vita erant.

DISTINCTIO III.

In quibus actibus conſiſtat beatitudo formalis.

1. *Summum hominis bonum eſt operatio hominis, vt homo eſt.* Traditur ab Ariſtotele 1. Eth. c. 7. & lib. 10. cap. 6. & 7.] Ratio eſt, tum quia omnes putant felicitatem idem eſſe, quod benè beatéque viuere, & agere, vt docetur 1. Ethic. c. 4. Tum quia ea, quæ operationis capacia ſunt, tunc exiſtimantur habere optimè, cum operantur, tum denique, quia felicitas eſt vltima perfectio, ad quam aliæ omnes perfectiones ordinantur; at omnes hominis perfectiones ordinantur ad ipſius operationes: Omnia enim bona hominis aut ſunt externa, aut interna. Externâ vt diuitiæ, &c. ad vſum & vitam hominis ordinantur, honor verò & fama conſequuntur excellentiam hominis. Interna autem bona, vt poten-

Digitized by Google

tiæ & habitus ſunt vltimatè propter actus, ergo hominis felicitas & ſummum illius bonum conſiſtit in operatione. Quod autem hæc operatio ſit hominis, vt homo eſt, id eſt, ſit operatio partis rationalis, ex eo probatur, quia vegetatiuæ & ſenſitiuæ operationes parti rationali deſeruiunt, & ordinantur ad opera illius; hæc ergo habet rationem vltimi finis, & in ea conſiſtit felicitas formalis. Vide D. Thomam 1. 2. quæſt. 2. ar. 6.

2. *Contemplatio eſt perfectiſſima operatio.* Sumitur ex 10. Ethic. c. 7.] Ratio eſt, quia maximè ſpectat ad perfectionem hominis vt homo eſt, id eſt animal rationale, vel ad perfectionem naturę cuiuſcunque rationalis, prout talis eſt. Item per hanc operationem vnitur naturæ rationali quæcunque aliorum entium perfectio, modo quodam excellentiſſimo nempe vitali: Anima enim intelligendo fit, *quodammodo omnia*, vt docet Ariſtoteles, quia obiectum intellectus eſt omne ens ſiue creatum, ſiue increatum, & per intellectionem vitaliter exprimuntur omnia entia, de quibus fit intellectio, quæ proinde euadunt ſuo modo vita ipſius animæ. Addit loco citato Ariſtoteles, *Felicitas perfecta eſt operatio intellectus*; ſiue diuinum quoddam ipſa ſit, ſiue ex ijs, quæ in nobis ſunt diuiniſſimum ſecundum propriam virtutem, quam dictum eſt eſſe contemplationem.

3. *Æternæ vitæ poſſeſſio eſt clara Dei viſio.*] Eſt communis Patrum ac Theologorum de ſupernaturali beatitudine ſententia ex variis ſacræ paginæ locis probari ſolita, vt ex illo Pſalmi 16. *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* Et ex illo Pſalmi 35. *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis potabis eos, quoniam apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.* Et ex illo pri-

mæ Ioannis 3. *Scimus, quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicut est.* Et ex illo primæ ad Corinth. cap. 13. *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Illam D. Ireneus lib. 4. contra hæreses c. 37. explicat & probat in hunc modum: Quemadmodum videntes lumen intra lumen sunt & claritatem eius recipiunt, sic & qui vident Deum, intra Deum sunt percipientes eius claritatem; viuificat autem claritas; percipiunt ergo vitam, qui vident Deum, & infra; quoniam viuere sine vita impossibile est, subsistentia autem vitæ de participatione Dei euenit, participatio autem Dei videre Deum, & frui benignitate eius, homines ergo videbunt Deum, & viuent per visionem immortales facti & pertingentes vsque in Deum. Eandem doctrinam habet Gregorius Nazianzenus in laudem Cæsarij. Gregorius Nissenus libro de Beatitudinibus. Sanctus Augustinus lib. 1. de Trinitate cap. 9. 10. & 13. Diuus Damascenus lib. 4. de Fide in fine, & alij. Ratio est; quia beatitudo nihil est aliud, quam summi boni possessio, atqui clara Dei visio est possessio summi boni, nam visione veluti manus complexu apprehendimus & possidemus ipsum Deum, ita vt in nostra potestate sit eius dulcedine frui, & omnes voluptates, quæ ex ipso hauriri possunt, sine fine percipere.

Si quæras; Quomodo Dei visione possideatur Deus; neque enim visione domus aut agri, v. g. domus aut ager possidetur.

Respondeo. Ad rationem perfectæ possessionis nihil aliud requiritur, quam vt res ita habeatur præsens, & in potestate possidentis, vt possit ea vti & frui pro suo desiderio. Itaque cum per visionem Deus ita habeatur præsens, & teneatur,

Digitized by Google

vt videns eo frui, & omnem oblectationem ex eo haurire poſſit ; viſio Dei eſt vera eius poſſeſſio. Simili modo auditus ſymphoniæ eſt poſſeſſio ſymphoniæ, quia ita per auditum tenetur, vt omnem oblectationem & omne commodum eius percipi poſſit ; ſecus eſt de viſione pecuniæ vel domus ; neque enim illa per viſionem ita habetur in poteſtate. Prouenit autem hoc ex diuerſis rerum naturis; quæ, vt ſua commoda præbeant, vario nobis modo aptari & vniri debent ſecundum propriam cuiuſque conditionem.

4. *Nemo beatus, qui non amat, quod habet, etſi optimum ſit.*] Oſtendit hoc dicto, S. Auguſtinus lib. 1. de Moribus Eccleſiaſt. cap. 3. Ad completam Beatitudinis rationem non ſufficere ſolam viſionem beatificam, ſed inſuper requiri ſummi boni amorem. Ratio eſt, quia beatitudo conſiſtit in perfecta vnione vitali cum Deo: Perfecta autem vnio non ſolum poſtulat coniunctionem per intellectum ; ſed etiam affectum : quia non minus voluntas immediatè attingit Deum, quam intellectus : Sunt enim hæ duæ facultates inſtar duorum brachiorum, quibus animus Deum complectitur, ergo & vnio voluntatis ad rationem beatitudinis requiritur. In hanc ſententiam D. Thomas 1. 2. quæſt. 4. ar. 3. ad tertium dicit ; Perfectionem charitatis eſſe beatitudinem eſſentialem, quantum ad dilectionem Dei, & 2. 2. quæſt. 27. art. 6. ad 3. Vltimum bonum hominis eſſe inhærere Deo per charitatem.

5. *Nemo beatus eſt, qui eo quod amat, non fruitur.*] Sanctus Auguſtinus lib. 8. de Ciuitate Dei, cap. 9. Explicat ibidem & probat in hunc modum : *Nam & hi, qui res non amandas amant, non ſe beatos*

amando putant sed fruendo; quisquis ergo fruitur eo, quod amat, verumque & summum bonum amat, quis enim beatum nisi miserrimus neget. Hic S. Doctor præter amorem ad beatitudinem etiam requirit fruitionem, quæ includit præsentiam rei & voluptatem ex eius præsentia manantem Vnde manifestum est illum requirere primo visionem, qua res habetur præsens; secundo amorem, quo diligitur, vt summum bonum. Tertio delectationem, sine qua non est perfecta fruitio. Et ratio clara est ex communi omnium sensu. Omnes enim beatitudinem concipiunt, quasi sit omnium gaudiorum & oblectationum complexio. Vnde idem S. Augustinus lib. 10. Confess. cap. 22. *Ipsa est beata vita gaudere ad te, de te, & propter te, ipsa est, & non est altera:* Ergo ad perfectam beatitudinem præter amorem etiam gaudium requiritur. Patetque ex ipsa definitione beatitudinis supra allata: Neque enim dici poterit status omnium bonorum aggregatione perfectus, si vel amor desit vel gaudium.

6. *Summa merces hæc est, vt Deo fruamur.* S. Augustinus lib. 1. de doctrina Christiana cap. 32.] Per fruitionem intelligitur hic delectatio, siue gaudium voluntatis circa summum bonum perfectissimo modo possessum, quia hæc est vltima perfectio, quæ ab homine haberi potest consequens omnem aliam hominis perfectionem, ac proinde ita se habet respectu hominis, vti fructus respectu arboris, qui est vltima arboris perfectio. Vnde etiam dicitur nomine *Fruitio*, quia affinitatem habet cum nomine fructus. In eandem sententiam dixit idem Augustinus.

7. *Omnes ipsum gaudium vitam beatam vocant.* lib. 10. Confes. c. 21.] Quia videlicet omnium bonorum extremum est, quo obtento nihil amplius restat, quod homo sibi expetere possit.

Digitized by Google

Si quæras, quinam dictorum actuum nobilissimus sit? Resp. breuiter, si physica eorum perfectio consideretur, visionem tenere primatum; tum, quia est expressa Dei similitudo, quod amori & gaudio non competit; tum quia Deum præsentem sistit & tenet, tum denique, quia est radix & causa cæterorum actuum. Si verò spectentur, prout sunt quoddam bonum Dei amor videtur tenere principatum. Amare enim nihil aliud est, quam velle alteri bonum, eo fine, vt ipsi benè sit, itaque per amorem amicitiæ beati Deo cupiunt, imprecanter, & toto affectu, quantum in ipsis est, conferunt omne bonum. Si denique spectentur quatenus sunt bonum hominis, quod homo sibi maximè appetit, hoc modo gaudium videtur esse potissimum: Quod enim sibi quisque maxime appetit, est gaudium, cum sit omnium bonorum extremum, quo obtento nihil restat, quod homo sibi expetat. Atque hoc modo conciliantur D. Thomas, Scotus, & Aureolus cum suis, quorum primus visioni, secundus amori, tertius gaudio potiorem locum assignat.

8. *Nemo beatus est, qui non fruitur eo, quod est hominis optimum.* S. Augustinus li. 1. de moribus Ecclesiæ. c. 3.] Ratio est, quia beatitudo obiectiua tale est bonum, quod tollit omnem inquietudinem, & plenè satiat appetitum, iuxta illud: *Satiabor, cum apparuerit gloria tua.* Psal. 16. Atqui nullum bonum limitatum aut creatum potest implere perfecte hominis desideria, & potentias hominis in illud tendentes constituere in esse perfectissimo, eo quod non habeat rationem summi aut optimi, vt perspicuum est, tum ex hac distinctione, tum etiam ex dictis supra, Titulo *de Fine vltimo.*

Digitized by Google

DISTINCTIO IV.

De *felicitate huius vitæ.*

1. *FElix eſt vita eius, qui ex virtute operatur.* 10. Eth. c. 8.] Felicitate nimirum naturali, qualis in anima ſecundum naturæ vires obtineri poteſt: nam ſupernaturalem non agnouit Ariſtoteles. Eadem de cauſa lib 1. moral. Eudemiorum c. 3. docet eos beatos ac felices eſſe exiſtimandos, qui iuſtis & honeſtis actionibus dant operam, non autem diuitiis, qui aut potentia excellunt. His enim & ſeruus & cæteroqui miſerrimus præpollere poteſt, cum fortunæ vana ludibria ſint, non propria virtutum præmia. Pro maiore autem huius explicatione notandum eſt, hominem in hac vita duobus modis conſiderari poſſe. Primò prout tendit ad beatitudinem alterius vitæ, ſiue illa ſupernaturalis ſit, vt contingit in præſenti ſtatu, ſiue ſupernaturalis, qualis probabiliter futura fuiſſet in ſtatu puræ naturæ. Secundò conſiderari poteſt homo abſolutè, ſine ordine ad aliam felicitatem. Itaque ſi conſideretur homo in ordine ad beatitudinem ſupernaturalem in altera vita obtinendam, felicitas eius, dum hic degit, conſiſtit in vita ſupernaturaliter ſancta, ſiue in exercitio virtutum ſupernaturalium. Ratio eſt; quia felicitas viatoris, vt viator eſt, ſiue ſummum bonum illius, eſt id, quod illum ducit ad terminum, atqui exercitium virtutum ducit hominem viatorem ad terminum ſiue ad vitam æternam, ergo. Hoc modo à Chriſto, Sanctis Patribus & aliis beati dicuntur, qui diuitias abiiciunt, qui mites & miſericordes ſunt, qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, &c. Si conſideretur homo in ordine ad

Digitized by Google

beatitudinem naturalem poſt hanc vitam in ſtatu purę naturæ acquirendam (nimirum ſi non fuiſſet eleuatus ad ſupernaturalem) eius beatitudo conſiſtit in vita naturaliter ſancta, ſiue in exercitio virtutum naturalium. Ratio eadem eſt, quæ præcedens. Talis enim vita fuiſſet via ad perfectiſſimã illius ſtatus beatitudinem acquirendam: Si denique conſideretur homo abſolutè ſine ordine ad illam beatitudinem huius vitæ, felicitas conſiſtit in contemplatione rerum intelligibilium maximè Dei, & in morum probitate ita docet Ariſtoteles loco citato, vbi inquit: *Beatitudinem eſſe contemplationem virtuti coniunctam*, Ratio huius pro priori parte eſt, quia contemplatio eſt perfectiſſima hominis operatio: pro poſteriori verò quia ſine virtute ſaltẽ morali nõ poteſt homo viuere tranquillè ac quietè, quod tamen ad beatitudinẽ requiritur. Quoniã verò abſolutè loquẽdo homo Chriſtianus, vt talis eſt, conſiderari debet, vt eleuatus ad ſtatum ſupernaturalem, & adoptionem filiorũ Dei, ideo abſolutè loquendo is beatus dicendus eſt in hac vita, qui maximè deditus eſt exercitio fidei, ſpei, charitatis & aliarum virtutum Chriſtianarum.

2. *Omnis peccator miſer eſt & omnis iuſtus Beatus.*] Elicitur ex loco citato, & perſpicuum eſt ex dictis. Dicitur autem omnis iuſtus beatus, non præcisè ob exercitium virtutum, quo mõdo Stoici ob virtutes humanas hominẽ beatum eſſe volebant, ſed quia eiuſmodi exercitium eſt via certiſſima, & diſpoſitio infallibilis ad perfectã beatitudinem in altera vita obtinendam; quia vt ſupra dictum eſt, abſolutè nos ſpectari debemus, vt eleuati ad beatitudinẽ ſupernaturalem. Sic etiam è contra omnes peccatores, quamuis omnibus huius vitæ bonis circunfluant, ſunt & vocari debent miſeri, quia extrema illis & æterna impendet miſeria.

3. *Felicitas contemplatiua perfectior est felicitate actiua.* Refertur à D. Thoma 7. Politic. lect. 2. Ratio etiam huius manifesta est ex dictis, quia hæc imperfecta est, & absolutè felicitatis nomen non meretur. Illa autem est perfecta hominis beatitudo.

4. *Accurata bonorum æstimatio malorum gignitur experimento.*] Traditur ab antiquo auctore Æneа Gaza, Bibliothecæ Patrum inserto. Ioseph currum triumphalem Ægypti conscendit per carceres & catenas: Dauid regalem thronum obtinuit, post grauissimas persecutiones; quæ sanè prosperitas, eo vtrique iucundior extitit, quo à maiori processerat afflictione. Solis item radius pulchrior est gratiorque post eclipsim, & mare tranquillius à tempestate, & aër serenior post pluuias & niues.

DISTINCTIO V.

De *appetitu Beatitudinis.*

1. *Omnis homo naturaliter beatus esse desiderat.*] Est communis sententia omnium sapientum, & refertur à D. Thoma 1. parte qu. 19. art. 10. in Corpore. Veritas illius & ratione constat & experientia. Ratione quidem, quia Beatitudo est summum hominis bonum, atqui bonum est id, quod omnia appetunt, vt docetur 1. Eth. c. 1. & explicatur Titulo *de Bono.* Experientiâ verò, quia vt inquit D. Augustinus lib. 10. de Ciuitate Dei c. 1. *Omnium sententia est, quicunque modo vti possunt, beatos esse homines omnes velle.* Comœdus quidam in theatro promisit se proximis ludis dicturum, quid quisque vellet, cumque ad diem constitutum conuenissent plurimi, omniumque mira esset expectatio, prodiit comœdus & post indictum silentium dixit,

Digitized by Google

Hoc omnes vultis vili emere & caro vendere. Alij quidam dixit: *Omnes mortales laudari se exoptant.* Hos merito reprehendit S. Augustinus, quia multi inueniuntur viri iusti, qui neutrum velint, vtrumque enim vitiosum esse: Illud contra Iustitiam, hoc contra veritatem: *At si dixissent,* inquit, *omnes beati esse vultis, miseri esse non vultis, dixissent aliquid, quod nullus in sua non agnosceret voluntate; quidquid enim aliud quisquam latenter velit, ab hac voluntate, quæ omnibus hominibus satis nota est, non recedit.* Ita ille lib. 13. de Trinitate c. 3. & 4. Dicitur autem omnis homo appetere suam beatitudinem eo modo, quo omnis homo scire desiderat, vt docet Aristoteles 1. Met. initio: appetitu videlicet cùm innato, tùm elicito, vt fusiùs explicatur Titulo *de Scientia.*

2. *Beatitudo est infinitè desiderabilis:* est cõmunis sententia.] Ratio illius est, quia omne bonum, quo nobilius est, eo etiam expeditius, vt docetur Titulo *de Bono.* Item, quo nobilius est, eo etiam magis trahit voluntatem in sui amorem, si clarè cognoscatur, vt patet experientia. Qui enim amat honores, longè aliter trahitur proposita dignitate regia quam magistratu vnius oppiduli, v. c. qui opes, longè aliter afficitur lucro centum millium, quam decem Florenorum. Imo bonum terrenum, quãdo videtur ingens ita mentem trahit, vt vix sui sit compos, nec possit se ab eius amore cohibere. Si ergò bonum sit infinitũ, in quo tota boni plenitudo contineatur, infinitè mẽtem trahit, ita vt nullo modo possit resistere. Quantumuis sit perfecta & sublimis, siue quod idem est, vt non possit impetũ amoris, quo in illud fertur, cohibere, atque hac de causa docẽt Theologi beatos in Cælo necessariò Deum diligere: Bonũ enim diuinũ ita trahit ad se ipsorum voluntatem, vt necessariò amare debeãt. Vide D. August. l. 10. Confes. c. 20.

Digitized by Google

3. *Felicitas sola per seipsam expetitur.* 10. Eth. c. 7.] Absolutè videlicet & extremè : Omnia enim alia ad illam ordinantur tanquam media. Cuius rei signum est, quod nemo in hac vita suas appetitiones omnino sistat, sed semper ad alia & alia extendat, & obtenta augeri exoptet, iuxta illud :

Quo plus sunt potæ plus sitiuntur aquæ.

Vnde qui congessit diuitias, quærit honores, quibus obtentis quærit voluptates & omnium molestiarum vacuitatem. Deinde in singulis appetit crescere & confirmari : hac enim bonorum congerie sibi beatus videtur. Confirmat hoc S. Augustinus in Psal. 118. Serm. 1. Ita scribens : *Si vis esse beatus, esto immaculatus : illud enim omnes, hoc pauci volunt, sine quo non pervenitur ad illud, quod omnes volunt* ; & infra : *Beatum quippe esse iam magnum est bonum, vt hoc & boni velint & mali : nec mirum est, quod boni propterea sint mali, vt sint boni, id est, vt sint vel fiant beati.*

4. *Vita contemplativa est felicissima.* 1. Ethic. c. 8. & 10. Ethic. c. 8.] Triplex vitæ genus distinguit Aristoteles lib. 1. Moral. cap. 4. Primum est vitæ contemplatiuæ siue *Philosophicæ*, vt ibi loquitur, cuius munus est contemplari veritatem. Secundum, vitæ actiuæ, siue *Politicæ*, vt vocat Aristoteles, quæ actiones exercet naturaliter honestas. 3. *Voluptuariæ*, quæ corporis delectationes sectatur. Ex his beatissima & homine dignissima est prima, quia contemplatio est perfectissima hominis operatio & iucundissima. Secundum dignitatis locum obtinet actiua siue Politica, quippè cum operationes, quæ secundum ipsam fiunt, etiam humanæ sint & à virtute proficiscantur, vt ibidem inquit Aristoteles. Tertium vitæ genus planè seruile est, & pecudum potius quã hominum. *Nemo siquidem* (verba sunt Aristot. ibi.) *nisi seruile mancipium magnoperè sibi eiusmodi vitam exoptandam*

exoptàndam esse sibi iudicarit. Patet enim, à bruto ita affectũ hominẽ nihil distare, adeo, vt bos Ægyptius quẽ vt Apin colunt homines, monarchas tales multis modis antecellat. Cæterũ vitam contemplatiuã actiuæ præferendam esse etiam ex illo clarè ostendit Philosophia Christiana, quod illa summo bono, à quo omnis promanat creata bonitas, sit magis coniuncta, faciatque Deo hominem similiorem & Angelis eius, & duas animę facultates, intellectum & voluntatem perficiat, illum illuminando excellentissimo sapientiæ actu: hanc verò Heroïcæ charitatis actu, id est, amore Dei inflammando, à quo cæteræ deinceps virtutes proficiscuntur. Atque hac de causa.

5. *Vita contemplatiua est aliquo modo diuina.*] Habet hoc dictum D. Thomas 10. Ethic. lect. 11. Sumptumque est ex cap. 7. l. 10. Ethic. Vbi Philosophus ait: vitam eam, quæ ex intellectu traducitur, vt intellectus est, diuinum quid esse, si ad hominem respicias: si verò humanæ vitæ comparetur, esse ipsam etiam diuinam. Ratio perspicua est ex dictis.

TITVLVS LVII.

De *honore, laude, & gloria.*

1. DVplex est præmium virtutis, essentiale nempe felicitas, & accidentale, vt sunt honor, fama, gloria, amicitia &c. De illo actum est superius. De hisce deinceps agemus.

esse laude digniorem, similiter.

7. *Diuinius est id, quod honorabile, quam quod laudabile.* Sumitur ex eodem cap.] Vbi Philosophus addit deos & beatos honorari à nobis dici potius quam laudari, ac *laudes Deorum plerũq, esse ridiculas*, ideſt multo inferiores ipsorum maiestate. Nota tamen ignorantem posse esse excellentiorem virtute, sapientia, dignitate, quam sit is, qui honoratur, quia tunc honorans considerat seipsum nudè, quatenus ex se nihil præclari habet. Alterum vero considerat, vt præditum aliqua excellentia, ob quam illi honorem defert. Hoc modo etiam Princeps aut Imperator honorare potest hominem priuatum. Omnis enim homo, vt imago Dei, vt capax æternæ beatitudinis, vt virtute vel sapientia præditus, est honore dignus, habetque quandam eminentiam supra alium siue tali excellentia spectatum, ratione cuius illi honor exhiberi cum quadam sui submissione potest, multoque magis, si sit Christianus, si iustus, si religiosus, si sacerdos, si Episcopus &c.

8. *Peius est frigidè laudare, quam apertè reprehendere.* Phauorinus apud Gellium lib. 10. cap. 3.] Ratio huius est, quia detractionis speciem habet frigida laudatio, vt significat D. Thomas 2. 2. & 73. artic. 1. Qui enim frigide alium laudat, nihilo plus efficit, quam ille, qui simulat se velle laudare aliquem, & tamen nihil adfert laude dignum, quod est indirectè aiteri detrahere:

9. *Honor est externorum bonorum maximum.* 4. Ethic. cap. 3. & referturà D. Thoma ibidem lect. 6.] Ratio est, quia principatus & diuitiæ propter honorem sunt expetibilia. Bonam etiam famam honore inferiorem esse ex eo patet, quod honor includit famam siue opinionem excellentiæ, & præte-

rea eius testificationem siue manifestationem vt notat Lessius lib. 2. de iure & iustitia c. 11. n. 5. Ceterum opinio præcipua pars honoris est, & eius quasi anima, quam homines ambitiosi maximè faciunt, quia existimant se per illam viuere illustres in mẽtibus hominum. Atque hinc perspicuum fit summum bonum non consistere in honore; quoniam illud debet esse quid solidum, quod nõ sit positum in hominum opinione, & arbitrio. Atqui honor nihil solidi est, sed res imaginaria posita in hominum opinione & arbitrio; quid autem vanius est, quam ponere summum bonum, in hominum opinione quæ & maximè mutabilis est, & persæpè falsa. Pauci enim suis momentis virtutem aliaque bona æstimare norunt. Nam fluxa & infima plerique maximi æstimant; solida & sempiterna praui. Vnde Apostolus 1. ad Cor. cap. 4. *Mihi pro minimo vt à vobis iudicer, aut ab humano die, qui autem iudicat me, Dominus est:* Dies humanus fallax est; quia in hac vita omnia ferè occulta manent. Dies Domini verum de singulis dabit iudicium; quia omnia abscondita proferet in lucem, & ostendet orbi clarè, qualis & quantus quisque sit & fuerit.

10. *Honor potius est in honorante quam in honorato.* Sumitur ex 1. Ethic. cap. 5.] Vbi Aristoteles probans, quod iam dictum est nempe in honore nõ esse positum summum bonum, docet illud tale esse, vt auferri facilè nequeat. *Honor autem per se potest facilè auferri*, inquit, *Cum bonum quoddam externum sit, & in ijs potius consistat, qui afficiunt, quã qui afficiuntur honoribus.* Ratio patet ex definitione honoris supra allata, & aliis dictis. Nihil enim aliud est honor, quam testimonium excellentiæ cum quadam sui submissione. Vnde computatur à Philosophis inter bona extrinseca. Est tamen suo etiam modo honor

amandoputant sed fruende; quisquis ergo fruitur eo, quod amat, verumque & summum bonum amat, quis enim beatum nisi miserrimus neget. Hic S. Doctor præter amorem ad beatitudinem etiam requirit fruitionem, quæ includit præsentiam rei & voluptatem ex eius præsentia manantem Vnde manifestum est illum requirere primo visionem, qua res habetur præsens; secundo amorem, quo diligitur, vt summum bonum. Tertio delectationem, sine qua non est perfecta fruitio. Et ratio clara est ex communi omnium sensu. Omnes enim beatitudinem concipiunt, quasi sit omnium gaudiorum & oblectationum complexio. Vnde idem S. Augustinus lib. 10. Confess. cap. 22. *Ipsa est beata vita gaudere ad te, de te, & propter te, ipsa est, & non est altera:* Ergo ad perfectam beatitudinem præter amorem etiam gaudium requiritur. Patetque ex ipsa definitione beatitudinis supra allata: Neque enim dici poterit status omnium bonorum aggregatione perfectus, si vel amor desit vel gaudium.

6. *Summa merces hæc est, vt Deo fruamur.* S. Augustinus lib. 1. de doctrina Christiana cap. 32.] Per fruitionem intelligitur hic delectatio, siue gaudium voluntatis circa summum bonum perfectissimo modo possessum, quia hæc est vltima perfectio, quæ ab homine haberi potest consequens omnem aliam hominis perfectionem, ac proinde ita se habet respectu hominis, vti fructus respectu arboris, qui est vltima arboris perfectio. Vnde etiam dicitur nomine *Fruitio*, quia affinitatem habet cum nomine fructus. In eandem sententiam dixit idem Augustinus.

7. *Omnes ipsum gaudium vitam beatam vocant.* lib. 10. Confes. c. 21.] Quia videlicet omnium bonorum extremum est, quo obtento nihil amplius restat, quod homo sibi expetere possit.

Digitized by Google

Si quæras, quinam dictorum actuum nobilissimus sit? Resp. breuiter, si physica eorum perfectio consideretur, visionem tenere primatum; tum, quia est expressa Dei similitudo, quod amori & gaudio non competit; tum quia Deum præsentem sistit & tenet, tum denique, quia est radix & causa cæterorum actuum. Si verò spectentur, prout sunt quoddam bonum Dei amor videtur tenere principatum. Amare enim nihil aliud est, quam velle alteri bonum, eo fine, vt ipsi benè sit, itaque per amorem amicitiæ beati Deo cupiunt, imprecanter, & toto affectu, quantum in ipsis est, conferunt omne bonum. Si denique spectentur quatenus sunt bonum hominis, quod homo sibi maximè appetit, hoc modo gaudium videtur esse potissimum: Quod enim sibi quisque maxime appetit, est gaudium, cum sit omnium bonorum extremum, quo obtento nihil restat, quod homo sibi expetat. Atque hoc modo conciliantur D. Thomas, Scotus, & Aureolus cum suis, quorum primus visioni, secundus amori, tertius gaudio potiorem locum assignat.

8. *Nemo beatus est, qui non fruitur eo, quod est hominis optimum.* S. Augustinus li. 1. de moribus Ecclesiæ. c. 3.] Ratio est, quia beatitudo obiectiua tale est bonum, quod tollit omnem inquietudinem, & plenè satiat appetitum, iuxta illud: *Satiabor, cum apparuerit gloria tua.* Psal. 16. Atqui nullum bonum limitatum aut creatum potest implere perfecte hominis desideria, & potentias hominis in illud tendentes constituere in esse perfectissimo, eo quod non habeat rationem summi aut optimi, vt perspicuum est, tum ex hac distinctione, tum etiam ex dictis supra, Titulo *de Fine vltimo.*

DISTINCTIO IV.

De *felicitate huius vitæ.*

1. *Felix eſt vitâ eius, qui ex virtute operatur.* 10. Eth. c. 8.] Felicitate nimirum naturali, qualis in anima ſecundum naturæ vires obtineri poteſt: nam ſupernaturalem non agnouit Ariſtoteles. Eadem de cauſa lib 1. moral. Eudemiorum c. 3. docet eos beatos ac felices eſſe exiſtimandos, qui iuſtis & honeſtis actionibus dant operam, non autem diuitiis, qui aut potentia excellunt. His enim & ſeruus & cæteroqui miſerrimus præpollere poteſt, cum fortunæ vana ludibria ſint, non propria virtutum præmia. Pro maiore autem huius explicatione notandum eſt, hominem in hac vita duobus modis conſiderari poſſe. Primò prout tendit ad beatitudinem alterius vitæ, ſiue illa ſupernaturalis ſit, vt contingit in præſenti ſtatu, ſiue ſupernaturalis, qualis probabiliter futura fuiſſet in ſtatu puræ naturæ. Secundò conſiderari poteſt homo abſolutè, ſine ordine ad aliam felicitatem. Itaque ſi conſideretur homo in ordine ad beatitudinem ſupernaturalem in altera vita obtinendam, felicitas eius, dum hic degit, conſiſtit in vita ſupernaturaliter ſancta, ſiue in exercitio virtutum ſupernaturalium. Ratio eſt; quia felicitas viatoris, vt viator eſt, ſiue ſummum bonum illius, eſt id, quod illum ducit ad terminum, atqui exercitium virtutum ducit hominem viatorem ad terminum ſiue ad vitam æternam, ergo. Hoc modo à Chriſto, Sanctis Patribus & aliis beati dicuntur, qui diuitias abiiciunt, qui mites & miſericordes ſunt, qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, &c. Si conſideretur homo in ordine ad

Digitized by Google

beatitudinem naturalem poſt hanc vitam in ſtatu purę naturę acquirendam (nimirum ſi non fuiſſet eleuatus ad ſupernaturalem) eius beatitudo conſiſtit in vita naturaliter ſancta, ſiue in exercitio virtutum naturalium. Ratio eadem eſt, quæ præcedens. Talis enim vita fuiſſet via ad perfectiſſimã illius ſtatus beatitudinem acquirendam: Si deniqne conſideretur homo abſolutè ſine ordine ad illam beatitudinem huius vitæ, felicitas conſiſtit in contemplatione rerum intelligibilium maximè Dei, & in morum probitate ita docet Ariſtoteles loco citato, vbi inquit: *Beatitudinem eſſe contemplationem virtuti coniunctam*, Ratio huius pro priori parte eſt, quia contemplatio eſt perfectiſſima hominis operatio; pro poſteriori verò quia ſine virtute ſaltẽ morali nõ poteſt homo viuere tranquillè ac quietè, quod tamen ad beatitudinẽ requiritur. Quoniã verò abſolutè loquẽdo homo Chriſtianus, vt talis eſt, conſiderari debet, vt eleuatus ad ſtatum ſupernaturalem, & adoptionem filiorũ Dei, ideo abſolutè loquendo is beatus dicendus eſt in hac vita, qui maximè deditus eſt exercitio fidei, ſpei, charitatis & aliarum virtutum Chriſtianarum.

2. *Omnis peccator miſer eſt & omnis iuſtus Beatus.*] Elicitur ex loco citato, & perſpicuum eſt ex dictis. Dicitur autem omnis iuſtus beatus, non præcisè ob exercitium virtutum, quo mõdo Stoici ob virtutes humanas hominẽ beatum eſſe volebant, ſed quia eiuſmodi exercitium eſt via certiſſima, & diſpoſitio infallibilis ad perfectã beatitudinem in altera vita obtinendam; quia vt ſupra dictum eſt, abſolutè nos ſpectari debemus, vt eleuati ad beatitudinẽ ſupernaturalem. Sic etiam è contra omnes peccatores, quamuis omnibus huius vitæ bonis circunfluant, ſunt & vocari debent miſeri, quia extrema illis & æterna impendet miſeria.

3. *Felicitas contemplatiua perfectior est felicitate actiua.* Refertur à D. Thoma 7. Politic. lect. 2. Ratio etiam huius manifesta est ex dictis, quia hæc imperfecta est, & absolutè felicitatis nomen non meretur. Illa autem est perfecta hominis beatitudo.

4. *Accurata bonorum æstimatio malorum gignitur experimento.*] Traditur ab antiquo auctore Æneа Gaza, Bibliothecæ Patrum inserto. Ioseph currum triumphalem Ægypti conscendit per carceres & catenas: Dauid regalem thronum obtinuit, post grauissimas persecutiones; quæ sanè prosperitas, eo vtrique iucundior extitit, quo à maiori processerat afflictione. Solis item radius pulchrior est gratiorque post eclipsim, & mare tranquillius à tempestate, & aër serenior post pluuias & niues.

DISTINCTIO V.

De *appetitu Beatitudinis.*

1. *OMnis homo naturaliter beatus esse desiderat.*] Est communis sententia omnium sapientum, & refertur à D. Thoma 1. parte qu. 19. art. 10. in Corpore. Veritas illius & ratione constat & experientia. Ratione quidem, quia Beatitudo est summum hominis bonum, atqui bonum est id, quod omnia appetunt, vt docetur 1. Eth. c. 1. & explicatur Titulo *de Bono.* Experientiâ verò, quia vt inquit D. Augustinus lib. 10. de Ciuitate Dei c. 1. *Omnium sententia est, quiratione quoquo modo vti possunt, beatos esse homines omnes velle.* Comœdus quidam in theatro promisit se proximis ludis dicturum, quid quisque vellet, cumque ad diem constitutum conuenissent plurimi, omniumque mira esset expectatio, prodiit comœdus & post indictum silentium dixit,

Digitized by Google

Hoc omnes vultis vili emere & caro vendere. Ali⁹ quidam dixit: *Omnes mortales laudari se exoptant.* Hos merito reprehendit S. Auguſtinus, quia multi inueniuntur viri iuſti, qui neutrum velint, vtrumque enim vitioſum eſſe: Illud contra Iuſtitiam, hoc contra veritatem: *At ſi dixiſſent*, inquit, *omnes beati eſſe vultis, miſeri eſſe non vultis, dixiſſent aliquid, quod nullus in ſua non agnoſceret voluntate: quidquid enim aliud quiſquam latenter velit, ab hac voluntate, quæ omnibus hominibus ſatis nota eſt, non recedit.* Ita ille lib. 13. de Trinitate c. 3. & 4. Dicitur autem omnis homo appetere ſuam beatitudinem eo modo, quo omnis homo ſcire deſiderat, vt docet Ariſtoteles 1. Met. initio: appetitu videlicet cùm innato, tùm elicito, vt fuſiùs explicatur Titulo *de Scientia.*

2. *Beatitudo eſt infinitè deſiderabilis:* eſt cõmunis ſententia.] Ratio illius eſt, quia omne bonum, quo nobilius eſt, eo etiam expeditius, vt docetur Titulo *de Bono.* Item, quo nobilius eſt, eo etiam magis trahit voluntatem in ſui amorem, ſi clarè cognoſcatur, vt patet experientia. Qui enim amat honores, longè aliter trahitur propoſita dignitate regia quam magiſtratu vnius oppiduli, v. c. qui opes, longè aliter afficitur lucro centum millium, quam decem Florenorum. Imo bonum terrenum, quãdo videtur ingens ita mentem trahit, vt vix ſui ſit compos, nec poſſit ſe ab eius amore cohibere. Si ergò bonum ſit infinitũ, in quo tota boni plenitudo contineatur, infinitè mẽtem trahit, ita vt nullo modo poſſit reſiſtere. Quantumuis ſit perfecta & ſublimis, ſiue quod idem eſt, vt non poſſit impetũ amoris, quo in illud fertur, cohibere, atque hac de cauſa docẽt Theologi beatos in Cælo neceſſariò Deum diligere: Bonũ enim diuinũ ita trahit ad ſe ipſorum voluntatem, vt neceſſariò amare debeãt. Vide D. Auguſt. l. 10. Confeſ. c. 20.

3. *Felicitas sola per seipsam expetitur.* 10. Eth. c. 7.] Absolutè videlicet & extremè : Omnia enim alia ad illam ordinantur tanquam media. Cuius rei signum est, quod nemo in hac vita suas appetitiones omnino sistat, sed semper ad alia & alia extendat, & obtenta augeri exoptet, iuxta illud :

Quo plus sunt potæ plus sitiuntur aquæ.

Vnde qui congessit diuitias, quærit honores, quibus obtentis quærit voluptates & omnium molestiarum vacuitatem. Deinde in singulis appetit crescere & confirmari : hac enim bonorum congerie sibi beatus videtur. Confirmat hoc S. Augustinus in Psal. 118. Serm. 1. Ita scribens : *Si vis esse beatus, esto immaculatus ; illud enim omnes, hoc pauci volunt, sine quo non peruenitur ad illud, quod omnes volunt* ; & infra : *Beatum quippe esse iam magnum est bonum, vt hoc & boni velint & mali : nec mirum est, quod boni propterea sint mali, vt sint boni, id est, vt sint vel fiant beati.*

4. *Vita contemplatiua est felicissima.* 1. Ethic. c. 8. & 10. Ethic. c. 8.] Triplex vitæ genus distinguit Aristoteles lib. 1. Moral. cap. 4. Primum est vitæ contemplatiuæ siue *Philosophicæ*, vt ibi loquitur, cuius munus est contemplari veritatem. Secundum, vitæ actiuæ, siue *Politicæ*, vt vocat Aristoteles, quæ actiones exercet naturaliter honestas. 3. *Voluptuariæ*, quæ corporis delectationes sectatur. Ex his beatissima & homine dignissima est prima, quia contemplatio est perfectissima hominis operatio & iucundissima. Secundum dignitatis locum obtinet actiua siue Politica, quippè cum operationes, quæ secundum ipsam fiunt, etiam humanæ sint & à virtute proficiscantur, vt ibidem inquit Aristoteles. Tertium vitæ genus planè seruile est, & pecudum potius quã hominum. *Nemo siquidem* (verba sunt Aristot. ibi.) *nisi seruile mancipium magnoperè sibi eiusmodi vitam exoptandam*

exoptàndam esse sibi indicarit. Patet enim, à bruto ita affectũ hominẽ nihil distare, adeo, vt bos Ægyptius quẽ vt Apin colunt homines, monarchas tales multis modis antecellat. Cæterũ vitam contemplatiuã actiuæ præferendam esse etiam ex illo clarè ostendit Philosophia Christiana, quod illa summo bono, à quo omnis promanat creata bonitas, sit magis coniuncta, faciatque Deo hominem similiorem & Angelis eius, & duas animę facultates, intellectum & voluntatem perficiat, illum illuminando excellentissimo sapientiæ actu: hanc verò Heroïcæ charitatis actu, id est, amore Dei inflammando, à quo cæterę deinceps virtutes proficiscuntur. Atque hac de causa.

5. *Vita contemplatiua est aliquo modo diuina.*] Habet hoc dictum D. Thomas 10. Ethic. lect. 11. Sumptumque est ex cap. 7. l. 10. Ethic. Vbi Philosophus ait: vitam eam, quæ ex intellectu traducitur, vt intellectus est, diuinum quid esse, si ad hominem respicias: si verò humanæ vitæ comparetur, esse ipsam etiam diuinam. Ratio perspicua est ex dictis.

TITVLVS LVII.

De honore, laude, & gloria.

1. DVplex est præmium virtutis, essentiale nempe felicitas, & accidentale, vt sunt honor, fama, gloria, amicitia &c. De illo actum est superius. De hisce deinceps agemus.

DISTINCTIO PRIMA.

Quid sit honor, laus & gloria.

1. HOnor *est signum bonæ æstimationis.* l. 1. Rhet.] Ratio huius vulgaris pronunciati manifesta fit ex definitione honoris, qui est, *exhibitio reuerentiæ in testimonium excellentiæ & virtutis, quam possidet honoratus.* Vnde homines, qui volunt honorari, testimonium suæ excellentiæ quærunt, vt docet Aristoteles l. 1. Ethic. c. 12. & l. 8. c. 8.

2. *Honor est præmium virtutis.* l. 4. Ethic. c. 3.] Verus cultor virtutis honorem aut gloriam minimè sectatur: quippe quæ virtute sunt longè inferiora & accidentale illius duntaxat, minimeque sufficiens præmium. Vnde eodem c. Philosophus inquit. *Virtuti tribui nullus honor dignus potest:* Vtraque nihilominus virtutem velut vmbra sequitur, vt ait S. Ecclesiæ Doctor Hieronymus in Epitaphio Paulæ ad Eustochium: Honor quidem prius & magis immediatè, gloria verò posterius & mediatè, quoniam.

3. *Gloria est effectus honoris & laudis.* D. Thomas 2. 2. q. 103. art. 1. ad 3.] Ex hoc siquidem, quod aliquis in testimonium virtutis honore & laude afficitur, celebris paulatim & gloriosus euadit, clarescitque bonitas illius in notitia plurimorum, id quod importare videtur ipsum nomen gloriæ. Nam gloria dicitur quasi claria, vt notat D. Thomas loco cit. vnde illud.

4. *Gloria est clara cum laude notitia.* Sumitur ex D. Augustino lib. 83. quæst. 31.] Circa finem, cui conformiter & magis determinatè ad distinctionem veræ gloriæ à vana. Tullius lib. 3. Tus. & sub ini-

tium inquit: *Gloria est consentiens bonorum & vox incorrupta, benè sentientium de excellenti virtute. Aut fama popularis adumbrata est imago gloriæ, plerumq; vitiorum laudatrix, quam iactat populus & omnis vndique ad vitia consentiens multitudo.*

5. *Gloria est vmbra virtutis.* Seneca Epist. 79.] Nam vt vmbra ita & gloria vel inuitos persæpè sequitur, & quemadmodum vmbra aliquando antecedit, aliquando sequitur, ita gloria aliquãdo ante nos, visendamque se præbet, aliquando in auersione maiorque quo serior, vbi inuidia secessit. Pro huius autem & præcedentium maiore explicatione notãdum est honorem, & gloriã dupliciter accipi, primo pro ipsis dignitatibus & muniis publicis ob quę honor & gloria mortalibus accedunt; vt sunt maiestas Imperatoria & Regia, & quilibet principatus ac magistratus, secundo pro omnibus reuerentiæ & cultus signis, quibus alij suam submissionem & superiorum excellentiã testantur, vt sunt deiectio, incuruatio, genuflexio, erectio statuæ, ludi, festa, sacrificia. Eodem pertinent laudes, hymni, panegyrici, omniaque illa quibus homines ad aliorum honorem vel laudem ac gloriam vti possunt. Prior acceptio metaphorica est, posterior propria.

6. *Honorari dignius est, quam laudari.* Sumitur ex 10. Eth. c. 12.] Honor & laus in eo consistunt, quod sint testificationes excellentiæ. Differunt 1. quod laus cõsistit in solis signis verborũ, honor autẽ in quibuscũq; exterioribus signis & secundũ hoc laus in honore includitur velut pars in toto, ignobilius in nobiliore, 2. Honor exhibetur excellentiæ in suo genere perfectissimæ, vt Deo, Beatis, laus excellentiæ ordinatæ in aliquẽ finẽ. Sicut laudamus aliquẽ propter finẽ v. g. adolescentem ad diligentiam in studiis adhibendã vt loco cit. notat Arist. Vtroque sensu patet honorẽ

esse laude digniorem, similiter.

7. *Diuinius est id, quod honorabile, quam quod laudabile.* Sumitur ex eodem cap.] Vbi Philosophus addit deos & beatos honorari à nobis dici potius quam laudari, ac *laudes Deorum plerũq; esse ridiculas*, ideſt multo inferiores ipsorum maiestate. Nota tamen ignorantem posse esse excellentiorem virtute, sapientia, dignitate, quam sit is, qui honoratur, quia tunc honorans considerat seipsum nudè, quatenus ex se nihil præclari habet. Alterum vero considerat, vt præditum aliqua excellentia, ob quam illi honorem defert. Hoc modo etiam Princeps aut Imperator honorare potest hominem priuatum. Omnis enim homo, vt imago Dei, vt capax æternæ beatitudinis, vt virtute vel sapientia præditus, est honore dignus, habetque quandam eminentiam supra alium sine tali excellentia spectatum, ratione cuius illi honor exhiberi cum quadam sui submissione potest, multoque magis, si sit Christianus, si iustus, si religiosus, si sacerdos, si Episcopus &c.

8. *Peius est frigidè laudare, quam apertè reprehendere.* Phauorinus apud Gellium lib. 10. cap. 3.] Ratio huius est, quia detractionis speciem habet frigida laudatio, vt significat D. Thomas 2. 2. & 73. artic. 1. Qui enim frigide alium laudat, nihilo plus efficit, quam ille, qui simulat se velle laudare aliquem, & tamen nihil adfert laude dignum, quod est indirectè alteri detrahere:

9. *Honor est externorum bonorum maximum.* 4. Ethic. cap. 3. & referturà D. Thoma ibidem lect. 6.] Ratio est, quia principatus & diuitiæ propter honorem sunt expetibilia. Bonam etiam famam honore inferiorem esse ex eo patet, quod honor includit famam siue opinionem excellentiæ, & præte-

rea eius testificationem siue manifestationem vt notat Lessius lib.2. de iure & iustitia c. 11. n. 5. Ceterum opinio præcipua pars honoris est, & eius quasi anima, quam homines ambitiosi maximè faciunt, quia existimant se per illam viuere illustres in mẽtibus hominum. Atque hinc perspicuum fit summum bonum non consistere in honore; quoniam illud debet esse quid solidum, quod nõ sit positum in hominum opinione, & arbitrio. Atqui honor nihil solidi est, sed res imaginaria posita in hominum opinione & arbitrio; quid autem vanius est, quam ponere summum bonum, in hominum opinione quæ & maximè mutabilis est, & persæpè falsa. Pauci enim suis momentis virtutem aliaque bona æstimare norunt. Nam fluxa & infima plerique maximi æstimant; solida & sempiterna praui. Vnde Apostolus 1. ad Cor. cap. 4. *Mihi pro minimo vt à vobis iudicer, aut ab humano die, qui autem iudicat me, Dominus est:* Dies humanus fallax est; quia in hac vita omnia ferè occulta manent. Dies Domini verum de singulis dabit iudicium; quia omnia abscondita proferet in lucem, & ostendet orbi clarè, qualis & quantus quisque sit & fuerit.

10. *Honor potius est in honorante quam in honorãto.* Sumitur ex 1. Ethic. cap. 5.] Vbi Aristoteles probans, quod iam dictum est nempe in honore nõ esse positum summum bonum, docet illud tale esse, vt auferri facilè nequeat. *Honor autem per se potest facilè auferri*, inquit, *Cum bonum quoddam externum sit, & in eis potius consistat, qui afficiunt, quã qui afficiuntur honoribus.* Ratio patet ex definitione honoris supra allata, & aliis dictis. Nihil enim aliud est honor, quam testimonium excellentiæ cum quadam sui submissione. Vnde computatur à Philosophis inter bona extrinseca. Est tamen suo etiam modo honor

in honorato nempè terminatiuè non inhæsiuè, &, vt alij loquuntur, velut effectus in sua causa. Cum enim honor sit præmium virtutis, vtique qui virtute præditus est, concurrere videtur & esse causa cur honoretur, licet illud præcipuè pendeat ab arbitrio honorantis,

DISTINCTIO II.

Quis dignus honore, & quis indignus?

1. *Solus est honorabilis.* 4. Eth. c. 3.] Ratio est, quoniam honor nihil est aliud, quam protestatio de excellentia bonitatis alicuius: Bonus autem est aliquis per virtutem, cum ab illa denominemur boni & simus, vt alibi est explicatum; ideo virtuti debetur honor per se, & secundum veritatem, vt docet Aristoteles loco citato. Alia vero, quæ sunt infra virtutem, vt nobilitas, potentia, diuitiæ &c. honore afficiuntur in quantum iuuant ad operationem virtutis, vt rectè notat D. Thom. 2. 2. q. 145. a 1. ad 2. Vide si placet, Hiero. Platum l. 2. de bono statu religiosi c. 37. vbi pulchrè ostendit, veram honoris materiam esse, idq; eo magis, quo excellentius est.

2. *Honorem omnes natura appetunt.* D. Th. l. 3. Polit. lect. 8.] At non omnes digna honoribus agunt. Nã vt rectè Salustius in Catilinaria: *Gloriam, honorem, & imperium bonus & ignauus æquè sibi exoptant, sed ille verâ viâ nititur; hic quia bonæ artes desunt, dolis atque fallaciis contendit.* Hinc quoque colligitur summum bonum non consistere in honore; quoniam illud debet esse tale, vt eius appetitio non possit esse inimia aut vitiosa; quia summe appetendum est esse infinitè, vt diximus superius. Atqui appetitio hono-

tis potest esse nimia & vitiosa. Si enim non fuerit moderata, fieret ambitio & Cenodoxia, quæ vbique gentium est delectabils.

3. *Infamibus portæ nõ pateãt dignitatũ.*] Est hæc regula 87, Iuris in 6. quę variis in vtroq; Iure locis explicatur, de qualibet infamia, siuè iuris illa sit siuè facti, & de dignitate tàm ciuili, quam Ecclesiastica. Vide si placet commentatores ad Reg. citatam.

4. *Dignitatibus viri dandi sunt non dignitates hominibus.* Dictum istud Pij secũdi Pontif. Max.] Refert Platina in eius vita, quo significatur aptas in magistratum deligendas esse personas, non cuilibet eum ex fauore aut inordinato affectu; & sine discrimine committendum: v.c. Ecclesiæ prouidendum esse de bonis personis; non autem personæ de bonis Ecclesiis: Tametsi ea optima sit prouisio, cum vtrumque simul fieri potest, vt & personæ benè merenti, & Ecclesiæ vacanti vtiliter prouideatur. Id quod si accuratè seruaretur, longè felicior esset Rerumpub. conditio. Lege, si placet, vitam Bellarmini libro secundo c. 5. in Consiliis Clement. octau. Pontificis datis.

5. *Sera præmia sunt magnifica.* Honor, fama, & gloria aliaque rerum præclarè gestarum præmia serius quidem persæpè benè meritis obtingunt; Verùm hæc præstantiora de iure sunt, quo longius dilata, vt tarditatem amplitudine ac stabilitate compensent.

6. *Populus honorat non semper quæ optima sunt, sed quæ optima videntur.*] In problematis Sect. 27. t. 5. Vbi causam inquirit Philosophus cur maximo honore prosequantur Respublicæ fortitudinem, quæ tamen virtutum præcipua non est, & respondet, plurimi eam à rebus publicis fieri ob magnas illius in patria tuenda vtilitates ac proinde eam

magni præ cæteris æstimari. Veritas effati constat ex dictis & patet experientia quotidiana.

DISTINCTIO III.

Quæ comitentur honorem.

1. *Magistratus ostendit virum 5. Ethic. cap. 1.*] Sensus est, in vita priuata vix satis hominum mores ordinariè perspici, verum si committatur imperium, vt liceat, quod libeat, tum apparere quo sint prædicti animo, quibusque virtutibus ornati. Complures enim, vt ibidem ait Aristoteles, in propriis quidem vti virtute possunt, sed in iis quæ sunt ad alium, nequeunt. Citat loco citato Aristoteles sententiam propositam tanquam effatum Biantis, at Laertius Diogenes tribuit eam Pittaco, iuxta hanc explicationem verum est istud vulgare.

2. *Honores mutant mores, sed varò in meliores.*] Præterquam enim, quod in se sint res vanæ & vacua signa, & bona imaginaria, qualia sunt somniantium; Hoc & habent honores incommodi, quod lumen mentis ita obfuscent, vt homo seipsum non cognoscat, & longè se maiorem, quam reuera sit, existimat. Itaque adimunt & ei sui notitiam, quæ tantoperè à sapientibus celebri elogio: *Nosce teipsum*, commentatur. Et eius loco inserunt perniciosum errorem, quo animus in superbiam omnium vitiorum fontem intumescit. Vnde rectè S. Augustinus l. de Catechisandis rudibus c. 16. inquit: *Quid sunt honores seculi nisi typhus & vanitas & ruinæ periculum: Hedera exsiccat arbores, in quas serpit.* Titulo *de substantia in specie*, addatur hic.

3, *gloria eſt pabulum inuidiæ.*] Dictum iſtud vulgare ſumptum videri poteſt ex illo Socratis apud Stobæum, ſermone 28. *Iter facientes per ſolem neceſſario comitatur vmbra: incedentibus verò per gloriam comes eſt inuidia*, &: *gloriæ pulchritudo citò marceſcit, ſeu morbo quodam*, ibidem. Pro cuius veritate notandum eſt quod virtutem &excellentiam omnem mox adoriri ſoleat inuidia maleuolorum, interius quidem vt plurimum latens ad datam vel leuiſſimam occaſionem foras prodit, & prædictam virtute ſiuè detrahendo ſiuè alio quocunque modo dedecorare, excellentiamque illius eleuare & obtundere conatur. Quod ſi deinde homo virtute ac gloria illuſtris ita integer ſit perfectuſque, vt maleuoli nullum in eo ſuæ inuidiæ ſatiandæ pabulum inueniant, paulatim illi æmulationis iniquæ ſtimulos cohibent, & niſi pertinaces ſint, virtuti ſeſe accommodant vel ſubiiciunt. Sin verò virtuoſus & excellens in quibuſdam, in aliis ſit imperfectus vel ſaltem non in omnibus ſuperior, inuidia habens adhuc in quo rabiem ſuam foueat, & exerceat, illum perſequitur, defectum illius etiam nimium exaggerat, bona eleuat, & pro viribus eneruat, ac denique in omnibus nocet, quantum poteſt. Hinc fit, vt infimus aliquis & imperfectus pacem ſuo modo aliquam obtineat iuxta illud.

4. *Sola miſeria caret inuidia.*] Perfectus verò & excellens in quibuſdam duntaxat omnium penè maleuolentiæ ſubiacet, in tali gradu pacem habere non valens. Perfectus denique & excellens in omnibus inuidia ſuccumbente ab omnibus, qui ſanæ mentis ſunt, ordinariè ametur, paceque & tranquillitate perfruatur, *altior inuidiaque maior.* Dum ignis accenditur, fumus excitatur, at plene ardens flamma fumum diſſipat. Ambulantem in ſole vmbra vel

sequitur vel præit, vel à dextris est, vel à sinistris. At in meridie minuitur vmbra imò dum sol est directè supra verticem illius nullam spargit. Sic excellere incipientibus, fumus & vmbra maleuolorum initio molesta sunt, postea dissipantur.

5. *Dignitatum via inconfragosa ducit fastigia.*] Sumitur ex Seneca, Epistola 86. vbi de ambitu agens: *quacunque*, inquit, *videntur eminere in rebus humanis, quam pusilla sint in comparatione humillimorum, per difficiles tamen & arduos tramites adeundum. Confragosa in fastigia dignitatum via est.* Similis est illa Vespasiani oratio de Imperio deliberantis: *Imperium cupientibus nihil medium inter summa & præcipitia.* Veritas huius & fide historica & experientia quotidiana manifesta est.

DISTINCTIO X.

De honore Imaginum.

1. *Honor dependet ab intentione honorantis.*] Vtitur hoc pronunciato Suarez to. 1. in 3. part. disp. 54. s. 3. & ex eo deducit, eum tantum reuera honorari, quem aliquis honorare vult & intendit. Ratio sumitur ex definitione honoris, quæ est testimonium excellentiæ, quod ab honorante exhibetur illi, qui honoratur secundum illius, qui honorat, intentionem. Elicitur autem etiã hoc effatum ex l. 1. Eth. cap. 5. vbi docet Philosophus, beatitudinem non consistere in honore eo quod sit in beato; honor autem in iis potius qui afficiunt, quam in iis, qui afficiuntur honoribus esse videatur. Lege si placet D. Thomam 1. 2. q. 7. a. 2.

2. *Idem est motus in imaginem, & rem, cuius est imago.*] Principium istud desumptum est ex l. b. de

memoria & reminiscentia cap. 2. vbi Philosophus disputat de motu vel actu memoriæ, quo rei absentis & prius cognitæ recordamur, & causam reddere volens, cur memoria cognoscat absentia, eam assignat quia in memoria sunt species rerum, quæ sunt quasi picturæ quædam; & duplici modo considerare possunt, sicuti quælibet alia pictura vel imago; primo materialiter, vt res quędam sunt 2. formaliter vt imagines rerum sunt, & si quidem homo speculetur illa phantasmata vt res quædam sunt in se, non cognoscet, præterita sed rem præsentem cogitabit; at si speculetur eadem phantasmata, vt imagines sunt, tùm cognoscet præterita, quorum illæ sunt imagines Iuxta hanc posteriorem significationem accipiendum est allatum principium, quà nimirum non cognoscitur imagò vt imago est, quin simul cognoscatur res, cuius est imago; non quod eodem modo terminetur cognitio vel motus ad imaginem & rem imaginatam, sed quod iuxta diuersitatem & capacitatem materiæ, motus ad imaginem, vt sic, sit aliquo modo motus ad rem imaginatam; licet non omnis motus in imaginem materialiter vt res quædam est sit in id, cuius est imago; nec motus in rem necessario feratur in eius imaginem. Ita explicat Bellarminus lib. 2. de imaginibus cap. 24. Suarez to. 1. in 3. part. disp. 54. s. 4. & D. Thomas 3. p. q. 25. articul. 3. in Corp. & 1. 2. quæst 103. artic. 3. ad 3. Iuxta hoc pronunciatum explicandum est & illud.

3. *Imaginis honor ad prototypon peruenit.*] Traditur à Diuo Ioanne Damasceno libro quarto capite decimo septimo non longe à principio, vbi introducitur Diuus Basilius illud pronuncians. Imago quamuis in se reuera non contineat prototypon, suè exemplar secundum proprium esse reale illius, continet tamen in esse, quod voca-

mus repræsentatiuo. Quod fit, vt homo, qui ex sensibilibus obiectis mouetur propositahuiusmodi imagine, statim ac velut coniũctum cum imagine ipsum exemplar apprehendat, ac si reuera in illa adesset, vt suo modo vtrũque simul concipiat. Ea agitur posita apprehensione animus honorantis vno honoris exhibendi affectu primario in exemplar concomitanter verò in imaginem fertur, quam osculando verbi causa, si Christi imago sit, ipsum Christum honorat, non per deceptionem, quia non iudicat imaginem esse Christum. Sed per simplicem ac viuam repræsentationem exemplaris in imagine, ac si adesset Vide si placet, Suarez loco citato f. 4. D. Thomam 3. p. q. 25. ar. 3. in Corp. Vbi docet, cum veneramur, v. g. vel alloquimur crucem Christi, orationem fundi ad Christum in cruce repræsentatum. Itaque cum dicitur: *O crux ave spes vnica*, &c. *augepiis iustitiam* &c. per tropum & prosopopæiam oratio explicanda est, vt sensus sit: *O crucifixe ave, spes vnica*, &c. ita Suarez lect. proximè citata in fine, & in Comment. ad art. D. Thomę proximè citatum. In eandem sententiam verum est illud.

4. *Qui adorat imaginem in ea ipsum Regem adorat.*] Traditur à D Athanasio serm. 4. contra Arianos, & refertur in 7. Synodo actione 4. Ex hoc pronunciato Ioannes legatus Orientis approbantibus aliis patribus colligit & infert hæc verba: *Vnde Beatus Pater indicauit non esse duas adorationes sed vnam imaginis, & primi exemplaris*, & infra: *Christiani imagines Christi & martyrum tenentes, & osculantes animo videmur nobis Christum ipsum aut martyres amplecti.* Similia habentur actione 6. to. 4. & act. 7. circa finem. Nec aliud videtur sentire Concilium Tridentinum sess. 45. dicens: *Per imagines, quas osculamur, & coram quibus procumbimus, Christum adoramus, &*

Sanctos veneramur; vbi Verbum, *adoramus*, latriam: verbum autem, *veneramur*, duliam significare videtur, & vtraque adoratio dicitur fieri per imaginem sicuti adoratur Princeps per vestem aut calceum, quando hæc osculando personam adoramus. Potest tamen interdum imago coli & honorari sola, vt sola materia cultus vel adorationis, & tunc, quamuis non propter se sed propter exemplar colatur vel adoretur, actus tamen cultus vel adorationis distinctus est ab eo, quo ipsum exemplar in se & propter se colitur vel adoratur. Et hoc sensu dicuntur quædam adorari cultu Duliæ: alia Hyperduliæ, vt de S. Cruce, loquitur D. Thomas in 3. sentent. distin. 9. q. 1. artic. 2. & alij, quos citat Suarez to. 1. in 3. p. disp. 56. sect. 1. Vide etiam Lessium de Iustitia & Iure l. 2. c. 36 dub. 3. num. 19.

5. *Imaginis natura est, vt exemplar suum imitatione referat.*] Est hoc pronunciatum S. Gregorij Nazianzeni orat. 36. quæ est 4. de Theologia num. 83. ex quo patet discrimen inter imaginem & idolum. Hoc enim, vt notat Origenes Hom. 8. in Exodum, & alij falsam imaginem significat, quæ vel repræsentat, quod non est, vel quale non est, vt v. g. sanctum quod sanctum non est: at verò imago propriè refertur ad aliquid verum exemplar. Vnde D. Augustinus in expositione inchoata Geneseos ad litteram cap. 16. *Imago*, inquit, *tunc est, quando de aliquo exprimitur similis ei, cuius est imago*, proindeque nomen idoli in scriptura semper in malam partem sumitur vt Leuitici 19. *Nolite conuerti ad idola*. At imaginis nomen absolutè dictum in bonam partem frequentius sumitur, vt constat ex Genesis 1. & 9. cap. Ex Sapientiæ 7. 1. ad Corinth. 11. Et sæpe alias. Vide si placet Suarez to. 1. in 3. part. disp. 54. in fine. Sensus huius pronunciati moralis, esse incitamento

Et sæpe alias. Vide si placet, Suarez to. 1. in 3. part. disp. 54. in fine. Sensus huius pronunciati moralis, esse incitamento potest ad studium perfectionis: Cum enim homo creatus sit ad imaginem & similitudinem Dei, vt dicitur Gen. 3. Æquum est, vt quàm potest exactissimè suo se exemplari conformare studeat, iuxa illud: *Estote perfecti, sicut Pater Cælestis vester perfectus est.*

TITVLVS LVIII.

De *Amicitia.*

DISTINCTIO PRIMA.

Quid sit Amicitia, & quotuplex.

7. *Amicitia est mutua benevolentia non latens.* 8. Eth. c 2.] Ita rectè describitur amicitia generatim accepta. Ratio; quia amicitia est id, quo homines, vel aliæ naturæ intellectuales dicũtur amici: atqui dicũtur amici per mutuam beneuolentiam non latentem; per beneuolentiam quidem, quia per illam amicus amico benè vult ipsius amici causa, siquidem beneuolentia propriè est actus voluntatis, quo alteri bene volumus vt docet D. Thomas 2. 2. q. 17. a. 2. Per mutuam verò, quia non dicuntur amici, nisi id, quod vnus vult alteri; velit alter vicissim illi: Amicus enim amici est amicus: hoc autem fit per beneuolentiã mutuam: Per non latentem autẽ, quia non dicuntur amici, quos mutua beneuolentia latet. 2. *Amicitia est vbi amor reciprocus est*, l. 2. Mag. mor. c. 12.] Verum est eodem sensu, quo dictum præcedẽs. Fundatur autẽ hic amor mutuus siue beneuolẽtia in peculiari quadam communione & consociatione, quæ est causa amandi alterum, & comiter cum illo

agendi. Sic inter milites verbi gratia, est amicitia ratione societatis & communionis militiæ, inter consanguineos ratione communionis sanguinis: inter religiosos ratione societatis vitæ religiosæ, inter Deum & hominem ratione communionis bonorum supernaturalium, & maximè ratione communionis gloriæ, quam præstolamur in Cælo, & qua Deo similes erimus.

3. *Amicitia perfecta eorum est, qui in virtute sunt similes.* lib. 8. Eth. cap. 3.] Tres amicitiæ species constituit Philosophus: Nempè ob vtilitatem, ob iucunditatem & honestatem siue virtutem. Tot enim sunt species amicitiæ, quot obiecta eius formalia videlicet amabilia, ob quæ natura rationalis diligitur; quia habitus & actus differunt vt obiecta, sed amabile triplex est, vtile, iucundum & honestum, vt dictum est Titulo *de bono*; ergo & amicitia. Est autem hæc diuisio Analogi in species analogas, quia amicitia ob iucunditatem & vtilitatem non sunt amicitiæ per se, vt inquit Arist. l. 8. Eth. cap. 4. sed tantum per accidens; in illis siquidem amicus potius benè vult sibi quam amico, & se potius amat, quam illum; nihilominus tamen habent amicitiæ rationem, quia sunt beneuolentiæ mutuæ non latentes, quamuis non per se nec propriè. At verò amicitia ob virtutem perfecta & propriè dicta est amicitia, iuxta Effatum propositum: est enim beneuolētia mutua non latēs simpliciter & vera, quia in illa diligitur amicus propter se, & mores suos honestos & amicus ipsi amico benè vult, quia amicus est, in quam sententiam pulchrè D. Bernardus: *Illa est vera amicitia*, inquit, *qua nihil in rebus amici quærit nisi solam beneuolentiam*; scilicet vt gratis amet amantem se. Gratuitus siquidem amor est, si amor alterius est, & gratuita amicitia, si vera est. Nam si cogitata præmia aut sperata

intercurrunt dona, fortunarum & honorum amor est, non virtutum & amicorum.

4. *Amor similis est affectui, amicitia habitui. 8. Eth. c. 5.*] Amicitia non est tantum relatio, vt quidam volunt, sed etiam habitus vel actus, in quo fundatur relatio: Etenim vt in aliis virtutibus alii habitu alij actu dicuntur boni, sic, & in amicitia, vt docet D. Thomas, in cap. 1. l. 8. Eth. in benevolentia tamen siue habituali mutua siue actuali non latente fundatur relatio amicitiæ, quia amicus amico dicitur esse amicus. Atq; hæc causa est, cur amicitia diuidatur etiam in alias species præter antedictas, inter se quidem diuersas, quamuis non necessariò distinctæ sint à tribus prioribus, vt in amicitiam consanguineorum, ciuium, commilitonum &c. secundum varias communicationes, vt significat D. Thomas secunda secundæ, q. 23. a. 5. species namque amicitiarum non solum accipiũtur secundum diuersitatem finis vel obiecti; sed etiam secundum diuersitatem communicationis in qua fundantur, habet D. Thomas loco citato quia amicitia non tantum est habitus vel actus, sed etiam quid relatiuum, & perinde non tantum habet speciem vt habitus & actus à suo obiecto vel fine; sed etiam à suo fundamento, sicuti alia relatiua. Itaque amicitiæ fundantur etiam in diuersis specie communicationibus, vt amicitia ciuilis in communicatione ciuitatis & legum earundem: Amicitia condiscipulorum in communicatione eiusdem doctrinæ. Denique in omnium rerum possibili communicatione vt habitationis, victus, vestium, laborum, virtutum, morum, meritorum &c. Reperiri potest aliqua amicitiæ ratio, vt constat ex dictis.

DISTINCTIO

DISTINCTIO II.

Quomodo generetur amicitia.

1. B*Enevolentia est principium amicitiæ.* lib. 2. mag. Moral. cap. 12. & lib. 9. Ethic. ad Nicomachum. cap. 5.] Vbi Philosophus inquit : *Videtur benevolentia esse initium amicitiæ, sicut & adamandi principium voluptas illa sive delectatio, quæ per aspectum vel etiam considerationem reipublicæ efficitur.* Est autem benevolentia principium remotum, & non ita efficax; vti, *Amatio*, quæ, vt docet. Aristoteles ibidem, *est cum quadam consuetudine, & importat extensionem quandam & appetitionem.* At verò benevoli repentè bene velle incipiunt, vt, exempli gratia, patet in certaminibus : spectatores enim subitò certantibus benevoli fiunt, eosque leuiter solummodo diligunt, neque verò eos continuò amant, sed volunt ijs duntaxat bona quibus benevoli fiunt. Iuxta hanc explicationem intelligendum est & illud:

5. *Amare est amicitiam gignere & conservare.*] Sumitur ex 2. Priorum cap. 22. quoad priorem partem: docet enim Philos. ibidē, per amorem magis causari amicitiam, quam per quoduis aliud. Quoad posteriorem verò partem sumitur, ex lib. 7. Moral. Eudemiorum cap. 5. Vbi inquit Arist. *Illud amicitiæ esse peculiare vt amare potius quam amari cupiat.* Ratio vtriusque est, quia cum amor sit maximè in se amabilis iuxta illud : *Magnes amoris amor*, facit, vt ille, in quod reperitur maximè dignus amore habeatur : Nihil enim æquius, & humanæ propensioni conforme magis, quàm amare eum, qui amat, & quod sponte ac naturæ quadam lege, debet, homo sociale animal,

promptius fideliusque præstare altero inuitante. Nam ferrum ferro acuitur, & lapides inter se contriti emittunt ignem, & inter specula, dum solis radios in seipsa vicissim regerunt, caloris augetur intensio. Hinc Seneca Epistola 9. *Monstrabo tibi*, inquit, *amatorium sine medicamento, sine herba, sine vllius veneficæ carmine: si vis amari ama.* Et Martialis lib. 6. Epigram. 11. in Marcum, *Marce vt ameris ama.* Concinnit hisce D. Chrisostomus, homil. 13. ad Pop. Vbi declarans ea verba Saluatoris, *Omnia ergo, quæcunque vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis.* Matth. 7. v. 12. Primum asserit conscientiæ nostræ id insitum esse, Deinde; *Non opus est*, inquit, *multis sermonibus, neque prolixis legibus, nec varia doctrina. Voluntas tua sit lex: Vis beneficia capere. Confer beneficium alteri. Vis misericordiam consequi? miserere proximi. Vis laudari? lauda alium. Vis amari? ama. Vis partibus primis potiri? Cede illas prius alteri.* In eandem sententiam rectè pronunciat Magnus Ecclesiæ Doctor Augustinus.

3. *Nulla est maior ad amorem inuitatio, quam præuenire amando.* lib. de Catechizandis rudibus cap. 4. Rationem huius insinuat S. Ambrosius lib 2. officiorum cap. 7. his verbis, *Quid enim tam popularc, quam gratia? quid tam insitum naturæ, quam vt diligentem diligas? quid tam inolitum, atque tam impressum affectibus humanis, quam vt eum amare inducas in animum à quo te amari sentis.* Idem fusè probat ipse Augustinus loco citato, vbi cum docuisset à flagitiosis amatoribus reciprocum amorem vehementer expeti, atque amore mutuo procurari: tandem sic concludit de amore amicitiæ. Si ergò animus, qui torpebat, cum se amari senserit, excitatur, & qui iam feruebat, cum se redamari didicerit, magis accenditur, manifestum est, nullam maiorem esse causam, quæ vel

Digitized by Google

inchoetur, vel augeatur amor, quam cum amari se cognoscit, qui nondum amat, aut redamari se vel posse sperat, vel iam probat, qui prior amat.

4. *Beneuolentia latere potest, amicitia non potest.* lib. 9. Eth. c. 5.] Indicatur hoc dicto discrimen inter beneuolentiam & amicitiã, quod illa latêre possit illum, cui benè volumus, cum nihil aliud sit, quam interior quędam inclinatio in appetitu beneuolẽtis. Amicitia occulta esse vel manere non possit, cum definiatur: *Beneuolentia mutua non latens.*

5. *Tam bonorum quam malorum conuersatio amorem inducit.* Plutarchus lib. de Tranquillit. cap. 7.] Sic v.g. mutua conuersatio piorum hominũ spiritualibus colloquiis affluens, generat inter eos amicitiam eiusdem generis nempè spiritualem. Eadem per interualla sæpius repetita firmat illam ac stabilit & diuturnitate continuata temporis auget vehementer, sicuti è contra consuetudinis intermissione omnis amicitia tepefacta decrescit, ac tandem dissoluitur, iuxta illud: *Multas amicitias silentium diremit*, de quo alibi. Eadem est ratio de quouis alio amicitiæ genere. Porro mutuus bonorum amor propriè amicitia dicitur, malorum autem non nisi impropriè, iuxta illud Salustij: *Inter bonos amicitia, inter malos factio est.*

6 *Amicabilia ad alterum proueniunt ex amicabilibus ad seipsum.* lib. 9. Eth. cap. 9.] Intelligitur hoc sensu ex amore boni proprij procedere amorem boni alieni, Vbi Particula, *Ex*, non dicit rationem formalem amoris, aut dilectionis, alioquin enim destrueretur omnis ratio veræ amicitiæ; sed dicit tantum radicem ex qua oritur amor, & conditionem sine qua dilectio non esset, quia nullus diligit naturaliter alterum, nisi aliquo modo sibi coniunctum, quam ratio diligendi non sit illa coniunctio. Vnde Philosophi docent, appetitum semper naturaliter

appetere bonum proprium, quod patet in vtroque amore amicitiæ & concupiſcentiæ, qui non differunt in eo, quod priori ametur bonum alienum præcisè, posteriori proprium, cum reuera vtroque bonum proprium desideretur, sed quod amore concupiſcentiæ desideretur bonum alterius, quia causare potest aliud bonum proprium, amore verò amicitiæ desideretur bonum amici non alia de causa, quam quia bonum amici, bonum proprium reputatur: Amicus enim bonum amico desiderat tanquam suæ comparti, vel potius alteri sibi.

DISTINCTIO III.

Omnem amicitiam in æqualitate fundari.

1. *Amicitia parem facit, aut accipit.*] S. Hieronymus super Michæam Prophetam. Addit ibidem: *Vbi inæqualitas & alterius eminentia, alterius verò subiectio, ibi non tam esse amicitiam quam adulationem.* Pro huius explicatione notandum est, rectè ab Aristotele diuidi amicitiam in eam quæ consistit in æqualitate, & quæ in excellentia, quia amicitia benè diuiditur, vt eius actus cũ habitus differat vt actus; sed amicitiæ actus sunt duplices videlicet vel eiusdem vtrinque rationis, & dicitur amicitia æqualium, vel non eiusdem rationis aut speciei, vt si vnus amicorum benè velit alteri tanquam suo superiori, alter tanquam inferiori, vel si vnus vt pater, aut princeps, alter verò vt filius aut subditus, quoniam relatiuorum alia sunt æquiparantiæ, alia diuersitatis: Dicitur nihilomin' omnis amicitia facere pares aut inuenire, & esse inter aliquo modo æquales, quia quicũque cõmuniçant, eadẽ in re aliquo modo æquales sunt saltẽ

ſecundum analogiam & ſimilitudinem ; ſed omnis amicitia fundatur in aliqua communicatione, & in omnibus illius actibus & officiis, vtrinque requiritur aliqua æqualitas, vt docet Ariſtot. 8. Eth. c. 6. & 7. Eſt autem duplex æqualitas, vna in quantitate, altera in habitudine, quæ dicitur æqualitas rationis. In actibus amicitiæ, quæ eſt inter perſonas æquales dignitate, reperitur æqualitas in quantitate. In actibus amicitiæ, quæ eſt inter ſuperiores & inferiores reperitur æqualitas rationis, ita vt in accipiendis exhibẽdiſque officiis amicitiæ, faciat amicus quod ipſum in tali amicitiæ gradu decet, & quod poteſt.

5. *Æqualitas Mater eſt amicitiæ.* Plato lib. 9. de leg.] Verum eſt iuxta explicationem præcedentis; vt enim mater parit & nutrit ſobolem, ita æqualitas generat & conſeruat amicitiam, ſi nimirum accedat mutua bonorum conſociatio, & communio. Huic dicto conformiter Ariſtot. 8. Eth. c. 6. docet amicitiam in æqualitate conſiſtere, & in eodem ac ſequenti cap. Similitudinem aliquam inter amicos requiri, adeoque ſi eueniat, vt magna inter amicos fiat morum diſſimilitudo, vel fortunæ ac ſtatus ſeu conditionis diſtantia, amicitias ait ordinariè diſſolui. Ex hoc principio Theologi etiam comprobare ſolent congruentiam Dominicæ Incarnationis. In hoc enim myſterio Deus in ſimilitudinem hominum factus eſt, & habitu inuentus vt homo, ac proinde quemadmodum in hoc opere maximè dilectionem ſuam erga homines oſtendit, iuxta illud: *Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret.* Ioan. 3. Ita nihilominus eodem maximè mouet ad amorem diuinum, vt pulchrè explicat S. Auguſt. l. de Catechizã. rudibus c. 4. & in Manuali c. 26. vbi ſic ait: *Vt familiarius diligeretur ab homine Deus, in ſimilitudinem hominis Deus apparuit*: Hac etiam de cauſa l. 1. Reg. c. 18. Ionathas

Digitized by Google

facit, vt Dauid exuat agrestem Personā, & suo eum ornati iubet amictu, vt quorum animæ erant amoris glutine coniunctæ, eorum corpora regalium vestimentorum ornatu, & insignibus sibi mutuò assimilarentur. Etenim vti morum ita & habitus similitudo ad amicitiam confert. Huic verò non obstat illud vulgare:

3. *Figulus inuidet Figulo.*] Fit enim per accidēs tantum, quatenus officiorum similitudine contingit, vt alter alterius commodum impediat aut honorem offuscet. Id namque Hesiodus significare voluit, ex quo Latini sumpsêre propositum Hemistichiū: Eodem etiam sensu dicitur, Nulla pax esse regni sociis, & vna domus non alere duos canes. At verò per se similitudo officiorum, complexionum, ætatis, sanguinis, &c. amicitiæ auctor est: nam vt verissimè dixit Plato lib. 6. de Leg. *Vetus illud verbum verè & eleganter dictum est. Æqualitas generat amicitiam.*

4. *Simile gaudet simili.*] Insinuat hoc dictum Aristoteles lib. 8. Eth. cap. 6. & 7. & habet in terminis lib. 9. Eth. cap. 3. Veritas huius quotidiana constat experientia. Videmus enim iuuenes inter se libenter cōuenire, senes gaudere cum senibus, doctos doctorum conuentu capi, improbos congredi cum improbis, probos cum probis. Nam & fur furem cognoscit, & lupus lupum, & cicada cicadæ amica est, & formica formicæ, & aues concolores libenter vnà volitant, & generatim, *Omne animal diligit sibi simile*, vt dicitur Eccles. 13. 19.

5. *Balbus Balbum rectius intelligit.*] Vtitur hoc dicto D. Hieronymus, eóque tangit cuiusdam inscitiam. Idcirco enim, inquit, se eruditum putat, quia Iouinianum solus intelligit, est quippè prouerbium, Balbum melius Balbi verba cognoscere: hæc ille. Porro Iouiniani scripta vt portentosa & vehemēter

obſcura, idem Hieronymus miris ſalibus deridet in præfatione libror. contra Iouinianũ. Concinnè dicitur in eos, quibus indoctis indocta magis placent, & nota ſunt.

6. *Vulpes cum ſerpente amice viuunt.* lib. 9. de hiſt. Animal. cap. 1.] Verum eſt eodem ſenſu quo præcedentia, pro quorum maiore explicatione. Notãdum eſt triplex eſſe ſimilitudinis genus: vnum naturæ, alterum complexionum, & proprietatum à naturâ manantium. Tertium morum. Primum reperitur inter res eiuſdem ſpeciei, ſic monedula monedulam & cornicula corniculam diligit, vt ait Ariſtot. lib. 8. Eth. cap. 1. Imò & aqua aquam, & ignem ignis, vt docet idem lib. de regimine Principum. Secundum eſt inter res ſiue eiuſdem, ſiue diuerſæ ſpeciei, vt inter vulpem & ſerpẽtem, ferrum & magnetem, &c. Tertium genus proprium eorum eſt, qui ratione ſunt præditi, vt ſunt homines, & intelligentiæ, & ex illo veriſſima amicitia naſcitur iuxta ea, quæ dicta ſunt.

7. *Vir bonus non eſt amicus prauo* lib 9. Eth. c. 3.] Ratio patet ex dictis: Nec enim eſſe ſimilem prauo conuenit, nec amatorem prauorum eſſe oportet. Non enim quoduis eſt amabile; ſed bonum duntaxat, vt ibidem docet Ariſtoteles: hac etiam de cauſa meritò inquiebat ille, *quales amicos quiſque habeat, talem ſcias.* Quemadmodum fœuitiam homicidarum contubernia, quemadmodum auaritiam ſordidorum hominum conſuetudo, ita viciſſim piorum cõuerſatio pietatem, ac cæterarum virtutum amorem, & deſiderium in animis rectè inſtitutis excitat. Vnde Eccleſiaſticus præcipit: *Cum viro Sancto aſſiduus eſto, quemcunque cognoueris obſeruantem timorem Domini.* Eſt in hanc ſententiam illud Plutarchi: *Talis eris qualis conſuetudo, qua vteris, cum litterarum ſtudioſis libros euolues, cum palæſtritis colluctaberis, cum ve-*

nandi cupidis feras persequeris, cum potatoribus inebriaberis, cum ambitiosis magistratum ambibis. Et illud Ciceronis: *Dispares mores disparia studia sequuntur.* Quorum dissimilitudo dissociat amicitias, nec ob aliam causam vllam boni improbis, improbi bonis amici esse non possunt, nisi quod tanta sit inter eos, quanta maxima potest esse morum studiorumque distantia.

8. *Improborum sodalitas mater est flagitiorum.* Sumitur ex lib. 9. Eth. cap. 12. & vltimo.] Vbi sub finem cap. docet, amicitiam improborum multis criminibus fieri obnoxiam. Communicant enim, inquit, inter se praua, suntque instabiles & moribus etiam peiores fiunt, similes sibi euadentes, iuxta illud vulgare: *Qui claudo cohabitat, claudicare discit*, & illud: *Vna scabiosa onis totum gregem inficit. Itaque vt inpestilentia cauendum est*, inquit Seneca, *ne corruptis iam corporibus & morbo flagrantibus assideamus, quia pericula trahemus, afflatuque ipso laborabimus, ita in amicorum legendis ingeniis dabimus operam, vt quam minimè inquinatos assumamus. Initium morbi est agris sana miscere.*

9. *Amicitia bonorum virtutum est genitrix.* Sumitur ex eodem cap.] Vbi sub finem ait Philosophus: Tales præstabiliores euadere, tam agendo, quàm se mutuo emendando: eliciunt enim ex sese mutuo ea, quæ placent. Placent autem iis, vtpote probis, nonnisi, quæ virtuti sunt conformia. Vnde addit priscũ illud vulgare rectè dici: *Optima discuntur ab optimis.* Consonat & illud Prophetæ Regij: *cum Sancto sanctus eris, & cum viro innocente innocens eris, & cum electo electus eris, & cum perverso perverteris.* Psal. 17. In eandem quoque sententiam rectè dicitur illud vulgare: *Inter bonos bene agitur.*

10. *Eximiæ virtutis est, inter malos vivere laudabi-*

Digitized by Google

biliter. Sumitur ex lib. 9. Ethic. cap. 12. & vltimo.] Ratio ſumitur ex vi conſuetudinis, & ex malorum exemplorum & incitamẽtorum efficacia, quæ oritur ex conuerſatione cum malis, & tanta euadere ſolet, vt planè arduum ſit inter malos benè viuere. Etenim ſi bonus aliquis malo aſſueſcat, periculum longè maius eſt, vt huic ille, quàm vt hic illi moribus aſſimiletur. Plus enim malitia in imitationem, quam bonitas poteſt, ſiue naturæ vitio, ſiue educationis malignitate, ſiue denique quadam titillatione mali, vt benè dixerit Iuuenalis.

Vnáque conſpecta linorem ducit ab vna.

Magis etiam improbi mores affricant malignitatis ſuæ aliquid, ita zizania fœcundius creſcunt, adoleſcunt citius, & boni ſeminis naturã in ſuam vertunt. Porrò ſicuti res eſt eximij præmij, inter malos viuere laudabiliter, ita è contra: *Magni puderis eſt, inter bonos viuere vituperabiliter.*

DISTINCTIO IV.

Quænam ſint commoda Amicitiæ.

1. QVæ *per amicos fiunt, per nos ipſos quodammodo fiunt.* Lib. 3. Ethic. cap. 3. paulò ante finem.] Rationem aſſignat Philoſophus ibidem; quia videlicet principium eſt in nobis, quando illi noſtra cauſa laborant. Item, *amicus eſt alter ipſe.* Hinc multi ſunt rerum præclarè geſtarum fama celeberrimi, quia amicorum potentia plurimum valuerunt. Hinc etiam Principes & Reges, aliorum Principum & Virorum potentium tantoperè præſtent amicitias, vt eorum fulti auxiliis ea perficiant, quæ ſuis ipſi viribus præſtare non valerent,

& hac de causa maximè amicis indigere videntur omnes in principatu, & potestate constituti, vt docet Aristoteles lib. 8. Eth. c. 1.

2. *Amici multi sceptrum sunt regibus fidelissimum.* Xenophon lib. 8. Institutionis cap. 21.] Rationem huius assignat Plutarchus in hunc modum. Quoniam quot amicos paraueris, tot oculos habes, quibus quæ velis, videas, tot aures, quibus, quæ decet, audias, tot consilia, quibus de iis, quæ conducunt consultare & perspicere possis : non enim aliter se habẽt plurium amicitiæ, quàm si Deus vnum corpus habenti multas daret animas, quæ omnes illi prouiderent & consulerent. At verò teste D. Augustino : *Solus est, qui sine amico est : Væ autem soli*, inquit Scriptura, *quoniam cum ceciderit, non habet subleuantem se.* In hanc sententiam sunt illa morientis Micipsæ verba : *Non exercitus, neque thesauri præsidia regni sunt : Verum amici, quos neque armis cogere, neque auro parare queas, officio & fide parantur. Equidem ego vobis regnum trado firmum, si boni eritis : sin mali imbecillum : Nam concordia res paruæ crescunt, discordia maximè dilabuntur.* Vide, si placet, cap. 8. Polit. Christiani Caroli Scribanij lib. 2.

3. *Vbi amici, ibi opes*] Pronuntiatum illud Plauti in Truculento, refertur à Fabio lib. Orator. institut. 5. Cuius sensus est, ad vitæ humanæ præsidium, plurimum conferre amicos, & illos siue opibus, siue potentiâ florere præ cæteris, qui certissimos & optimos amicos possideant. Nam :

4. *Fidelis amicus pretiosissimus est thesaurus.*] Indicat hoc scitum Aristot. lib. 7. Moral. ad Eudemium cap. 1. vbi inquit ; *Habere amicum bonum esse præstantissimum* : nimirum ex bonis externis, qualia sunt : honores, amici, pecuniæ, possessiones, &c. vt docet Aristot. in Rhetorica ad Alexandrum cap. 1.

Digitized by Google

& lib.9. Eth. c. 9. in hæc verba: *Amicitia est maximum bonorum externorum.* Vnde est illud vulgare: *Tolerabilius est viuere sine pecunia, quam sine amicis.* Cui consonat & istud vetus adagium: *Amicus magis necessarius est quam ignis & aqua.* Rationem huius assignat Aristot. lib. 8. Eth. c. 1. quia absque amicis viuere, licet cætera bona omnia suppeteret, eligeret nemo. Nam & in aduersa & in prospera fortuna amicis opus est, vt docetur 9. Eth. cap. 9. In aduersa quidem vtilius est, in prospera autem honestius. Expedit igitur plures sibi conciliare amicos, eosque sibi si non intimo, saltem aliquo familiaritatis vinculo deuincire, iuxta illud:

5. *Vnus Deus, & plures amici.*] Quemadmodum enim iuxta versum antiquum, *Mus miser est auro, qui solo clauditur vno*: ita non satis amicorum præsidio munitur, qui in rebus dubiis & aduersis ad vnius duntaxat refugere potest obsequium. Verum nihilominus est illud:

6. *Amicitia perfecta est inter paucos.* Sumitur ex 8. Eth. cap. 6.] Vbi docet Philosophus non fieri, vt multis quispiam amicus sit amicitia perfecta, rationem assignat ibidem; quia amicitia exsuperationi est similis, & multos eidem vehementer placere, non est facilè, sicuti nec bonos esse; atqui vera amicitia non est nisi inter bonos, vt docetur 8. Eth. cap. 4. Idem porro repetitur lib. 9. Eth. cap. 10. Vbi subiungit Aristot. eas amicitias, quæ fama celebrantur, inter duos, plerumque tantum fuisse, vt inter Pyladem & Orestem, inter Theseum & Perithoum, Achillem & Patroclum. In quam sententiam Cicero inquit, *Ex omnibus seculis vix tria aut quatuor numerantur amicorum paria*: qui verò multos amicos habent, & omnibus promiscuè familiariter offerunt, ij nemini amici esse videntur, nisi ciuiliter,

Digitized by Google

qui proinde Placidi appellantur, vt inquit Philosophus ibidem.

7. *Amicitia est solatium huius vitæ.*] S. Ambrosius lib. 3. Officiorum c. 16. nimirum, *vt habeas*, ait, *cui cor tuum aperias, cum quo arcana participes, cui committas secretum pectoris; vt colloces tibi fidelem virum, qui in prosperis gratuletur tibi, in tristibus compatiatur, in persecutionibus adhortetur.* Quod S. Doctoris effatum intelligendum est, secundum sententiam Cassiani Collat. 16. cap. 14. qui distinguit ἀγάπην & διάθεσιν, vt illa omnibus exhibeatur, etiam inimicis: hæc autem paucis admodum, & his, qui vel patilitate morum, vel virtutum societate connexi sunt. De his enim loquitur Ambrosius; nam addit postea: *Quid enim est amicus, nisi consors amoris, ad quem animum tuum adiungas, atque applices, vt vnum velis fieri ex duobus: cui te tanquam alteri tibi committas, à quo nihil timeas.*

8. *Amicitia stabilis vbi est, ibi & virtus.* Sumitur ex lib. 8. Ethic. cap. 1.] Vbi dicitur vera amicitia non existere sine virtute, & ratio est, quia vt docetur in 2. Rhet. amicos esse dextros oportet, tùm in eludendo, tùm in perferendo, & mundos in aspectu & vestitu, & totâ vitâ, & qui nec exprobrent peccata, nec beneficia, & qui non recordentur iniurias, nec crimina obseruent, & qui malefici non sint, nec mala propinquorum superflua, nec ipsorum, sed bona norint, & qui seriò agentibus vel irascentibus non aduersentur, & qui virtutes amicorum notent, easque imitari studeant. Hæc autem & similiter alia, non persistunt, absque virtute.

9. *Amici iisdem amici & inimici sunt.*] Sumitur ex loco proximè citato, vbi docet Aristot. illos esse dicendos amicos, qui eos amant, quos ipsi amant, & qui amantur ab eis, quia se amant, &

qui ſunt eorundem inimici, & qui oderunt illos, quos ipſi oderunt, & qui odio habentur ab illis, qui à ſe odio habentur. Ratio generalis eſt, quia amicitia voluntatis & animorum conſenſione perficitur. Quod ſi quis in ſuam amicitiam ſocietatemque admittere velit aliquos odiis inter ſe ſe diſſidentes, ille etſi vtroſque tanquam amicos habeat, vt vtriſque tamen tanquam ab inimicis ſibi eſſe cauendum intelligat. Vide, ſi placet, Antonium Panormitanum de rebus geſtis Alphonſi Regis, & Æneam Syluium de eius dictis. Iuxta hanc explicationem intelligendum eſt, & illud vulgare: *Qui me amat, amat & canem meum.* Refertur à Sancto Bernardo ſerm. 1. in Feſtiuitate S. Michaëlis Archangeli, vbi humiliter & pie, vt ſolet, per apoſtrophem Sanctos Angelos compellans, ait nos omnes mortales eſſe catellos Domini illius Magni, quem tanto aſpectu Angeli colunt & diligunt, ac proinde dubitandum non eſſe, quin & nos beati Angeli ament, & pro noſtra infirmitate ſint folliciti, abſque ſua ſanè anxietate, ſed non abſque vtilitate noſtra, nec ad detrimentum felicitatis ſuæ, ad noſtræ autem ſalutis augmentum.

10. *Amicus aliis ſibi amiciſſimus.*] Commune iſtud effertur hoc ſenſu: qui aliis beneuolum ſeſe & amicum exhibet, eos ſibi mutui amoris obligatione deuincit, quo ſibi ipſe quam optimè conſulit, iuxta illud: *habet in aduerſis auxilia, qui commodat in proſperis.* Et illud: *nemo non ſibi proficit, cum alteri prodeſt.* Seneca Epiſt. 802. Sicuti è contra nullius ope indigere ſe patet, qui alteri ſuam negat, & qui nulli conformare ſe ſtudet, ac temerè aliorum offenſas incurrit, plurima mala in caput ſuum coaceruat. Eſt etiam iſte huius pronunciati ſenſus:

Aliis quidem beneuolentiæ opera sunt exhibenda, sed eo ordine, vt primum sui ipsius quilibet curam habeat, iuxta illud: *Charitas incipit à seipso.* De quo Titulo *de Charitate.*

DISTINCTIO V.

An & quomodo dissoluatur amicitia?

1. *Amicitia vtilis cum vtilitate dissoluitur.* lib. 8. Eth. cap. 3. & 4.] Ratio est, quia *sublata causa tollitur effectus*, vt explicatum est Titulo *de Causis in genere*: neque enim qui ob vtilitatem colunt amicitias, sibi mutuo amici sunt, sed ipsius vtilitatis; qua veluti causâ sublatâ tollitur omnis, quæ inde oriebatur amicitiæ affectio, quemadmodum namque muscæ in popinis non manent, si desit nidor, ita vulgares diuitum amici non perseuerant, si non adsit vtilitas, vt inquit Plutarchus in Moralibus. Est in hanc sententiam illud Lælij apud Tullium: *Videre licet eos, qui antea commodis fuerunt moribus, imperio, potestate, prosperis rebus immutari, spernique ab iis veteres amicitias, & indulgeri nouis.* Et illud, *plerique in rebus humanis nihil quidquam bonum norunt, nisi quod fructuosum sit, & amicos tanquam pecudes eos potissimum diligunt, ex quibus sperant se magnum fructum esse capturos.* Itaque pulchertima illa & maximè naturali carent amicitia per se & propter se expetenda.

2. *Amicitia ob iucunditatem vna cum ea mutatur.* Ibidem] Ratio huius eadem est, quæ præcedentis. Hinc Philosophus docet cap. 3. citato, amicitias adolescentum cito oriri & cito dirimi; quia cum ex affectu iuuenes ferè vitam traducant, eorum

Digitized by Google

amicitiæ plerumque sunt ob delectationem, qua pereunte pereunt etiam amicitiæ. Et generatim, omnis amicitia dissoluitur sublato illo in quo fundatur, siue vtile illud sit, siue delectabile, siue honestum, cum hoc tamen discrimine, quod amicitia in honestate & virtute radicata, quæ sola vera & perfecta est, minimè mutabilis sit, cum facilis sit fortunæ & delectationum mutatio: ratò autem semel altè defossa animo virtus, & amorum exercitatione roborata cultorem suum destituat; vnde verum est illud celebre.

3. *Amicitia quæ desinere potuit, vera nunquam fuit.*] Neque enim moritur virtus, cui amicitia inædificatur, in quam rem est illud Ciceronis: *Virtus conciliat amicitias, & conseruat, in ea est enim conuenientia rerum, in ea stabilitas, in ea constantia.* Et alibi: *Virtuti opera danda est, sine qua neque amicitiam, neque vllam rem expetendam consequi possumus: ea verò neglecta, qui se habere amicos arbitratur, tùm se denique errasse sentiet, cum eos grauis aliquis casus experiri cogitur.* Etenim nemo amicus cum fortuna amicitiam mutabit, si fecit, fortunæ amicus fuit, non hominis.

4. *Qui egent lucerna, oleum infundunt.*] Vulgare illud sumitur ex dicto Anaxagoræ ad Periclem, quo exprobrat illi neglectum amici, quem alias ob vtilitatem coluerat, valetque in eos, qui famulis vel equis, vel aliis quibuscumque iumentis, ex quibus vtilitatem capiunt, de necessariis minimè prospiciunt.

5. *Nimia familiaritas parit contemptum.* Seneca lib. 2. de regimine Principum.] Tritum hoc sermone pronunciatum non ita in viris fortitudine ac virtute inclytis locum habet; talibus nempe, quo maior est familiaritas eo virtus clarescit magis;

ſed potius in hominibus ignauis, iiſquem qui paſſionibus inordinatis ac vitiis ſunt obnoxij. Ratio eſt; quia in frequenti cum talibus congreſſu mores paulatim & vitia eorum dignoſcuntur. Eodem ſenſu verum eſt illud Apulæi de Deo Socratis: *Perpetua conuerſatio contemptum parit, raritas admirationem conciliat.*

6. *Mendax eſt omnis amicitia, quæ diuino non ligatur timore.*] D. Chryſoſtomus Hom. 15. in Matthæum, oſtendit hoc dicto S. Doctor, non eſſe veram vllam germanamque amicitiam, niſi quæ coniuncta eſt cum virtute, & obſequio in Deum. In quam ſententiam rectè S. Ambroſius l. 3. offic. c. 16. *Virtus*, ait, *eſt amicitia: ea autem eſt cum virtute, quæ coniuncta eſt cum obſeruatione diuinorum mandatorum.*

DISTINCTIO VI.

De Ficta amicitia.

1. *Bonitatis verba imitari maior malitia eſt.*] Veteri hoc dicto (de quo videri poteſt Gellius l. 15. c. 9.) Hypocritarum & adulatorum vitia notantur, qui palam virtutem laudant, cum ab ea ſint alieniſſimi, amicitiam & amorem loquuntur, dum odio non moritura fouent: & vniuerſim oſtendunt ſe nolle quod volunt, velle quod nolunt; ambire, quod auerſantur, auerſari quod ambiunt. Damnant improbos ipſi improbiſſimi, laudant probos probitatis ignari. Pietatem vultu præferunt omnis impietatis ſerui.

2. *Malus vbi ſe bonum ſimulat, tunc eſt peßimus.*] Vetus iſtud dictum monet quam diligentiſſimè cauendum eſſe à ſimulatoribus, ijs præcipuè, qui mentitam

Digitized by Google

titam assumunt beneuolentiam, & amica dant verba, dum dolos in animo, fraudesque meditantur: proprium est eorum, scorpiorum instar de cauda nocere, & de posthumo corporis improuidos verberare. Veriſſimè Plinius lib. 21. cap. 15. *Vt nihil insidiosius melle venenato: ita nihil cauendum magis, quam blandus hostis.*

3. *Nulla pestis efficacior est ad nocendum, quam familiaris inimicus.* Boëtius lib. 3. de Consolatione.] Ratio est, quia sub pallio beneuolentiæ venenum reconditum habent, ac interitum dolosè ac nefariè machinantur. Quare vulgo talem cum diabolo comparare vel etiam peiorem dicere non dubitant. diabolus enim signo crucis depellitur; Talis autem nulla arte ab ignorante fugatur. Est in hanc sententiam illud Ciceronis in Lælio: *Sic habendum est, nullam in amicitijs pestem maiorem esse, quam adulationem, blanditias, assentationem.* Et illud: *Nullæ sunt occultiores insidiæ, quam eæ, quæ latent in simulatione officij, aut in aliquo necessitudinis nomine*: Nam, eum, qui palam aduersarius est, facile cauere possis:

4. *Inimici hominis domestici eius.*] Celebris ista sententia, quæ in commune prouerbium abiit, vt testatur Cornelius à Lapide, traditur Michææ 7. v. 6. Innuit autem sæpe abiis, quibuscum frequentius agimus, quique nobis obnoxij sunt, inimicitiam nos pati eximiam; ac proinde diligenter perfidiam familiarium ac domesticorum esse cauendam. Sic Achitophel, sic Iudas, domestici quidem, & subditi; at perfidorum omnium fuêre perfidissimi.

5. *Amici labiorum hostes sunt animorum.*] Quam noxius sit adulator omnis, docemur à Propheta Regio Psal. 139. *Acuerunt linguas suas sicut serpentis:*

venenum aspidum sub labiis eorum. Ex insidijs ferè serpentes insurgunt, vt incautos perimant; intimantque ex occulto virus, quo improuidum feriant: Venenum enim aspidum sub labiis eorum, quod effundant in nimium fidentes, vt verum sit illud: *Nullum amantium genus assentatoribus est perniciosius: nullum quod citius in precipitia viuentem deducit.* Vt proinde merito huiusmodi Politici simulatores, monstra dicantur, variis hypocriseos formis composita; pelle videntur oues at verò lupi, blande arrident, manu sicam tenent, leopardum macularum varietate referunt, vox iis est Iacob, & manus Esaü. Falso pacis osculo blandiuntur, at tanquam Ioab, Abner & Amasam configiunt. 2. Reg. 3. & 20. cap. Ac quasi Iudas Christum vendunt; Crocodili in modum vocem hominis imitantis, vt eum lanient; lachrymas emittunt.

DISTINCTIO VII.

De Amico & proprietatibus amicorum generatim.

1. *Amicus certus in re incerta cernitur.*] Celebre illud & antiquitate probatum axioma refertur à Marco Tullio in Lælio, & à Boëtio l. 2. de Consol. Prosa. 8. Significat autem amici fidem in rebus aduersis maximè explorari; quod enim cum periculo coniunctum est, id hic dubium siuè incertum appellatur. Memorabile huius rei exemplum & illustre facinus tradit Valerius Maximus de Damone & Pythia sub Dionysio Syracusanorum Tyranno, cum alter se pro altero capitis vadem dedisset, condictaque hora alter rediisset, alterque paratas pro amico

ceruices nudaſſet, addit Valerius: *Admiratus amborum animum Tyrannus ſupplicium fidei remiſit, inſuperque eos rogauit vt ſe in ſocietatem amicitiæ; Tertium ſodalitij gradum intima cultorum benenolentiâ reciperent.* Alia huius generis veræ amicitiæ effecta inuenies apud eundem lib. 4. cap. 7. & lib. 6. cap. 9.

2. *Amicus eſt alter ipſe.* 9. Eth. cap. 4. & cap. 8.] Vbi dicitur eſſe, *anima vna*, & lib. 2. magnorum moral. Vbi loquitur Philoſophus in hunc modum: *Quando volumus vehementer amicum ſignificare, vna, inquimus, anima mea & huius.* Idem repetitur lib. 9. Eth. cap. 4. & alibi. Eſt autem amicus alter ego, & vna vtriuſque eſt anima, non quoad eſſentiã naturæ; ſed quoad affectum & effectum voluntatis, atque amicitiæ, ſiuè per vnionem quandam affectiuam amantis & amati, iuxta illud:

3. *Amicorum idem eſt velle & nolle.*] Quemadmodum enim per vnionem materiæ & formæ conſtituitur compoſitum phyſicum, ita per hanc vnionem amici fiunt quodammodo quid vnum, quoad affectum, ſiue quoad velle & nolle. Vnde alter deſiderat alteri bonum tanquam ſuæ comparti vel potius alteri ſibi, adeoque illius bonum ſuum reputat; Ita vt quidquid ſiue in proſperis ſiue in aduerſis amico contigerit, id ſibi quodammodo euenisſe autumet. Hæc tamen vnio ſiue coniunctio non eſt propriè ratio formalis diligendi; alioqui deſtrueretur omnis ratio veræ amicitiæ, ſi homo ad ſeipſum omnia referret. Sed eſt conditio, ſine qua talis amor non eſſet; nullus enim naturaliter diligit alterum niſi aliquo modo ſibi coniunctum. Cęterum idem velle & nolle ſignum eſt veræ amicitiæ non abſolutè ſecundum ſe; ſed in rebus honeſtis.

4. *Amicorum omnia sunt communia.*] Celebre istud veterum axioma Philosophorum refert Aristot. 9. Eth. cap. 8. sub initium, & 8. Eth. cap. 9. Vbi rationem addit: *amicitia nauique*, inquiens, *in communicatione societatque consistit.* Aulus Gellius testatur Pythagoram non solum huius sententiæ fuisse parentem; verum etiam huiusmodi vitæ ac facultatum communionem induxisse præcipiendo discipulis, vt quisque peculium suum commune faceret. Similem rerum omnium etiam natorum, mulierum, & qualiumcunque bonorum communitatem statuebat Socrates in lib. Reipub. Platonis. Idem ex præsente axiomate colligebat, omnia esse bonorum virorum non secus quam Deorum. Deorum, inquit, sunt omnia, boni viri Deorum sunt amici, & amicorum omnia inter se sunt communia, bonorum igitur virorum sunt omnia. Enim verò licet summa sit inter Deum & omnes creaturas inæqualitas; non tamen negandum videtur eum inter, hominesque iustos, intercedere veram & honestam amicitiam; non quidem æqualitatis simpliciter, neque hoc necessarium est ad veram amicitiam; sed excellentiæ & proportionis. Nec sanè huic obest amicitiæ, quod Deus omnia bona, quæ nobiscum communicat referat, & referri velit in suam gloriam: quia amicitia honesta non impedit, quo minus omnia bona, etiam ea, quæ amicis volumus, quatenus ipsis bona sunt, vlterius referantur in vltimum finem: hoc enim honestum est, & in commodum amicorum redundat, vt docet Ægidius Regius de actibus supernaturalibus Disp. 21. Dub. 3. Vasquez in prima par. disp. 84. Cęterum propositum axioma neque de Socratica ista, neque Pythagorica communione intelligitur. Cum hæc iuri positiuo, illa etiam iuri naturali & rectæ rationi repugnet. Dicuntur ergo

Digitized by Google

omnia amicorum esse communia, non ex legum aut iuris dispositione, neque in rebus quibuslibet; sed in rebus honestis & necessariis; quia scilicet veri amici ita affecti sunt, vt libenter inter se omnia communicent, in quantum Christiana Charitas postulat, & discretio ac honestas patitur. Item in extrema necessitate non tantum amicorũ, sed etiam omnium generatim hominum omnia sunt cõmunia; non quidem simpliciter quasi absolutè perdatur eorũ dominium; sed quatenus ij, qui habent superflua, tenentur ex illis indigenti ex charitate succurrere, & ille ius habet exiis sibi necessaria sumendi. Vide, si placet, Ægidium Regium de Charitate. disp. 27. num. 169.

5. *Amico opportuno nihil amicius.*] Significatur hoc dicto gratissimum esse officium, quod præstatur in tempore. Nam licet pretio sit leue, pro tempore tamen censetur eximium. Quemadmodum è conuerso tempestiuum officium non raro molestiam conciliat.

6. *Amicus vsque ad aras.*] Pronunciatum istud, Teste Gellio, ortum habet ex Periclis responso, quem cum amicus quispiam rogaret, vt in causa quadam, sua gratia, peiuraret; *Oportet me*, inquit, *commodare amicis vsque ad aras.* Olim namque iurantes aram manu contingebant. Admonet effatum, nunquam esse in gratiam amicorum à recto deflectendum, nec propter hominem amicum Numinis reuerentiam esse violandam. Itaque minimè probandum est Caij Blosij responsum, Tiberij Gracchi, dum viueret, amici, qui teste Valerio Maximo lib. 4. cap. 7. non veritus fuit pleno senatu roganti Lælio, fateri: *Quid si Gracchus templo Iouis faces subdere instituisset, obsecuturusne voluntati eius fuisset? nunquam istud*, inquit, *Gracchus imperasset.*

Perseuerante autem in interrogatione Lælio, in eodem constantiæ gradu stetit, séque etiam hoc, si modo Gracchus mandasset, facturum respondit. Lege Valerium Maximum loco citato.

TITVLVS LIX.

De pœnis quæ sequuntur actus vitiosos.

DISTINCTIO PRIMA.

De Pœnis peccatorum generatim.

1. *Bona bonis eueniunt, mala malis.*] Est commune dictum moralium Philosophorum, quod longa & efficaci inductione probat Adamus Contzen. lib. 2. Politicorum cap. 12. & Nicolaus Caussinus Curiæ sanctæ, Tomo 3. Maximâ 14. Ita Prouidentia diuina suauiter ac fortiter omnia disponit, vt digna dignis eueniant, id est, vt bonis pro virtutum exercitio iusta merces contingat; mali verò pro maleficiis dignas aliquando pœnas luant. Nam vt sacra perhibent oracula, *Deus reddet vnicuique secundum opera sua.* Psal. 61. v. 13. & Math. 16. v. 27. In quam sententiam est illud D. Basilij ad locum citatum: *Non licebit tibi in die Iudicij dicere: non noueram bonum, proferentur tibi propriæ tuæ stateræ sufficientem boni & mali discretionem habentes: nam corporis ponderæ libræ momentis experimur, quæ verò in vita eligenda sunt, liberâ animæ iudicio discernimus.*

2. *Facem improbitatis bibunt mali.*] Deterret hoc celebre pronunciatum à peccando, significatque improbos licet diu peccent impunè: tandem tamen

Digitized by Google

iuſto Dei iudicio eò deuenire, vt omnium ſcelerum pœnas rependant. Simile huic eſt illud: *Dij laneos habent pedes, ſed ferreas manus*: Significat Deum lētè quidem procedere ad vindictam peccatorum: eam tamen metuendam eſſe atque terribilem; ſi ad Dei patientiam nulla emendatio conſequatur. Deſumptum videtur effatum propoſitum, ex Ezechielis cap. 23. v. 34. Vbi Propheta denunciat, peccatricem ciuitatem Ieruſalem, bibituram calicem ſororis ſuæ Samariæ; Calicem mœroris & triſtitiæ: *Et bibes illum*, inquit, *& epotabis vſque ad Fæces.*

3. *Per quæ quis peccat, per eadem torquetur.* Sap. cap. 11. v. 17.] Veritatem huius ſententiæ Salianus anno Mundi 2899. num. 29. clareſcere ait exemplo Samſonis: Nam qui adamatæ mulieris captiuum ſe ſponte fecerat, gemens deinde lamentanſque improbiſſimorum hoſtium fit captiuus, & qui in mulierem ſæpius oculos impuros coniecerat, mulieris opera oculos cum ingenti dolore amittit: Ita Aſa Rex Iuda, qui Prophetæ cuiuſdam pedes coniecit in vincula, iuſto Dei iudicio in tempore ſenectutis ſuæ pedes habuit noxiorum humorum vinculis præpeditos; & quia eidem Prophetæ libertatem abſtulit, eundi quo vellet, Deus illi abſtulit poteſtatem è lecto, in quo affixus iacebat, vel tantillum, niſi cum acerbiſſimo doloris morſu, progrediendi. Ita præ cæteris membris lingua punita eſt diuitis Epulonis, quia plus lingua ſua & ore peccauerat, vt notat Cyprianus. Eodem facit illud Chriſti Matth. 19. *Omnes, qui acceperint gladium, gladio peribunt*: Et Ioannis in Apocalyp. cap. 13. *Qui in captiuitatem duxerit, in captiuitatem vadet: qui in gladio occiderit, oportet eum gladio occidi.* Et lib. Geneſ. cap. 9. *Quicunque effu-*

Perseuerante autem in interrogatione Lælio, in eodem constantiæ gradu stetit, séque etiam hoc, si modo Gracchus mandasset, facturum respondit. Lege Valerium Maximum loco citato.

TITVLVS LIX.

De pœnis quæ sequuntur actus vitiosos.

DISTINCTIO PRIMA.

De Pœnis peccatorum generatim.

1. *Bona bonis eueniunt, mala malis.*] Est communne dictum moralium Philosophorum, quod longa & efficaci inductione probat Adamus Contzen. lib. 2. Politicorum cap. 12. & Nicolaus Caussinus Curiæ sanctæ, Tomo 3. Maximâ 14. Ita Prouidentia diuina suauiter ac fortiter omnia disponit, vt digna dignis eueniant, id est, vt bonis pro virtutum exercitio iusta merces contingat; mali verò pro maleficiis dignas aliquando pœnas luant. Nam vt sacra perhibent oracula, *Deus reddet vnicuique secundum opera sua.* Psal. 61. v. 13. & Math. 16. v. 27. In quam sententiam est illud D. Basilij ad locum citatum: *Non licebit tibi in die Iudicij dicere: non noueram bonum, proferentur tibi propriæ tuæ Stateræ sufficientem boni & mali discretionem habentes: nam corporis ponderæ libræ momentis experimur, quæ verò in vita eligenda sunt, liberè animæ iudicio discernimus.*

2. *Facem improbitatis bibunt mali.*] Deterret hoc celebre pronunciatum à peccando, significatque improbos licet diu peccent impunè: tandem tamen

iusto Dei iudicio eò deuenire, vt omnium scelerum pœnas rependant. Simile huic est illud: *Dij laneos habent pedes, sed ferreas manus*: Significat Deum lētè quidem procedere ad vindictam peccatorum: eam tamen metuendam esse atque terribilem; si ad Dei patientiam nulla emendatio consequatur. Desumptum videtur effatum propositum, ex Ezechielis cap. 23. v. 34. Vbi Propheta denunciat, peccatricem ciuitatem Ierusalem, bibituram calicem sororis suæ Samariæ; Calicem mœroris & tristitiæ: *Et bibes illum*, inquit, *& epotabis usque ad Fæces.*

3. *Per quæ quis peccat, per eadem torquetur.* Sap. cap. 11. v. 17.] Veritatem huius sententiæ Salianus anno Mundi 2899. num. 29. clarescere ait exemplo Samsonis: Nam qui adamatæ mulieris captiuum se sponte fecerat, gemens deinde lamentansque improbissimorum hostium fit captiuus, & qui in mulierem sæpius oculos impuros coniecerat, mulieris opera oculos cum ingenti dolore amittit; Ita Asa Rex Iuda, qui Prophetæ cuiusdam pedes coniecit in vincula, iusto Dei iudicio in tempore senectutis suæ pedes habuit noxiorum humorum vinculis præpeditos; & quia eidem Prophetæ libertatem abstulit, eundi quo vellet, Deus illi abstulit potestatem è lecto, in quo affixus iacebat, vel tantillum, nisi cum acerbissimo doloris morsu, progrediendi. Ita præ cæteris membris lingua punita est diuitis Epulonis, quia plus lingua sua & ore peccauerat, vt notat Cyprianus. Eodem facit illud Christi Matth. 19. *Omnes, qui acceperint gladium, gladio peribunt*: Et Ioannis in Apocalyp. cap. 13. *Qui in captiuitatem duxerit, in captiuitatem vadet: qui in gladio occiderit, oportet eum gladio occidi.* Et lib. Genes. cap. 9. *Quicunque effu-*

derit sanguinem humanum, fundetur sanguis illius: nimirum vel facto, vel merito; quia aut reipsa interficietur, aut hoc ei supplicium debebitur, vt explicant Theophylactus, Augustinus, & alij.

4. *Supplicium sceleris est in scelere.*] Est istud non minus eleganter quàm verè à Seneca dictum: prima siquidem & maxima peccantium pœna est peccasse; nec vllum scelus licet illud fortuna exornet muneribus suis, licet tucatur ac vindicet impunitum est, quoniam sceleris in ipso scelere supplicium est. Etenim iustissima peccati pœna est, vt in eo vitio vnusquisque plectatur, in quo delinquit: atque vt amittat illud, quo benè vti noluit, cum fine difficultate posset, si vellet. Vide illum Epistolâ 97. sub finem. Drexelium Æternitatis parte 2. cap. 2.

DISTINCTIO II.

De Pœnis, quas mala infert conscientia.

1. *Conscientia mille testes.*] Intellectus humanus dicitur conscientia, quatenus elicit actuale quoddam examen humanarum operationum, quo iudicat illas esse bonas vel malas, & ex eo, quod iudicat suas operationes esse bonas, sequitur in voluntate lætitia bonæ conscientiæ: ex eo autem, quod iudicat esse malas; sequitur eadem voluntate tristitia, quæ solet dici, *Vermis conscientiæ*, aut *remorsus*. Dicitur ergò conscientia esse instar mille testium; quia veluti bona conscientia & *secura mens est quasi inge conuiuium*, vt dicitur Prouerb. 15. Ita mens perpetrati sceleris conscia nunquam quieta est, semper timet, ac malum suspicatur: *Impij*

Digitized by Google

enim quasi mare feruens, quod quiescere non potest, vt dicitur Isaiæ 57. Pulchrè propositum effatum explicat Seneca Epist. 43. *Quid prodest*, inquit, *recondere se, & oculos hominum, auresque vitare? Bona conscientia turbam aduocat, mala autem in solitudine anxia atque solicita est. Si honesta sunt, quæ facis, omnes sciant; si turpia, quid refert neminem scire? O miserum te, si contemnis hunc testem, ipsa enim conscientia, vt in prouerbio est, mille testes.* Vide Rodericium, par. 2. Tract. 6. cap. 6.

2. *Mala facinora conscientia flagellantur.*] Idem Epistolâ 97. in fine: eo nimirum, quod perpetua illam sollicitudo vrget & verberat; quod sponsoribus securitatis suæ non potest credere; ideoque nunquam fides latenti fit, etiam latentibus; quia coarguit illos conscientia & ipsos sibi ostendit. Idem alibi repetens: *Nullum*, inquit, *conscium peccatorum tuorum magis timueris, quàm teipsum: alium enim potes effugere, te autem nunquam*; & Cicero in Oratione pro Milone: *Magna*, inquit, *est vis Conscientiæ in vtramque partem, vt neque timeant, qui nihil commiserint, & pœnam semper ante oculos versari putent, qui peccauerint.* Eodem pertinet illud D. Augustini lib. 2. Confess. *Insistis Domine, & ita est, vt pœna sit sibi ipsi omnis inordinatus animus.*

3. *Proprium est nocentium trepidare.* Idem Seneca.] Licet aliquando lætitia in flagitiis esse possit: fiducia tamen & securitas esse non potest; cum nemo peccans satis animo suo fidere possit: quare nunquam securus sui est, cum perpetuus eum teneat metus, omni peccato implexus, perpetuusque agitet timor vitiorum individuus comes; neque cuiusque conscientia facile

Digitized by Google

tam altè sopita est, vt sceleris aculeos non sentiat. Est in hanc sententiam illud Isaiæ Prophetæ : *Ponam Babylonem in possessionem Erinacij*, cap. 14. Et enim iusto Dei iudicio cor impij, quod hic per Babylonem intelligitur, datur in potestatem Erinacij, spinosi illius animalis : hoc est, diaboli, vel spinarum & stimulorum conscientiæ, quos secum adferunt peccata, quibus mirum in modum cor impij lancinatur. *Si quæras*, quinam illi sint stimuli. *Respondeo*, primum horum esse, turpitudinem, & enormitatem peccati, quod natura sua tam est abominabile, vt meritò dixerit Plato : *Si scirem Deos mihi condonaturos & homines ignoraturos, adhuc peccare erubescerem propter solam peccati turpitudinem* ; & D. Anselmus : *Si hinc peccati pudorem, & illinc inferni cernerem horrorem, & necessariò deberem vni eorum immergi, prius me in infernum immitterem, quàm peccatum in me admitterem : Mallem enim purus & innocens gehennam intrare, quàm sorde pollutus Cælorum regna tenere.* Alius stimulus est, quando peccatum secum fert offensam vel iniuriam alterius; tunc enim oculis peccatoris repræsentatur tanquam sanguis Abel, qui clamat vindictam coram Domino. Huius exemplum habemus lib. 1. Machab. cap. 6. in impio Rege Antiocho. Tertius stimulus est infamia, quæ peccatum sequitur, quam volens nolens peccator cognoscit, & propterea non potest non tristari : Naturaliter enim homines sibi ipsis benè volunt, & affliguntur contrario.

4. *Hominem improbum vel mus mordeat.*] Vulgare istud ostendit miserias conscientiæ peccatricis : Esto enim nihil grauius patiantur improbi ; adest tamen iis perpetuus carnifex timor, vt quidquid increpuerit, diuinam in sese vltionem descendere putent. At verò in alio diuerbio est, *Ne spina quidem*

Digitized by Google

vulnerabit bonum. Spina natura quemlibet pungit, ſed vbique tuta eſt innocentia vitæque integritas. Eſt in hanc ſententiam illud D. Auguſtini in lib. de Catechizandis rudibus: *Tu qui veram requiem, quæ eſt poſt hanc vitam & Chriſtianis promittitur, quæris; etiam hic eam inter amariſſimas vitæ huius moleſtias ſuauem guſtabis: ſi eius qui eam promiſit, præcepta dilexeris, cito enim ſenties dulciores eſſe fructus iuſtitiæ, quàm iniquitatis, & verius ac iucundius gaudebis de bona conſcientia inter moleſtias, quam de mala inter delitias.* Hactenus Auguſtinus. Quemadmodum enim mel non tantum dulce eſt; ſed etiam dulce facit id, quod prius dulce non erat: ita bona conſcientia tam tranquilla & iucunda eſt, vt faciat etiam omnes huius mundi moleſtias videri iucundas.

DISTINCTIO III.

De iiſdem magis in particulari.

1. *IMproborum anima eſt in ſeditione.* lib. 9. Ethic. cap. 4.] Rationem aſſignat Philoſophus ibidem. *Interdum namque ob prauitatem dolet, interdum verò lætatur. Quod ſi fieri nequeat, vt doleat ſimul & lætetur*: & paulò poſt, *Dolet quod lætatus fuerit, & nollet ſibi ipſi voluptati illa fuiſſe.* Etenim nihil in hoc mundo inuenitur inordinatum, quod naturaliter non ſit inquietum & perturbatum: Oſſa iuncturis ſuis & loco naturali emota ſummos dolores adferunt: Elementum quod extra ſphæram ſuam eſt, continuam violentiam patitur. Humores corporis humani cum naturalem temperiem amiſerint, graues & ſæpe lethales infirmitates pariunt. Cum itaque omninò proprium ſit creaturæ rationali, or-

dinatè & ſecundum rationem viuere, ſi cuius vita inordinata ſit eius quoque natura patitur & cruciatur, vt merito dixerit Sanctus Iob : *Quis reſtitit Deo & pacem habuit* ? In quæ verba D. Gregorius lib. 9. Moral. cap. 2. *Qui cuncta mirabiliter*, inquit, *creat, ipſe vt creata ſibimet conueniant, ordinat.* Ex hoc infert, quoties Conditori reſiſtitur, toties pacis conuentionem diſſipari ; quia, inquit: *ordinata eſſe nequeunt, quæ ſuperni moderaminis diſpoſitionem perdunt.* Sic ſummus ille Angelicus ſpiritus, qui ſubiectus Deo in culmine ſtare potuiſſet, ſemetipſum repulſus patitur, quia per naturæ ſuæ inquietudinem foris vagatur : Sic primus humani generis parens, quia auctoris præcepto reſtitit, carnis protinus contumeliam ſenſit, & quia ſubeſſe Conditori per obedientiam noluit, ſub ſemetipſo proſtratus pacem corporis protinus amiſit.

2. *Improbi pœnitentia ſunt pleni*, Ibidem.] Cum enim naturaliter ſeipſos ament, & bene ſibi velint, affligunturque de ſuis malis, neceſſariò accidit, vt quoties ſynteresis peccati turpitudinem repræſentat, in calamitoſam incidant triſtitiam, doleantque miſeram vitæ ſuæ conditionem, ac pœnitentiam agant infructuoſam ; quamdiu non ſeriò & efficaciter reuiuiſcunt. Eſt autem ſynteresis nihil aliud, quam naturale lumen intellectus noſtri, quo promptè aſſentitur principiis practicis. Vt, *bonum eſſe faciendum, malum fugiendum : quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*, &c. Sic dicta à Græco verbo συντηρέω, quod conſeruare ſignificat ; quia ſecundum hoc lumen anima à vitiis aduerſatur, & ſeſe immaculatam ſemper cupit à vitio conſeruare, ac perpetrata mala continuò deteſtatur.

3. *Improbi ſeipſos fugiunt.* Ibidem.] Rationem

Digitized by Google

addit, quia si secum ipsi agant, recordantur multarum grauiumque rerum, & timent alias haud leuiores. Vnde cum aliis libenter agunt, vt suæ aliquantisper miseriæ obliuiscantur: erga seipsos verò nullo modo benè siue amicè afficiuntur, nec secum gaudent, sed dolent: Est in hanc sententiam illud Prouerbiorum 28. *Fugit impius nemine persequente, iustus autem quasi leo confidens absque terrore erit.*

4. *Improbi nihil habent, quod sit amabile.* Ibidem.] In quantum videlicet improbi sunt, & hoc sensu dixit Aristoteles ibidem; erga seipsos nullo modo eos benè & amicè affici, atque hac de causa totis viribus fugienda est prauitas, & enitendum est bonum esse, vt subdit Philosophus ibidem: sic namque & ad seipsum habebit quis amicè, & aliis amicus esse poterit: Etenim vt summa tormenta sunt malæ conscientiæ, ita incredibilis est dulcedo & delectatio bonæ, vt D. Ambrosius lib. 2. Officiorum non vereatur dicere in ea consistere beatitudinem iustorum in hac vita. Verba illius sunt: *Tantus splendor honestatis est, vt vitam beatam efficiat, tranquillitas conscientiæ & innocentiæ securitas.* In quam sententiam Cicero lib. 3. Tusc. Quæst. ita loquitur: *Acta atas honestè ac splendidè tantam affert consolationem, vt eos, quibus acta vixerint, ani non tangat asperitudo, aut leniter pungat animi dolor*, & lib. 2. *Nullum theatrum virtuti conscientia maius.*

5. *Non est grauius supplicium odio publico.* Seneca lib. 3. de Beneficiis cap. 17.] Indicatur hoc dicto quam crudele malum sit infamia, quæ ordinariè vitia & peccata velut vmbra sequitur, non secus atque honor & gloria virtutem, vt explicatum est supra. Cum enim homines naturaliter sibi ipsis benè velint, & boni nominis famam pluris

quàm alia bona externa iure æstiment, fieri non potest, quin grauiter crucientur, dum cognoscunt sua flagitia passim per aliorum ora versari. Est autem infamia grauissimum supplicium inter naturalia mala externa, vti de honore proportionaliter dictum est in comparatione bonorum. Alia quæ huc referri possent, alibi commodius sunt explicata.

TITVLVS LX.

De Legibus, quæ dirigunt actus humanos.

DISTINCTIO PRIMA.

De Natura & origine legis generatim.

DIsputant Theologi, vtrum lex pertineat ad operationem intellectus, an volũtatis. D. Thomas cum suis vult ad intellectum pertinere; quia illius est dirigere & illuminare. Scotus, Bonauentura, & multi alij ad voluntatem; quia illius est mouere & obligare. Vt vt sit, commodè post tractatum de actibus intellectus, & volũtatis, de legibus agimus: non solum, quia vtrique ad plenam rationem legum concurrunt; sed etiam, quia hæ ad illorum directionem.

1. *Lex habet vim directiuam & coactiuam.*] Est commune Prouerb. Theol. ac Iuris doctorum. *Lex est quædam regula & mensura actuum humanorum*, vt docet D. Thomas 1. 2. quæst. 90. art. 1. quæ non solum nos dirigit & ostendit, quid agere vel omittere debeamus, vt finem nobis propositum assequamur; sed etiam obligat, & quasi necessitatem quandam imponit, vt hoc agamus, illud omittamus, qua

Digitized by Google

de cauſa dicitur habere non ſolum vim directiuam, ſed etiam cõactiuam. Hæc autem obligatio vel oritur ex ipſa rerum natura, ſi lex naturalis eſt. Vel ex poteſtate, & voluntate ſuperioris, ſi eſt poſitiua. Ex quo etiam patet diſcrimen inter legem & conſilium: Nam ſicut lex eſt quędam regula, quæ nos dirigit & obligat, ita conſilium eſt regula, quæ dirigit ſed non obligat. Hoc ſignificat D. Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum, cum ait: *Vbi conſilium datur offerentis arbitrium eſt, vbi prędcepium, neceſſitas eſt ſeruientis.* Vide, ſi placet, Becanum de Leg. cap. 1. quæſt. 7. nu. 3.

2. *Prędceptum expirat cum morte prędcipientis.*] Dicitur præceptum expirare vnà cum eo, qui præceptum dedit, non quod ante mortem illius non aboleri ſoleat. Conſtat enim id fieri perſæpè; ſed quia poſt obitum præcipientis de ſe ſtabilitatem non obtineat, obtinet lex ſiue ſtatutum. Vide legem 57. ff. *Mandati.* Intelligitur autem de præcepto ſiue mandato puro; quia ſi detur per modum ſtatuti, quoad ſtabilitatem nihil differret à lege. Indicatur itaque hoc dicto generale illud diſcrimen præceptum inter & legem, quod ex communi Theologorum & Iuriſperitorum ſententia aſſignari ſolet. Nam vti loquuntur:

3. *Lex perpetuitatem habet, prędceptum non item.*] Patet in lege tam diuina, quàm humana: imprimis enim æterna illa lex de qua Theologi, ſimpliciter cum Deo æterna & immutabilis eſt; deinde etiam lex diuina vetus & noua ſuam quoque perpetuitatem habent. Prior quidem negatiuè tantum, quia ſcilicet lata eſt, cum indefinita duratione donec reuocaretur. Poſterior etiam poſitiuè, quia ita lata eſt, vt perpetuò duraret, & nunquam reuocaretur: Perpetua igitur lex Chriſti eſt in ordine ad ſubie-

ctum, id est, in ordine ad genus humanum. Non verò in ordine ad totam æternitatem. Potrò lex humana licet non ita perpetua sit: aliquam tamen stabilitatem habet, eamque triplicem. Primam ex Legislatoris parte, quia eo moriẽte non exspirat, quemadmodum exspirat præceptum; siue id datum sit personæ singulari, siue toti communitati, vt benè contra Vasquez probat Suarez lib. 1. de Legibus cap. 10. Secundam ex parte subditorum; quia ligat subditos iam natos, & qui nascentur. Tertiam ex parte legis; quia ex sua natura constat, donec vel reuocetur, vel materia eius & causa mutetur. Ratio huius perpetuitatis est, quia sublatâ legum stabilitate magnæ quotidie in Republica sequerentur mutationes & perturbationes. Adde, cum in ciuilibus lex feratur nomine communitatis, sicuti communitas non moritur, ita neque lex, ac proinde cum Imperator vel Rex aut Princeps moriuntur, leges eorum per se, vel de facto non mutantur.

4. *Ex malis moribus bonæ nascuntur leges.*] *Iusto non est lex posita*, vt ait Apostolus 1. ad Timoth. 1. v. 8. *sed iniustis*, vt iustitiæ viam sectarentur: neque enim leges dicerentur, nisi corrupti impiorum mores essent coërcendi: ex iis itaque non physicè siue naturaliter, sed occasionaliter bonæ leges nascuntur. Traditur à Cornelio Tacito lib. 15. Annalium, vbi: *Vsu probatum est*, inquit, *leges egregias, & exempla honesta apud bonos ex delictis aliorum gigni.* Et à Macrobio Saturnalium lib. 3. *Vetus verbum est: leges bonæ ex malis moribus procreantur.*

DIST. II.

Digitized by Google

DISTINCTIO II.

De vtilitate legum.

1. IN *legibus salus stta est Ciuitatis.* lib. 1. Rhet. cap. 3.] Ratio est, quia omnis vera & propriè dicta lex est semper ordinata ad bonum communitatis, cum sit regula communis & mensura actuum humanorum, quorum vltimus finis est beatitudo, tùm naturalis, tùm supernaturalis. Vnde etiam 5. Ethic. c. 1. Philosophus inquit: *Omnia legalia esse factiua & conseruatiua felicitatis*; Huic conuenienter Magnus ille sapiens Plato scriptum reliquit, Reipublicæ felicitatem in eo consistere, quod lex sit verè domina Principum & Magistratuum: Principes verò & Magistratus serui ac famuli legis. Contra verò perniciem esse eiusdem Reipublicæ: si lex ancilla esset Regum, & illi ipsius Domini trahentes eam ad suam voluntatem; qua de causa Pius Imperator Theodosius inquiebat, quamuis ipse non esset legibus subditus velle tamen se illis alligare, easque seruare, vt nimirum salus Reipub conseruetur, vt cum subditi gloriantes se imitari Principem ad Patriæ leges se rectè componant.

2. *Intentio Legislatoris est ciues efficere bonos.* lib. 2. Ethic. cap. 1.] Ratio est, quia vnusquisque verus Legislator intendit subditos suos per leges inducere ad virtutem, quemadmodum enim Principis est, benè imperare, sic subditorum propria virtus est, quæ eos bonos facit, benè obedire; ad quod lex inducit; quia præstat notitiam eius, quod faciendum est; Id quod de omni verâ lege, etiam de Politica intelligendum est. Omnes siquidem leges siue diuinæ,

siue humanæ, siue Ecclesiasticæ, siue Ciuiles, dum obseruantur ex affectu virtutis, efficiunt hominem non solum exterius, sed etiam interius studiosum siue bonum, secundum veram virtutem, saltem moralem, quæ ad animæ ornamentum pertinet; quomodo etiam leges impropriè dictæ homines bonos faciunt saltem in ordine ad certum aliquod regimen, vt notat D. Thomas prima secundæ qu. 92. artic. 1.

3. *Omnis lex ad bonum commune ordinatur.*] Sumitur ex lib. 1. Rhetoricorum, & traditur à D. Thoma 1. 2. quæst. 90. art. 2. & ab Isidoro lib. 5. Originum, siue Etymologiarum cap. 21. Vbi sic ait: *Erit autem lex honesta*, &c. *nullo priuato commodo, sed pro communi ciuium vtilitate conscripta.* Ratio est, quia lex ex sua natura est regula communis, quæ dirigit communitatem totam vel præcipuam illius partem ad finem honestum & publicum, quod est bonum communitatis, & in eo lex distinguitur à priuilegio, quod illa respiciat bonum commune: hoc verò priuatum. Hinc dig. de Legibus, Lege prima dicitur: *Lex est commune præceptum.* In eandem sententiam Aristoteles lib. 5. Ethic. c. 1. sic ait: *Ipsa autem Leges de omnibus dictant, conducentes aut communem omnium vtilitatem aut optimorum*; & infra: *Quare iusta dicimus ea, quæ felicitatem eiusque partem Societatis ciuilis efficiunt & conseruant.* Vbi iusta Philosophus appellat ea, quæ lege statuta sunt, quæ proinde etiam à D. Thoma *Legalia* appellantur, vt benè obseruat Vasquez ad art. D. Thomæ citatum.

4. *Iniusta Lex non est Lex.*] Sumitur ex auctoribus citatis: ratio est, quia non solum ad acceptandum non obligat, verùm etiam neque si sit acceptata; quia non solum non tenentur subditi acceptare

istiusmodi legem ; verum etiam non possunt, quando nimirum est clarè & manifestè de re iniqua. Nemo siquidem obligari potest ad malum, quin imò talis obligatio & acceptatio essentiali rationi legis repugnat ; quæ ex natura sua respicit bonum communitatis : Nam vt rectè Cicero lib. 2. de Legib. *Constat profectò ad salutem Ciuium ciuitatumque incolumitatem vitamque omnium quietam & beatam, conditas esse Leges, eosque qui primum huiusmodi scita sanxerunt, populis ostendisse ea se scripturos atque laturos ; Quibus illis ascriptis susceptisque honestè beatéque viuere possent, quæque ita compositæ sanctæque essent, eas leges videlicet nominasse.*

5. *Magis pugnandum est pro Legibus, quam pro mœnibus.*] Verissimè id ab Heraclito dictum esse testantur communiter Politici, quoniam sine mœnibus ; non autem sine legibus esse potest Ciuitas. Spartha diu mœnia contempsit, & tùm felicior fuit. Sine cornibus Taurus, sine vnguibus Leo, sine dentibus viuere potest Aper : at sine anima non potest. *Lex* autem *Ciuitatis anima est*, sine ea igitur esse non potest, cum nec locus, nec opum vlla vis sine legibus seruare imperium possit.

6. *Longum iter est per præcepta, breue & efficax per exempla.* Seneca Epist. 6. ad Lucilium.] Breue quidem ; quia sine multis verborum ambagibus, vt in concione vel disputatione fieri solet, ipsa virtus exhibetur ad oculum, & repræsentatur : efficax verò, quia homines plus oculis, quam auribus credunt, & quæ ab aliis factitari vident, eadem à se quoque perfici posse facile sibi persuadent. Nam vt rectè S. Bernardus inquit, Sermone D. S. Benedicto : *Sermo viuus & efficax exemplum operis est, plurimum faciens suasibile, quod*

monſtratur factibile. Explicat id ipſum & probat Seneca in hunc modum: *Zenonem Cleanthes non expreſsiſſet, ſi eum tantummodùm audiuiſſet. Vitæ eius interfuit, ſecretè perſpexit, obſeruauit illum, an ex formula ſua viueret. Plato & Ariſtoteles plus ex moribus quam ex verbis Socratis traxerunt. Metrodorum & Hermachium, & Polyænum magnos viros non ſchola Epicuri, ſed contubernium fecit.* Vide Leſſium de Statu vitæ deligendo §. 150.

DISTINCTIO III.

De vſu & obligatione Legum.

1. *A vno caſu in iure expreſſo non licet arguere ad alium.*] Docet morale iſtud pronunciatum in ſtatutis ac decretis moralibus non valere vniuerſaliter argumentationem à pari. Ratio eſt, eſt, quia vel ob certas circumſtantias temporis, loci, perſonæ, vel etiam ex priuilegio poteſtate ac beneplacito Superiorum, poſſunt quædam in certis caſibus ordinari aut permitti, quæ nec vniuerſaliter ordinanda, nec generatim permittenda ſunt omnibus. Eſt in hanc ſententiam Regula 28. Iuris in 6. *Quæ à iure communi exorbitant, nequaquam ad conſequentiam ſunt trahenda,* & Regula 47. ibidem. *Quod alicui gratioſè conceditur trahi non debet ad exemplum.* Vide etiam, ſi placet, Regulam 78. ibidem. Itaque in moralibus ſiue ijs, quæ à libera hominum inſtitutione pendent, non tantam vim obtinet argumentatio ſumpta à pari, quantam in ſcientiis naturalibus.

2. *Legem ſæpius mutare eſt infirmare vim legis.* Sumitur lib. 2. Polit. cap. 6.] Ratio eſt, quia per

Digitized by Google

crebram huiuſcemodi mutationem tollitur non modo perpetuitas legum, à qua præcipuus earum vigor & incolumitas dependet; ſed infringitur etiam obſeruantia & reuerentia erga leges, & legumlatores. Quare prudenter cenſuit Cleus meliorem eſſe ſtatum Reipubl. quæ legibus vtitur exterioribus ſed firmis, eâ, quæ frequenter eas commutat, etiamſi præſtet melioribus.

3. *Lex fundata in præſumptione non obligat in conſcientia, quando præſumptio falſa eſt.*] Præſumptio generatim eſt duplex, vna dicitur præſumptio Iuris, quando Legiſlator, in aliquo caſu ſingulari aliquid ſuſpicatur, & ea præſumptione poſita ſtatuit certam legem, nec admittit probationem in contrarium, & de hac præſumptione intelligendum eſt axioma. Ratio illius eſt, quia eiuſmodi leges non obligant niſi ex præſuppoſita præſumptione fraudis vel doli, &c. ergo ceſſante fraude vel dolo non obligant; ſicuti ablata cauſa tollitur effectus; Altera præſumptio eſt, quando Legiſlator præſumit aliquid mali euenturum, non quidem in quouis caſu particulari; ſed tamen frequenter, niſi ipſe impediat, & ad illud impediendum ſtatuit generalem legem, quam vult omnes obſeruare, & ſecundum hanc præſumptionem non intelligendum eſt propoſitum effatum; ſed iſtud quod ſequitur:

4. *Ceſſante ratione Legis in aliquo caſu particulari, non ceſſat eius diſpoſitio, ſi ratio legis non ceſſet in vniuerſum.*] Ratio eſt, quia lex fundata in tali præſumptione, ſemper obligat, quamdiu præſumptio vt plurimum vera eſt, tametſi deficiat in hoc vel illo caſu particulari, tamdiu enim viget lex, quamdiu viget ratio legis; at ratio legis eſt præſumptio euentum mali non quidem

in singulis casibus; sed vt plurimum; ergo quamdiu præsumi potest aliquod malum frequenter euenturum, tamdiu lex viget. Vide, si placet, Vasquez in primam secundæ, disp. 163. num. 12. vsque ad finem disp. vbi fusè explicat hoc pronunciatum, Becanum de leg. cap. 6. quæst. 9. n. 5. Vbi eadem habet, quæ Vasquez.

5. *Multa concedunt leges, quæ diuina punit iustitia.*] Non intelligitur de lege diuina & naturali; sed de legibus positiuis humanis & ciuilibus; in primis de iis nominatim quibus minora permittuntur mala ad vitanda maiora, & quibus vel priuilegia & immunitates traduntur, vel dispensationes continentur; quo pertinet illud vulgare: *Dispensare nihil aliud est quam cum licentia infernum intrare.*

6. *Non omnium, quæ à maioribus constituta sunt datur ratio potest.*] Frequentatum istud à Iuris vtriusque studiosis inter alia responsa edidit Saluius Iulianus Mediolanensis Iuris peritissimus, & refertur Lege: *Non omnium.* Lib. 19. de leg. lib. 1. Pandectarum, Titulo 3. Vbi plerique huic sententiæ subscribunt, non tàm excusandæ ignorantiæ gratia, quàm quia ita rerum vsu didicerunt.

DISTINCTIO IV.

De necessitate in ordine ad legem.

1. *Necessitas non habet legem.*] Celebre illud pronunciatum. Refertur à D. Thoma prima secundæ quæst. 96. a. 6. in fine Corporis, his verbis: *Necessitas non subditur legi.* Multa sunt,

Digitized by Google

quæ neceſſitas perſæpè excuſat alioqui ſecundum legum obligationem facienda, vnde in 5. Decretalium de Regulis iuris cap. 3. dicitur: *propter neceſſitatem illicitum efficitur licitum*: intellige in iis, quæ intrinſecè & iure naturæ non ſunt mala & illicita; ſed poſitiua lege duntaxat ſancita. Sic in lege veteri Sabbathum celebrare & ſanctificare præceptum fuit, tamen Machabæi ſine ſua culpa in Sabbatho cum hoſtibus pugnarunt. D. Thomas loco citato oſtendit id exemplo ciuitatis obſeſſæ: Si enim lex aliqua iubeat, tempore belli vel obſidionis non aperire portas, & contingat ciues aliquot foris periclitari ne ab hoſtibus intercipiantur, licebit aperire portas præter verba legis, ſi periculum non patiatur tantam moram, vt ad ſuperiorem recurri poſſit.

2. *Ingens telum eſt neceſſitas.* Liuius Decade prima lib. 4.] Nullus enim potentior aut efficacior ad incitandos vel informandos animos ad prudentiam calliditatemque ac fortitudinem magiſter, quam neceſſitas rerum omnium humanarum Regina. Patet hoc in omnibus aliis, tùm verò in rebus bellicis, vbi ſæpè neceſſitate compulſi milites, heroica opera tentant ac perficiunt. Eſt in hanc ſententiam dictum illud Thaletis apud Laërtium lib. 1. cap. 1. qui interrogatus, quid eſſet in tota rerum natura robuſtiſſimum, reſpondit eſſe neceſſitatem; omnia ab illa ſiquidem ſuperari.

3. *Neceſſitas facit omnia communia.*] Intelligitur non de qualibet ſed extrema vel etiam graui neceſſitate, vt docet Leſſius de iure & iuſtitia lib. 2. cap. 12. Non quod per illam ſtatim transferatur dominium (vt rectè probat Nauarrus cap. 17. n. 61.) ſed quia quoad ius vtendi, communia fiant; ita vt licitè quiuis tali neceſſitate preſſus poſſit ſibi vindi-

care rem quamlibet adeo, sibi necessariã, & ex eius vsu sibi & proximo opitulari; Cuius ratio est, quia finis rerum inferiorum est, vt hominibus in necessitate sint subsidio, & vt homines per illas possint vitam suam conseruare ac tueri; Ac proinde omnibus à natura hoc ius competit. Neque diuisio iure gentium introducta potuit hoc ius adimere; quia ius gentium supponitur, non euertit ius naturale. Vide, si placet, quæ diximus ad illud: *Iure naturæ sunt omnia communia* Titulo *de Inst. generatim*, Distinctione 3.

DISTINCTIO V.

De Consuetudine & Præscriptione.

1. *Consuetudo habet vim Legis.*] Nempe ea, quæ rationalis est & legitimè præscripta, vt decernitur capite finali de Consuetudine, & est communis omnium sententia: Tunc autem censetur consuetudo rationabilis & iusta, quando ex vna parte est vtilis bono communi, & ex altera non est contra legem naturalem & diuinam; contra hanc enim nunquam potest fieri præscriptio. Eodem sensu dixit S. Augustinus Epist. 86. De Ieiunio Sabbathi: *Mos populi Dei pro lege habendus est*, & in iure Ciuili, lege, *sed & ea*, digest. de legibus: *Ea quæ longa Consuetudine comprobata sunt & per annos plurimos obseruata, velut tacita ciuium conuentione non minus quàm ea, quæ scripta sunt iura, seruantur.* Proinde etiam consuetudo dicitur interpretari & abrogare legem humanam vt docet D. Thomas prima secundæ, quæst. 97. art. 3. in Corpore non tamen præiudicat legi naturali vel diuinæ; vt idem a. 2.

quæst. 100. art. 2. in Corpore. Vnde neque mala consuetudo, vnquam propriè vim legis obtinet; quia hoc foret in præiudicium legis naturalis & diuinæ.

2. *Optima legum interpres est Consuetudo.*] Triplicem vim habet consuetudo legitimè introducta; vel approbata à Prælatis: nempe abrogandi legem, instituendi & interpretandi. Pronunciatum hoc propriè intelligitur de tertio, vti præcedens de primo & secundo. Quemadmodum enim consuetudo veterem legem potest abrogare, & nouam instituere, vt explicatum est. Ita etiam simili ratione legem dubiam potest interpretari, vt habetur lege trigesi. 7. digest. de Legibus. Vbi refertur hoc pronunciatum.

3. *Arte non conceditur, quod naturaliter denegatur.*] Leg. *Vbi repugnantia*, §. *De Regulis Iuris*: Verum est eo sensu, quo mala consuetudo, quæ videlicet repugnat legi naturali & diuinæ, dicitur non posse vnquam obtinere vim legis, vt explicatum est numero primo.

4. *Possessor malæ fidei nunquam præscribit.*] Habetur in cap. Finali de Præscriptionibus, & in Concilio Magno Lateranensi vbi dicitur: *Quoniam omne, quod non est ex fide, peccatum est, Synodali iudicio definimus, vt nulla valeat absque bona fide præscriptio tàm canonica quàm ciuilis*: Est hoc discrimen inter consuetudinem & præscriptionem ex parte bonæ fidei, quod hæc necessaria sit ad inchoandam præscriptionem, non idem ad inchoandam consuetudinem. Potest enim consuetudo esse iusta & rationabilis, quando legitime præscripta est, etiamsi mala fide & cum peccato inceperit. At verò præscriptio priuata rei alienæ (de qua intelligendum est effatum; nunquam iusta euadet nisi saltem cum bona fide in-

choata sit. Ratio est, quia hæc non pendet ex consensu eius contra quem præscribitur, sed ex bona fide eius, qui præscribit, ergo nisi adsit bona fides, non potest esse licita, Contra fit in generali præscriptione consuetudinis: illa enim pendet à consensu Principis vel Superiorum, contra quorum leges præscribitur, non autem à bona fide eorum, qui præscribunt, ergo potest esse licita, si accedat Superiorum consensus. Per illum enim lex contraria ab ipsis posita aboletur. Porro fides in proposito est credulitas, qua quis sibi prudenter persuadet rem suam esse, vel saltem nescit esse alienam. Dico prudenter, quia si ex ignorantia crassa vel inordinata cupiditate illa persuasio procedat, non erit bona fides, vt rectè notat Lessius de Iure & Iustitia, cap. 6. num. 9. Vide Suarez lib. 3. de Legibus, cap. 6. num. 7.

5. *Nom firmatur tractu temporis, quod de iure ab initio non subsistit.*] Est hæc regula 18. Iuris in 6. quæ vera est cum tali restrictione: aut enim durat causa impediens propter quam ab initio non substitit, aut cessat, aut nulla superuenit confirmans, aut cessauit & superuenit confirmans. Primo & secũdo locum habet regula. Tertio verò non item, vt patet in consuetudine, quæ etsi cum peccato inchoata sit, potest tamen accedente consensu Superiorum vim obtinere legis.

TITVLVS LXI.

De Vbi & Situ.

DISTINCTIO PRIMA.

De Vbi sive præsentia rei in genere.

1. *VBi est præsentia rei vbicatæ.*] Est commune dictum Philosophorum, ex capite nono Categoriarum desumptum; in quo nomine præsentiæ intelligitur modus realis intrinsecus rei vbicatæ, à quo res habet formaliter, quod sit hîc vel ibi; siue per quem res formaliter existit in aliquo loco, vel spatio, vel etiam in puncto: vt cum Angelus est in toto aliquo templo, vel in spatio imaginario, aut vacuo, vel indiuisibili puncto alicuius loci aut spatij. Vide Hurtado disp. 14. Physicâ, sect. 2. num. 7.

2. *Omne Ens habet suam vbicationem.*] Est communis sententia tradita olim à Platone in Timæo, parte tertiâ, & relata à S. Augustino, Epist. 56. vt patebit ex sequentibus. Habet autem Ens vnumquodque, vbi seu præsentiam sibi proportionatam; aliud quidem quãtitatiuam: aliud verò definitiuam, siue, quod in idem ferè recidit, aliud corpoream, aliud spiritualem. Iterum aliud totalem, aliud partialem, &c. Sic etiam glorioſus Deus est alicubi, non quidem circumscriptiuè; quia non est totus in toto, & quoad partem in parte spatij quod occupat: neque definitiuè, quia non continetur intra definitum aliquod spatium: nec denique per vllum vbi prædicamentale; quoniam immensa eius præsentia non est

accidens, nec modus substantiæ illius ; sed omninò ipsamet Dei essentia, vt docent Theologi. Vide, si placet, Gellium l. 2. Tract. 9. c. 22.

3. *Omne vbi est immobile.* Sumitur ex l. 4. Physic. c. 4.] Est hæc differentia inter Vbi & alia accidentia, quod in vbi nunquam possit mutari præsentia localis ; in aliis verò possit. Quando enim subiectum acquirit nouam præsentiam, non defert secum ipsum vbi; sed vnum vbi tollitur, & aliud loco illius fit siue resultat in re alicubi existēte. Atq; hoc modo conuenit ipsi vbi, esse immutabile seu immobile, quā proprietatem Aristoteles l. 4. Physicorū cap. citato attribuit loco : propriissimè verò, & radicaliter (vt sic dicam) conuenit ipsi Vbi : Nam loco extrinseco non conuenit, nisi secundum formalem quandam considerationem superficiei existentis in tali Vbi, & quatenus omnes superficies sibi succedentes, illam formalitatem participant.

4. *Omne Vbi est corruptibile.* Sumitur ex eodem cap.] Quemadmodum omne Vbi immobile est, seu immutabile secundum locum, ita è conuerso : omne vbi est corruptibile, quantum est de se (nempe vbi creatum & prædicamentale : de illo enim effatum intelligitur) quia ita ipsum est immutabile, vt semper sit in subiecto mutabili : per mutationem autem localem subiecti corrumpitur ipsum vbi. Et radix huius est, quia omne subiectum Vbi, habet finitum & limitatum Vbi ; & inde prouenit, vt mutari illud possit, & consequenter vt ipsum Vbi possit corrumpi. Licet verò concedatur etiam, per absolutam Dei potentiam dari posse corpus infinitum : nihilominus vbi illius corruptibile erit, vti & ipsum subiectum ; cum implicet contradictionem, dari aliquod Ens creatum quod à potentiâ, & liberâ voluntate Dei in esse & conseruari non de-

Digitized by

pendeat. Vide, si placet, Suarez, disp. 51. Metaph. sect. 6. n. 10.

5. *Quod non est nusquam est.* Sumitur ex lib. 4. Physic. t. 1.] Vbi Philosophus: *Quæ sunt*, ait, *omnes existimant alicubi esse: quod verò non est, nusquam est. Vbi enim est hircocervus aut Sphinx?* Ratio effati manifesta est; quia cui absolutè nullum convenit esse; illi convenire non potest certum ac proprium esse, in loco aut spatio illi proportionato: quemadmodum quod non est animal, id neq; homo est, neque equus, neque leo, &c.

6. *Quod nusquam est, omninò non est.* Traditur à S. Augustino, Epist. 57.] Vbi ita ratiocinatur: *Tolle spatia corporibus, & nusquam erunt; & quia nusquam erunt, omninò non erunt*, quibus verbis manifestè docet, rem si nullibi sit, omninò non esse: Nam quod de corporibus agat, parum refert; quoniam necessitas asserendi, quod corpus, si est, alicubi sit, non oritur ex ratione corporis; sed generaliter ex ratione existentis in rerum naturâ. Improbabilis itaque videtur opinio eorum, qui putant Angelos non esse in loco, nisi per operationem transeuntem. Etenim operatio ordine naturæ præsupponit præsentiam; ergo non est ratio formalis Angelo essendi in loco. Imò potest Angelus existere in rerum natura, tametsi nihil operetur extra se. Vide Hurtado disp. 12. Metaph. sect. 6.

6. *Necesse est, vt quidquid est, alicubi sit.*] Plato in Timæo parte tertiâ, non procul ab initio, vbi in hunc modum philosophatur: *Asserimus necessarium esse, vt quidquid est, alicubi sit collocatum, regionemque aliquam occupet: Quod verò nec terræ, nec vllo vniuersi situ comprehenditur, handquam esse arbitramur.* Ad hanc Platonis sententiam

aliusisse videtur Aristoteles loco proximè citato, vt perspicuum fit consideranti verba textûs allati. Eodem sensu dixit M. Tullius:

8. *Quod est, nullibi esse non potest.* Lib. 1. Tusc. Quæstionum.] Ideoque Inferos, si sunt in rerum naturâ, necessariò alicubi esse meritò infert. Enimverò quis vel concipere queat, rem aliquâ in rerum naturâ existere, & nulli parti, vel puncto spatij imaginarij vllo modo coexistere? quis item imaginetur, rem aliquam verè à Deo pendentem, eidem per omnia spatia infinitè exporrecto nullibi coëxistere, seu nec adesse, nec ab eo abesse? vrgetque id præcipuè in sententiâ eorum, quibus ratum est, causam non posse operari, atque adeo nec effectum posse fieri, nisi causa & passum, effectusque ab eâ productus localiter coexistant. Quare posse aliquid esse in rerum naturâ, & tamen nullibi esse, videtur non modo inintelligibile, vt rectè docet Albertinus, Coroll. 5. *de Vbi*, dub. 1. num 11. sed etiam omninò impossibile, vt censuit Molina 1. p. q. 52. art. 1. disputatione vnicâ, membro quarto.

DISTINCTIO II.

De Vbi seu præsentiâ rerum in specie.

1. *Deus est & habitat in seipso.*] Sumitur ex M. Augustino, in Psalmum 122. vbi disputans S. Doctor de statu Auctoris mundi, ante mundi constitutionem: *Antequam*, inquit, *Deus faceret cælum & terram vbi habitabat? sed dicet aliquis, antequam Deus faceret Sanctos, vbi habitabat? In se habitabat Deus, apud se habitabat, & apud se est Deus.* Sic autem Deus erat in seipso, quemadmodum Angelus

in ſeipſo eſſet, ſi in ſpatio imaginario, quod reipsâ nihil eſt crearetur : quemadmodum etiam, *Totum vniverſum in ſeipſo eſt*; quia id totum ſpatium, in quo eſſe cogitatur, nullam habet entitatem realem. Neque enim ſubſtantia eſt, neque accidens; ſed eſt aliquid negatiuum, id eſt, inane quoddam, cui non repugnat recipere corpora, & alia entia realia. Eſt nihilominus Deus in illo realiter, quia habet ibi intrinſecam & abſolutam præſentiam, qua in ſeipſo realiter exiſtit; quamuis non accipiat realem denominationem, nec dicat realem habitudinem ad illud ſpatium, neque hoc contrà ad Deum, cum ipſum nihil ſit reale. Ac proinde dici ſolet *imaginarium*, quia cum illud concipimus, imaginamur nobis quandam capedinem longam, latam & profundam, aptam recipere corpora, & per modum entis poſitiui, cum in ſe mera ſit non repugnantia.

2. *Ante omnia Deus erat ſolus, & ipſe ſibi mundus & locus, & omnia.*] Tertullianus contra Praxeam cap. 5. in eundem ſenſum D. Bernardus lib. 5. de Conſideratione, cum oſtendiſſet cælum & terram diuinâ præſentiâ, & maieſtate eſſe repleta, ſubdit: *Alias verò vbi erat, antequam mundus fieret, ibi eſt: non eſt quod quæras vltra, vbi erat, præter ipſum nihil erat: Ergo in ſeipſo erat.* Ex quibus non ineptè Poëta neſcio quis:

Dic vbi tunc eſſet, cum præter eum nihil eſſet,
Tunc, vbi nunc, in ſe, quoniam ſibi ſufficit ipſe.

3. *Deus eſt circulus, cuius centrum vbique, circumferentia nuſquam.*] Ita reſpondit Diogenes, vel, vt alij volunt, Triſmegiſtus, rogatus quid eſſet Deus; ſignificans Deum omnia complere, & inſuper eſſe in immensâ ſpatiorum infinitate. In quam ſententiam rectè canit Prudentius in Hymno de S. Romano:

Deus perennis res inæstimabilis,
Extráque & intus replet ac superfluit.

In eundem sensum est illud lib. 3. Regum c. 8. *Cæli cælorum te non capiunt*, & Iob c. 11. v. 8. *Excelsior cælo est, & profundior inferno.* Et Isaiæ c. 40. v. 12. *Qui mensus est pugillo aquas, & palmo cælos ponderauit.* Vnde D. Hieron. Epist. 67. ne arbitremur, ait, cælo & terrâ Dei magnitudinem metiendam, in alio loco de illo legitur, *qui tenet cælum palmo, & terram pugillo.* Idem affirmat S. Hilarius lib. 1. de Trin. S. Augustinus l. 1. Confess. c. 2. & 3. & alij. Pulchrè Gregorius in verba Iob citata: Deus est supra omnia, & infra omnia: superior per potentiam; inferior per sustentationem; exterior per magnitudinem, interior per subtilitatem; sursum regens, deorsum continens; extra circundans, interius penetrans vniuersa. Consule, si placet, Theologiam symbolicã Maximiliani Sandæi l. 4. cõm. 6. exer. 2. n. 15.

4. *Mundus est in Deo sicut spongia in medio mari.* S. Augustin. l. 7. Confes. c. 5.] Ratio huius sumitur ab immensitate Dei, quæ formaliter est negatio termini vel finis in substãtiali præsentiâ Dei, seu Vbi diuino: Materialiter autem est perfectio essentiæ diuinæ, quâ constituitur in actu primo apta vt coexistat præsens omni loco, & rebus omnibus in loco existentibus. Cum verò loca possibilia sint infinita, ad hanc latitudinem præsupponitur etiam infinitas quædam in perfectione essentiæ diuinæ, ratione cuius maneat semper extra quemuis locum maiorẽ & maiorem in infinitũ. Malè itaque Aristoteles libro de Mundo ad Alexandrum, opinatus est, Deum non esse alibi secundum substantiam, quam in cælo: Eum tamẽ secutus est S. Eugubinus & Manichæi Hæretici, vt colligitur ex S. Augustino lib. contra Epistolam Fundamenti cap. 16. Etenim de fide est, à Deo impleri cælum & terram

terram & omnia. Isaiæ c. 66. v. 5. *Cælum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum*: Ieremiæ c. 23. v. 24. *Nunquid cælum & terram ego impleo dicit Dominus.* Sapient. c. 1. v. 7. *Spiritus Domini replevit orbem terrarum* Lege, si placet, Suarez in 1. p. Tract. 1. l. 2. c. 2. Vbi cum Scoto disputat, An Deus dicendus sit extra cælum esse in spatiis imaginariis; sed quæstio ferè est de nomine.

5. *Circumscribi localiter proprium est corporum.* Sumitur ex l. 3. Physic. c 4.] Duobus modis aliquid circumscribi potest, terminis localibus, & terminis essentialibus. Priore modo circumscribi ex naturâ suâ solis conuenit corporibus, quæ mediante quantitate ita coextenduntur loco, siue superficiei corporis ambientis, vt totum corpus respondeat toti loco, & partes corporis partibus loci. Et hoc sensu intelligitur pronunciatum: At verò posse priore modo comprehendi, commune est cuilibet creaturæ, siue corporea ea sit & materialis, siue incorporea & spiritualis, iuxta illud.

6. *Omnis creatura certis suæ naturæ circumscripta est limitibus.* S. Ambrosius l. 1. de Spiritu S. c. 7.] Licet enim quædam sint, quę locis nõ contineantur, vt ibidem addit S. Doctor, & patet in intelligentiis, quæ secundum se nec occupant, nec occupare natæ sunt locum commensuratiuè seu extensiuè, ita vt nihil locati sit, quod non cõtineatur loco, & nihil loci sit, quod non contineat locatum vel partem illius, cum actuali vel aptitudinali exclusione alterius rei locabilis: Non tamen careat circumscriptione suę substantiæ, vtpote quæ finita est & limitata.

DISTINCTIO III.

De Loco.

1. *Locus est æqualis locato.*] Celebre istud Philosophorum pronunciatum citant aliqui ex l. 3. Physic. c. 4. t. 48. sed ibi in terminis non habetur nec nisi obscurè admodum insinuatur, potius sumi potest ex l. 4. Physic. c. 4. Ratio autem illius est quia superficies corporis locati coincidit, & simul est cum superficie corporis locantis, qui est ipse locus cuiusque rei proprius, de quo intelligi debet effatum. Quod verò omne id, quod continet alterum, videatur esse maius eo, quod continetur, id intelligendum est de eo, quod continet vt quod: non autem necessariò de eo, quod continet vt quo; corpus verò ambiens continet vt quod, superficies illius vt quo. Rursus corpus locatum continetur vt quod, superficies extima illius vt quo.

2. *Locus est extrinsecus locato.* l. 4. Physic. cap. 4.] Toletus & alij diuidunt locum in extrinsecum & intrinsecum; superficiem continentem vocant locum extrinsecum; sed impropriè. Nam propriè locus nullus est, nisi extrinsecus; quia Aristoteles expressè & absolutè capite citato ait, locum esse extrinsecum locato: Vbi autem est intrinsecum vbicato: Ergo vbi propriè non debet vocari locus. Item vbi est præsentia rei in spatio; quam præsentiam potest res habere in vacuo, vel extra cœlum, & in puncto, vt est superficies continens diuisibilis, quam res locata Angelus v. c. locus autem non potest habere in vacuo. Vnde esse in loco, propriè significat habitudinem locati ad locum, tanquam ad receptaculum reale extrinsecum.

Digitized by Google

3. *Locus locatum allicit & conseruat.* l. 4. Physic. c. 4.] Intelligitur de loco proprio cuiusque rei & naturali; hic enim attrahit ad se corpus locatum, non quidem actione physica; quia quantitas non est secundum se propriè actiua, vt alibi explicatum est: Locus autem est quantitas, cum sit superficies à parte rei; sed attractione metaphoricâ; quia locus naturalis est finis, ad quem tendit mobile per inclinationem naturalem, & in quo conquiescit. Similiter locus conseruat locatum, non quâ superficies est: hæc enim secundum se non est actiua; sed quâ superficies est corporis continentis, per quod res locata melius recipit influxum conseruatiuum aliorum corporum.

4. *Vnumquodque rationabiliter appetit suum locum,* libro quarto Physic. c. quinto t. 48.] Agit hoc capite & textu Philosophus de loco & motu corporum grauium & leuium, aitque singula suapte vi in proprium locum tendere. Rationem assignat ibidem; quia quidlibet naturæ societate coniunctum est, aut certè coniunctum esse cupit cum eo, quod naturali ordine deinceps sequitur, & quod nullâ vi adhibitâ, sed sponte suâ tangit, vt aqua cum aëre, & aër cum igni, & ità de ceteris: huiusmodi enim corpora in qualitate sibi similia sunt, & per mutuam propinquitatem ac contractum melius conseruantur, quæ ratio tametsi primâ fronte obscurior esse & parum sufficiens videatur, satis tamen, quid Aristoteles præsenti velit effato manifestat.

5. *Vnumquodque manet in proprio loco non irrationabiliter.* ibidem.] Vti grauia & leuia suopte ingenio feruntur in proprium locum, ità vnumquodque in suâ sede naturaliter quiescit; quia nimirum ad illam tendit, sicuti pars auulsa ad suum totum, vt pars aquæ ad aquam, atque ita quemadmodum pars

toti adhæreſcit, ita corpus, vbi ad ſuum locum peruenit, naturaliter conſiſtit. Senſus moralis vtriuſque huius pronunciati valet in illos, qui vel nimio faſtu tumidi, altiora ſe quærunt, vel præ animi abiectione ad debitum ſibi gradum minimè adſpirant.

6. *Domus amica domus optima.*] Monet adagium longè commodius, liberius ac felicius homines viuere, domi quam foris: præſertim ſi ſuæ ipſis domi ſuppetat, vnde honeſtè vitam ſuſtinere queant.

7. *Locis calidis homines ſapientiores ſunt, quam frigidis.* Ariſtoteles in Problematis ſec. 14. num. 15.] Rationem addit; quia in iſtis magis ſobrij ſunt, & ad ſapientiam apti: in his verò ad paſtum magis proiecti, itaque corpore magis, quam animo & ratione valent. Intellige ceteris paribus, & de locis calidis temperatè: conſtat enim in Zonâ torridâ, & aliis quibuſdam immoderatioris cœli regionibus inueniri homines ſtupidos omnino & ignauos. Vti de Cafris legere eſt, in vitâ P. Conſalui Syluerix.

8. *Idem eſt locus totius & partis.* l. 3. Phyſic. c. 4. t. 48. & l. 1. de cælo t. 19.] Nimirum partis continuæ actu cum ſuo toto, ſiue id homogeneum ſit: ſiue heterogeneum: Nã ſi proprium ſibi pars quæpiã locum obtineat; non erit ea vnita, ſed ſeparata. Vt v. c. ſanguis in corporum venis, qui ibidem continetur non aliter atque in vaſe. Dicitur autem idem eſſe locus totius & partis, non quod ſingulæ partes loco toti adæquatè coextendãtur, quemadmodum ipſum totum; ſed quod ipſæ vt non ſunt actu ſeparatæ à toto, ita neque diſtinctum habeant & ſeparatum ab illo locum. Sic idem eſt locus totius terræ, & vniuſcuiuſque glebæ; ignis item, atque ſcintillæ coniunctæ, vt ibidem ait Ariſtoteles.

9. *Partes niſi ſeorſim ponantur, non ſunt in loco, ſed in toto.* l. 4. Phyſ. 8. t. 65.] Senſus eſt, partes quæ actu coniunctæ ſunt ſuo toti, non habere locum numero diſtinctum, à loco totius: locus enim totius, dum cõtinet totum, etiam continet partes: cum totum nihil aliud ſit, quam congregatio partium, vt ait Commentator 1. Phyſic. c. 8. t. 15. quo modo locus totalis nihil eſt aliud, quam collectio locorum partialium Dicitur ergo locus idem eſſe totius & partis, quia ille hanc neceſſariò includit, nec hîc alius ab illo eſt formaliter ſumpto: Licet aliâ conſideratione reuerà intercedat diſtinctio à parte rei; quo modo Suarez docet totum compoſitum Phyſicum, etſi exiſtere non poſſit ſine materiâ vel forma, ab illis tamen ſingulis diſtingui realiter.

DISTINCTIO IV.

De Vacuo.

1. *Vacuũ & locus ſunt idẽ ſubiecto, definitione duo.* l. 4. Phyſ. t. Com. 50.] Ita dicuntur; quia eadem ſuperficies & locus dicitur & vacuum; ſed diuerſo reſpectu ac ratione. Proinde locus definitur *ſuperficies corporis continentis.* 4. Phyſic. cap. 4. quia vt ſuperficies poſſit dici actu locus, debet continere & ambire rem locatam: hanc enim continentiam ſeu circumſcriptionem locus addit ſuperficiei nudè ſpectatæ Porro locus per ſuperficiem definitur, tanquam per ſubiectum, ſeu tanquam per materiale: per continentiam verò, ſeu circumſcriptionem tanquam per formale; ſicuti quoduis concretum accidentale ſolet definiri, vt v. c. album definitur corpus habens albedinem, ita

locus ſuperficies habens locatum. Etenim ſuperficies eſt infima ſpecies quantitatis, vt bene notant Suarez & Rubius; Ergo locus per illam non definitur tanquam per ſuum genus, item continentia locati conuenit ſuperficiei accidentaliter, tanquam forma accidentalis ſubiecto, verbi cauſa Albedo parieti: Ergo hæc non eſt illius genus ſed ſubiectum potius. Vide, ſi placet, Rubium, Hurtado & alios.

2. *Vacuum eſt locus priuatus corpore.* lib. 4. Phyſic. cap. 7. t. 60.] Ideſt, actu quidem non continens; aptus tamen naturaliter continere corpus. Vt ſi Deus annihilaret aërem, qui eſt in hac vel illâ domo, eſſet in eâ vacuum; quia eſſet ſuperficies parietum qui actu quidem nihil continerent: eſſent tamen apti naturaliter continere tantundem aëris, quantum ante. Tria ergo requiruntur ad vacuum, primo ſuperficies, ſecundo apta naturaliter repleri corpore, tertio negatio ſeu priuatio corporis contenti.

3. *Vacuum eſt hoſtis naturæ.*] Ita communiter à Philoſophis appellatur; quia diſſoluit illam conſeruatricem rerum vnionem corporum, quam natura ſummo opere procurat, cum deficere non velit in neceſſariis; Pro cuius explicatione notandum eſt, quemadmodum in corpore humano ſunt duo: alterum, vnio partium integrantium, ſine quâ nec totum corpus poteſt conſiſtere; quia conſtat ex partibus vnitis, nec ipſæ partes poſſunt conſeruari; quia ſeparatæ non poſſunt recipere influxum ab animâ & ſe mutuò iuuare: alterum, naturalis inclinatio, qua vnaquæque pars conatur tueri hanc vnionem: Ita in hoc vniuerſo Deus diſpoſuit, vt omnia corpora, primo ſint vnita per immediatum contactum ſine quo non poſſent recipere influ-

Digitized by Google

xum cælorum nec fouere se mutuo, vt dicitur libro 1. Meteor. Secundo singulis indidit inclinationem ad tuendam hanc vnionem: Et quidem maiorem propensionem ad bonum & conseruationem totius; quam proprium; quia partes sunt propter totum, & *bonum commune excellentius est priuato.* libr. 1. Ethicor. cap. 2. Vnde etiam manus vel brachium se obiicit pro tuendo capite. Hinc ergo est, quod omnes partes vniuersi tanto conatu conspirant contra vacuum, eique obsistunt; quia tollit vnionem corporum & partium vniuersi. In hanc quoque sententiam verum est istud..

4. *Natura non patitur vacuum.* libr. 1. Ethicorum cap. 7. & libr. 2. de cælo t. 17.] Patet id ratione & experientia, ratio allata est supra, experientiæ sunt plurimæ & quædam admirandæ: Primo enim videmus à naturâ vacuum impediri per motum localem corporum, nam grauia contra naturam suam ascendunt vt aqua, per fistulam, extracto aëre; leuia descendunt, vt aër ad impediendum vacuum Secundo per rarefactionem corporum & condensationem corporum. Eâ de causâ cucurbitulæ; quæ medicis in vsu esse solent, carnem sursum attrahunt; nimirum quia aër, qui prius igni incaluerat, & in raritatem abierat, extinctâ flammâ, frigiditatem & densitatem recipit, atque adeo in minorem contractus molem, inane spatium relinqueret, nisi ad id replendum caro eleuaretur: Hinc etiam vas ferreum congelatâ aquâ dirumpitur. Tertio per obsistentiam negatiuam. Hinc nec latera follium diduci possunt, nec duo plana diuelli, si ita congruant, vt aëri non pateat accessus. Denique idem conspicitur in plurimis machinis humanæ artis ingenio fabricatis, quibus hæc naturæ inanitatē fugientis solertia sūmā præbet cōmoditatē vt bene obseruant

Conimbricenses. Ceterum causa efficiens, ne detur vacuum, est quædam qualitas omnibus corporibus insita, quę potest vocari *Visadhæsiua*, vel vis actiua cohærendi cum alio corpore, quâ vi supera mediis, media infimis colligata, vnum quid constituunt. Item pars adhæret parti, & suo toti: omnia autem corpora sunt quædam partes Vniuersi.

DISTINCTIO V.

De Situ.

1. *Situs est dispositio totius corporis, ex vbicatione partium consurgens.*] Traditur à Suarez d. 52. Metaph. sec. 1. n. 9. ex l. 5. Metaph. c. 19. vt mox videbitur. Vt sedere, stare, cubare. Dicitur dispositio corporis, quia res incorporeæ, vt Angeli, non habent situm. Differt ab vbi, quia supponit illud, tanquam aliquod saltem virtute prius, & superaddit ipsi vbi certam positionem partium ad se inuicem, & in toto: prius enim intelligimus, corpus esse præsens alicubi, quod sit per vbi, quàm habere talem vel talem dispositionem partium, quod sit per situm: ac proinde situs & vbi sunt duo prædicamenta distincta, cum habeat distinctum modum denominandi & prædicandi.

2. *Dispositio est ordo habentis partes.*] l. 5. Metap c. 19. 24 initio capitis & textus, vbi simul exponit Philosophus, quid & quotuplex sit dispositio, aitque eam esse ordinem habentis partes, siue is ordo spectetur secundum locũ, vt in corpore humano alia pars altior est, alia depressior, alia læua, alia dextra, &c. siue secundum virtutem, vt in prudentiâ prima pars pertinet ad consultationem, secunda ad iudicium, tertia ad executionem: siue secundum formam,

Digitized by Google

ideſt, figuram, vt in quauis continuâ quantitate permanente alię partes ſunt extra alias, & cum aliis ſimul exiſtunt in eodem toto. Per primum diſpoſitionis genus omnes intelligunt propriam fortunam prædicamenti ſitus, teſte Suarez diſp. 52. ſec. 1. n. 9. ſecundum pertinet ad prædicamentum qualitatis. Tertium referri poteſt tum ad qualitatem, tum etiam ad quantitatem. Sumitur autem & attenditur hic ordo non formaliter, prout dicit relationem prædicamentalem; ſed fundamentaliter prout eſt fundamentum illius.

3. *Ordo eſt habitudo ad vnum primum.*] Dictum iſtud Doctoris Angelici poteſt dupliciter intelligi, vno modo vt ſit ipſa relatio ordinis, quæ conſurgit inter partes rei, quæ cõſtat partibus, ex eo, quod vnaquæque in ſuo loco conſtituta ſit: alio modo, vt ſit totius rei conſtitutio, ac veluti forma conſurgens in toto ex collocatione partium in ſuis locis: eſt autem hic ordo partium vel ſecundum locum, vel ſecundum virtutem & poteſtatem, vel tertio ſecundum formam, vt patet per explicationem præcedentis. Lege, ſi placet, D. Thomam 1. 2. quæſt. 49. art. 1. ad 3.

4. *Omnium rerum eſt ordo.* l. 2. de Gen. & Cor. c. 10. t. 57.] Vbi ex eo probat Ariſtoteles, tempus & vitam vniuſcuiuſque rei ſublunaris certo numero ac temporis modo definiri, & à cæleſti influxu quoad ſuam conſeruationem dependere; quia nimirum, *Omnia ordine continentur*, & ordo poſtulat vt inferiora à ſuperioribus gubernentur, in eandem ſententiam l. 1. Meteor. cap. 1. inquit, *Res naturales inter ſe eſſe contiguas vſque ad cælum*, eo videlicet fine; vt influentiæ & alię virtutes ſuperiores poſſint in hęc inferiora deriuari: cum enim accidentia ſint, neceſſario requirunt ſubiectum aliquod, a quo & per

quod in alia propagentur. Porro de laudibus ordinis multa præclarè scripsit D. Augu. duobus huiusce argumenti libris, & l. 19. de ciuitate Dei c. 13. & alibi. Item D. Gregorius Nazianzenus oratione 26. vbi ait, *ordine niti res mundanas, ordinem esse rerum omnium parentem & præsidium, causam plenitudinis & stabilitatis*, &c. Ex quibus patet, hoc & præcedentia de ordine pronunciata, non modo ad prædicamẽtum situs: sed aliò etiam posse referri.

TITVLVS LXII.

De *Quando*, & in *Vniuersum de durationibus.*

DISTINCTIO PRIMA.

Variæ durationum species.

1. DVratio generatim est duplex, permanens & successiua: duratio permanens est, quâ res tota simul perseuerat, sine successione partium: successiua est, quâ res non perseuerat tota simul.

2. Duratio permanens alia est supernaturalis, alia naturalis, supernaturalis alia est increata, vt æternitas Dei. Alia creata eaque rursus est duplex; prior, æternitas participata, vt visio beatifica; posterior modus æternitatis participatæ, vt actus fidei, spei, luminis gloriæ &c.

3. Naturalis est duplex, indefectibilis in se, & defectibilis, illa subdiuiditur in æuum substantiarum incorruptibilium ab intrinseco, vt sunt Angeli, anima rationalis, materia prima; & in æuum accidentium incorruptibilium, siue immaterialium, vt sunt intellectus, voluntas &c. siue materialium vt lumen in

Digitized by Google

corpore glorioſo, in ſole &c. Hæc ſimiliter ſubdiuiditur in modum æui ſubſtantiarum corruptibilium vt ſunt, lignum lapis, &c. & in modum æui accidentium defectibilium vt albedo, flauedo, &c.

§ 4. Duratio ſucceſſiua dicitur tempus, quod eſt proprium ſolis motibus ſucceſſiuis, & eſt duplex, continuum & diſcretum; illud eſt duratio ſucceſſiua motus realis continua: hoc verò eſt duratio diſcreta operationum Angelicarum, ſibi per vices ſuccedentium.

DISTINCTIO II.

Effata de Tempore generatim.

1. *Nihil de tempore habetur, niſi Nunc.*] Senſus eſt, nihil de tempore determinatum & præfinitum ac ſimul exiſtere niſi inſtans indiuiſibile ſine momentum. Ratio; quia cum tempus ex ſuâ naturâ ſit ens ſucceſſiuum, & minimè ſecundum ſe permanens, non debent, nec poſſunt illius partes haberi permanenter & ſimultaneè; ſed ſucceſſiue ſiue fluenter, vt loquuntur Philoſophi; id eſt, nulla pars fluentis temporis exiſtit ſimul cum aliâ parte; ſed continuo fluxu vnà exiſtit poſt aliam: Inſtans verò præſentis temporis, ſeu nunc exiſtit permanenter hoc ſenſu, ideſt non exiſtit ſucceſſiuè; quia non habet partes fluentes, cum ſit indiuiſibile. Rurſus non exiſtit permanenter, hoc ſenſu, ideſt, perſeueranter; quia mox perit, ſeu tranſit. Pulchrè id explicat Seneca libro 6. Naturalium Quæſtionum ferè in verbis vltimis, *Fluit tempus & auidiſſimos ſui deſerit. Nec quod futurum eſt, meum eſt, nec quod fuit. In*

puncto fugientis temporis pendeo. Et S. Augustinus li. 11. Confess. cap. 15. *Si quid intelligitur temporis, quod in nullas iam, vel minutissimas momentorum partes diuidi possit, id solum est, quod præsens dicatur: quod tamen ita raptim à futuro in præteritum transuolat, vt nulla mora extendatur: nam si extenditur, diuiditur in præteritum & futurum.* Atqui verò

2. *Præsens nullum habet spatium.*] S Augustin. ibid. quod non ita intelligendum est, quasi tempus præsens nihil aliud sit, nisi vnum instans fluens, vt volunt aliqui; quia ex doctrinâ Peripateticorum communi tempus præsens reuera diuisibile est secundum prius & posterius, & existit realiter, non quidem præsentiâ permanente & simultaneâ partium (hoc enim repugnat enti successiuo, quale est tempus sed successiuâ & fluente. Verum intelligendum est sicuti Mathematici declarant lineam per fluxum puncti quamuis nullus sit punctus verè fluens: sed imaginatione tantum cogitetur ad declarandam dimensionem lineæ; ita successionem temporis declarari ad instar instantis fluentis, vt intelligatur in tempore nunquam esse totum aliquod simul, nisi instans, per cuius fluxum successio temporis explicatur. Etenim vt globus perfectè sphæricus puncto solum, tangit subiectam sibi planã tabulam, ita vita humana tempori superposita, nihil aliud quam nunc tangit: Nam quod per transit, non est: quod venturum nõdum adest. Et hoc sensu verum est istud.

3. *Nunc nunquam est alius.*] Nec enim ante extitit, & mox præterit, nunquam rediturum, virtute suâ, aut causarum naturalium, quo sensu Aristoteles l. 2. de Gen. t. 70. docet, res semel corruptas vt redeant, fieri non posse, nisi secundum speciem. In eandem sententiam est illud Virgilij l. 3. Georg. 1.

Et fugit interea, fugit irreparabile tempus.

Digitized by Google

Quanta verò exiguitas sit ipsius Nunc, siue instantis, subtili tempori anatomia egregiè ostendit Maximilianus Sandæus in hunc modum: Diuidatur seculum in annos, annus in menses, mensis in hebdomadas, hebdomas in dies, dies in horas, hora in sexaginta minuta, ita vt quartæ parti solum quindecim assignentur: Hanc autem quintam decimam vlterius dissecа in 60. secunda; tam quantula erit sexagesima mora quintædecimæ, partis quartę vnius horę? Quod si lubet, finde iterum, & secundam vnam diuide in 60. tertias, & tertiam in 60. quartas, sicq; in infinitum: nunquam tamen ipsum Nunc, erit eius molis, aut magnitudinis, vt vel ad minimam subdiuisionis quantitatem possit admitti: Nam partes omnes temporis, quamuis numero infinitæ sint, & quantitate magis exiguæ, quàm dici possit, absque vllâ tamen comparatione illarum quælibet, tametsi modicissima, momentaneo & indiuisibili Nunc est maior. Duo priora huius pronunciati verba, pro symbolo suo vsurpat, Illustrissimus Marchio, victoriosissimus Heros Ambrosius Spinola.

4. *Tempus est vnum* l. 4. Physic. c. 14.] Vbi Philosophus id explicat & probat in hunc modum; Tempus est vnum formaliter quia est vnus motus primi mobilis, à quo desumitur tempus vniuersale, quod est mensura omnium aliorum motuum. Ratio, quia mensura debet esse maximè æquabilis & vniformis; alioqui non faceret nos certos de quantitate rei mensuratæ: atqui solus motus primi mobilis est maximè vniformis: alii enim motus aliquando velociores sunt, aliquando tardiores: item motus primi mobilis est primus: quod autem est *primum in vnoquoque genere est mensura cæterorum* vt explicatum est. Tit. *de causis in genere* At verò materialiter tempus est multiplex; quia motus, qui mensuran-

tur à tempore, sunt plures, & specie distincti, vt sunt alterationes, accretiones, lationes, &c. Sicuti denarius hominum, & denarius equorum sunt formaliter vnus specie numerus; quia vterque conuenit in eo, quod sit denarius: materialiter tamen differunt specie; quia res numeratæ differũt specie. Vide, si placet, D. Thom. 1. p. q. 10. a. 6. in Cor. Iuxta hanc posteriorem temporis acceptionem verum est illud.

5. *Tempus est in omnibus.*] ibidem, alii ita proponunt. *Tempus est vbique.* Quærit loco citato Aristoteles, cur tempus sit & dicatur esse in omnibus, id est, vt addit, in cœlo, mari, aëre, terra, &c. Et respondet, *quia motus est vbique*: nempe in omnibus corporibus naturalibus siue cœlestia illa sint, siue elementaria & mixta; de hisce namque loquitur Philosophus: atqui verò tempus est affectio quadam naturæ societate cum motu coniuncta, eumque consequitur ad res, quæ vbilibet mouentur. Etenim *Tempus est numerus motus secundum prius & posterius*, vt idem definit l. 4. Physic. c. 11. Vnde non incongruè interpres Axiom. Ven. Bedæ ait, tempus esse vbique commensuratiuè; quia nempe omnia motui & mutationi subiecta, mẽsurantur à tempore; potissimè verò, quæ generationi & corruptioni obnoxia sunt, iuxta illud.

6. *Quæ generantur, & corrumpuntur, mensurantur à tempore*, ibidem 4. 133.] Motus enim rerum corruptibilium, vt alterationes, accretiones, decretiones, corruptiones, &c. per se primò mensurantur à tempore: consequenter autem horum motuum ratione etiam ipsum esse rerum corruptibilium dicitur mensurari, seu esse in tempore. Dixi superiùs, tempus vniuersale, quod est in motu primi mobilis, & est mensura extrinseca omnium inferiorum motuum, esse vnum numero; quia tempus intrinsecum, vt vocant, siue duratio intrinseca, quæ est in omni motu successiuo,

Digitized by Google

non eſt vna; ſed tot ſunt tempora intrinſeca diſtincta, quot ſunt motus diſtincti: patet; quia licet motus cæli ceſſaret, motus tamen rerum ſublunarium haberent ſuam durationem intrinſecam ſucceſſiuam ſecundum partes priores & poſteriores. Item motus eſſet velocior & tardior altero. Vnde S. Auguſtinus l. 11. Confeſſ. c. 13. *An verò, ſi ceſſarent cæli lumina, & moueretur rota figuli, non eſſet tempus?* ſcilicet intrinſecum illius motus.

7. *Tempus potius eſt cauſa corruptionis quam generationis* l. 4. Phyſic. c. 13. t. 128.] Rationem aſſignat ibidem *Siquidem*, ait, *mutatio de ſtatu dimouendi per ſe vim habet: generationis autem, & ipſius eſſe per accidens.* Etenim tempus per ſe eſt numerus motus, ſiue mutationis rerum, vt ex ipſius definitione conſtat: omnia namq; quæ ſub cælo ſunt finiũt & deſinunt in tempore, vti ibidem docet Ariſtoteles, ſecundariò eſt cauſa generationis, quæ corruptionẽ ſequitur, iuxta illud. *Vnius corruptio alterius eſt generatio.* De quo ſupra. Non quaſi hæc ab ipſo tempore efficiantur; ſed quia eo intercurrente fiunt. Vnde cum Simonides *tempus ſapientiſſimum* appellaſſet, eò quod ſapientiam homines acquirant in tempore, cum Paro Pythagoricus correxit, *inſipientiſſimum* potius vocans, quod eo rerum omnium memoria intercidat. In hanc ſententiam eſt illud Senecæ. *Fluunt omnia, & in aſſidua diminutione ſunt corpora noſtra: rapiuntur flumini more. Quidquid vides, curvit cum tempore: homo fluida eſt materia & omnibus obnoxia caſibus.* Epiſtola 67. Conſonat Ouidius l. 15. Metap.

Tempus edax rerum, tuque inuidioſa vetuſtas
Omnia deſtruitis, vitiataque dentibus ævi,
Paulatim lenta conſumitis omnia morte.

DISTINCTIO III.

De Duratione longâ & breui.

1. *Diuturniora sunt præstantiora.* l. 3. Top. c. 1.] Intelligitur & verũ est, si cetera sint paria, & ea, quę comparantur per se bona sint: sic vita, quæ in actionibus virtutum per omne tempus æqualiter versatur, quo longior fuerit, eo melior & felicior euadit, vt docet Aristoteles l. 1. Ethic. c. 7. Neque verò huic repugnat, quod habet Aristoteles l. 1. Eth. c. 6. Vbi inquit: *At verò neque quia perpetuum est, ideo maius est bonum; siquidem neque diuturnum album magis est album, quàm vnius album diei*: Loquitur enim ibi de perfectione entitatiuâ rei: in Topicis autem locutus est, de bonitate quadam accidentali, quæ non solum physicè secundum entitatem aut speciem rei: sed etiam moraliter considerari potest ex diuturnitate temporis; quo sensu docent Theologi, actiones meritorias per solam continuationem augere rationem meriti, & omnes iustos, vti per singulos actus meritorios, siue caritatis siue aliarum virtutum, ita per continuationem eorum mereri augmentum gratiæ & caritatis; Plus enim coram Deo meretur, qui per integram horam, sine vllâ interruptione, in dilectione Dei verbi causa perseuerat, quàm qui mox interrumpit, & repetit, & dein per reliquam partem horæ quiescit, modo cætera sint paria: atq; hic posterior non solum per primum actum, sed etiam per secundum meretur augmentum gratiæ: Ergo multò magis alter non tantum meretur augmentum, per actum inchoatum; sed etiam per continuatum: Etenim perseuerantia in bono, opere

est

est quædam honesta circũstantia & secundum moralem æstimationem magni ponderis. Vide, si placet, Suarez opusculo de Reuiuiscentiâ meritorum disp. 2. sec. 3. n. 12. & l. 9. de gratiâ c. 1. 2. 3. & 4. Vasquez, 1. 2. disp. 54. c. 3. Coninck de Caritate disp. 8. dub. 10.

2. *Quod semper aut plurimum est vtile, melius est, quam quod aliquando.* l. 3. Top. c. 2.] Ceteris nimirum paribus, iuxta explicationem præcedentis axiomatis. Sic v. c. iustitia melior est, quam fortitudo: Nam illâ semper aut fere semper vti possumus; hac rarius. Sic & Medicinæ anteponitur Prudentia Iuris; quia hæc ad plura sese & frequentiora munia extendit, quam illa. Plures aliqui tum huius tum præcedentis effati restrictiones afferunt; sed eæ vel continentur in ante dictis; vel omninò sunt supervacaneæ.

3. *Quod sæpe fit prope accedit ad semper.*] Eo nimirum modo, quo ex communi sensu, id quod parum distat nihil distare videtur. Vtitur hoc pronunciato Aristoteles l. 1. Rhetor. vbi ex ea probat magnam inesse vim consuetudini; quandoquidem per frequentatos actus consuetudo vertitur in naturam, quæ sublatis impedimentis, necessariò & semper operatur. Vide, si placet, quæ diximus Titulo *De Naturâ* distinctione 7.

4. *Non vbique quærendum, quid semper fiat; Sed quid plurimum.* Sumitur ex l. 1. Ethic. c. 3. in principio, & c. 7.] Post medium, vbi ait Philosophus; *Ipsum exactum debere non in omnibus eodem modo; sed in singulis, vt patitur subiecta materies, flagitari,* habetque locum in rebus contingentibus non naturalibus modo; sed etiam moralibus: quoniam & natura corruptibilium rerum impediri potest, vt non semper eodem modo operetur; & voluntas humana

libera est, quæ non ex necessitate ad vnum continuò determinatur: hoc sensu cupiditas dicitur omnium esse radix malorum, & ira omnium vitiorum ianua; non quod nullum omninò malum aut vitium sit, quod non aliunde proueniat; sed quia ex illis frequentius alia mala oriantur in hominibus auaris & iracundis: sufficit ergo in huiusmodi talis frequentia & certitudo, vt aliquid verum sit in pluribus, licet deficiat in paucioribus.

5. *Vna hirundo non facit ver.* lib. 1. Ethic. c. 7.] Vbi docet Philosophus; quemadmodum ex aduentu vnius hirundinis non iudicatur à vulgo adesse ver, ita neque vnum diem, neque breue aliquod tempus vitam posse facere aut denominare beatam; sed ad beatitudinis possessionem temporis diuturnitatem requiri: Nam *à potiori desumitur rei denominatio*, & licet non vbique quæratur quid semper fiat; quæritur tamen & consideratur, quid fiat vt plurimum aut notabili certè proportione temporis. Vnde definit felicitatem hoc modo.

6. *Felicitas est operatio animi secundum virtutem, perfectam in vitâ perfectâ.* Ibidem.] Vbi nomine vitæ perfectæ iuxta saniorem Interpretum sententiam temporis diuturnitas & vita matura intelligitur: id enim manifesto satis ex textu colligere est. Dicitur autem felicitas operatio animi; quia est actio homini propria, quatenus homo est: Quare non est potentiæ vegetatiuæ aut sensitiuæ; sed animæ rationalis; Et est operatio secundum virtutem perfectam: quam lib. 10. Ethicorum cap. 8. sub finem docet esse sapientiam, cuius præcipuum munus in Dei contemplatione consistit, vt pluribus explicatum est, Titulo *de felicitate.*

7. *Felices à miseris quoad vitæ dimidium nihil differunt.* lib. 1. Ethic. cap. 13. & vltimo.] Rationem

assignat Philosophus ibidem, quia media vitæ pars nutritione & somno traducitur, qui est otium animæ tam studiosæ, quam vitiosæ, ab actibus nempe humanis & liberis, in quibus consistit vitæ huius felicitas & infelicitas, vt supra explicatum est; Bonus autem & malus in somno minime discernitur, vt ibidem docet Aristoteles. Et, vt inquit Plato lib. septimo de legibus: *Nullus dormiens alicuius est pretij, nihilo magis, quàm is, qui vivus non est.* Quare non inscite dixit Ariston apud Plutarchum in commentario de contentione ignis & aquæ: *Cum exiguum vitæ tempus datum sit hominibus somnus velut publicanus, dimidium eius aufert.* Dictum propositum solamini esse potest hominibus parum fortunatis, fortunatorumque superbiam retundere.

DISTINCTIO IV.

De iuuentute & aliis ætatibus.

1. *TAnta est proportione pubertas, quanta vitæ totius annositas.*] Commune istud Physicorum & Medicorum pronunciatum refertur, à S. Augustino l. 15. de ciuit. Dei c. 15.] Vbi inde probat, in primâ mundi ætate longiorem fuisse pueritiam hominũ & adolescentiam, quàm nostris seculis; & anno ferè quinquagesimo iuuenilem ætatem inchoasse. Cum enim tunc longissima esset hominis vita, hoc est decuplò ferè longior, quã nunc est, singulæ etiam ætates pariter longiores erant. Etenim omnes illę certâ proportione sibi inuicem respondent, iuxta propositum axioma: Vnde consequens est; vt virilis ætas etiam tardius illis contingeret. Comparatione igitur

& proportione totius vitæ, quæ nongentesimum superabat annum, iuuenilis ętas horum hominum ante annum quinquagesimum vix contingere poterat, vt non malè ostendit Pererius l. 4. in Genesim, Caietanus, Delrio, Genebrardus & alij.

4. *Aliam ætatem alij decent mores.*] Monet effatum, non eadem decere adolescentem, quæ puerum nec eadem virum, quæ adolescentem, nec seni competere omnia, quæ iuueni competebant; & è conuerso. Neq; enim senio consentaneũ est, excursione, aut saltu, aut eminus hastis, cominus gladiisvti; sed consilio, ratione sententiâ. *Quæ nisi essent in senibus, non summum cõsilium maiores nostri appellassent Senatum.* Vt rectè inquit Tullius in Catone maiore: sic neque adolescentem decet verbosum esse, aut elatùm, aut proteruum &c. Sed modestum, humilem, obedientem, docilem, obseruantem. Et generatim in Senibus grauitas, in Viris fortitudo, in Iuuenibus alacritas,, in Adolescentibus verecundia commendatur. Rectè Seneca *Bonum in adolescente signum est, cum illi ex alto rubor suffunditur.* Et D. Bernardus: *Quid amabilius verecundo adolescente? quam pulchra & quam splendida gemma est, morum verecundia in vitâ & vultu adolescentis? quam vera & minimè dubia bonæ Spei nuncia?*

3. *Perinde est, vtrum ætate aliquis an moribus sit iuuenis.* l. 1. Ethic. c. 3.] Vbi docet Philosophus, iuuenes non esse idoneos ciuilis scientiæ auditores, eò quòd experientiâ careant, & ob affectuum ac perturbationum vehementiam honestas actiones exercere constanter non valeant: perinde autem est, ait, vtrum quis iuuenis sit ætate, an moribus: in hoc enim defectus est, non quidem ob tempus; sed quiâ viuit & persequitur singula cum perturbatione. Vadet pronunciatum in eos, qui sensibus pueri sunt

tametsi ætate caneſcant, & ob nudam annoſitatis ſuæ prouectionem, aliis ſe, qui moribus longè cõ poſitiores & maturiores ſunt inordinatè ac arroganter præferunt. Etenim, vt rectè obſeruat D. Thom. ad Caput citatum.

4. *Paſſionum ſectator iuuenis eſt moribus.* l. 1. Eth. lect. 5.] licet ceteroquin ætate virili ſit; imò & decrepitâ: iuuenilis ſiquidem leuitatis eſt, paſſionibus obtemperare, & horum maximè connaturale vitium, ob ſanguinis ebullientis calorem, & experientiæ defectum, perturbationibus animi & corporis plurimum commoueri, vt loco citato docet Ariſtoteles. Quiſquis igitur ad veram ſapientiam ſeriò aſpirat, non tam ætate quàm moribus ſenex, aut maturus euadere ſtudeat, quoniam, vt veriſſimè D. Bernardus inquit. *Senectus venerabilis non eſt numero annorum; ſed magis merito morum computata.* In epiſtola ad Theobaldum militem.

5. *Periculoſa eſt præpropera prudentia.*] Pronunciatum iſtud Sophocleum in Oedipo Tyranno, idem ſignificat, quod vulgo dicunt; qui pueri adhuc, & velut ante tempus ſapiunt, eos in ſenectute ſtultos euadere. Quod Actius probare videtur apud Gellium cum inquit; *Sibi in iuuenilibus ingenijs, itidem vt in pomis immaturis, placere acerbitatem*: nam hæc demum matureſcere: Porro maturitas adfert tempeſtiuam ſuauitatem; reliqua ante tempus putreſcere. Quadrat in illos, qui præpropere famam affectant, maluntque paratam ac magnam, quam ſoli. dam & perpetuam. Solẽt enim præcocia ſubito flacceſcere: Quod autem paulatim accreſcit, durabile eſt. Iuxta illud Horatij. *Creſcit occulto velut arbor ævo, Fama Marcelli.* Intelligitur itaque pronunciatum de præcoci ingeniorum genere temerè & præpoſterè feſtinante, non de ſerio à primis annis vir-

tutum ſtudio: illud enim vti laudabile eſt, ita fructus in ſenectute fert optatiſſimos, in quem ſenſum D. Bernardus loco proximè citato: *Multos vidimus iuniorum*, inquit, *ſuper ſenes intendere moribus dies, antiquorum tempora præuenire meritis, & quod deeſt ætati, virtutibus compenſare.*

6. *Senilis inuenta præmaturæ mortis indicium eſt.*] Pronunciatum iſtud, quod olim velut, ex oraculo, Cenſorius Cato prodidit, vt auctor eſt Plinius l. 7. c. 51. verum eſt eodem ſenſu, quo dictum præcedens. Ratio vtriuſque eſt: quia cum pueri primo ætatis ingreſſu rationis vſum impeditum habere ſoleant: eò quod multo abundent humore, è quo excitata nebula internorum ſenſuum functiones aut omninò impedit, aut interturbat: Hinc, qui præmature ſapiunt, intempeſtiuam cerebri ſiccitatem indicant: quæ ſiccitas cum progreſſu temporis excreuerit, aut ita organum diſſoluit, vt mortem afferat: aut ita vitiat, vt ad perſoluenda internorum ſenſuum munia, è quibus intelligentiæ vis dependet, nihil omninò, aut certe parum idoneum ſit. Vnde illud etiam prouerbij loco celebratur: *Odi puerum præcoci ſapientia.* Vide Senecam l. 2. Controuerſiarum, n. 2

7. *Semina pueritiæ in adultâ fructificant ætate.*] Docet ſententia, manere ordinatiè & pullulare in omnem ætatem quod hauſtum eſt in pueritiâ, & ſiue bonum id ſit, ſiue malum, ſenſim adoleſcere, & fructus ſibi conſentaneos producere. Vt proinde, vulgi etiam iudicio, ſtudia, quæ ſunt in adoleſcentia, tanquam in herbis ſignificent, quæ virtutis maturitas, & quænam fruges induſtriæ ſint futuræ. Ea propter ſapientũ conſilũ eſt, in inſtitutione Iuuentutis quã maxime inuigilandum eſſe initiis, vtpote à quibus veluti ſeminibus omnis vitæ fructus depen-

Digitized by Google

deat. *Animus dũ adhuc tener eſt*, inquit Mag. Baſil. *& ritu ceræ, quæ ipſas impreſſas in ſe Formas quaſcumque recipit, confeſtim ab initio, omni rerum bonarum imbui exercitatione debet, quo videlicet, vbi poſtea rationis vſus acceſſerit, & habitum rerum iudicandarum atas attulerit, pietatis iam ab ineunte aſſuetus, nullo impedimento curſu vtatur facili; cum & ratio, quid expediat, admoneat, & ad id aſſequendum facilitatem præbeat conſuetudo.*

8. *Mala ſenium ac mortem accelerant.*] Veritas dicti huius vulgaris fundatur in experientiâ. Videmus quippe eos, qui multis laboribus ac malis exercentur & fatigantur, ante diem conſeneſcere & fatis concedere: vt pluribus explicatum eſt, diſtinctione de labore.

9. *Vnumquodque præſtantius eſt eo tempore, quo maiorem vim habet.* l. 3. Top. c. 2.] Vt magis optanda eſt prudentia ſenum, quàm adoleſcentum: contra verò magis expetenda eſt iuuenum fortitudo, quàm ſenum: illis enim pronum eſt, excurſione, ſaltu, eminus haſtâ, cominus gladiis vti, his verò propriùm, conſilio, ratione, ſententiâ, ceteros gubernare.

10. *Senectus eſt morbus naturæ naturalis*, de Gen. Animal. c. 4.] ſenum imbecillitas, licet alij abſint morbi, per ſe mala valetudo eſt. Vt conſtat experientiâ, quare rectè ab Ariſtotele loco citato, & à Terentio in Phormione, ſenectus ipſa morbus eſſe dicitur.

DISTINCTIO V.

De priore & posteriore.

1. QVod est prius priore, est etiam prius posteriore Sumitur ex libro categoriarum cap. 11.] Verum est vniuersim in omnibus modis Prioris: qui continentur his versibus:

Tempore, Naturâ prius, Ordine dic, & Honore
Et causa effectu dicitur esse prior.

sic in primo modo Prioris Adamus protoplastus, qui prior fuit Abrahamo, etiam prior extitit Isaaco & ceteris eorum nepotibus,

2. *Quod est posterius posteriore, est etiam posterius priore.* Sumitur ex eodem capite.] Verum est absolutè eodem sensu, quo dictum præcedens. Sic Isaacus qui est posterior Abrahamo parente suo, etiam haud dubio posterior est primo omnium parente Adamo.

3. *Omne posterius dicit ordinem ad prius.* Commentator in lib. 2. Metaphys. t. 10.] Nempe in sensu formali & composito, quomodo etiam: *Omne prius dicit ordinem ad posterius.* Ratio est, quia prius & posterius correlatiua sunt, quorum proprietas est dici ad ea, quæ conuertuntur id est ad ea, quæ vicissim ad ipsa dicuntur, vt pater ad filium, qui vicissim ad patrem dicitur. Eâ de causâ Aristoteles in post-prædicamentis agens de modis Prioris, non tradit modos Posterioris: quia cum correlatiua sint, supponit, quot modis vnum dicitur, totidem alterum dici oportere. Eodem sensu vera etiam est vulgaris ista propositio.

4. *Posterius non potest esse sine Priore.* quinto Metap. cap. 11.] Nimirum in sensu composito quoad

Digitized by Google

rationem prioris & posterioris. At verò quoad existentiam sui, potest esse posterius in rerum naturâ etsi actu non existat prius, & è conuerso, quo modo potest viuere filius, non superstite parente, & superesse pater sublato filio. Exceptis tamen iis, in quibus id, quod est prius, necessariò & actu præsupponitur à posteriore; vt v. c. rationale à discursiuo, & ita in aliis, in quibus sola intercedit prioritas naturæ, vt colligitur ex supradictis, & mox pluribus explicabitur.

5. *Vbicunque est perpetua duorum reciprocatio, ibi neutrum in tempore præcedit.*] Veritas huius manifesta est ex terminis: nam si alterum istorum prius esset tempore, non posset ex vnius positione inferri necessario positio alterius. Imò ex huiusmodi simultate, quâ duo vel plura se mutuo ponunt aut tollunt, & inter se conuertuntur existendi consequentiâ, ne quidem subsistere potest naturæ prioritas, quæ minor est, quàm prioritas temporis, vt constat ex c. 11. de modis Prioris, & cap. 12. de modis Simul in Postprædicamentis.

6. *Inter prius & posterius naturâ non valet conuertentia.*] Est commune inter Philosophos axioma, desumptum ex capitibus iam citatis, & ex l. 5. Metaphysicæ c. 11. vbi Philosophus: *Quædam verò* (inquit) *secundum naturam & substantiam* (priora & posteriora dicuntur) *quæcunque consistunt absque aliis esse: ista verò sine illis minimè.* Ex quibus verbis infertur apertè ad prioritatem naturæ requiri, vt id, quod est prius, possit esse sine posteriori, iuxta illud vulgare: *Posterius non tollit naturam prioris*: de quo vide, si placet quæ diximus infra Titulo De *accidente in genere*, distinct. 3. contra vero, vt posterius natura non possit esse sine priori. Vnde sequitur inter prius & posterius naturâ non valere existendi con-

sequentiam. Nempe simpliciter & absolutè : nam ex hypothesi potest esse conuertibilis vtriusque positio. Vt cum positâ causâ in actu ponitur effectus. Hurtado disputat. 8. Physicâ num. 81. Vide, si placet, Vasquez tom. 2. in 1. p. disputat. 167. n. 3.

7. *Qui prior est tempore potior est iure.*] Est hæc regula 54. Iuris in 6. quæ locum obtinet & procedit in iis omnibus quorum par est causa, quoad cætera. vt v.c. in creditoribus, quibus hypotheca vel pignus obnoxia sunt : horum enim, qui prior est tempore, etiam, cæteris paribus potior est iure. Videri potest Leonardus Lessius de Iure & Iustitiâ l. 2. c. 15. dub. 5. 6. & 7. vbi quoad ordinem prioritatis inter creditores, eruditè circa propositam regulam suo more discurrit.

8. *Mora sua cuilibet est nocina.* Est regula 25. iuris in 60.] cuius vsus perspicua fit exemplo : si Petro mutuum dederim equum, ad certum tempus, & elapso tempore ille iniustè restituere moratus sit : dein vero casu fortuito equus perierit; tenebitur Petrus mihi soluere æstimationem equi. Eadem ratio est in eo, qui fuit in morâ sóluendi decimas, vel restituendi depositum, &c. quia ista pereunt periculo ipsius, etiam casu fortuito : requiritur tamen vt is, qui fuit in morâ, sciuerit, vel scire debuerit, ac potuerit moras dissoluere.

9. *Parum quod distat, nihil distare videtur.* Traditur ab Aristotele lib. 2. Physic. c. 5. t. 56.] Vbi ex eo probat, tum nos infortunio magno, aut grandi fortunæ prosperitate vti, quum parum abest, quin excellens aliquod in malum, aut bonum incidamus: quandoquidem mens perinde statuit, ac si id siue bonum eximium, siue malum iam adesset. Nam quod parum abest, nihil abesse videtur. Verum

Digitized by Google

est itaque pronunciatum non purè physicè aut methematicè loquendo; sed moraliter, & secundum communem hominum existimationem.

DISTINCTIO VI.

De Præterito & Futuro.

1. *Quod factum est, infectum fieri nequit.*] Intelligitur & verum est, in sensu formali siue composito, vt explicat D. Thomas 1. p. q. 25. a. 4. Estque aperta sententia D. Hieronymi Epistolâ 22. ad Eustochium, D. Augustini Epistolâ 26. contra Faustum c. 5. D. Anselmi, Prosolog. c. 6. Imò & Aristoteles idem expresse docet lib. 6. Ethic. c. 2. vbi apptobat Agathonis carmina.

Hoc etiam ipse Deus solumque carere videtur
Infectum vt faciat, quod factum est, atque peractum

Ratio pronunciati est; quia factum esse, & præteritum dicitur id, quod in aliquâ differentiâ temporis habuit esse: impossibile autem est, vt quod semel reuera ponitur habens esse in aliquâ differentiâ temporis, in illâ eâdem non habeat vel habuerit esse: quia esset & non esset, pro eodem tempore, quod repugnat in se: & consequenter etiam ipsi potentiæ Dei: etenim ad diuinam potentiam pertinet, vt quod vult Deus esse, id pro aliquo tempore sit. Vnde pro eodem tempore non esse, esset contra voluntatem & potentiam diuinam. Quemadmodum ergo non potest Deus facere, vt res sit & non sit simul; quia hoc esset seipsum negare & sibi repugnare; nec ita potest facere, vt præteritum

libera est, quæ non ex necessitate ad vnum continuò determinatur: hoc sensu cupiditas dicitur omnium esse radix malorum, & ira omnium vitiorum ianua; non quod nullum omninò malum aut vitium sit, quod non aliunde proueniat; sed quia ex illis frequentius alia mala oriantur in hominibus auaris & iracundis: sufficit ergo in huiusmodi talis frequentia & certitudo, vt aliquid verum sit in pluribus, licet deficiat in paucioribus.

5. *Vna hirundo non facit ver.* lib. 1. Ethic. c. 7.] Vbi docet Philosophus; quemadmodum ex aduentu vnius hirundinis non iudicatur à vulgo adesse ver, ita neque vnum diem, neque breue aliquod tempus vitam posse facere aut denominare beatam; sed ad beatitudinis possessionem temporis diuturnitatem requiri: Nam *à potiori desumitur rei denominatio*, & licet non vbique quæratur quid semper fiat; quæritur tamen & consideratur, quid fiat vt plurimum aut notabili certè proportione temporis. Vnde definit felicitatem hoc modo.

6. *Felicitas est operatio animi secundum virtutem, perfectam in vitâ perfectâ.* Ibidem.] Vbi nomine vitæ perfectæ iuxta saniorem Interpretum sententiam temporis diuturnitas & vita matura intelligitur: id enim manifesto satis ex textu colligere est. Dicitur autem felicitas operatio animi; quia est actio hominis propria, quatenus homo est: Quare non est potentiæ vegetatiuæ aut sensitiuæ; sed animæ rationalis; Et est operatio secundum virtutem perfectam: quam lib. 10. Ethicorum cap. 8. sub finem docet esse sapientiam, cuius præcipuum munus in Dei contemplatione consistit, vt pluribus explicatum est, Titulo *de felicitate.*

7. *Felices à miseris quoad vitæ dimidium nihil differunt.* lib. 1. Ethic. cap. 13. & vltimo.] Rationem

assignat Philosuphus ibidem, quia media vitæ pars nutritione & somno traducitur, qui est otium animæ tam studiosæ, quam vitiosæ, ab actibus nempe humanis & liberis, in quibus consistit vitæ huius felicitas & infelicitas, vt supra explicatum est: Bonus autem & malus in somno minime discernitur, vt ibidem docet Aristoteles. Et, vt inquit Plato lib. septimo de legibus: *Nullius dormientis alicuius est pretij, nihilo magis, quàm is, qui vivus non est.* Quare non inscite dixit Ariston apud Plutarchum in commentario de contentione ignis & aquæ: *Cum exiguum vitæ tempus datum sit hominibus somnus velut publicanus, dimidium eius aufert.* Dictum propositum solamini esse potest hominibus parum fortunatis, fortunatorumque superbiam refundere.

DISTINCTIO IV.

De iuuentute & aliis ætatibus.

1. *Tanta est proportione pubertas, quanta vitæ totius annorum.*] Commune istud Physicorum & Medicorum pronunciatum refertur, à S. Augustino l. 15. de ciuit. Dei c. 15.] Vbi inde probat, in primâ mundi ætate longiorem fuisse pueritiam hominũ & adolescentiam, quàm nostris seculis; & anno ferè quinquagesimo iuuenilem ætatem inchoasse. Cum enim tunc longissima esset hominis vita, hoc est decuplò ferè longior, quã nunc est, singulæ etiam ætates pariter longiores erant. Etenim omnes illę certâ proportione sibi inuicem respondent, iuxta propositum axioma: Vnde consequens est, vt virilis ætas etiam tardius illis contingeret. Comparationis igitur

Digitized by Google

& proportione totius vitæ, quæ nongentesimum superabat annum, iuuenilis ętas horum hominum ante annum quinquagesimum vix contingere poterat, vt non malè ostendit Pererius l. 4. in Genesim, Caietanus, Delrio, Genebrardus & alij.

4. *Aliam ætatem alij decent mores.*] Monet effatum, non eadem decere adolescentem, quæ puerum nec eadem virum, quæ adolescentem, nec seni competere omnia, quæ iuueni competebant; & è conuerso. Neq; enim senio consentaneũ est, excursione, aut saltu, aut eminus hastis, cominus gladiisvti; sed consilio, ratione sententiâ. *Quæ nisi essent in senibus, non summum cõsilium maiores nostri appellassent Senatum.* Vt rectè inquit Tullius in Catone maiore: sic neque adolescentem decet verbosum esse, aut elatũm, aut proteruum &c. Sed modestum, humilem, obedientem, docilem, obseruantem. Et generatim in Senibus grauitas, in Viris fortitudo, in Iuuenibus alacritas,, in Adolescentibus verecundia commendatur. Rectè Seneca *Bonum in adolescente signum est, cum illi ex alto rubor suffunditur.* Et D. Bernardus: *Quid amabilius verecundo adolescente? quam pulchra & quam splendida gemma est, morum verecundia in vultu & vultu adolescentis? quam vera & minimè dubia bonę spei nuncia?*

3. *Perinde est, vtrum ætate aliquis an moribus sit iuuenis.* l. 1. Ethic. c. 3.] Vbi docet Philosophus, iuuenes non esse idoneos ciuilis scientiæ auditores, eò quòd experientiâ careant, & ob affectuum ac perturbationum vehementiam honestas actiones exercere constanter non valeant: perinde autem est, ait, vtrum quis iuuenis sit ætate, an moribus: in hoc enim defectus est, non quidem ob tempus; sed quiâ viuit & persequitur singula cum perturbatione. Valet pronunciatum in eos, qui sensibus pueri sunt

tametsi ætate caneſcant, & ob nudam annoſitatis ſuæ prouectionem, aliis ſe, qui moribus longè cõpoſitiores & maturiores ſunt inordinatè ac arroganter præferunt. Etenim, vt rectè obſeruat D. Thom. ad Caput citatum.

4. *Paſſionum ſectator iuuenis eſt moribus.* l. 1. Eth. lect. 5.] licet ceteroquin ætate virili ſit; imò & decrepitâ: iuuenilis ſiquidem leuitatis eſt, paſſionibus obtemperare, & horum maximè connaturale vitium, ob ſanguinis ebullientis calorem, & experientiæ defectum, perturbationibus animi & corporis plurimum commoueri, vt loco citato docet Ariſtoteles. Quiſquis igitur ad veram ſapientiam ſeriò aſpirat, non tam ætate quàm moribus ſenex, aut maturus euadere ſtudeat, quoniam, vt veriſſimè D. Bernardus inquit. *Senectus venerabilis non eſt numero annorum; ſed magis merito morum computata.* In epiſtola ad Theobaldum militem.

5. *Periculoſa eſt præproperæ prudentia.*] Pronunciatum iſtud Sophocleum in Oedipo Tyranno, idem ſignificat, quod vulgo dicunt; qui pueri adhuc, & velut ante tempus ſapiunt, eos in ſenectute ſtultos euadere. Quod Actius probare videtur apud Gellium cum inquit: *Sibi in iuuenilibus ingenijs, itidem vt in pomis immaturis, placere acerbitatem*: nam hæc demum matureſcere: Porro maturitas adfert tempeſtiuam ſuauitatem; reliqua ante tempus putreſcere. Quadrat in illos, qui præproperè famam affectant, maluntque paratam ac magnam, quam ſolidam & perpetuam. Solẽt enim præcocia ſubito flacceſcere: Quod autem paulatim accreſcit, durabile eſt. Iuxta illud Horatij. *Creſcit occulto velut arbor æuo, Fama Marcelli.* Intelligitur itaque pronunciatum de præcoci ingeniorum genere temerè & præpoſterè feſtinante, non de ſerio. à primis annis vir-

tutum ſtudio: illud enim vti laudabile eſt, ita fructus in ſenectute fert optatiſſimos, in quem ſenſum D. Bernardus loco proximè citato: *Multos vidimus iuniorum*, inquit, *ſuper ſenes intendere moribus dies, antiquorum tempora præuenire meritis, & quod deeſt ætati, virtutibus compenſare.*

6. *Senilis iuuenta præmaturæ mortis indicium eſt.*] Pronunciatum iſtud, quod olim velut, ex oraculo, Cenſorius Cato prodidit, vt auctor eſt Plinius l. 7. c. 51. verum eſt eodem ſenſu, quo dictum præcedens. Ratio vtriuſque eſt: quia cum pueri primo ætatis ingreſſu rationis vſum impeditum habere ſoleant: eò quod multo abundent humore, è quo extitata nebula internorum ſenſuum functiones aut omninò impedit, aut interturbat: Hinc, qui præmature ſapiunt, intempeſtiuam cerebri ſiccitatem indicant: quæ ſiccitas cum progreſſu temporis excreuerit, aut ita organum diſſoluit, vt mortem afferat: aut ita vitiat, vt ad perſoluenda internorum ſenſuum munia, è quibus intelligentiæ vis dependet, nihil omninò, aut certe parum idoneum ſit. Vnde illud etiam prouerbij loco celebratur: *Odi puerum præcoci ſapientia.* Vide Senecam l. 2. Controuerſiarum, n. 2

7. *Semina pueritiæ in adultâ fructificant ætate.*] Docet ſententia, manere ordinariè & pallulare in omnem ætatem quod hauſtum eſt in pueritiâ, & ſiue bonum id ſit, ſiue malum, ſenſim adoleſcere, & fructus ſibi conſentaneos producere. Vt proinde, vulgi etiam iudicio, ſtudia, quæ ſunt in adoleſcentia, tanquam in herbis ſignificent, quæ virtutis maturitas, & quænam fruges induſtriæ ſint futuræ. Ea propter ſapientũ conſiliũ eſt, in inſtitutione Iuuentutis quã maxime inuigilandum eſſe initiis, vtpote à quibus veluti ſeminibus omnis vitæ fructus depen-

Digitized by Google

deat. *Animus dū adhuc tener est*, inquit Mag. Basil. *& ritu ceræ, quæ ipsas impressas in se Formas quascumque recipit, confestim ab initio, omni rerum bonarum imbui exercitatione debet, quo videlicet, vbi postea rationis vsus accesserit, & habitum rerum iudicandarum ætas attulerit, pietatii iam ab ineunte assuetus, nullo impedimento cursu vtatur facili; cum & ratio, quid expediat, admoneat, & ad id assequendum facilitatem præbeat consuetudo.*

8. *Mala senium ac mortem accelerant.*] Veritas dicti huius vulgaris fundatur in experientiâ. Videmus quippe eos, qui multis laboribus ac malis exercentur & fatigantur, ante diem consenescere & fatis concedere: vt pluribus explicatum est, distinctione de labore.

9. *Vnumquodque præstantius est eo tempore, quo maiorem vim habet.* l. 3. Top. c. 2.] Vt magis optanda est prudentia senum, quàm adolescentum: contra verò magis expetenda est iuuenum fortitudo, quàm senum: illis enim pronum est, excursione, saltu, eminus hastâ, cominus gladiis vti, his verò propriùm, consilio, ratione, sententiâ, ceteros gubernare.

10. *Senectus est morbus naturæ naturalis*, de Gen. Animal. c. 4.] senum imbecillitas, licet alij absint morbi, per se mala valetudo est. Vt constat experientiâ, quare rectè ab Aristotele loco citato, & à Terentio in Phormione, senectus ipsa morbus esse dicitur.

DISTINCTIO V.

De priore & posteriore.

1. QVod est prius priore, est etiam prius posteriore Sumitur ex libro categoriarum cap. 11.] Verum est vniuersim in omnibus modis Prioris: qui continentur his versibus:

Tempore, Naturâ prius, Ordine dic, & Honore
Et causa effectu dicitur esse prior.

sic in primo modo Prioris Adamus protoplastus, qui prior fuit Abrahamo, etiam prior extitit Isaaco & ceteris eorum nepotibus,

2. *Quod est posterius posteriore, est etiam posterius priore.* Sumitur ex eodem capite.] Verum est absolutè eodem sensu, quo dictum præcedens. Sic Isaacus qui est posterior Abrahamo parente suo, etiam haud dubio posterior est primo omnium parente Adamo.

3. *Omne posterius dicit ordinem ad prius.* Commentator in lib. 2. Metaphys. t. 10.] Nempe in sensu formali & composito, quomodo etiam: *Omne prius dicit ordinem ad posterius.* Ratio est, quia prius & posterius correlatiua sunt, quorum proprietas est dici ad ea, quæ conuertuntur id est ad ea, quæ vicissim ad ipsa dicuntur, vt pater ad filium, qui vicissim ad patrem dicitur. Eâ de causâ Aristoteles in post-prædicamentis agens de modis Prioris, non tradit modos Posterioris: quia cum correlatiua sint, supponit, quot modis vnum dicitur, totidem alterum dici oportere. Eodem sensu vera etiam est vulgaris ista propositio.

4. *Posterius non potest esse sine Priore.* quinto Metap. cap. 11.] Nimirum in sensu composito quoad

Digitized by Google

rationem prioris & posterioris. At verò quoad existentiam sui, potest esse posterius in rerum naturâ etsi actu non existat prius, & è conuerso, quo modo potest viuere filius, non superstite parente, & superesse pater sublato filio. Exceptis tamen iis, in quibus id, quod est prius, necessariò & actu præsupponitur à posteriore; vt v. c. rationale à discursiuo, & ita in aliis, in quibus sola intercedit prioritas naturæ, vt colligitur ex supradictis, & mox pluribus explicabitur.

5. *Vbicunque est perpetua duorum reciprocatio, ibi neutrius in tempore præcessio.*] Veritas huius manifesta est ex terminis: nam si alterum istorum prius esset tempore, non posset ex vnius positione inferri necessario positio alterius. Imò ex huiusmodi simultate, quâ duo vel plura se mutuo ponunt aut tollunt, & inter se conuertuntur existendi consequentiâ, ne quidem subsistere potest naturæ prioritas, quæ minor est, quàm prioritas temporis, vt constat ex c. 11. de modis Prioris, & cap. 12. de modis Simul in Postprædicamentis.

6. *Inter prius & posterius naturâ non valet consequentia.*] Est commune inter Philosophos axioma, desumptum ex capitibus iam citatis, & ex l. 5. Metaphysicæ c. 11. vbi Philosophus: *Quædam verò* (inquit) *secundum naturam & substantiam* (priora & posteriora dicuntur) *quæcunque contingunt absque aliis esse: ista verò sine illis minimè.* Ex quibus verbis infertur apertè ad prioritatem naturæ requiri, vt id, quod est prius, possit esse sine posteriori, iuxta illud vulgare: *Posterius non tollit naturam prioris*: de quo vide, si placet quæ diximus infra Titulo De *accidente in genere*, distinct. 3. contra vero, vt posterius natura non possit esse sine priori. Vnde sequitur inter prius & posterius naturâ non valere existendi con-

est itaque pronunciatum non purè physicè aut methematicè loquendo; sed moraliter, & secundum communem hominum existimationem.

DISTINCTIO VI.

De Præterito & Futuro.

1. *Quod factum est, infectum fieri nequit.*] Intelligitur & verum est, in sensu formali siue composito, vt explicat D. Thomas 1. p. q. 25. a. 4. Estque aperta sententia D. Hieronymi Epistolâ 22. ad Eustochium, D. Augustini Epistolâ 26. contra Faustum c. 5. D. Anselmi, Prosolog. c. 6. Imò & Aristoteles idem expresse docet lib. 6. Ethic. c. 2. vbi approbat Agathonis carmina.

Hoc etiam ipse Deus solumque carere videtur
Infectum vt faciat, quod factum est, atque peractum

Ratio pronunciati est; quia factum esse, & præteritum dicitur id, quod in aliquâ differentiâ temporis habuit esse: impossibile autem est, vt quod semel reuera ponitur habens esse in aliquâ differentiâ temporis, in illâ eâdem non habeat vel habuerit esse: quia esset & non esset, pro eodem tempore, quod repugnat in se: & consequenter etiam ipsi potentiæ Dei: etenim ad diuinam potentiam pertinet, vt quod vult Deus esse, id pro aliquo tempore sit. Vnde pro eodem tempore non esse, esset contra voluntatem & potentiam diuinam. Quemadmodum ergo non potest Deus facere, vt res sit & non sit simul; quia hoc esset seipsum negare & sibi repugnare; nec ita potest facere, vt præteritum

Digitized by Google

non fuerit. Hoc sensu dixit S. Hieron. loco citato. *Audenter loquar: cum omnia possit Deus, suscitare virginem non potest post ruinam.* Atque hinc est, quod ea quæ præterita sunt, transiisse dicantur in necessitatē quandam fatalem, quæ mutari non possit, iuxta illud.

2. *Ad præteritum non est potentia.*] Idem ibidem, & Vasquez tom. 1. in 1. p. disp. 105 totâ. Verum est eodem sensu quo infectum fieri nequit, quod factum est. Fieri enim non potest, vt id, quod fuit, nō fuerit, vel quod non fuit, id fuerit: quia est manifesta contradictio. Valet, vtrumque pronunciatum in illos, qui si quæ incaute & infeliciter facta ab ipsis vel neglecta sunt, ea sese aut non fecisse, aut non neglexisse gratis exoptant. Vide, si placet, Suarez disp. 50. Metap. sec. 9. n. 14. Dixi in sensu composito accipiendum esse vtrumque pronunciatum, quia in sensu diuiso locum non habet: licet enim Deus fecerit quippiā siue produxerit: manet tamen integra in ipso potentia, qua potuisset illud non facere in sensu diuiso. Et ita intelligendi, Gregorius in 1. dist. 42. & alij, qui videntur docere contrarium, sed in modo tantum loquendi dissident, in re conueniunt: neque enim dicunt, non fuisse, postquam fuisse aliquid supponitur; sed absolutè & secundùm se spectatum potuisse non fieri: quod nemo negat. Potest item Deus rem eandem, quæ præteriit, reproducere secundum se, & simpliciter: licet non formaliter quatenus præterita est: Etenim vt verissime dixit S. Gregorius.

3. *Longe minus est Deo reparare quod fuit, quam creare, quod non fuit.*] Homilia 25. in Euangelia. Consonat D. August. ser. 19. de verbis Apostoli, in hunc modum: *Si in nihilum rediremus, poterat & Deus facere, vt essemus, sicut & fecit nos esse, cum antea nunquā fuissemus.* Ratio est, quia nō implicat cō-tradictionē, neq; ex parte Dei reproducēdis cum hic

æquè potens, poſt rem corruptam ac erat ante productam: ergo ſi potuit nondum productam producere, poterit etiam corruptam reproducere: neque implicat ex parte rei reproducendæ; Nec denique ex parte reproductionis. Vide, ſi placet, Suarez, diſp. Metap 5. ſec. 3. n. 6. & diſp. 30. ſec. 3. n. 14. Conimb. in l. 2, de Gen. c. 11. q. 5. a. 3. & alios apud hos.

4. *Omne futurum neceſſariò futurum eſt.* l. 1. de Interpretatione c. 8.] Duplex eſt neceſſitas alicuius effectus: vna dicitur *antecedens*; ſiue abſoluta, quæ oritur ex cauſa antecedente neceſſariò operante, & ad vnum determinata. Hoc pacto, poſito ſole neceſſariò ſequitur illuminatio; quia ſol eſt cauſa neceſſaria reſpectu illuminationis: altera dicitur *conſequens* neceſſitas, ſiue hypothetica vel ex ſuppoſitione, quæ non oritur ex cauſa antecedente & neceſſariâ; ſed ex ipſa poſitione effectus, etſi ille effectus ſit liber, & à libera cauſa. Hoc pacto neceſſe eſt, Petrum ſedere, poſito quod ſedeat, aut ſeſſurum eſſe, poſito quod ſeſſurus ſit. Prior neceſſitas tollit libertatem, & de hac non intelligitur pronunciatum: poſterior non tollit, ſed præſupponit libertatem, & de hac intelligitur, ac verum eſt pronunciatum.

5. *Omne quod eſt, dum eſt, neceſſe eſt eſſe.* Et

6. *Omne quod non eſt, dum non eſt, neceſſe eſt non eſſe.* l. 1. de Interp. c. 8.] Intelligitur vtrumque & verum eſt de neceſſitate hypotheticâ ſiue conditionatâ; non de abſolutâ, ſiue in ſenſu compoſito, non in diuiſo. Sic poſito, verbi cauſa, quod Petrus ambulet, neceſſe eſt eum moueri: implicat enim contradictionem, ambulantem vt ſic, non moueri. Abſolutè tamen poteſt non moueri, quia poteſt non ambulare. Sic etiam poſito, quod Antichriſtus peccabit, neceſſe eſt eum peccaturum eſſe, & Deum hoc præſcire;

necessitate scilicet consequente & hypothetica, non antecedente, seu absolutâ. Vnde dictum istud.

7. *Omne scitum à Deo est necessarium.*] Si intelligatur hoc modo: Omnis res, quam Deus glorioſus scit aut cognoscit, est absolutè in se necessaria, falsum est: si vero explicetur (vti debet) hoc sensu: Omne id quod scitum seu cognitum est à Deo esse vel fore, necesse est esse vel fore, verum est, iuxta explicationem vtriusque præcedentis; quia hic est sensus compositus includens necessitatem hypotheticam, siue ex suppositione: sic verbi, causa, posito, quod Deus præuiderit Ioannem cras certa temporis differentia eliciturum actum amoris, tam est impossibile, vt Ioannes non eliciat illum actum (licet illum liberè sit eliciturus) quàm est impossibile, illum non elicere eundem actum, dum elicit, in sensu composito; quem tamen liberè elicit: Quod enim à Deo prouidetur futurum, supponitur futurum necessitate hypothetica, quæ minimè aduersatur nostræ libertati, iuxta illud.

8. *Præscientia Dei non imponit necessitatem futuris contingentibus.*] Est cõmune pronunciatum Philosophorum ac Theologorum: sicuti ex eo, quod Petrus verbi causa, videt Paulum ambulantem vel comedentem, non impeditur Paulus, quo minus vtrumque liberè præstet; si alias nemine aspiciente, liberè id feciſſet: ita neque voluntas nostra in decretis suis liberis, nec vlla futura contingentia, quoad contingentiam suam impediuntur ex eo præcisè, quod Deus ista cognoscat ab æterno. Pro cuius maiore explicatione notandum est, contingens vocari illud, quod comparatum ad suam causam proximam possibile est esse & non esse. Hinc non repugnat, esse determinatè futurum: potest enim idem effectus & dici contingens & determinatè futurus: contingens

quidem reſpectu cauſæ, quæ ex ſe eſt indifferens ad illum producendum, & non producendum : determinatè verò futurus; quia cauſa, quæ poteſt illum producere, & non producere, reipſa producet. Hinc etſi Deus præſciuit determinatè futura contingentia: Hac tamen præſcientia nullam eorum futuritioni neceſſitatem importat. Etenim,

9. *Futura non ideo ſunt, quia à Deo præſciuntur; ſed idcirco præſciuntur, quia futura ſunt.* S. Auguſt. l. 3. de libero Arbitrio.] Eſt namque cognitio Dei, quâ futura cognoſcit, merè ſpeculatiua, vt loquuntur Theologi; non practica: ſcientiæ autem ſpeculatiuæ præſupponunt ſuum obiectum, non efficiunt: Itaque prius eſt, in ſigno rationis, eſſe futurum, quam ſciatur à Deo. Siue, res futuræ prius ratione futuræ ſunt, quam præſciantur futuræ, & habent independenter à præſcientia rationem & modum ſuæ futuritionis: id autem, quod poſterius eſt, re in eſſe perfecto conſtituta, non immutat naturam illius, vt explicatum eſt Titulo *de accidente generatim*. Diſtinctione tertia, Si inferas; Ergo præuiſio Dei pendet à rebus futuris, quod videtur abſurdum. Reſpondeo, cum diſtinctione: ſi enim intelligatur, quod præuiſio, quoad eſſe intrinſecum ſeu ſubſtantiale pendeat ab actionibus futuris, eſt falſum: eſſet enim tam perfecta Dei cognitio, quoad intrinſeca, etiamſi nulla vnquam fuiſſet creatura, ac eſt modò; quia per terminationem ad creaturas nulla omninò ratione intrinſecè variatur: ſi verò intelligatur, quod ab illis dependeat aliquo modo, per modum obiecti, poteſt concedi; ſed inde nihil abſurdi ſequitur.

Digitized by Google

DISTINCTIO VII.

De Æternitate & Æterno.

1. *Æternitas est interminabilis vitæ tota simul & perfecta possessio.*] Ita communiter Theologi & Philosophi ex Boëtio lib. 5. de Consolatione Philosophica prosa 6. dicitur primò *interminabilis*, quia æternitas sic dicitur quasi extra terminos. Dicitur secundò *vitæ* tam primæ, quam secundæ, id est & sui esse, & operationum suarum. Dicitur tertiò *Tota simul*, id est, indiuisibilis & carens successione partium. Dicitur quartò *Perfecta*, id est increata & independens ab alio. Dicitur quintò *Possessio* ad significandam quietem & immutabilitatem, quæ opponitur mutationi. Hæc igitur definitio continet triplicem negationem, per quas remouentur à duratione Dei imperfectiones aliarum durationum. Prima est negatio terminorum siue principii & finis. Secunda est successionis siue diuisibilitas, qualis est in tẽpore. Tertia est dependẽtiæ, qualis est in omni duratione creata. Porrò æternitas proprie dicta à parte rei est ipsa Dei essentia. Vnde vt loquuntur Theologi

2. *Deus est sua æternitas*:] vt videre est apud D. Thomam 1. p. quæst. 10. Formaliter tamen considerata, est attributum ratione ratiocinata distinctum à Dei essentia, sicuti cætera illius attributa. Pulchrè id explicat S. Augustin. ad illa verba Psalm. 101. *Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient*; in hunc modum: Æternitas ipsa Dei substantia est, quæ nihil habet mutabile, ibi nihil est præteritum; quod iam non est, nihil est futurum, quasi nondum sit, sed non

est

est ibi, nisi est, non est ibi fuit, & erit, quia quod fuit iam non est, & quod erit, nondum est, sed quicquid ibi est, non est nisi est. Etsi igitur æternitas coëxistat tempori præsenti, præterito &, futuro, non tamen sequitur esse in illa præteritum aut futurum, aut vllam rationem successionis, sed alia sequuntur duo. Prius est, quod æternitati omnino vniformiter permanenti adueniat ratio coexistentię ad præsens, præteritum & futurum: sicuti immensitati eodem modo vniformiter manenti aduenit coexistentia ad loca realia, quę in tempore creantur. Posterius est, quod in æternitate omnino in se indiuisibili, virtualis quædam latitudo cernatur, quâ possit omnino in se inuariabilis permanens habere sibi creatas res successiue coexistentes, modo has, modo illas, in qua quidem coexistentia potest esse successio, quia Deus hodie vni creaturæ coexistit, quæ postea desinit, crastino die alteri citra suam mutationem. Hęc enim successio non est in ipso Deo sed in rebus creatis, & denominatio inde resultans in Deum extrinseca illi est, secundum quam aliquando tribuitur illi præteritum & futurum.

1. *In æternitate non datur prius & posterius.* Elicitur ex capite 11. libri Categoriarum.] Intelligitur & verum est de prioritate reali. At prioritate rationis non repugnat dari, vel datum fuisse aliquo æterno aliud in signo rationis prius. Exemplum esto in scientiâ Dei immutabili, quæ licet reuera æterna sit, præcedatque omnes creaturas: & propterea non pendeat à rebus creatis, verbi gratiâ, ab actibus hominum bonis vel malis, qui futuri sunt, quoad determinationem realem & intrinsecam, quæ sit in Deo: est tamen in signo rationis illis posterior, & pendet ab illis, quoad determinationem obiecti-

uam, tanquam conditionem necessariam, vt in essentia Dei repræsentet futurum. Scientia enim necessariò prę\supponit obiectum scibile. Vt docet Suarez in materiâ de scientiâ Dei. Vide dicta distinctione 6. huius Tituli n. 9.

3. *In diuinis non est prioritas in quo, sed à quo.*] Est celebre pronunciatum Theologorum: sensus illius verus est, in diuinis non esse prioritatem durationis; sed originis: etsi enim Pater sit principium Filij, & Pater & Filius principium Spiritus sancti: non tamen est vna persona prior alterâ duratione, naturâ, aut perfectione; sed tantum origine, &, vt inquit Fonseca, ordine enumerationis naturalis, vt pluribus explicatum est Titulo 1. distinctione 2. ad illud axioma; *Omne principium prius est suo principiato.* Hinc vero sequitur ordinem originis non debere concipi per signa, in quorum vno sit vna persona & non altera, vel in quorum vno persona sit futura, & in alio iam existat, talis enim cogitatio aliena est à diuinâ perfectione, cũ rei omnino necessariæ ab intrinseco repugnet futuritio, quocunque modo consideretur, & si talis res verè cogitetur, vt ens actu per essentiam concipi & cogitari debeat. Lege, si placet, Suarez l. 9. de Trin. c. 5. n. 9. & l. 11. c. 2. n. 6.

3. *Naturalia in Trinitate sunt priora liberis.*] Etsi omnia in diuinis æterna sint, & quæ absoluta sunt, idem inter se à parte rei: nostro tamen modo concipiendi, cum fundamento in re, & obiectorum dependentia distinguuntur à multis Theologis varia signa seu instantia rationis, ad concipiendos distinctè & ordinandos inter se actus intellectus & voluntatis diuinæ. Hæc autem signa concipienda sunt, per modum abstractionis præcisiuæ, & indepen-

Digitized by Google

dentiæ vnius ab alio, non verò per modum inſtantium in quorum vno, aliquid intelligatur eſſe, quod non ſit in alio. Sic prius ratione concipimus, quod Deus præcognoſcat, ſuam voluntatem hoc vel illud libere poſſe velle, quam actu velle; & quod prius ratione habeat ſcientiam abſolutam de iis, quæ omnibus rebus communia ſunt, quam ſcientiam conditionatam de his vel illis creaturis in particulari; prius item ratione habeat ſcientiam quam liberum decretum voluntatis. Denique quod omnes actus naturales & neceſſarij priores ſint actibus liberis, iuxta propoſitum effatum: Neque enim æternitas excludit hunc ordinem rationis, iuxta explicationem huius & duorum præcedentium axiomatum. Vide, ſi placet, Suarez, de prædeſtinatione, l. 6. c. 4. n. 4. & alibi.

4. *Abſoluta in diuinis ſunt priora relatiuis.*] Celebris iſta apud Theologos propoſitio, traditur à Scoto in 1. diſt. 6. q. 1. à D. Thomar. p. q. 33. a. 4. ad 2. vbi eam explicat, & dicit veram eſſe in relatiuis ſecundum eſſe: non verò ſecundum dici. Refertur item à Caietano 1. p. q. 41. a. 2. & aliis paſſim. Intelligitur autem de abſolutis, quæ ſignificantur per modum actus primi, cuiuſmodi ſunt intellectus, voluntas, potentia, æternitas. Hæc enim in Trinitate ſemper priora ſunt relatiuis: Non autem intelligi debet, de omnibus iis, quæ ſignificantur per modum actus ſecundi, cuiuſmodi eſt velle, ſeu amare. tametſi enim intellectio eſſentialis prior ſit omnibus, non tamen volitio eſſentialis. Conſule, ſi placet, Suarez l. 6. de Trin. c. 4.

5. *In æternis non differunt eſſe & poſſe.* l. 3. Phyſ. t. 32.] Verum eſt pronunciatum, ſi hic ſenſus ſit: æterna non prius tempore vel duratione apta eſſe ad

existendum, & post actu existere; sed simul existere, & posse existere: quia nunquam fuerunt in potentiâ ante actum, vt notat D. Thom. q. 1. de potentiâ, a. 1. ad 6. falsum autem, si intelligatur, quod omne id sit productum à Deo ab æternitate, quod potuit à Deo produci; quomodo aliqui illud non rectè explicant. Eodē sensu Philosophus l. 9. Met. c. 4. t. 17. docet, *In æternis non esse potentiam contradictionis, quemadmodum in corruptibilibus*; nimirum quoad esse siue existere: cum nullo modo secundum istud mutari possint: quod enim æternum est durationem habere debet infinitam: alioqui non esset æternum, id est extra terminos. Vnde docent Suarez disp. 20. Metap. sec. 6. n. 15. Conimbricenses & alij, si Deus ab æterno creasset hominem in aliquâ operatione simultaneâ, v. c. intelligentem, videntem, &c. debuisset infinito tempore in eadem operatione perseuerare. Item, si Petrum v. c. creasset clausis oculis, nō potuisset eos aperire infinito tēpore, si sedētē creasset, nō potuisset surgere: si vigilantē, non potuisset dormire, & contra, si ignē prope stramē, nō potuisset illud exurere, si gallinam ouo incubantem, non potuisset illud excludere. *Si dicas*, hæc esse absurda, *Respondetur* dupliciter aliquid dici absurdum quod repugnat naturæ rei, seu implicat. 2. quia est præter consuetum ordinem seu morem vniuersi: illa ergo non essent absurda 1. modo, sed 2. quia ordo rerum & connaturalis status postulat, vt in tali dispositione creentur, in quâ possint suas actiones exercere, vnam post aliam, quoniam vero Deus potest agere supra naturam, & præter consuetum ordinem Vniuersi, ideo ex multorum sententiâ potuisset res illas ita creare.

6. *Quidquid Deus facit in tempore, id decreuit ab æternitate.*] Est commune effatum Theologorum,

cuius frequens vsus est in materiâ de Prædestinatione & Reprobatione. Ratio illius sumitur ab immutabilitate & æternâ Prouidentiâ Dei, quâ, *attingit à fine vsque ad finem fortiter & disponit omnia suauiter*, vt dicitur Sapientiæ c. 8. Lege, si placet, Suarez l. 5. de Prædestinatione c. 3. n. 11. & c. 4. n. 3. & alibi.

7. *Quidquid Deus non facit in tempore, id ab æterno voluit non facere.*] Dicitur Deus id voluisse non facere, vt ostendatur id ei fuisse inuoluntarium non negatiuè tantum per suspensionem actus voluntatis: quomodo docent Philosophi, posse hominem negatiuè se habere, circa aliquod obiectum; ita vt illa omissio seu carentia actus sit tantum virtute seu interpretatiuè voluntaria; ideo scilicet, quod voluntas possit velle, & tamen non velit cum aduertentiâ; sed etiam fuisse inuoluntarium per formalem & verum actum voluntatis, positiuè. Ratio est; quia voluntas Dei circa nullum obiectum potest se habere merè negatiuè: Nullum enim obiectum est creatum aut increatum, vel creabile, cui non conueniat existere sub disiunctione: Ergo impossibile est, diuinam voluntatem non habere actum positiuum, quo velit existentiam aut non existentiam talis obiecti: Ergo non potest omninò cohibere actum circa illud, antecedens patet; quia inter extrema contradictoria nullum datur medium: Ergo nec inter existentiam & non existentiam obiecti: sequela etiam patet; quia eo ipso, quod creatura extitura est, Deus vult eius existentiam, & eo ipso, quod non est extitura, vult non existentiam, per actum positiuum: hic enim modus agendi vel non agendi per actum positiuum ex se perfectior est: Deo autem id tribuendum, quod est perfectius, vt bene notat Vasquez Tomo 1 in 1. p. d. 79. c. 3. Suarez Tract. 2. in 1. p. l. 5. c. 4. n. 5. Granadus. Florauantius, & alij.

extrinsecè subiectum adiacendo, & extrinsecè denominando.

1. *Amictus corporis index est cordis.*] Docèt pronunciatum ex corporis habitu ordinariè cognosci suo modo interiorem animi cõstitutionem: in quantum videlicet per huiusmodi signa externa, in internam hominis notitiam veniri potest. Sic molle vestimentum animi mollitiem plerumque apud vulgus significat, nitor curiosus & ornatus effœminatum redolet ingenium, iuxta illud Marii apud Salustium.

2. *Munditia mulieribus, labor viris conuenit.*] Etenim tenuia tenuibus, magna magnis conueniunt, & vilis cuiusdam animi est, tam leuibus occupari. Simile enim occupatur simili, & à paribus delectatio, venit. Vnde semper aliquid neglectûs ingenia magna ferè ostendunt. Nam vt rectè cecinit Ouidius: *Forma viros neglecta decet.* l. 2. de arte am. & ordinariè, cultûs magna cura, magna est virtutis incuria, vt pluribus ostendit Nicolaus Caussinus Tomo 3. Curiæ sanctæ, Maximâ 13. sub finem. Quare non immeritò ridetur à Tertulliano Achilles, dum stolam fundere, comam struere, cutem fingere, speculam consulere, collum demulcere, aurem foratu effœminare, atque in his omnibus libidini ancillare discit.

3. *Ornatus & sordes pari modo fugiendi sunt.*] S. Hieronymus Epist. ad Nepotianum, rationem assignat ibidem; quia alterum deliciis, alterum gloriâ redolet. Rarum istud hoc æuo: frequentiùs enim ab ignauiâ, & seruilis animi abiectione nimiæ vestium sordes proueniunt.

4. *Non faciunt equum meliorem aurei freni.* Seneca l. 5. Epist 41.] Monet hoc dictum, fortunæ ornamenta nõ mutare hominis ingeniũ; valetq; in cõptulos & effœminatos, qui magis de externo corporis

habitu, quam interno mentis ornatu laborant; cum longè melius sit possidere animum habentem scientias, quam habitum corporis eleganter videre conformatum. Eodem spectat & illud.

5. *Simia manet simia, licet aurea gestet insignia.*] Tametsi enim, qui huiusmodi sunt, magnifico splendidoque sint cultu ornati: moribus tamen suis inertiam ac vecordiam suam produnt. Verum nihilominus ex parte est, quod ait Quintilianus l. Instit. 8. magnificum corporis habitum, addere hominibus auctoritatem, vt est in Græco versu.

Ἐκ γὰρ τοι τεύτων φάτις ἀνθρώπων ἀναβαίνει. Odisse ζ.



Digitized by Google

PARS SEXTA:

DE RERVM AC VOCVM distinctione, oppositione, &c.

TITVLVS LXIV.

De *distinctione rerum.*

DISTINCTIO PRIMA.

De variis distinctionum generibus.

1. DISTINCTIO generatim est duplex, vna ex natura rei, altera rationis. Illa est actu in rebus ante operationem intellectus, idest, inter extrema, quorum vnum à parte rei non est aliud: Hæc verò non est actu in rebus; sed fit per operationem intellectus.

2. Distinctio ex natura rei subdiuiditur in Realem, qua vnum differt ab alio, tanquam res à re, vt Petrus à Paulo; quantitas à qualitate: Et in Modalem, quâ vnum differt ab alio, tanquam modus à re, vel tanquam modus à modo, vt Petrus à suâ actione, statio à sessione.

3. Distinctio rationis subdiuiditur in eam, quæ dicitur rationis ratiocinantis; Quando videlicet non

Digitized by Google

est in reipsâ fundamentum distinguendi: sed sola ratio concipit rem, vt distinctam, vt cum idem prædico de seipso: v. c. Petrus est Petrus: hic semel Petrum concipio tanquam prędicatum, quasi sit distinctus à seipso: Et in eam, quæ dicitur Rationis ratiocinatæ, cum quidem actu & formaliter res non est distincta à parte rei: habet tamen fandamentum in se, quod præbet occasionem intellectui, vt eam concipiat tanquam distinctam, per distinctos & inadæquatos conceptus.

4. Cæteræ distinctionum species, quæ ab aliis assignari solent, vel in modo enumeratis continentur, vel ad eas reuocantur. Vt distinctio Formalis v. c. pro extremorum conditione aliàs realis est, aliàs rationis.

DISTINCTIO II.

De distinctione reali & rationis generatim.

1. *Quæcunque possunt à se mutuò separari, distinguuntur à parte rei.*] Nimirum vel realiter strictè, si sint duæ res, vel realiter modaliter si sint res & modus, vel duo modi eiusdem rei. Ratio est; quia fieri non potest, vt idem omninò in indiuiduo separetur à seipso à parte rei; sicut est impossibile, illud diuidi, quod omninò est indiuisibile. Quare si duo aliqua possint separari à parte rei in indiuiduo (quo sensu hîc separatio accipitur) non sunt idem à parte rei: Ergo distincta à parte rei, siue ex naturâ rei. Sumitur autem commune istud Doctorum axioma, ex lib. 7. Top. cap. 1. lib. 15. Vbi sic inquit Philosophus: Amplius si poterit alterum sine altero esse, non erit idem, traditur etiam non ob-

Digitized by Google

ſcurè à D. Auguſtino l. 6. de Trinitate verſ. 6. vbi probat, in vnoquoque corpore aliud eſſe magnitudinem, aliud colorem, aliud figuram; quia diminutâ magnitudine, poteſt manere idem color, & eadem figura; & mutato colore manere eadem figura, & contra.

2. *Quæcunque poſſunt à ſe mutuò ſeparatim exiſtere, diſtinguuntur realiter.*] Sumitur ex autoribus & locis iam citatis. Nempe realiter ſtrictè, tamquam res à re differunt, & non tantum vt modus à re; Quoniam de eſſentiali ratione modi eſt, vt per nullam potentiam manere poſſit ſine re cuius eſt modus: Ergo illa duo vel erunt res diſtinctæ per ſe; vel erunt modi rerum diſtinctarum; vel vnum erit res, & alterum erit modus rei diſtinctæ: atqui quocunque horum modorum ſe habeant, erunt realiter diſtincta, vel per ſe vel ratione rerum diſtinctarum, cum quibus identificantur modi diuerſi. Sic verbi cauſa ſubſiſtentia Petri & Pauli differunt realiter ratione ſubſtantiæ quam modificant: nam vnaquæque ſubſiſtentia habet aliquam identitatem cum re; quam afficit: Et illæ res diſtinguuntur realiter inter ſe: Ergo & modi ratione illarum diſtinguentur realiter. Vide, ſi placet, Suarez diſp. 7. Metap. ſec. 1.2.& 3.

3. *Quæ vnâ productione generantur ſunt idem.*] Vtitur hoc principio Ariſtoteles lib. 4. Metap. t. 3. ad probandum, Ens & vnum eſſe idem. Verum eſt, de his, quæ per ſe fiunt, & immediate vnicâ actione reali: Quæ autem ſolum dicuntur produci, vel potius comproduci vnâ actione, quatenus vnum reſultat ex alio, non oportet, vt ſint vnum realiter & idem: ſed ſolum ſubiecto, vel colligatione quadam; quia reuera immediatè & proximè non fiunt vnâ reali actione: imò neceſſe eſt vt illa vna actio

Digitized by Google

sumatur indiuisibiliter: Nã si sit aliquo modo composita, poterit in adæquato termino eius reperiri aliqua distinctio. vt v. c. vnicâ actione calefaciendi fit calor, & vnitur subiecto seu materiæ ex cuius potentiâ educitur: vbi in termino duo fiunt ex naturâ rei distincta, scilicet entitas caloris, & vnio eius; licet actio sit realiter vna: est tamẽ aliquo modo composita ex modis quasi partialibus, qui in eâ possint considerari. Lege, si placet, Suarez loco citato.

4. *Idem manens idem non potest existere sine aliquo sui.* Sumitur ex l. 7. Top. c. 1. loco 15. Sensus est, non posse aliquid existere ipermanenter, siue permanere in se immutatum, separato aliquo, quod sit idem intrinsece & essentialiter suæ entitati. Ratio est, quia alioqui maneret idem, & non maneret, quod implicat contradictionem. Hinc patet, cur ea, quæ sola ratione distinguuntur, non possint à se mutuò separari, etiam per absolutam Dei potentiam. Vide Suarez loco citato. Alia ratio est de eo quod tantum pertinet ad integritatem rei, vt constat ex materia de nutritione.

5. *Vnio non tollit distinctionem sed separationem.*] Idest vnio non facit, vt quę vniuntur, sint vnum & idem à parte rei; sed vt sint vnita: non enim requiritur ad distinctionem realem separatio actualis; sed sufficit potentialis. Sumitur & hæc propositio ex loco Aristotelis proxime citato.

6. *Idem est principium constituens rem in esse proprio & distinguens eam à quouis alio.* l. 5. Physic. cap. 5] Verum est pronunciatum duplici sensu: primo generatim de qualibet distinctione, & principio rerum essendi: per quod enim res habet suum esse, per idem habet distingui à quolibet alio, siue vt loquũtur alij. *Per quod vnum quodque in suo esse constituitur, per idem ab alijs distinguitur.* Ratio generalis est, quia propriũ

Digitized by Google

cuiusq; rei constituitiuũ dat eidem vnitatem, sicut & entitatẽ: vnitas enim est indistinctio rei in se & distinctio, à quouis alio. Itẽ, quidquid vltimo constituit rẽ aliquã in suo esse, est illi soli à parte rei proprium: Ergo impossibile est, eam per illud non distingui à quolibet alio. Et hoc sensũ communiter vsurpatur propositum axioma, 2. potest etiam intelligi, & verum est distinctione specifica Entium physicè completorum, & ita propriè intelligitur de Formâ Physicâ substantiali, quæ sicuti dat esse completum & quidditatiuum composito physico; ita nihilominus facit illud esse ab aliis distinctum. Vnde istud.

7. *Actus est, qui facit differre.* l. 7. Metap. c. 13.] Verũ est iuxta posteriorem effati præcedentis explicationem, hoc modo: Actus, ideſt, forma rei, dat speciem & distinctionem ab aliis rebus, cum per materiam res conueniant in specie. Ea de causâ Forma physica substantialis dicitur *Ratio quidditatis*, &, *omnis species dicitur esse à formâ*. Vt explicatum pluribus est, Titulo *de causâ Formali*, distinct. 1. & 2. Eodem sensu verum est illud.

8. *Omnis distinctio fit per aliquem actum.* 7. Metap. t. 49.] Vbi quidem in specie non habetur, tantum enim *separare actus* dicitur: satis tamen commodè à Philosophis passim inde citatur, vt constat ex dictis Titulo *de causa formali* dist. 3. num. 2. Potest etiam intelligi iuxta priorem sensum axiomatis præcedentis, dummodo latè accipiatur actus, non solum pro formâ Physicâ; sed etiam pro qualibet actualitate Metaphysica. Lege, si placet, Suarez l. 7. de Trinit. c. 4.

DISTINCTIO III.

De *distinctione generica & specifica.*

1. *Quæcunque differunt genere, etiam specie differunt & numero.* Porphyrius cap. de genere.] Nimirum vel realiter tantùm, vel prædicamentaliter tantum; vel etiam realiter & prædicamentaliter simul. Vnde ista.

2. *Quæcunque differunt genere realiter, differunt numero & specie realiter.*] Sic lapis v. c. & equus distinguuntur genere, specie & numero: non tamen distinguuntur prædicamentaliter; quoniam in genere substantiæ conueniunt: lapis autem & albedo v. c. differunt genere, specie & numero realiter & prædicamentaliter; ac proinde dicuntur inter se primò esse diuersa.

4. *Quæcunque differunt genere prædicamentaliter, differunt specie & numero prædicamentaliter.*] Sic actio & passio, quæ secundum rem, numero sunt idem, differunt genere, specie & numero prædicamentaliter, iuxta communem sententiam Philosophorum.

4. *Quæcunque magis differunt, quàm numero, differunt specie.*] Verum est sub hac distinctione: quæcumque magis differunt, quam numero, per rem sibi accidentalem, differunt specie accidentali: Quæcunque magis differunt, quam numero, per rem sibi essentialem, differunt specie essentiali, priore modo differunt Petrus Doctor, & Henricus idiota; posteriore Petrus & Bucephalus. Vide Hurtado. D. 6. Logicâ sect. 1. n. 1.

5. *Quæcunque differunt realiter, eadem essentialiter.*

igitized by Google

Traditur à Suarez disp. 5. Metaphysic. sect. 2.] Essentialis differentia sumitur dupliciter, 1. strictissimè pro intrinseca dissimilitudine in essentia, & ita propositum effatum intelligitur à Dialecticis & Metaphysicis de sola distinctione specifica aut generica, 2. minus strictè quidem; sed nihilominus propriè pro qualicunque distinctione rerum, siue numerica illa sit, siue specifica aut generica, & hoc posteriore sensu verum est pronunciatum. Ratio est; quia omnis realitas defert secum essentiam realem, & alia realitas, aliam essentiam; tametsi non semper essentiali specie distinctam. Intellige in rebus creatis: non autem in increatis siue diuinis. Nam in SS. Trinitate vnitas essentiæ non impedit realem Personarum distinctionem.

6. *Aliud est differre essentialiter, aliud essentiali specie differre.* Traditur à Suarez ibidem.] Ratio est; quia omnia, quæ differunt realiter, eadem in creatis essentialiter differunt, vt explicatum est: non omnia, quæ differunt realiter, eadem specie differunt. Vt partes continuæ in lineâ verbi causa, differunt essentialiter, ideſt realiter; cum possint à se mutuò separari: non differunt specie essentiali: Item Petrus & Paulus differunt essentialiter nu[illegible] sed non specificè; quia secundum rationem conueniunt in natura communi, siue in specie humana: secundum rem autem, siue à parte rei distinguuntur differentia indiuiduali, quæ est pars Metaphysica contrahens naturam cõmunem, & cum ea constituens hanc naturam indiuiduam. Licet vero differentia indiuidualis sit essentialis suo indiuiduo; cum non nisi ratione distinguatur à substantia siue essentia rei, vt docet Suarez disp. 5. Metap. sec. 2. n. 35. tamen secundum communem loquendi modum non solet vocari diffe-

rentia essentialis ; sed intrinseca , entitatiua , & materialis, vt distinguatur à differentia specifica , quæ propriè dicitur formalis ; quia desumitur ab eo gradu, in quo formaliter conueniunt indiuidua eiusdem speciei. Hoc etiam sensu species infima dicitur tota essentia indiuiduorum , scilicet formaliter , ac præcisè sumptâ essentiâ.

7. *Aliud est esse diuersum.*] Nempe si termini isti sumantur propriè & philosophicè. Illa enim propriè dicuntur differre , quæ in aliquo conueniunt vniuocè , & in alio distinguuntur. Vt Petrus & Leo : esse autem diuersa dicuntur, quæ in nullo superiore adæquatè conueniunt, vt Petrus & albedo: hæc namque toto genere , siue totis prædicamentis diuersa sunt. Sumitur hæc doctrina ex l. 5. Metaph. c. 9. t. 17. & l. 10. c. 51. vt notat Fonseca in vtrumque locum.

DISTINCTIO IV.

De conditionibus distinguentis.

1. *Qui bene distinguit bene docet.*] Est commune Sapientum proloquium. Ratio illius est ; quia cum multiplex possit esse sensu[illegible]erpretatio , non modo earum , quæ de rebus fiunt , propositionum. Sed etiam ipsarum rerum , prout nominibus seu vocibus subsunt ; cumque non statim cuilibet in doctrinali auscultatione obuia sit germana veritatis explicatio ; fit , vt methodicæ distinctiones suo loco & tempore adhibitæ , rei cognoscendæ lucem afferant clarissimam , & omnem perquisitigandæ veritatis molestiam penitus auferant. Dixi suo loco tempore ; quia si importunè , & sine iudicio minimè ad rem facientes adhibeantur , animum audientium

pertur-

perturbant, & studiosis sæpe numero negotium facessunt.

2. *Bona distinctio est difficultatis solutio.* Refertur ab Alberto M. in libro 1. Metaph. Tract. 1. cap. 2.] Vbi addit, esse communem omnium sententiam. Ratio est, quia pleræque difficultates in disputationibus nasci solitæ, ex non recta terminorum apprehensione proueniunt : hæ autem per bonam & opportunam distinctionem cnodantur.

3. *Vniuscuiusque rei quidditas per distinctionem attingitur.* Sumitur ex libro 2. Poster. cap. 14.] Vbi rerum omnium essentias ; per diuisionem siue distinctionẽ inuestigari posse affirmat Philosophus, nam diuidendo & distinguendo vnum ab alio, ad propriam cuiusque rei definitionem peruenitur. Videri potest Fonseca l. 5. Dial. c. 7. vbi pulchrè ostendit, quâ methodo per diuisionem & distinctionem rei cuiuspiam definitio inuestigetur.

4. *Omnis distinctio fieri debet per membra opposita.* Sumitur ex lib. 1. de Partibus Animal. cap. 3.] Vbi docet Philosophus, non rectè diuidi animalia in natantia & alba, nec rursus in vrbana & syluestria ; quod eadem & natantia & alba esse possint, nec non & vrbana & syluestria. Eadem ratione Boëtius libr. de diuisione, reprehendit distinctionem animalium in rationalia, & duos pedes habentia, quod membra diuisionis non sint distincta. Ratio effati est ; quia hoc pacto enumerando non rectè dici potest, aliud esse hoc, aliud illud : quod tamen in huiusmodi distinctione intenditur.

5. *Differentiam ponens inter aliqua, cognoscit vtrumque sub propriâ ratione.* Sumitur ex lib. 2. de anima t. 145.] Vbi docet Aristoteles, vnum aliquem sen-

sum externum non posse percipere differentias obiectorum ad sensus diuersos pertinentium ; ac proinde neque de omnibus obiectorum sensibilium discriminibus iudicare. *Nam si vnum est*, inquit, *quod dicit aliud ab vno differre, idipsum cognoscere vtrumq; debet*: alioquin enim non rectè potest distinguere, iuxta illud,

6. *Arbitrum oportet vtriusque partis causam cognoscere.* Sumitur ex eodem textu, & l. 1. de cœlo c. 10. t. 101.] Vbi ita ratiocinatur Philosophus: simul autem ea, quæ dicentur, maiorem fidem habebunt, si disceptantium rationum iura prius fuerint audita, minusque videbimur indictâ causâ damnare. Arbitros enim, non aduersarios esse oportet eos, qui de veritate, vt res postulat, iudicium laturi sunt. Ratio effati est; quia alioqui de re ignotâ sententiam temerè & inconsultò ferret, & rei difficultatem minimè expediet, iuxta illud.

7. *Soluere vinculum nemo potest, qui nodum ignorat.* l. 3. Metap. c. 1. t. 1.] Cum enim controuersias, de re quapiam pro vtraque parte discutere, nihil aliud sit, quam vincula mentis & eorum nodos inspicere, (nihil enim aliud sunt argumenta pro vtraque parte quã vincula, quibus mens ligatur, & impediatur, vltra ne progredi queat, vt eodẽ textu docte ostendit Aristot.) is sanè ad veritatis perceptionem, modicè idoneus erit, qui omnes vtriusque difficultates & ambiguitates perspectas habere minimè laborauerit: At verò, qui de quæstione propositâ, dubia pro vtraque parte diligẽter & accuratè pensitarit, is omnes controuersiarum nodos facili negotio expediuerit.

TITVLVS LXV.

De oppositione rerum.

DISTINCTIO PRIMA.

De oppositione generatim

1. *Oppositorum eadem est disciplina.* Sumitur ex lib. 4. Metap. t. 4. & ex l. 10. t. 14. & aliis locis.] Oppositio sumitur dupliciter; primò latè pro quauis repugnantia seu diuersitate extremorum quæ nihil est aliud, quam vel negatio, quod vnum extremũ non sit, aut non possit esse aliud, aut simul cum alio: vel quam relatio, quæ aliquando realis est, aliquando rationis, secundo minus latè accipitur, pro peculiari quadam repugnantia, inter certa extrema, & ita oppositione diuiduntur in Relatiuè opposita, Contraria, Priuantia, Contradictoria. Horum omnium inter se dicitur eadem esse disciplina; quia considerantur & tractantur ab iisdem scientiis. Vt Medicina v. c. considerat de sano & ægro, Physica de habitu & eius priuatione, Ethica de virtute & vitio, & ita de ceteris: Cum hoc tamen inter ipsa opposita discrimine, quod alterum ipsorum à scientiis consideretur per se & primario, alterum per accidens & secundario. Vt Metaphysica per se considerat Ens reale, per accidens Ens rationis. Et ratio est; quia à se mutuo in doctrina & cognitione dependent: vel enim se habent, vt res & priuatio seu negatio rei; & ita cognoscitur vnum per alterum, nempe priuatio seu negatio per remillã qua priuat, aut quam negat: iuxta illud: *Priuatio cognoscitur*

per habitum oppositum : Vel habent se, vt formæ contrariæ, & ita alterutrum cognoscitur per alterum, vt virtus per vitium, & vitium per virtutem. Vel denique sunt opposita relatiuè, & ita cognoscitur vnum cum altero, iuxta illud : *Vno relationorum definitè cognito, alterum quoque definitè cognosci necesse est.* In Categoriis cap. 8. quod axioma omnibus oppositorum generibus accommodari potest, de illo supra actum est, Titulo *de relatione.*

2. *Oppositorum opposita sunt effectus.* lib. 5. Polit. cap. 8.] Intelligitur propriè de positiuè inter se oppositis, quæ sicuti vtriusque sunt realia, ita effectus habent vtrimque realiter oppositos. Ratio est, quia vnumquodque producit effectum suæ naturæ proportionatum. Sic calor calefacit, frigus infrigidat, & eadem est ratio in ceteris, vt pluribus explicabitur infra, de causis & effectis contrariis.

3. *Nulla opposita possunt simul reperiri in eadem re.* Sumitur ex 1. Elench. 4.] Nempe in eadem re singulari, secundum eandem partem, respectu eiusdem, eodem tempore & modo, alij alias addunt conditiones : sed illę vel non differunt à recensitis ; vel commodè ad eas reuocantur. Ratio pronunciati est, quia omnia opposita sunt repugnantia : atqui.

4. *Nulla repugnantia possunt simul reperiri in eadem re.*] Nimirum secundum cursum naturalem. Ratio per se manifesta est ex terminis, quoniam repugnantia vt sic, sibi necessariò repugnant, & excludunt se mutuò ab eodem subiecto : vt album & nigrum, lapis & lignum, doctus & indoctus, homo non homo, ambulans non ambulans. Intellige simul seu eodem tempore, & eodem modo, vt diximus ad axioma præcedens.

5. *Nulla opposita de eadem re verè simul affirmari*

possunt.] Ratio est; quia non possunt simul esse in eadem re vel subiecto, iuxta explicationem superioris pronunciati, ac per consequens nec verè de eodem affirmari; quoniam affirmari rectè aut non affirmari sequitur esse aut non esse rei. Hinc etiam.

6. *De quocunque affirmatur alterum oppositorum, negatur alteri.*] Ratio est, quia opposita de eadem re singulari non possunt simul verè affirmari, iuxta explicationem præcedentium: Ergo si alterum de re quapiam verè affirmaueris; alterum de eadem necessariò negandum erit, verbi causa si Isaac verè dicitur filius Abrahæ, verè etiam negatur esse illius parens. Ceterum non conuertitur pronunciatum absolutè in omnibus oppositorum generibus: Neque enim sequitur: Petrus non est filius Pauli; Ergo non est eius pater, sed in iis solum conuersio valet, quæ carent medio vt; Petrus non est probus; Ergo improbus: Ioannes non est sanus, ergo infirmus: & ita de ceteris.

7. *Maiori bono maius malum opponitur.*] Refertur à D. Thoma 2. 2. q. 79. art. 4. Sumiturque ex lib. 8. Ethic. cap. 10. Vbi docet Philosophus, Tyrannidem esse pessimum Reip. malum; quia nimirum contraria est Regno, quæ est optima Reip. species, vt docet Aristoteles ibidem: *Rex enim non suas ipse: sed eorum, qui regnantur, utilitatem considerat & qui talis non est, forte potius quidam est Princeps*, ait, *quam Rex: at verò Tyrannus non Reip. sed suum ipse bonum persequitur.* Vtitur etiam hoc pronunciato D. Thomas 2.2.q.34.a.2. Vbi ex illo probat, odium Dei esse pessimum peccatum; quoniam opponitur dilectioni Dei, in quo consistit optimum hominis. Eodem sensu vsurpari solet & illud.

8. *Id est melius, cuius oppositum est peius.* Sumitur ex eodem cap.] Vt autem vera sint hæc pronunciata, requiritur, vt conferantur inter se termini oppositi eodem genere oppositionis; hinc licet odium Dei sit peius, quam carentia visionis Dei; tamen visio Dei entitatiuè censeri potest nobilior amore Dei: in istis enim est oppositio priuatiua; in his vero contraria, 2. requiritur, vt cætera omnia, quæ interuenire possunt, sint paria: potest enim id, quod opponitur minori bono, esse deterius illo, quod opponitur maiori bono, propter aliquam circumstantiam sibi, non alteri annexam, quamobrem licet meliusabsolutè sit intrare Religionem, quam audire Sacrum die dominico: peius tamen est, non audire Sacrum tali die, quam non intrare Religionem: quia pro priori vrget præceptum; non autem pro posteriori. Similiter melior est Fortitudo, quàm Temperantia, intemperantia tamen peior est pusillanimitate; quia in hac communiter maior libertas est; quam in illâ. Lege, si placet, D. Thomam 1. 2. q. 39. art. 4. ad 1. & q. 84. a. 4. ad 1. & alibi.

DISTINCTIO II.

De oppositis contrariè in genere.

2. CONtrariorum eadem est scientia. libro 1. Top. cap. 8. & lib. 10. Metaph. t. 4 1. & lib. 5. Ethicorum c. 1. in principio,] Vbi loquitur Philosophus in hunc modum: *Eadem nãque potentia scientiaque contrariorũ esse videtur*: Potentia nimirũ seu vis, nõ effectiua: Nã causæ contrariæ contrarios habent effectus, vt mox explicabitur; sed perceptiua

siue cognoscitiua: sic enim eâdem facultate cognoscimus album & nigrum, id est, oculo, seu potentiâ visiua: consonum & dissonum aure, calidum & frigidum tactu &c. & generatim verũ est hoc pronunciatum eodem sensu, quo paulò ante explicatum est, oppositorum eandem esse disciplinam.

2. *Contraria iuxta se posita magis elucescunt.*] Aristoteles in Problematis sec. 22. num. 11. & l. 2. de cœlo t. 40. vbi generatim docet ea, quæ iuxta se ponuntur, facilius sensu humano percipi. Eandem doctrinam repetit t. 90. eiusdem libri, verum itaq; pronunciatum est, tum in propriè contrariis, tum in aliis etiam inter se dissimilibus ac disparatis. Sic in moralibus bona clarescunt, cum fuerint malis comparata: sic in naturalibus gratiam lucis commendat obscuritas noctis, & vmbræ atrique colores picturæ augent venustatem in artefactis, dum eminentiora quæque distinguunt, & differentiâ colorum alternâ vice sese excitante, oppositа iuxta se posita clarius ac distinctius in oculos incurrunt. Particularia huius rei exempla speciatim recensere nihil attinet: cum passim cuilibet sint obuia.

3. *Contraria sunt sub eodem genere.*] Capite de Oppositis sub finem & li. 1. Physic. t. 56. & lib. 1. de Gen. & Cor. t. 51. & alibi, intelligitur de contrariis propriè prout distinguuntur à reliquis Oppositorum generibus: talia enim sub eodem sunt genere, siue proximo, siue remoto, vt constat ex ipsorum definitione, qua dicuntur *contraria maximè sub genere distare*: At verò ea entia, quæ planè sub diuerso sunt: genere siue prædicamento, non tam dicuntur distare seu differre, quã esse diuersa: cũ sint in diuersa serie Categoriæ. An autẽ dentur contraria, quæ tãtam conueniant in genere summo, & non in aliquo

subalterno, valde est dubium ; & probabilior videtur pars negatiua , (licet animosè aliqui affirmatiuam defendant) si de propriè dictis contrariis sit sermo: talia enim sunt sub eodem genere habitus vel actus, vel potentiæ &c. habitus autem non contrariatur directè actui, nec actus habitui aut potentiæ, vt explicatum est suo loco.

4. *Èà vnumquodque est melius, quo eius contrarium deterius.*] Elicitur ex l. 8. Ethic. c. 10. & verum est, secundum eam considerationem, qua melius opponitur peiori, & peius meliori : quo etiam modo intelligitur communis illa regula ex l. 2. Topic. desumpta : *sicut oppositum melioris est peius, ita oppositum peioris est melius*. Sic v.c. melior est actus caritatis, quam fortitudinis ; quia actus odij Dei, vel omissio illius, cæteris paribus grauior est, quam actus audaciæ, aut fortitudinis neglectus. Sic etiam generatim tanto peior est detestatio virtutum, quanto melius earum desiderium, vt desiderium. Vt patet ex dictis distinctione proximè superiore,

5. *Pessimum est, quod est contrarium optimo.*] lib. 8. Eth. c. 10. ante medium, vbi ex eo, quod tyrannis aduersetur vniuersalissimo bono Regni, quod videtur esse optimum, infert Aristoteles, tyrannidem esse pessimum malũ : pessimum enim, inquit, est id, quod est contrarium optimo. Intelligitur itaque & verum est pronunciatum iuxta explicationem præcedentis. & locum habet in omnibus, quæ habent contrarium siue ea contrarietas moraliter consideretur, siue naturaliter, sic v.c. odium Dei pessimum est in genere moris, & amor eiusdem etiam in genere moris optima est operatio : at vero in genere naturæ optima operatio est visio seu intellectio Dei: contra verò error circa Deum, vel etiã priuatio visionis Dei pessimum est in eodem genere. Ita fere Vasquez in. 1. 2. disp. 100. n. 26.

Digitized by Google

6. *Contrariorum eadem est ratio.*] Sumitur ex *l.* 5. Eth. c. 1. & aliis locis iam sæpius hoc titulo citatis: verum est autem, quoad mutuam oppositionem & expulsionem inter duo contraria. Vt v. c. sicuti calor vt octo excellenter calefacit; ita è conuerso frigus vt 8. excellẽter frigefacit; & sicuti virtus aliqua excellenter est bona, ita eius contrariũ vitiũ excellenter est malum. In aliâ contrariorum inter se collatione non semper locum habet: Nam veritas & falsitas iudicij sunt contraria: horum tamen non in omnibus eadem est ratio; quia veritas est instar puncti & scopi, qui certo tantum modo attingi potest: Falsitas verò est instar aberrationis à scopo (cum sit recessus à veritate) quæ mille modis fieri potest, item plura sunt malis contraria, quam bonis vt iam explicabitur.

7. *Plura sunt malis contraria, quam bonis.* in Categoriis c. 10] Vbi dicitur, *Bono malum tantum esse contrarium*, vt vitium virtuti: *Malo verò tum bonum tum malum*; vt auaritiæ v. c. contraria est liberalitas, quæ est bona, & prodigalitas, quæ mala. Eodem sensu l. 2. Eth. c. 8. docet Philosophus, peccatum non solum contrariari virtuti; sed etiam opposito vitio. Bonum autem & malum hoc loco non sumuntur transcendentaliter: neque per malum intelligitur priuatio (alioqui priuatiua foret oppositio non contraria) sed vti per bonum intelligitur forma, seu qualitas conueniens, vt calor igni, frigus aquæ; ita per malum intelligitur forma positiua disconueniens, vt calor in aqua, frigus in aëre. Porro Aristoteles non vult, cuiuis bono necessariò & propriè contrariari aliquod malum; nec vult cuilibet malo multa esse propriè & extremè contraria, sed loquitur de contrarietate tum perfecta tum imperfectâ; quoniam extremâ &

Digitized by Google

perfecta duntaxat contrarietate vnum vni tantum est contrarium, vt mox explicabitur

DISTINCTIO V.

De *extremè & mediè contrariis.*

1. VNi *vnum tantum est contrarium.* l. 1. de cælo t. 10. & l. 10. Metap. t. 14.] Intelligitur & verum est de contrarietate perfecta siue extrema: non autem de imperfecta & intermedia. Vt albedini v. c. qui est color extremus vnus tantum color extremus est contrarius, videlicet nigredo: etsi plures medij eidem opponãtur vt flauus, cœruleus, rubicũdus, fuscus &c. secundo vnum vni tantum contrariatur adæquatè: vt v. c. liberalitati (quæ est virtus inclinans tum ad dandum, tum ad retinendum pecunias &c. quando & quo modo recta ratio dictat) non sola contraria est auaritia adæquatè, neque sola prodigalitas; sed vtraque simul. Tertio quando plura sunt vni contraria, tum illa plura conueniunt etiam in ratione vnius, & ita manet verum, vni vnum duntaxat esse contrarium. Sic albedini opponitur tum nigredo tum medij colores, vt fuscus, cœruleus &c. sed hi sub ratione vnius; quatenus scilicet continent aliquid nigredinis. Sic liberalitati contraria est auaritia, & prodigalitas, quatenus hæc duo in hoc vno conueniunt, quod destruant rectitudinem liberalitatis.

2. *Medium est quodammodo ipsa extrema.* Sumitur ex lib. 5. Physic. t. 6] Vbi ex eo probat Philosophus, medium cum extremis, & hæc cum illo collata, esse quodammodo contraria, vt viridem

Digitized by Google

colorem v.c. aut fuscum, cum nigro collatum, album videri: cũ albo nigrum iudicari. Porro iudicari. Porro duplex in genere medium est, vnũ per participationem extremorum, & hoc realiter cõponitur ex extremis, ac proinde ipsa quodãmodo extrema esse dicitur; vt tepor ex calore & frigore, medij colores ex albedine & nigredine; alterum est medium solum per comparationem ad extrema: & hoc non componitur realiter ex illis; quomodo dicitur homo esse medius inter entia purè spiritualia & purè materialia. De priori medio intelligitur propriè axioma: posteriori etiam potest accommodari.

3. *Medium quod ex extremis constat, virtute continet extrema.* Sumitur ex eodem textu, & refertur à D. Thoma 2. 2. q. 179. a. 2. ad 2.] Intelligitur propriè & verum est de eo, quod est medium per participationem: hoc enim constat siue componitur ex ipsis extremis; vt dictum est. Ordinariè autem in eo alterum extremorum dominatur, à quo absolutam sumit denominationem vt ibidem subiungit D. Thomas. In quem etiam modum de supernaturali Theologia, quæ simul speculatiua & practica est, docet idem 1. p. quæst. 1. art. 4. eam magis esse speculatiuam, quam practicam; quoniam ex primario obiecto est speculatiua. De eodem medio, quod dicitur per participationem, intelligitur istud,

4. *Medium & extrema sunt eiusdem generis.*] Vtitur hoc pronunciato S. Thomas 2. 2. q. 1. art. 2. in *sed contra* & ex eo probat, fidei obiectum, ex parte credentis esse aliquid complexum enuntiabile, eo quod fides media sit, inter scientiam & opinionem quæ sunt circa enuntiabilia. Sumitur autem ex lib. 10. Metaphys. c. 6. t. 22. vbi Philosophus inquit:

Digitized by Google

Media omnia, & quorum sunt media, in eodem genere esse necesse est. Rationem assignat ibidem: quia media sunt illa, in quæ prius mutetur necesse est, id quod mutatur: vt si cytharœdus ab vltima chorda ad primam paulatim transeat, prius in medios sonos veniet; & in coloribus, si ex albo quispiam in nigrum pergat, prius in puniceum & fuscum incidet, quàm ad nigrum perueniat: eadem est ratio in ceteris: atqui, *Mutari ex genere in genus nihil potest, nisi per accidens*, vt inquit Philosophus ibidem, v. c. ex quantitate, in qualitatẽ, ex colore in figuram &c. Necesse est igitur, media, & ea quorum sunt media, in eodem genere esse. Eandem doctrinam habet Aristoteles l. 5. Physic. t. 6. paulò ante citato, vbi ait in citharæ fidibus mediam collatione primæ grauem: respectu vltimæ verò acutam æstimari. In eandem sententiam vsurpari solet illud vulgare: *Medium participat de vtroque.*

DISTINCTIO IV.

De contrariis in ordine ad subiectum.

1. *Contrariorum idem est subiectum.* in Categoriis c. 10. & l. 10. Metap. t. 13.] Nimirum vel idem genere, vt calor & frigus, quorum subiectum est idem corpus corruptibile; vel idem specie, vt virtus & vitium, quorum subiectum est homo; vel etiam idem numero; quo modo vna eademque materia nunc frigida est, nunc calida. Iuxta hunc sensum quidam explicant & illud: *Contraria sunt in eodem genere*: intelligunt enim de genere physico, eò quod contraria versentur circa idem subiectum, & habeant fieri in eadem materia: si non simul, saltem

Digitized by Google

succeſſiuè. Ea de cauſa in definitione dicuntur, *Contraria eidem ſubiecto vicißim inesse, niſi eorum alterum insit à natura.* Debet autem propoſitum axioma intelligi ad eum ferè modum, quo lib. 1. Phyſic. t. 4. Philoſophus ait: *Ex Principiis esse omnia*: quemadmodum enim non ex quouis principio fiunt omnia; ſed ſingula ex ſuis principiis ita non omnia contrariorum genera idem omninò ſubiectum habent; ſed ſingula ſibi proportionatum, vt verbi cauſa virtus & vitium voluntatem, ſcientia & error intellectum, & ita de cæteris.

2. *Contraria circa eandem versantur materiam.*] Verum eſt eodem ſenſu, quo effatum præcedens: ſumitur autem ex lib. 2. de Cœlo t. 16. & ex lib. 1. de Gen. & Cor. cap. 1. t. 1. Vbi inquit Philoſophus: *oportere contrarijs ipſis ſemper vnam ſubijcere materiam ſiue loco, ſiue accretione, decretione, ſiue alteratione mutatio fiat*, id eſt, ſiue res loco moueantur, ſiue accreſcant, aut decreſcant, aut aliam quamuis mutationem ſubeant, dari oportere vnum commune ſubiectum, quod contraria viciſſim ſubeat. Senſus moralis huius pronunciati indicatur illo vulgari adagio: *Figulus inuidet figulo*: & iſto: *Nulla pax regni ſocijs*, de quibus vide, ſi placet, quæ diximus ſupra, Titulo *de Amicitia*.

3. *Contraria non poſſunt eſſe ſimul in eodem ſubiecto.* lib. quarto Metap. t. 20. & 27. & lib. 9. Metap. t. 19.] ſubintellige primo naturaliter, ſiue ſecundum vim & ordinem naturæ: quia reſpectu potentiæ diuinæ multa contraria poſſunt ſimul copulari in eodem ſubiecto, vt fusè diſputant Philoſophi in lib. 2. de Gen. & Corrup. ſecundo intellige ſecundum eandem partem, vt notat Ariſtoteles lib. 6 Phyſic. t. 83. quia æthiops verbi cauſa eſt albus ſecundum dentes cum ſit corpore niger. Tertio in gradibus

Digitized by Google

vtrimque intensis. Patet ex textu citato. Ait enim ea non posse esse simul, *nisi vel ambo ex parte* verbi causa in gradu quarto: *vel alterum ex parte*, id est remisse, *alterum simpliciter*, id est in gradu excellenti, *insit*. Vnde est illud.

4. *Quæ suis contrariis minus permixta sunt, magis talia sunt.*] Veluti id est frigidius, quod minus habet admixtum caloris. Sumitur ex l. 5. Topicorum cap. 4. & l. 5. Physic. t. 19. vbi docet Philosophus; *Id magis vel minus esse tale, quod minus vel magis habet admixtum contrarij.* Sic aqua magis est vel minus frigida, quæ habet minus, vel magis admixtum calorem.

5. *De natura contrariorum est, se mutuò expellere.*] Sumitur ex lib. 10. Metaphys. cap. 6. & aliis locis iam sæpius citatis; ac refertur à Simplicio in lib. 1. Physic. t. 47. Intelligitur secundum eandem partem subiecti, & secundum gradus intensos; nam in partibus diuersis, & gradibus remissis, se mutuò patiuntur vt dictum est numero tertio. Expellunt autem sese aliquando formaliter: quoniam videlicet effectus formalis vnius in gradu excellenti, non potest esse in eodem subiecto cum effectu formali alterius in gradu similiter excellenti, v. c. albedo vt sex, & nigredo vt sex in eodem pariete, aliquando etiam effectiuè sese expellunt, vt calor & frigus, quę sunt qualitates actiuæ. Sic v.c. calor, qui est in igne, efficienter pellit frigus ab aqua per calefactionem producendo calorem in aqua: hoc autem contingit, prout sunt in diuersis subiectis: nam ex eodem subiecto formaliter se excludunt, vt calor v. c. qui introducitur in aquam formaliter pellit frigus ex aqua.

6. *Contrarietas est oppositio secundum formam.*] Sumitur ex l. 1. Metap. t. 13. & 14. ac verum est eodem

sensu, quo axioma præcedens: nimirum in gradu intenso respectu eiusdem omninò subiecti: oppositio enim & expulsio mutua contrariorum fit secundum ipsorum formam in gradibus intensis: non ratione essentiæ, seu naturæ specificæ præcisè: Nam calor vt 4. & frigus vt 4. non opponuntur, & possunt esse simul: sed ratione intensionis, vt calor vt quinque, & frigus vt 5. Hæc tamen non est integra, nec adæquata causa mutuæ expulsionis: sed accedit etiam incapacitas subiecti, seu materiæ: quæ sicuti limitatam habet essentiam, ita etiam potentiam receptiuam.

7. *Illud non est in subiecto, quo inhærente sequitur duo contraria esse simul.* lib. 2. Top. c. 3. loc. 23. & 24.] Videlicet naturaliter, secundum gradus intensos, & secundum eandem partem, ita vt ambo subiectum absolutè denominent. Ex hoc effato probat Aristoteles, pro Platone, ideam siue speciem Socratis non esse in Socrate: quia si esset, moueretur simul & quiesceret: moueretur enim; quia Socrates ponitur moueri: quiesceret autem: quoniam idea dicitur esse immobilis.

8. *Illud non est in subiecto, cuius contrarium non potest eidem inesse.* ibidem.] Ratio est, quia contraria eidem subiecto vicissim insunt, vt constat ex ipsorum definitione circa si vnum non possit inesse, neque alterum deerit. Verum est pronunciatum in iis contrariis, quorum neutrum inest, semper à naturâ, vt ex eadem definitione patet. Hinc docet Aristoteles probari posse, quod odium non sit in eâ parte animi formaliter, quæ appetitus irascibilis appellatur; quia Amor Odio contrarius, non potest esse in irascibili. Item ignorationem non esse in appetitu: quia scientia ignorationi contraria, non est in illo; sed inhæret potentiæ cognoscenti.

contrarius, non potest esse in irascibili. Item ignorationem non esse in appetitu; quia scientia ignorationi contraria, non est in illo; sed inhæret potentiæ cognoscenti.

9. *Contraria in re non sunt contraria in mente.*] Calor, frigus, & cætera contrariorum genera, prout sunt in rerum natura, verè sibi contrariantur, & in eodem subiecto simul existere non possunt, vt dictum est; at verò prout secundum conceptus & species sunt in mente, siue intellectu cognoscente, non habent ea mutuam inter se pugnam: non enim notiones & rationes contrariorum sunt contrariæ: sed magis vnum contrariorũ est ratio cognoscendi aliud; quoniam, vt supra explicatum est, *contrariorum est eadem scientia.* Lege, si placet, D. Thomam 1. 2. q. 35. a. 5. & alibi.

DISTINCTIO VI.

De causis & effectis contrariis.

IDem *non potest esse principium oppositorum.*] Refertur ab Alexandro de Ales in l. 7. Metaph. t. 13. & verum est de principio ac causa particulari: non autem communi. Item de principio ac causa per se & ratione sui præcisè operante naturaliter: non autem de causis per accidens & liberis: Ratio est; quia *Idem manens idem semper facit idem*, vt supra explicatum est. Titul. *de causa efficiente* d. 12, n. 7. Hinc quando dicitur natura esse principium motus & quietis, non intelligitur quies priuatiua, quæ est opposita motui; sed positiua, quæ non opponitur motui. Quinimò motus ordinatur ad illam, vt via ad terminum: ideo enim terra v. c. mouetur ad locum

infimum,

Digitized by Google

vt ibidem quiescat. Dixi intelligi de causâ particulari, seu propria; quia vnum & vniuersale est rerum omnium principium, nempe Deus; & idem potest esse causa communis effectuum contrariorum, vt sol v. c. cœlum, &c. à quibus diuersissimi proueniunt effectus. Vide, si placet, quæ diximus Titulo 8. dist. 6. numero 1. & 5. dixi 10. per se, & ratione sui præcisè; quia per accidens, & ratione subiecti ac dispositionum, potest idem esse principium oppositorum, iuxta illud commune Peripateticorum.

2. *Quod operatur propositum in proposito, idem operatur oppositum in opposito.*] Sic v. c. sol ceram emollit, lutum indurat, ignis astringit corium, glaciem laxat, ebrietas aliis garrulitatem confert, aliis silentium. Denique idem cibi ac potus vsus, vni eidemque homini; sed aliter affecto, modo salutaris est, modo noxius. Vide, si placet, D. Thomam 1. p. q. 49. art. 1.

3. *Causæ contrariæ contrarios habent effectus.* Sumitur ex l. 4. Meteor c. 6. t. 30. & refertur à Commentatore t. 40.] Verum est eodem sensu, quo explicuimus, idem non posse esse principium oppositorum; nimirum per se & ratione sui, idque in causis particularibus & propriis, naturaliter operantibus quo etiam sensu diximus supra: *Contrariorum contrarios esse motus*, Tit. *de motu*, sic frigus contrahit, laxat calor; sic albo colore dissipatur visus, colligitur nigro & generatim secundum hoc, locum habet celebris illa regula Aristotelica libro primo Topicorum tradita.

4. *Contraria de contrariis dicta sunt probabilia.*] Valet autem quantum ad ea, quæ conueniunt contrariis, quatenus contraria sunt. Non vero quantum ad ea, quæ communia sunt vtrique oppositorum, vt bene aduertit Diuus Thomas quæst.

3. de causa peccati artic. 6. ad 6. Rectè siquidem dicitur: si albedo disgregat visum, ergo nigredo congregat: non autem sequitur, si album est visibile; ergo nigrũ est inuisibile, hoc enim conuenit ratione coloris, vt sic; ac prout communis est vtrisque. Est in hanc sententiam non verum minus, quam pium argumentum S. Bernardi sermone 4. in Festo omnium Sanctorum: *Verè si miserrimus ille è cælo dejectus est, quoniam affectauit celsitudinem, nonne consequens est, beatos esse, qui sponte in paupertatis humilitatem sese deponunt?* Et infra. *Vis obtinere cælum quod perdidit superbiens Angelus? humilitatem amplectere.*

5. *Contrariorum contrariæ sunt causæ.* libro. 2. de Gen. & Cor. capi. 10. t. 56.] Verum est eodem sensu quo illud: *Causæ contrariæ contrarios habent effectus*: est enim illius correlatiuum. Hinc probat Aristoteles loco citato, accessum & recessum solis efficere vicissitudinem generationum & corruptionum: videmus namque sole accedente ad nostrum Zenith, circa æquinoctium vernum omnia reflorescere, plantas, arbores, animantes; recedente verò circa æquinoctium Autumnale, omnia deflorescere; quæ quoniam sibi inuicem contraria sunt, vt inquit Aristoteles ibidem, habent causas contrarias, scilicet accessum solis, & eiusdem recessum.

6. *Conseruatiuum vnius contrarij est destructiuum alterius.*] Verum est eadem restrictione, qua vtrumque præcedens, nempe in causis particularibus siue proprijs; & per se ac ratione sui causantibus; hæ siquidem, quoniam vt tales sunt, rationem causandi vniuersalem non habent; vim suam ad effectus contrarios extendere non possunt, nisi modo contrario, vt vnum conseruent, alterum destruant.

Digitized by Google

Fallit autem in agentibus vniuersalibus, & mediatis secundum diuersa accidentia, & subiectorum dispositiones diuersimodè causantibus, qualia sunt Deus, influentiæ cæleſtes, & reliqua agentia communia. Secundum hæc duo effata intelligendum est illud celebre in Moralibus axioma: *Eiusdem virtutis est, amare bonum, & odisse malum ei contrarium*; de quo Titulo *de virtute*. Vide, si placet, D. Thomam 1. 2. q. 32. a. 3. ad 2.

7. *Contraria contrariis curantur.*] Pronunciatum istud à communi Medicorum schola receptum, & longo vsu experientiaque comprobatum, traditur à Galeno in arte medica. c. 89. vbi docet, manifestum esse, quod omnis cura fiat per contraria, eaque non simpliciter in specie: sed æqualia aut etiam intensiora in gradu eo quod actio procedens à contrario minore, vincatur à qualitate opposita. Ita tamen vt non mox à principio procedendum sit ad æqualia; sed à leuioribus sensim ad validiora, iuxta illud: *In principiis non est vtendum medicamentis validis.* Galenus libro de Prædictione capit. 11. ad Post. Nimirum nisi necessitas in grauioribus morbis aliud postulet, vt rectè notat Cardanus in consilio pro difficultate spirandi ad Ioannem Archiepiscopum Scotiæ. Galeni pronunciato conformiter Aristoteles.

8. *Medicinæ fiunt per contraria.* Lib. 2. Ethic. c. 3.] Idem clarioribus verbis distinctè proponit Hippocrates libro secundo aphor. 22. in hunc modum: *Quicunque morbi ex repletione fiunt, eos enacuatio sanat, & quicunque ex enacuatione, illos replerio.* eadem de causa libro septimo aphorismo quinquagesimonono corporibus humida carne prœditis docet perferendam esse famem, eo quod fames exsic-

cet corpora. Ratio est; quia contrariorum effectuum contrariæ sunt causæ, vt diximus. Hinc etiam asserunt Medici, ægritudinem perfectè sanari non posse nec cognosci, nisi perfecta sanitatis oppositæ cognitio habeatur; quia, vt ipsi affirmant; *Numerus specierum ægritudinis par est cum numero specierum sanitatis.* Lege, si placet, Zimaram in Tabulis, verbo, *Eadem*: Notabile est vtrumque pronunciatum ab illis, qui in studia litterarum, aut alia etiã cuiuscunque generis exercitia iusto immoderatius incumbunt: Etenim si continuatio pertinax studiorum, & aliarum quarumlibet occupationum, ingeniis corporibusque perniciem affert; certè moderata intermissio, atque cessatio salutem & incolumitatem conciliat. Lege, si placet, D. Thomam 1. 2. q. 87. artic. 6. ad 3.

9. *Oleum camino non oportet addere.*] Aliqui hoc dictum volunt desumptum esse, ex illis verbis Psalmi 54. vers. 22. *Mollitisunt sermones eius super oleum, & ipsi sunt iacula*; sed dubiũ videtur an coniectura vera sit; licet aliquo modo in similem sensum torqueri possit. Significat autem, non adhibenda esse remedia, quæ malum exacerbent potius, quam leniant. In quam sententiam Plato vetat in libro de Legibus, ne pueri annum vsque vicesimum vinum bibant: Nam si vinum accedat ad feruorem ætatis, ignem igni suggerere videantur. Eodem sensu verum est illud.

10. *Oleo incendium, non extinguitur.*] Fouetur enim potius & alitur; & contraria contrariis media sunt adhibenda: Oleum vero ex specie sua, & & ex propria suarum qualitatum actiuitate ac virtute, flammæ contrarium non est; sed fomentum illius, & alimonia.

Digitized by Google

11. *Contrarietas vbi non eſt, ibi nec generatio & corruptio.*] Refertur à Simplicio in l. 2. de cœlo t. 41 & à D. Thoma 1. p. q. 75. a. 6. in Corp. ſumiturque; ex l. 1. Phyſic, c. 5. Ratio eſt; quia non fit ſubſtantialis tranſmutatio rerum naturalium (de qua pronunciatū intelligitur) niſi per qualitates contrarias, vt docent Ariſtoteles & D. Thomas loco citato: hæ enim ſolæ inter ſe actiuæ ſunt ac paſſiuæ, proindeque l. 2. de Gen. & Corr. dicuntur principia formalia elementorum: quatenus ſcilicet illa actiua ſunt & paſſiua: talia namque ſunt per primas qualitates, vt docetur ibidem. Dixi, quatenus actiua & paſſiua ſunt; quoniam prout ſubſtantiæ ſunt formæ ſubſtantiales ſunt principia formalia elementorum. Vt docetur in 2. Phyſic. Itaque vti in omni operis perfectione actio requiritur & paſſio: ita ſimiliter neceſſaria eſt aliqua contrarietas ſic & in moralibus, nemo ordinariè magnus, ac celebris virtute ſua euadit qui non magnas ſentiat ac ſuperet aduerſitates. Etenim abſque certamine non peruenitur ad brauium, nec ante victoriam obtingit triumphus.

DISTINCTIO VI.

De *Priuatione & de priuatiuè Oppoſitis.*

1. *PRiuatio non cognoſcitur niſi per habitum oppoſitum.* Sumitur ex l. 3. de Anima t. 35.] Et refertur à Commentatore 12. Metap. t. com. 37. ab Alberto in de morte & vita Tract. 1. c. 1. Ratio pronunciati eſt: quia ſicut ſe res habet ad eſſe, ita etiam ad cognoſci: atqui eſſe Priuationis nihil eſt

aliud, quam carentia habitûs oppositi : Ergo debet cognosci in ordine ad habitum oppositum. Quod autem Zimara in expositione huius Theorematis, Priuationem quandoque notiorem esse docet ipso habitu, & per illam sæpe in huius cognitionem veniri, id non nisi impropriè, & de cognitione confusa atque imperfecta debet intelligi. Sumitur autem hoc loco nomen habitus latè prout complectitur non qualitates modo primæ speciei ; sed etiam potentias & naturales alias quascunque formas. Sic verbi causa per lucem cognoscuntur tenebræ, cœcitas per potentiam visiuam, &, vt ait Ioan. Franciscus Mirandulanus.

2. *Rectum est sui, & obliqui index.* l. 7. de Prænotione c. 1.] Sic etiam docent Theologi, mala culpæ siue peccata, quę priuationes quædam sunt, à Deo cognosci proximè & immediatè, intuendo subiectum, cum eius capacitate, & simul intuendo formalem bonitatem ei debitam, qua caret. Dixi proximè ; quia remotè malum cognosci potest, per bonitatem obiecti, siue finis, in quem tendere debet. Sic cœcitas proximè cognoscitur, ex subiecto & forma visus, qua subiectum destituitur ; remotè ex calore & lumine, quatenus est obiectum potentiæ visiuę, est in hanc sententiam illud D. Dionysij cap. 7. de Diuinis nom. Deus per semetipsum tenebrarum accipit visionem, non aliunde videns tenebras, quam à lumine. Vide D. Thom. 1. p. q. 14 a. 10. in corp.

3. *Priuatio est per se non ens.* libro primo Physic. cap. octauo t. septuagesimoquinto.] Id est; ex propria ratione formali, seu essentiali, prout distinguitur à suo subiecto, Priuatio est purum nihil, nullam habens entitatem realem. Est enim Priuatio ex se in recto carentia entis, id est formę, & per hoc con-

Digitized by Google

uenit cum pura negatione : in obliquo tamen connotat ſubiectum reale aptum ad recipiendam formam; & per hoc differt à pura negatione: Hæc enim in concreto ſumpta, non neceſſariò requirit ſubiectum aliquod reale, & aptum recipere formam negationi oppoſitam; ſed poteſt prędicari de non ente; vt Chymæra eſt non homo : item de ſuiecto inepto, vt, lapis eſt non homo : at vero Priuatio in concreto ſumpta, non poteſt prædicari, niſi de ſubiecto reali, & apto ad formam priuationi oppoſitam, iuxta illud.

4. *Habitus & Priuatio ſunt circa idem.*] Sumitur ex libro Categoriarum c. 10. & verum eſt abſolutè eodem ſenſu, quo diſtinctione quarta diximus, contrariorum idem eſſe ſubiectum. Hinc pronunciare non licet : Chymæra eſt cœca ; lapis eſt cœcus ; ſed ſolum poteſt dici animal cœcum, quod actu exiſtit, & quod eſt aptum videre. Lege, ſi placet, Suarez diſp. 54. Metaph. ſect. 5.

5. *Priuationis, vt priuatio, eſt, nulla eſt differentia.* l. 1. de Partibus Animalium c. 1.] Ratio huius patet per explicationem præcedentem : Quod enim nullam in ſe habet entitatem realem, illi non poſſunt reales eſſe differentiæ. Atque hac de cauſa Priuationes ſumunt vnitatem & diſtinctionem ſpecificam per formas oppoſitas ſpecie diſtinctas, quas tollunt è ſubiecto : vti verbi cauſa Priuationes morales honeſtatis, ſeu malitiæ peccatorum differunt ſpecie per honeſtates oppoſitas virtutum ſpecie diſtinctas : iniuſtitia enim ſpecie differt ab intemperantia ; quia iuſtitia ſpecie differt à Temperantia. Vide, ſi placet, D. Thom. 1. 2. q. 71. a. 6. Vaſquez, Bannez, & alios ibidem.

6. *A Priuatione ad habitum non eſt regreſſus.*] Traditur à Philoſopho, Cap. de Oppoſitis, & l. 8. Met.

Digitized by Google

c.5. intelligitur autem de regressu naturali formarum naturalium, & à priuatione sequente habitum non autem antecedente, ac verum est absolutè, 1. respectu eiusdem numero formæ, quæ naturaliter reproduci nequit, secundo etiam verum est, respectu eiusdem formæ in specie, ita tamen, vt intelligatur duntaxat de Priuatione, quæ priuat potentiâ vel propinqua operandi, vt cœcitas, vel remota, vt mors: non autem de ea, quæ priuat tantum actuali operatione, vt somnus: vel formâ extrinseca, vt tenebræ, quibus aër priuatur lumine. Ita ferè præsens effatum explicat D. Thomas, de Malo q.2. ar. 12. ad 13. Quia tamen hęc distinctio non omni prorsus difficultate caret, optima & expeditissima videtur sententia Louanienſium, quam tenent etiam Conimbricenses, in cap. de Oppositis quæst. vnicâ, art. quinto videlicet à Priuatione ad habitum eundem numero viribus naturæ nunquam fieri regressum: ad eundem verò specie tũ etiam non fieri, quando posita Priuatione, tolluntur omnes causæ sufficientes ad productionem habitûs. Quando autem eiusmodi causæ non tolluntur, dari regressum ad eundem specie habitum nihil prohibet. Alij alias distinctiones coacerunt, sed quoad modum loquendi potius, quam re differunt.

7. *Omnia contraria sunt etiam priuantia.*] Intellige secundum naturalem, eodem modo, quo distinctione quarta explicatum est, contraria non posse esse simul in eodem subiecto, & sese inuicem ab illo excludere; ita vt vbicumque est alterum contrariorum, ibi alterius sit priuatio, sumitur ex lib. 10. Metap. t. 16. vbi Philosophus inquit: *Omnis contrarietas habet priuationem alterius contrarij.* Dicuntur etiam omnia contraria ad priuantia reduci; quia semper alterum contrariorum, nimirum quod

Digitized by Google

est perfectius, habet rationem habitus; alterum imperfectius, est instar priuationis, vt docet D. Thomas in l. 1. Meteor. lect. 6. Alex. de Ales in l. 4. Metap. t. 28. & alij passim.

8. *Habitus & priuatio sunt prima contrarietas.* l. 10. Metaph. c. 7.] Verum est eodem sensu, quo axioma præcedens; nimirum omnia contraria esse aliquo modo priuatiue opposita, & hanc esse quasi radicem mutuæ eorum oppositionis. Duobus autem modis potest intelligi, in contrarietate includi priuatiuam oppositionem; scilicet, vel quia vnum contrarium infert priuationem alterius, vel quia vnum est imperfectum & deficiens, respectu alterius: Et ideo ad illud per modum Priuationis comparatur. Vtroque modo verum est pronunciatum. Ita ferè Suarez ad locum citatum.

6. *In quolibet genere est vna contrarietas prima.* l. 1. Physic. t. 50. & 56.] Intelligitur iuxta explicationem præcedentis, & verum est tum de generali oppositione differentiarum, quæ diuidunt genus summum cuiusuis Prædicamenti; ita vt vna ad alteram se habeat, quoad præstantiam, velut habitus ad priuationem, tum verò præcipuè de oppositione contradictoria primâ in singulis Prædicamentis: v. c. in Categoria substantiæ est hæc prima & summa oppositio contradictoria: substantia, non substantia, alias sub se continens; vt corpus, non corpus; animal, non animal; homo non homo; & ita similiter in aliis Categoriis; tum, quia alias sub se continent, vt constat ex dictis; tum quia ceteræ ad illam reducuntur, vt inquit Aristoteles textu citato.

Digitized by Google

DISTINCTIO VII.

De oppositis contradictorie.

1. *Contradicentium nullum est medium.* Sumitur ex l. 5. Physic. t. 26. & ex l. 4. Metap. c. 5. t. 5.] Vbi inquit Philosophus: *Contradictiones nihil habere medium; sed necessarium esse, verum vel falsum dicere de quolibet*, Similia habet l. 1. Poster. c. 2. t. 5. & alibi. Indicatur hoc pronunciato discrimen inter contradictoria & alia oppositorum genera, quod hæc medium aliquod habeant, id est, quod dari possit aliquod subiectum, cui neutrum extremorum conueniat: illa verò omni prorsus medio vacent. Sic v.c. quidquid est, vel est homo, vel non homo non autem quidquid est, vel est Dominus vel seruus; nec item virtute præditum aut vitio; nec rursus videns aut cœcum. Nec solum in reliquis oppositorum generibus datur medium, per negationem extremorum; sed etiam per participationem: Nam, vt inquit D. Thomas, *Oppositorum alia conueniunt in medio eiusdem generis cum ipsis; vel in materia, vel in subiecto, vel in his omnibus.* Consule, si placet, illum Opusculo 37.

2. *Contradictio est pugna affirmationis & negationis.*] Refertur ab Ammonio in l. de Interp. q. 51. sumiturque ex cap. 4. l. 1. de Interp. Vbi Aristoteles inquit, contradictionem esse affirmationem & negationem oppositam, qua verum à falso semper diuiditur. Porro ad huiusmodi affirmationis & negationis oppositionem 4. conditiones requirit Aristoteles l. 1. Elench, c. 4. nempe vt sint, *secundum idem*

Digitized by Google

similiter, eodem tempore; ad quam reuocatur conditio, *eodem loco*; de quibus vide Fonsec. l. 8. Dial. c. 12.

3. *Oppositio contradictoria est maxima.* l. 10. Metap. cap. 3. t. 15.] Ratio est; quia neque in genere, neque in subiecto contradictoriè oppositа cõueniunt; cum distent toto genere Entis, vt constat ex dictis, & ipsorum definitione. Illa enim dicuntur contradictoria; *inter quæ comparatione alterius nullum datur medium, & quorum alterum de quouis sine Ente, siue non Ente affirmari potest*; vt homo, non homo, planta non planta, chymæra non chymæra: Nam quidquid præterea aliud, modo aliquo esse aut fingi potest, est homo, aut nõ homo; planta aut non planta, chymæra, aut non chymæra: & ita in ceteris; id quod in alijs oppositorum generibus nequaquam accidit.

4. *Contrarietas est maxima distantia.* Sumitur ex li. 10. Metaph. t. 13. & 14.] Vbi docet Philosophus, contrarium magis distare à contrario: quamà simplici negatione, vel à priuatione: quemadmodum nigrum verbi causa plus distat ab albo, quam simpliciter non album vt docet D. Thomas 1. 2. q. 79. art. 4. in Corp. Omne enim nigrum est non album, sed non conuertitur. Ac licet minus conueniant albedo & negatio albedinis, quam albedo & nigredo; quia scilicet hæc conueniunt in entitate positiua, & aliis prædicatis sub eodem genere: illa verò non item: tamen illa magis distant in latitudine transeunda, vt progrediamur ab vno ad aliud. Nam vt nigrum fiat album, oportet & nigredinem deponere, & albedinem assumere. Est ergo hoc discrimen inter Oppositа contradictoria & contraria, quod in illis sit minima conuenientia, iuxta axioma præcedens: in his verò maxima distantia, iuxta effatum propositum. Atque hoc dixit S. Th. contrarietatis principiũ est oppositio Priuationis & Habitus,

Digitized by Google

in l. 1. Physic. lect. 11. t. 50. Intelligitur autem hæc distantia, vel secundum positiuum excessum, qualis est inter duo extremè contraria; vel etiam secundum negationem; quia scilicet alia non datur maior in eodem genere licet extra tale genus maior inueniatur: Nam virtus v.c. magis distat à lapide, quam à vitio: cum hoc enim conuenit in genere habitus, & qualitatis: Cum illo toto dissidet prædicamento.

5. *Contradictio est causa, vt cætera sint opposita.* Traditur à Durando in l. 1. sentent. dist. 5. q. 1.] Ratio assignatur ibidem; quia non potest vnum oppositum excludere aliud, nisi habeat negationem illius, seu non sit aliud: Nisi enim vnum oppositum supponat vnum non esse aliud, v.c. virtutem non esse vitium, non potest illi opponi; alioqui sibi ipsi repugnaret. Hinc etiam.

6. *Ex quauis oppositione potest inferri contradictio.* Traditur à D. Thoma l. 4. contra Gentes cap. 14. & à Ferrariensi ibidem.] Veritas illius patet inductione: siue enim aliqua duo sint priuatiuè siue contrariè, siue denique relatiuè opposita, rectè inferes, vnum non esse aliud.

7. *De quolibet vera est affirmatio vel negatio.* Sumitur ex lib. 4. Metaph. t. 27. & 28.] Vbi Philosophus docet, necessarium esse, vt de vnoquoque vel affirmetur verè aliquid, vel negetur. Ratio est: quia, *Quidlibet est vel non est*, vt docetur eodem textu; Neque inter huiusmodi affirmationem & negationem vllum datur medium, vt ex definitione contradictoriorum constat, & fusius explicatum est supra, Titulo *de esse Entis.* Gratis autem contra hoc axioma quidam obiiciunt, quod Aristoteles docuerit, in Propositionibus singularibus de futuro contingenti, neutram esse determinatè veram aut fal-

Digitized by Google

ſam. Nam quidquid ſit de ſenſu Ariſtot., certũ eſt, in omnibus propoſitionibus contradictoriis, alterã eſſe determinatè veram, alterã determinatè falsã, vt manifestò demonſtrat Suarez, in Opuſculo, de abſoluta ſcientia futurorum contingẽtium c. 2. n. 6. & alibi. Vaſq. in 1. p. T. 1. d. 67. c. 3. Conimbric. ac communiter omnes Theologi & Philoſophi hoc tempore.

8. *Impoßibile eſt, duo contradictoria eſſe ſimul vera.* Sumitur ex eodem t. 24.] Et fundatur in iſto celebertimo axiomate: *Impoßibile eſt, idem ſimul eſſe, & non eſſe*; quod Ariſtoteles l. 4. Metap. c. 3. t. 8. docet eſſe primum ac ferè vnicum principium, ad quod reſolui debeant, ſaltem virtualiter, omnium ſcientiarum demonſtrationes. Vt pluribus explicatum eſt ſupra, Titulo 2.

9. *Impoßibile eſt, duo contradictoria eſſe ſimul falſa.*] Sumitur ex textu citato, & fundatur in iſto generali axiomate: *Neceſſe eſt quodlibet eſſe vel non eſſe.* l. 4. Metap. c. 7. t. 27. & 28. cuius explicationem tradidimus ſupra Titulo iam citato. Lege, ſi placet, Fonſecam, l. 3. Dial. cap. 6.

10. *Contradictio in adiecto ſeipſam interimit.*] Sumitur ex textu iam ſæpius citato. Contradictio in adiecto dicitur, qua idem de eadem re eodem modo aſſeritur & negatur, talis ſeipſam interimere cenſetur; quia quantum per affirmationem ponitur, tantundẽ per oppoſitam negationem tollitur, & contra: cum ne quidem per abſolutam Dei potentiam, idem poſſit ſimul eſſe, & non eſſe; ita vt lumine naturali per ſe, & quoad nos notum ſit, illa, quæ ſibi contradicũt, ſimul ſubſiſtere non poſſe; alioqui neganda foret omnis oppoſitio: cum contradictio primas teneat inter omnia genera oppoſitionum, vt conſtat ex di-

TITVLVS LXVI.

De Nomenclatione rerum.

DISTINCTIO PRIMA.

De vocabulis & eorum vsu.

1. *NOuis inuentis rebus noua licet adinuenire vocabula.*] Est hoc dictum Ciceronis libr. 1. Academicarum qq. cuius auctoritas in dictionum vsurpatione maximi facienda est. Ratio effati est, quia vocabula rebus, non res vocabulis accommodari debent. Tunc autem maximè dictionum nouatio omni reprehensione & periculo caret, cum & in reipsa, & in vsu sapientum fundamentum habet: Qua ratione ad significandam in Christo humanæ naturæ assumptionem antiquissimi & linguæ latinæ peritissimi Patres vtuntur voce, *Incarnationis*, vt Leo Magnus serm. de Natiuitate, Lactantius l. 4. diuinarum institutionum c. 11. Cyprianus, Hieronymus, & alij: Eius Synonyma præcipua sunt primò σάρκωσις, apud D. Cyrillum; *Mixtura admirabilis*, apud Magnum Augustinum; *Corporatio*, siue *Incorporatio*, apud S. Hilarium; & frequentissimè apud Patres Græcos, *Oeconomia verbi*. Eadem de causa bene & elegantèr à Concilio Nycæno excogitatũ & vsurpatum est, ὁμοούσιος; à Concilio Lateranensi, *Transsubstantiatio*; à Nycæno item *Trinitas*, & ab Ephesino, θεοτόκος, siue *Deipara*. Ex hoc pronunciato deducit Theologus cõtra Hæreticos, & hypercriticos literiones, alioſq; qui Erasmum & Vallam nimiũ sequuntur, non debere anxiè ex Cicerone ea nomina

peti in Theologia, quorum ſignificatio ob myſteriorum nouitatem, totam antiquitatem Romanam latuit; parumque referre, ſi eiuſmodi voces neq; Turnebus in ſua aduerſaria, neque Nizolius in ſuum theſaurum retulerit. Vide, ſi placet, Alphonſum Salmeronem Tomo 2. & Tract. 27. Suar. T. 1. in 3. p. in Præfatione Commentariorũ, & l. 4. de Trin. c. 1. n. 5.

2. *Philoſophis liberum eſt, quibus voluerint vti verbis, Theologis ad certam regulam loquiſas eſt.* Traditur hæc ſententia à M. Autelio Auguſtino libr. 10. de ciuit. cap. 23.] Qua ſignificat, in vocabulorum vſurpatione longè eſſe liberiores Philoſophos, quam Theologos; quod cum in vniuerſa Theologia locum obtineat; tum verò præcipuè in materia de ſanctiſſimæ Trinitatis myſterio: Nulla ſiquidem Theologiæ pars eſt, in qua æquè periculosè per temerariam & incautam verborum vſurpationem erretur, atque in illa; vt rectè docet idem S. Doctor in principio librorum de Trinitate; ideoque in ea maximè verum eſt, celebre illud D. Hieronymi pronunciatum.

3. *Ex verbis inordinatè prolatis incurritur hæreſis.* Refertur à Suar. in Prœmio librorum de SS. Trinitate.] Atque hac de cauſa tam de ſanctis Patribus, quam Scholaſticis Theologis, non magis in explicãdis altiſſimis Fidei Chriſtianę myſteriis, quam in docendis loquendi modis laboratum eſt; quod ſub initium floreſcentis Eccleſiæ præcipuè neceſſariũ erat: tum quia nec myſteria Theologica, nec ſignificationes vocũ ſatis declaratæ erant: tũ etiam, quia Hæretici ſub verbis ambiguis hæreſes ſuas introducere nitebantur. Lege, ſi placet, Suarez loco citato.

4. *Verba Scripturæ propriè intelligenda ſunt, vbi litteræ circunſtãtia non cogit ad Metaphoram.*] Eſt generalis Regula vſurpandæ & explicandæ S. Scripturæ, à

Diuo Augustino enunciata ; refert illam & vsurpat Suarez l. 4. de prædestinatione cap. 2. n. 3. & probat ex ea, Deum habere in se proprium & formalem actum voluntatis, quo vult & cupit omnium hominum salutem, argumento sumpto, ex 1. ad Timoth. 2. vbi docet Apostolus, *Deum velle omnes homines saluos fieri & ad agnitionem veritatis venire* : atqui ad metaphoricam locutionem nulla hîc compellit necessitas ; Ergo Deus propriè cupit omnium mortalium salutem : Indicatur itaque hoc pronunciato, retinendam esse proprietatem & simplicitatem verborum diuinorum, quotiescunque materia vel circunstantia litteræ non cogit ad metaphoram; & ratio est ; quia alioqui nihil certi ex scripturæ verbis haberi posset. Valet hoc dictum in eos, qui verba S. Paginæ in alienum sensum detorquent, & manifestam vim textui inferunt.

5. *Verbum ambiguum diuinæ non conuenit Maiestati.*] Est hoc dictum S. Hieronymi in cap. 2. Ezechielis, quod intelligẽdum est de ea verborum ambiguitate, qua ipse, qui loquitur, ambigere sese vel dubium esse significat. Vnde cum in Prophetiis, seu prædictionibus rerum futurarum additur particula, *forte*, vel alia similis, Deus ibi nostro loquitur affectu, vt liberum homini seruetur arbitrium. Ita S. Hieron. explicat loco citato: Quo modo et[illegible] scriptura Deus subinde quædam maioris momenti iuramento confirmat, non quod ea certiora sint, & firmiori à nobis fide tenenda : æquè enim Deo repugnat minimum ac maximum mendacium ; sed vt certitudo diuini promissi manifestetur nobis humano modo, vt docet Apostolus Heb. 6. v. 11.

6. *Metaphoræ non sunt vitandæ in doctrinâ demonstratiua.*] Sumitur ex l. 2. Posteriorum t. 11. vbi docet Philosophus & præcipit, non esse definiendum per

per metaphoras, & à Philoſophicis diſputationibus verborum tranſlationem eſſe eliminandam. Idem iubet l. 2. Top. c. 2. vbi reprehendit Platonem, qui hominem definiebat eſſe plantam inuerſam. Rationem aſſignat Themiſtius in Paraphraſi l. 1. de Anima c. 10. *Non enim eſt æquum*, inquit, *in altiſſimis Philoſophiæ quæſtionibus, aliud ſentire, aliud dicere. Cum enim ſemper res digna homine eſt, ne à mente verba diſſentiant; tum id maximè in rebus obſcuris & creberis obſeruandum; quo ea quæ ſuopte ingenio remota & condita videantur, verbis illuſtribus & quam maximè poteſt declarantibus vendicantur à tenebris.* Idem ſignificat Ariſtoteles l. 2. Meteor. cap. 1. vbi impugnat opinionem Democriti de mari, dicitque illam non eſſe alienam à Fabulis Æſopi, & magis ipſum reprehendit; quia Æſopo licebat, Poëtarum more, fictionibus vti, iuxta illud Horatij in Arte.

---------- Pictoribus atque Poetis,
Quidlibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas.

At verò Philoſophis, vtpote veritatis cultoribus, non eſſe licitum id factitare; cum ſimplicem eſſe conueniat veritatis orationem, vt explicatum eſt alibi. Et generatim.

7. *Non eſt vtendum verbis ambignis, cum propria ſuppetunt & diſtincta.*] Sumitur ex lib. 2. Topic. c. 2. & aliis textibus proximè citatis. Licet nihilominus etiam Philoſopho, metaphoricis vti vocabulis, cum deſunt propria; vt docet Ariſtoteles l. 3. Rhetoric. c. 2. & Themiſtius l. 1. de memoria & reminiſcentia c. 11. & alij; idque in doctrina etiam demonſtratiua: tunc enim ars imitatur naturam in hoc; quæ ſemper ex poſſibilibus facit id, quod eſt melius, & ideo verbum vel nomen ex proprio loco, transfert in eum, in quo proprium deeſt ob ſimilitudinem, quam habet cum vtroque ſignificato. Idem

licitum est, quotiescunque subiecta dissertationi materia commodius per comparationem ad alterum intelligitur, vt scribit Commentator lib. 1. de Physic. com. 81., vbi Aristoteles dicit, materiam appetere formam, sicut turpe pulchrum, & fœmina marem, & l 3. de anima t. com. 14. vbi intellectus comparatur cum tabula nudâ. Et ratio est; quia per similitudinem res sæpe significantius proponitur, eaque non mediocriter auditorem delectat vt docet Aristoteles lib. 6. Top: c. 2. & li. 3. Rhetor. c. 4. Consule, si placet, Maximilianum Sandæum Theologiæ variæ l. 2. comment. 10. exercit 3. num. 3. & 4. vbi doctè ostendit, quo modo veteres Philosophi, ac Oratores, nec indecorè, nec sine fructu, Fabulas seriis miscuerint.

8. *Iacet sensus in oratione, in qua verba laudantur.*] Monet hoc dicto Quintilianus l. 8. affectatam verborum elegantiam, plerumque omnem fructum orationis intercipere, & ipsa sibi verba comptula officere, dum auditorum animos, à rebus ipsis, quæ sententiis inuolutæ sunt, auertunt: auditor enim qui paulò emunctioris naris sit, facilè intelligit, huiusmodi verborum structores suam inde voluptatem, populique applausum potius, quam proprium dictionis finem spectare. Quod si in declamatione oratoria verum est, multo magis locum habeat necesse est in concionatoribus Euangelicis.

9. *In vsu loquendi sequenda est vulgi consuetudo.*

10. *In sententia de rebus ferendâ iudicium Sapientum.* 2. Topicor. 2. loc. 5. pronunciatum hoc vtrumque breui illo exprimitur diuerbio: *Loquendum vt multi, sentiendum vt pauci.* Vt, v. c. ea quæ bonam valetudinem efficiunt, salubria vocanda sunt, vt vulgo appellantur: an vero proposita res sit efficiens bonæ valetudinis, nec ne; id non ex vulgi sen-

Digitized by Google

tentiâ; ſed ex Medicorum iudicio æſtimandum eſt.

10. *Qui nucleũ eſſe vult, frangat nucem.*] Monet ſententia, non eſſe contemnendam verborum cognitionem ſapientiæ cultori; licet nimis anxium eſſe non expediat de nominibus, vt inquit Quintilianus l. 5. cap. 10. quia nimirum verba ad rerum cognitionem viam ſtruunt, & interior ſententiarum vis non percipitur, niſi fracto verborum cortice exteriora pateſcant. Ideo Pollucis ſententia eſt partem eſſe ſapientiæ, quid quo nomine cenſeatur nouiſſe, & Ariſtoteles, *ſcire quid nominis*, eſſe principium doctrinæ ſcribit, ac Iuriſconſulti, Medicique accuratè de verborum ſignificationibus agunt. Denique qui in dicendo exercitatus eſt, facile animi ſenſa pandit ac docet, quod proprium ſapientiæ munus eſt vt conſtat ex dictis diſtinct. de ſapientia.

DISTINCTIO VI.

De Æquiuocis & Analogis.

1. *OMne æquiuocum prius diſtinguendum, poſtea definiendum eſt.*] Pronunciatum iſtud quod in omnibus ſapiẽtiæ gymnaſiis crebro inculcari ſolet refert Ammonius in Porphyrium c. 4. Rationem illius aſſignat Ariſtoteles l. 1. Topic. c. 14. vb inquit. *æquiuoci diſtinctionem vtilem eſſe: quia hinc dilucidiùs oritur, manifeſto facto, quotupliciter dicitur, & ad fieri ſecundum rem eandem, & non ad nomen ſyllogiſmum: & vt non falſa ratione decipiamur.* Cum enim Æquiuoca dicantur ea, *quorum nomen commune eſt ratio vero ſubſtantiæ nomini accommodata diuerſa*: vt

docetur in anteprædicamentis c. 1. fieri commodè non potest, vt rectè intelligantur aut definitione propria explicentur, nisi præuia distinctione: Namquidquid definitur, debet habere vnã essentiam; sed æquiuoca diuersas habent essentias sub vno nomine. Vt v. c. gallus homo, & gallus auis habẽt diuersas essentias sub vno nomine, gallus; & secundum has definiri non possunt vnica definitione; sed duabus diuersis: v. c. gallus homo est animal rationale oriundum ex Gallia: gallus auis est animal irrationale cristatum. Eadem de causa analoga, vt sic, vnâ definitione propria non explicantur: quia non concipiuntur vnico conceptu distincto, cui vnica natura respondeat; sed confuso tantum, cui plures respondent naturæ Vide, si placet, Alexandrum Aphrod. in lib. 4. Metaph. com. 2. Possunt nihilominus omnia æquiuoca & analoga generatim definiri: quatenus in hoc conueniunt, quod sint æquiuoca, vel analoga: quomodo analoga recte definiuntur ea, *quæ habent idem nomen: rationem vero per nomen significatam partim eandem, partim diuersam.*

2. *Interroganti æquiuoce respondendum est cum distinctione.* Sumitur ex l. 7. Metaphys. c. 12. t. 36.] Ratio huius eadem est, quæ præcedentis: quia nimirum, vti æquiuoca non habent vnam definitionem, secundum proprias suas naturas, quæ sunt diuersæ: ita neque quæstioni æquiuocæ satisfit per vnicam simplicem responsionem: sed distinctione opus est; quę iuuat, vt ad statum quæstionis sine ambiguitate verborum aut paralogismis respondeamus.

3. *In genere latent æquiuocationes.* Sumitur ex libr. 2. Poster. t. 82. & ex lib. 7. Physic. t 31.] Quandoquidem genus potest supponere, vel pro hac, vel pro illa specie, ideo Aristoteles dixit, sub genere

Digitized by Google

latêre æquiuocationes: non quod in illo ſit aliqua vera æquiuocatio: ſed quod non ſignificet determinatè vnam ſpeciem potius, quam aliam, v.c. animal ſecundum ſe, nec pro homine determinatè, nec pro bruto accipitur: ac proinde latet æquiuocatio, ideſt, ambiguitas quædam, pro qua ſpecie genus ſupponat. Addit rectè Caietanus, explicans hunc locum, per æquiuocationes intelligi analogiam inæqualitatis: quaſi dicat Ariſtoteles: genus in ſuis ſpeciebus non eſt æquè perfectum: quia vna ſpecies habet perfectiorem differentiam, quam alia. Sunt autem analoga inæqualitatis nihil aliud, quam diuerſæ ſpecies vnius generis vniuoci, quarum vna perfectior eſt quam ſit altera: vt homo & equus reſpectu animalis.

4. *Analogum abſolutè prolatum ſtat pro famoſiore.*] Commune iſtud Philoſophorum axioma locum habet in iis analogis, quę per diuerſas impoſitiones ſignificant plura: vnum propriè & intrinſecè: aliud metaphoricè vel per denominationem extrinſecam. Sic v.c. τὸ Sanum prolatum ſimpliciter & ſine adiectione, ſignificat animal ſanum: quia ſanitas animalis eſt famoſius, id eſt, principalius ſignificatum huius nominis, ſanum: Non verò locum obtinet in his, quæ immediatè ſignificant vnam rationem formalem intrinſecè inuentam in multis: vt patet in analogis inæqualitatis, de quibus numero proximè ſuperiore actum eſt: & ſecundum plurimos, in analogis attributionis intrinſecæ, vt in analogia Entis ad Deum & creaturas: quia cum talis ratio ſit immediatum ſignificatum talis vocis, & propriè ac intrinſecè reperiatur in omnibus analogatis, de omnibus poterit ſimpliciter prædicari.

Digitized by Google

DISTINCTIO III.

De Abstractis & concretis.

1. *Abstrahentium non est mendacium.* Sumitur ex lib. 1. Metaph. t. 8. & lib. 2. Physic. t. 18.] Pro explicatione notandum est, abstractionem in genere esse duplicem, realem & rationis. Abstractio realis est, cum vnum ab alio reipsa separatur, vt anima à corpore, ramus ab arbore, pellis ab oue: Abstractio rationis est, cum aliquid per intellectum seu rationem separatur ab alio, cui nihilominus reipsa potest manere coniunctum; hæc rursus est duplex; Negatiua, cum negatur vnum de alio; vt si dicam: paries non est albus: & Præcisiua, cum ex duabus rebus, vel pluribus coniunctis intellectus vnam cognoscit, vel considerat, non considerando aliam: vt si considerem verbi causa albedinem parietis, non considerando ipsum parietem, dicor abstrahere seu præscindere per intellectum albedinem à parieto, non præcisione reali: quia albedo reipsa manet in pariete: sed rationis. Sic in homine esse animal, & esse rationale, sunt coniuncta: si ergo considerem solum rationale, nihil cogitando de animali, dicar præscindere rationale ab animali abstractione præcisiua intelligitur, & verum est pronunciatum, qui enim sic abstrahit, non affirmat aut iudicat, esse rem illam reuera & à parte rei separatam aut separabilem: quare nullum mendacium astruit: sicuti contingere potest in abstractione negatiua, vt si dicas, paries non est albus, coruus non est niger, homo non est risibilis, &c.

2. *Abstractio speciei est facilior quam generis.*] In-

Digitized by Google

telligitur de eadem abſtractione præciſiua, & ratio eſt, quia ſpeciei abſtractio fit tantum à conditionibus indiuiduantibus; generis inſuper à ſpecie: illa igitur & prior, & facilior eſt, quam iſta, vt conſtat ex iis, quæ tradit Porphyrius, capite de Genere.

3. *Vbicunque ſunt plura concreta, ibi & plura abſtracta.*] Vt ſi duo ſint homines, erunt etiam duæ humanitates, ſi tria animalia, tres erunt animalitates, ſicuti ſi plura ſint tota, plures erunt vniuſcuiuſque totius partes. Verum eſt pronunciatum de concretis à forma intrinſeca: non autem à forma extrinſeca: Nam etſi duo ſpecie agentia ſint, v. c. ſol & ignis in calefacienda ſimul eadem materia: eſt tamen vna actio, id eſt calefactio, & vnus terminus, id eſt, calor: ſic etiam generalis concurſus Dei cum cauſa ſecunda non diſtinguitur realiter ab actione cauſæ ſecundæ. Eadem enim numero actio procedit immediatè & ſimul à duabus cauſis eſſentialiter ſubordinatis.

4. *Concreta eiuſdem ſpeciei non multiplicantur, niſi multiplicentur ſubiecta.*] Senſus eſt, non eſſe ſatis, multiplicari formas denominantes ad multiplicationem rei, quæ denominatur concreta: ſed etiam debere multiplicari formarum ſubiecta, ſiue illa propriè talia ſint, vt ſubſtantia naturalis reſpectu ſuorum accidentium in creaturis: ſiue impropriè & metaphoricè tantum, vt ſuppoſita in diuinis reſpectu attributorum. Hinc ſi duo calores ponantur à Deo in eodem ligno, non erunt duo calida: ſed vnum calidum per duos calores, item etſi in vno homine ſint plures paternitates, non ideo dicentur plures patres: Nam τὸ Pater eſt concretum, quod duo includit, formam & ſubiectum veluti duas partes componentes, quare non ſufficit multiplicari formam ad multiplicationem totius concreti.

5. *Substantiua non multiplicantur nisi multiplicato significato formali,*] Est hoc celebre effatum theologicum in materia de sancta Trinitate, & de Incarnatione vsurpari solitum, de quo videri potest D. Thomas 1 p. quæst. 36. art. 4. Caietanus & alij interpretes ibidem. Suarez Tomo 1. in 3. p. disp. 13. sec. 2. & alibi. Sensus est, ad multiplicationem termini substantiui non sufficere, vt multiplicentur subiecta vel suppositа; sed insuper requiri multiplicationem formæ, quæ per eiusmodi terminum significatur. Sic in diuinis Pater & Filius sunt vnum principium actiuum spirandi, respectu Spiritus sancti: quia forma per nomen talis principij significata, est virtus spiratiua Spiritus Sancti, quæ non est duplex: sed vnica omninò in Patre & Filio, item Pater, & Filius, & Spiritus sanctus sunt vnum principium creandi, seu producendi creaturas, quia hîc etiam nomen principij est substantiuum, significans de formali virtutem operandi ad extra, quæ est vnica tantum in Deo.

DISTINCTIO IV.

De denominatione intrinseca & extrinseca.

1. *Denominatio sumitur à potiori.*] Ea nimirum, qua res quæpiam denominatur simpliciter & absolutè sumitur ex libro secundo de Anima 1. quadragesimonono. Vbi Philosophus ait: *Vnumquodq; denominari ab eo, quod potissimũ est in ipso.* Patet hoc in prędicamento qualitatis: vt enim qualitas simpliciter denominet subiectum aliquod quale, ex cõmuni sentẽtia requiritur 1. ne qualitas sit valde remissa; quamobrem vnus aut alter gtadus calotis

Digitized by Google

in aqua exiſtens, cum 6. aut 7. gradibus frigoris, non denominat aquam calidam; quia denominatio ſumi debet à maiori. 2. vt ſit in toto ſubiecto, aut potiore illius parte: hinc Æthiops denominatur albus ſimpliciter ab albedine dentium: niſi tamen illud accidens certam partem ſubiecti ſibi vindicet: quo pacto aliquis dicitur crispus à criſpitate capillorum, quia hi ſoli ſunt adęquatum ſubiectum criſpitudinis. 3. ne citò tranſeat, niſi naturâ ſua poſtulet citò perire, vt ſonus, qui etſi breui tranſeat, denominat tamen ſubiectum ſonans. Lege, ſi placet, Suar. diſp. 45. Metap. ſec. 4. n. 9. Porro in moralibus non ſemper ea potior pars cẽſetur, quæ numero ſuperat: ſed etiam, quæ dignitate, ſapientia, labore, efficacia.

2. *Omnis denominatio intrinſeca ſupponit rem denominantem intrinſecam.*] Vt ſi paries intrinſecè denominetur albus, debet habere ſibi inhærentem albedinem. Ratio pronunciati eſt; quia alioqui non erit vera talis denominatio: Nam Intrinſeca denominatio illa dicitur, qua ſubiectum denominatur ab aliqua forma ſeu re, quæ verè exiſtit in illo ſubiecto. Sic ignis denominatur intrinſecè calidus à calore, qui verè eſt in igne; intellectus dicitur intrinſecè intelligens, à forma ſibi intrinſeca, ideſt intellectione, voluntas amans, & volens, ab amore, volitione, &c.

3. *Omnis denominatio extrinſeca ſupponit rem denominantem extrinſecam.*] Patet ex ipſa terminorum Etymologia; quia extrinſeca denominatio eſt, quando ſubiectum denominatur ab aliqua re, quæ non inhæret ſiue exiſtit in illo ſubiecto ſed in aliquo alio. Sic paries denominatur extrinſecè cognitus, viſus, amatus, à mea cognitione, viſione, amore, quæ non ſunt in pariete, ſed me. Item colũna hoc modo denominatur mihi dextra, à mea ſcilicet dextera, quæ non

est in ipsa columna; sed in me. Vide Durandum in 1.dist.19.q.5.& 6.

4. *Argumentum non valet ab inesse ad denominari nisi eo modo denominet, quo inest.*] Vt tametsi in lapide verbi causa per extraordinariam Dei virtutem poneretur visio, non ideo posset denominari lapis videns: nam τὸ Videns, plus dicit, quam affectum esse visione; quia videre est actionem vitalem elicere, quod non potest lapis. Licet nihilominus arguere ab inesse ad denominari, quando eo modo fit denominatio, quo res inest. Vnde etiam si in data hypothesi non rectè diceretur lapis videns; dici tamen posset habens visionem. Similis est ratio in aliis.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX
AXIOMATVM ET SENTENTIA-rum Præcipuarum iuxta ſeriem alphabeticam digeſtus.

ETſi ſuperuacaneus videri hic poſſet, in tanta diſtinctionum & Titulorum varietate: tamen ne vlla in re commodo lectoris defuiſſe videremur, omnium hactenus explicatorũ axiomatum ac ſententiarum indicem vberrimum digeſſimus; vt veluti in tabula, quidquid toto volumine ſparſum eſt, liceat contueri. Videbuntur fortaſſè primo aſpectu quædam ex ijs eſſe ſynonyma, quædam inter ſe contradictoria; quædam aliò pertinentia: ſecus autem rem ſeſe habere, ex eorum paraphraſi intelliget-ur.

Abſtinentia.

Abſtinentia eſt mater ſanitatis Titulo 28. diſtin. 3. num. 1

Natura paucis eſt contenta, ibidem num. 2

Subtilitas animè ciborum copia impeditur, ibid. num. 3

Pinguis venter non gignit ſenſum tenuem, ibid. num. 4

Cœnæ Platonicæ etiam poſtridiè ſunt iucundæ, ib. n 5.

vide verbum, Temperantia.

Abſtractio, abſtractum.

Abſtrahentium non eſt mẽdacium, tit. 66. diſtin. 3. n. 1.

Abſtractio ſpeciei facilior eſt, quam generis, ibid. n. 2

Vbicunque ſunt plura concreta, ibi & plura ſunt abſtracta, ibid. n. 3

Abſurdum.

Nihil tam eſt abſurdum, quod non inueniat patronum, tit. 32. d 2. n. 9

Vno abſurdo dato ſequuntur plura, tit. 1 d. 4. n. 3

Modica tranſgreſſio à veritate diſcedentibus fit longè deciesmillies maior, ibid. n. 2

Acceptio, accipere.

Beneficium accipere eſt libertatem vendere, tit. 27. d 3. n. 7

Qui gratè beneficium acci-

pit, primam eius pensionem soluit, tit. 27. d 5. n.1
Vide verbum Liberalitas.

Accidens natura.

Accidens est entis ens. t 19. d.2 n.1
Accidentis essentia est, dicere habitudinem ad substantiam, ibid n.2
Accidentis esse est inesse, ibid.n.3
Accidentia in concreto magis entia apparent, quam in abstracto, ibid.n.4

Accidens in ordine ad substantiam.

Omne ens vel est substantia vel accidens, tit.19.dist.3. n.1
Accidentia iuuant ad conseruationem substantiæ, ibid.n.3
Accidentia non sunt necessaria, ibid.n.3
Accessorium non vitiat naturam sui principalis, ib. n.4
Accidentia mutant conditionem substantiæ, ibid. n 5
Accidens supponit rem, substantia facit, ibid. nu. 6
Nihil accidit alicui priusquam sit; sed postquam est, ibid.
Accidentia assimilantur propagini, ibid d.n.7
Accessorium sequitur naturam sui principalis, ibid. n.8
Accidentia iuuant ad cognitionem substantiæ, ibid n.9
Sola accidentia sunt sensibilia, ibid.n 10
Abstracta accidentium non agunt in sensum: sed concreta, ibid.n 11
Accidentia sensibilia conueniunt soli substantiæ materiali, ib n.1
Accidentia primò insunt substantijs singularibus, ibid.n.13

Accidens in ordine ad subiectum.

Accidens comparatur ad subiectum, sicut actus ad potentiam, tit. 19. dist.4. n 1
Accidens non migrat de subiecto in subiectum, ibid n.2
Corrupto subiecto corrumpitur & accidens, ibid n.3
Idem accidens non potest esse in diuersis subiectis, ibid.n.4
Quidquid aduenit enti in actu, aduenit ipsi per accidens, ibid n 5
Accidentia solo numero distincta non multiplicantur in eodem subiecto, ibid.n 6
Accidens non accidit acci-

Digitized by Google

denti, ibid.n.7

Actio, Actus, vt sic:

Actio est vltimus actus agentis, quo mediante fit effectus, tit.48.dist.2.n.1
Idem motus est actus agentis & patientis, ibid.n 2
Actio non est proptiè idem, quod passio, ibid.n.3
Actio est actus ab hoc, passio in hoc, ibid.n.4
Omne fieri terminatur ad actum, ibid.n.5
Actio secundum id, quod essentiale illi est, non potest esse in pluribus speciebus, ibid n.6
Temporis diuersitas actiones non variat essentialiter, ibid.n 7

Agens, agere generatim.

Rebus natura constantibus non minus naturale est, agere, quam pati, tit.48.d 3.n 1
Actio & passio in omni operis perfectione requiritur, ibid.
Passiuum non exit in actum nisi à potentia actiua, ibid.
Actio non datur sine agente ibid.n.2
Agens non datur sine patiente, ibid.n 3
Omnis actio ex se infert passionem, ibid.
Agere nobilius est, quam pati, ibi 3.n.4
Vnumquodque agit, secundum quod est actu, ibid.
Vnumquodque patitur, secundum quod est potentia, ibid.
Qui rem facit, est opus quodammodo ipsum, ib. n.5
Vbicumque est passio, ibi & imperfectio, ibidem n.6
Omnis passio abijcit à substantia, ibid.n.7
Omne patiens debet esse in potentia respectu agentis tit.11.d.5.n.5
Agens & patiens debent esse simul, tit.11.d.11.n.1

Agens, vt sufficiens.

Omnis actio est à proportione maioris inæqualitatis, tit.11.d.4.n.1
Ab insufficiente nihil fit, ibid.n.2
Agrum oportet imbecilliorem esse, quam agricolam, ibid.n.3
Satius est, vnum facere insigniter, quam multa mediocriter, ibid.n.4
Agere multa rectè, & sæpe difficile est, ibid n 5
Facinus vnum eximiũ multis præualet exiguis, ibid n.6
Impar inuenitur ad singula qui confusa mente diuiditur ad multa, ibid.n.7

Milhe talos Coenſes iacere impoſſibile eſt, ibid n 8.
Duos inſequens lepores, neutrum capit, tit 49.d. 9 n.10

Agens in ordine ad materiam & diſpoſitiones.

Ex nihilo nihil fit, tit.11.d.5. n.1
In nihilum nil poteſt reſolui, ibid n.2
Natura operatur ex preiacente materia, ibid.n 3
Agens & patiens communicare debent in materia, ibid.n 4
Quidquid recipitur, ad modum recipientis recipitur tit.n d.6.n.1
Omne agens naturale operatur iuxta diſpoſitionem ſubiecti, ibid.n.3
Omne recipiens debet eſſe denudatum à natura recepti, ibid n 4
Iuxta diſpoſitionem cauſſæ ſequitur effectus, ibid. n 5
Conuenions fit à conueniente, ibid.n.6
Opus, quod à melioribus perficitur, ſemper eſt melius, ibid.n.7

Diſtinctio agentis & patientis.

Omne, quod mouetur ab alio mouetur, tit.11. d. 7.n 1
Potentia actiua eſt principium tranſmutandi aliud, in quantum aliud, ibid.n. 2
Potentia paſſiua eſt principium tranſmutationis ab alio, in quantum aliud, ibid.3
Id quod ſubijcitur ſui ipſius mutationem, non efficit, ibid.n.4
Idem non poteſt efficere ſeipſum, ibid.n.5
Nihil agit in corruptionem ſui, ibid.n.6

Vtriuſque ſimilitudo.

Omne agens intendit aſſimilare ſibi paſſum, tit. 11. d.8.n.1
Omne agens producit ſibi ſimile, ibid.n 2
Omne quod fit, fit à ſibi ſimili, ibid n.3
Omne agens producit effectum ſibi proportionatum, ibid.n. 4
Simile non agit in ſimile, ibid n. 5
Nihil patitur à ſeipſo, ibid. n.6

Oppoſitio.

Omnis actio fundatur in contrarietate, tit.11.d.9. n.1
Quidlibet non agit per ſe in quodlibet; ſed in ſuum

Digitized by Google

contrarium, ib.n.2
Quidlibet non patitur per ſe a quolibet; ſed à ſuo contrario, ibid.n.3
Quidlibet non fit ſe per ex quolibet ex ſuo contrario, ibid.n.4
Non ex omni ligno fit Mercurius, ibid.
Quidlibet non corrumpitur per ſe in quolibet, ſed in ſuum contrarium, ibid. n.5

Singularitas.

Actiones omnes verſantur circa ſingularia, tit.11 d. 10 n.1
Actiones ſunt ſingularium per ſe exiſtentium, ibid. n.2
Non propriè humanitas Chriſti orat ſed Chriſtus orat, ibid n 3
Actiones ſunt ſuppoſitoũ, ibid.n.4
Non hic calor calefacit, ſed hoc calidum, ibid. num.5
Id ſimpliciter fit, quod ſimpliciter ſubſiſtit, ibid.n 6
Omnis effectio terminatur ad rem exiſtentem, vt exiſtens eſt, ibid.n.7

Sphæra actiuitatis.

Actio non datur in diſtans, tit.11.d 11.n.1
Omne agens creatum determinatam habet ſphæram actiuitatis, ibid n.2
Viſio in tali fit diſtantia, vt in ipſa ſit aliquid primum & vltimum, ibid.n.3
Effectus denominatur à cauſa proximâ, ibid.n.4
Omnis cauſa primò operatur in ſibi propinquius & per illud in alia, ibid.n.5
Actio per extenſum ſpatium eſt vniformiter difformis ibid.n.6
Omne agens naturale agit actione vniformiter difformi, ibid.n.7

Agens liberum & neceſſarium.

Cauſa libera, poſitis omnibus ad agendum requiſitis, poteſt agere & non agere, t.11.d.12.n.1
Cauſa libera ſeipſam ad opus determinat, ibid.n.2
Cauſæ naturales determinatæ ſunt ad vnum, ibid. n.3.
Cauſa naturalis non impedita producit effectum nobiliſſimum, quem poteſt, ibid.n.4
Nihil vltra ſuum gradum, aut ſpeciem agit, ibid.n.5.
Defectus actionis cauſatur ex defectu agentis, ibid. n.6
Idem manens idem ſemper aptum eſt facere idem, ibid.n.7
Ad agens vniforme ſequitur effectus vniformis, ibid.n.8

Actus collatus ad potentiam &c.

Nihil potest esse in potentia simul & actu, tit. 10. d. 5. n. 1
Actus non tollit potentiam, sed perficit, ibid. n. 2
Intus existens prohibet extraneum, ibid. n. 3
Quando aduenit potentiæ actus inseparabilis, non remanet potentia ad actū incompossibilem, ibid. n. 4
Potentia debet esse denudata ab eo, quod recipit, ibid n. 5.
Actus actiuorum recipiuntur in subiecto pro ratione dispositionum, tit. 11. d. 6 n. 2
Actu cum aliquid est, magis esse dicitur, quam cum est potentia, tit. 34. d. 4. n. 4
Actus secundus est nobilior primo, ibid. n. 5
Scientia secundum actum est idem cum re ipsa, tit. 39. d. 1. n. 5
Vide, verbum, habitus, & verbum, forma,

Accusans, accusare,

Accusãs melior vult esse eo, qui accusatur, tit. 26. d. 7. num. 5.

Admiratio, admirari,

Admiratio signum est ignorantiæ, tit. 30. d. 5. num. 4
Propter admirari & nunc & primò homines cœpere philosophari, ibid. n. 5.

Adolescens.

Adolescẽs iuxta viam suam etiam cum senuerit, non recedet ab eâ, tit. 40. d. 2. num. 6.
Semina pueritiæ in adulta fructificant ætate, tit 62. d. 4. n. 6.

Ægritudo.

Numerus specierum ægritudinis par est cum numero specierum sanitatis, tit. 95 d num. 8.
Vide verbum medicina,

Æquale,

Æqualia dicuntur per negationem maioris & minoris, tit. 21. d. 4. n. 2
Idem non est sibi æquale, ibidem.
Quæ eidem æqualia sunt, & inter se sunt æqualia, ibi. num. 3.
Si ab æqualibus æqualia demas, quæ remanent, sunt æqualia, ib. n 4
Si ab inæqualibus æqualia demas, quæ remanẽt, sunt inæqualia, ib. nu. 5
Si ab æqualibus inæqualia demas, quæ remanent sũt

Digitized by Google

inæqualia ibid.
Si æqualibus æqualia,addas tota erunt æqualia ibidem num. 6.
Si inęqualibus æqualia adiecta ſunt,tota ſunt inęqualia ibid 7
Si ęqualibus inęqualia adiecta ſunt, tota ſunt inæqualia, ibid.n. 8

Æquitas, æquum.

Æquitas eſt quædam iuſtitia, tit. 27 d. 10. n. 1
Æquum eſt melius,quam iuſtum legitimum, ibid. n. 3
Æquitas eſt correctio iuſti legitimi, ibid. n. 4

Aer.

Aër humidi eſt magis,quam calidi, tit. 16 d. 3. n. 12
Ex vno pugillo aquæ generantur decem pugilli aëris ibid. n. 14

Æquiuocum,

Æquiuoca dicuntur quorum nomen commune eſt: ratio verò ſubſtantiæ diuerſa tit 66. d 2. n. 1
Omne æquiuocum prius diſtinguendum, poſtea definiendum, ib.
Interroganti æquiuocè reſpondendum eſt cum diſtinctione, ibid.n.2
In genere latent æquiuocationes, ib.n.n.3

Ætas.

Tanta eſt proportione pubertas, quanta vitæ totius annoſitas, tit. 62.d. 4 n.1
Aliam ętatem alij mores decent, ibid n.2
Perinde eſt, vtrum ætate aliquis, an moribus iuuenis ſit, ib.n.3
Paſſionum ſectator iuuenis eſt moribus, ibid.n 4
Periculoſa eſt præpropera prudentia, ib.n.5
Senilis iuuenta præmaturæ mortis indicium eſt,ibid. n.6
Semina pueritiæ in adulta fructificant ætate, ib.n.6
Mala ſenium ac mortem acceleraut, ib. n.7
Senectus eſt morbus naturæ naturalis, ibid.n.8
Vnumquodque præſtantius eſt eo tempore, quo maiorem vim habet. ib.n.9

Æternitas.

In æternitate nõ datur prius & poſterius, tit.62.d.n.1
In Diuinis non eſt prioritas in quo. ſed à quo, ibid. n.2
Naturalia in Trinitate ſunt priora liberis, ibid n.3
Abſoluta in Trinitate ſunt priora relatiuis, ibid.n 4
In ęternis non differunt eſſe & poſſe, ibid.n.5

In æternis non est potentia contradictionis ib. n. eodē
Quidquid deus facit in tem. pore, decreuit ab æternitate, ibid n 6
Quidquid Deus non facit in tempore, id ab æterno voluit non facere, ib n.7.
Momentum est, vnde pendet æternitas, ibid n.8

Affabilis.

Affabilitas est amicitiæ similitudo, t.27.d 6.n.1
Quod frequenter dicitur, conturbat audientem, ib. n.2
Quidquid dicturus es, antequam alijs dixeris, tibi dices, ibid n.3
Omnis herus seruo est monasyllabus, 4
Sancta rusticitas solum sibi prodest, ib.n 5
Multas amicitias dissoluit in affabilitas, ib n.6

Affectus.

Ob affectus neque laudamur, neque vituperamur, tit 62 d 2 n.1
Affectus animi sequuntur apprehensionem phantasiæ, tit.52.d.3.n.3
motuum diuersitas ex diuersitate complexionum gignitur, ibid.n 4
Vide verbum Passio.

Affirmatio.

De quolibet verum est dicere, est vel non est, tit 2.d. 2.n.2
Necesse est, idem affirmari vel negari de eodem, ib. n.4
De nullo simul verum est dicere, est & non est, ibid. n 7
Impossibile est, idem de eodem simul affirmari & negari, ibid.n.8
Ex eo, quod res est in aliquo potest de illo affirmari, t. 3.d 4.n 3
Affirmatio est prior negatione, tit.54.d.4.n.1
Omnis cognitio falsi supponit cognitionem veri, ibid. n.2
Philosophus nihil affirmat vel negat absque ratione, ibid.n 3
Affirmanti incumbit probare, ibid n.4
Non sufficit verum dicere, nisi & falsi causa assignetur, ibid.n.5
Malè id negatur, quod cum ratione negari non potest. ibid.n.6
Quid insuper bibere opus est cum stangula aqua, ib. n.7
Ratio ratione antiquatur & tollitur, ibid.n 8
Propter nostrum dicere, nihil ponitur in re, ibid.n 9
Cicadæ garriunt, licet ore careant, ibid.n 10
Stultum est, curare de quouis contradicente, ib.n.11
Aristoteles sæpe, dum dubitat, affirmat, ib n 12

Agricultura.

Agriculturę poſſeſſio eſt potiſſima ſecundum naturam t.26 d.5 n.6
Agriculturæ poſſeſſio maximè iuſta eſt, ib.n.7
Optimus eſt populus, qui terræ colendę eſt deditus, ibid n.8

Alimentum.

Alimentũ debet eſſe in potentia ad alitũ, t.35.d 2.n 1
Alimentum debet eſſe ſimile alito, ibid.n.2
Sempiterni non ſunt, qui indigent alimento, ibid.n.3
Panis eſt alimentum alimentorum, ib.n.4
Cibi boni bonos generant hũmores, ibid.n.5
Boni humores bonos generant ſpiritus, ib n.6
Boni ſpiritus vitam progenerant delectabilem, ibid.
Dulcia magis nutriunt, quàm amara, ibid.n.7
Cibus ille eſt optimus, qui maximè conſuetus, ib.n.8
Vti omnibus viuentibus, ita animæ noſtræ conſentaneum eſt aliquod pabulum, ibid n 9

Ambitio.

Dominandi cupiditas rarò bonos habet euentus, tit. 29.d.5.1
Aliena concordiæ & fera eſt omnis ambitionis materia, ibid n.2
Timida eſt ambitio, & ſollicita cupiditas magiſtratus, ibid.n.3
Honoris cupidus ſolus habere vult, & illo ceteros anteire, tit.58 d.5.n.6
Vide verbum, Honor.

Amicitia generatim.

Amicitia eſt mutua beneuolentia non latens, tit.58.d. 1.n.1
Amicitia eſt, vbi amor reciprocus eſt, ibid.n 2
Amicitia perfecta eorum eſt, qui in virtute ſunt ſimiles, ibid n.3
Vera amicitia nihil in rebus amici quærit, prętet ſolam beneuolentiam, ib.n. 4
Amor eſt ſimilis affectui amicitia habitui, ibid.

Amicitia vt generatur.

Beneuolentia eſt principiũ amicitiæ, tit.58.d 2.n 1
Amare eſt amicitiam gignere & conſeruare, ibid.n.2
Illud eſt amicitię proprium, vt amare potius, quam amari cupiat, ibid.
Nulla eſt maior ad amorem inuitatio, quam præuenire amando, ib.n.3
Beneuolentia latere poteſt, amicitia non poteſt, ib.n.4
Tam bonorum, quam malorum conuerſatio amorem inducit ibid n.5
Inter bonos amicitia eſt, inter malos factio, ibid.
Amicabilia ad alterum proueniunt ex amicabilibus ad ſeipſum, ib.n.6

Amicitia æqualitas.

Amicitia parem facit, aut inuenit, tit.58.d.3.n 1
Æqualitas est mater amicitiæ ib n 2
Vt familiarius ab homine diligeretur Deus, in similitudinem hominis apparuit, ibid n.3
Simile gaudet simili, ibid. n.4
Balbus balbum rectius intelligit, ibid n 5
Vulpes cum serpente amicè viuunt, ibid.n.6
Improborum sodalitas materest flagitiorum. ibid. n.8
Amicitia proborum est virtutum genitrix, ibid.n.9
Eximiæ virtutis est, inter malos viuere laudabiliter ibid.n.10
Magni pudoris est, inter bonos viuere vituperabiliter ibid.

Amicitia commoda.

Quæ per amicos fiunt, per nos ipsos quodammodo fiunt, tit.58.d 4.n.1
Amici multi sunt sceptrum Regibus fidelissimum, ib. n.2
Solus est, qui sine amico est, ibid.
Vbi amici, ibi opes, ibid. n.3
Fidelis amicus pretiosissimus est thesaurus, ibid. n.4
Amicitia est maximum bonorum externorum, ibid.
Amicus magis necessarius, quam ignis & aqua, ibid.
Vnus Deus, & plures amici, ibid.n.5
Amicitia perfecta est inter paucos, ibid.n.6
Amicitia est solatium huius vitæ, ibid.n.7
Amicitia stabilis vbi est, ibi & virtus, ibid.n 8
Amici eisdem amici sunt, & inimici, ibid.n.9
Qui me amat, amat & canem meum, ibid.
Amicus alijs sibi amicissimus, ibid.n 10
Habet in aduersis, qui commodat in prosperis, ibid.

An & quo modo soluatur amicitia.

Amicitia vtilis cum vtilitate dissoluitur, tit.58 d.5 n.1
Amicitia ob iucunditatem vnà cum ea mutatur, ibid n.2
Amicitia, quæ definere potuit, vera nunquam fuit, ibid n 3
Qui egent lucerna, oleum affundunt, ibid n.4
Nimia familiaritas parit contemptum, ibid.n.5
Mendax est omnis amicitia, quæ diuino non ligatur timore, ibid.

Digitized by Google

Amicitia ficta.

Bonitatis verba ſimulare maior malitia eſt, tit. 58. d.6.n.1
malus, vbi ſe bonum ſimulat, tunc eſt peſſimus, ibid.n.2
Nulla peſtis efficacior ad nocendum, quam familiaris inimicus, ibidem n.3
Inimici hominis domeſtici eius, ibid.n.4
Non ſunt occultiores inſidiæ, quam quæ latent, ibid.n.5
Amici labiorũ hoſtes ſunt animorum, ib.n.5
Nullum amantium genus aſſentatoribus eſt pernicioſius, ibid.

Amicus.

Amicus certus in re incerta cernitur, tit. 58.d.7.n.1
Amicus eſt alter ipſe, ibid. n.2
Amicorum eſt idem velle & nolle, n.3
Amicorum omnia ſunt cõmunia, ibid.n.4
Amico oportuno nihil amicius, ibid.n 5
Amicus vſque ad aras, ibid. n.6

Amictus.

Amictus corporis index eſt cordis, tit.63.d.1.n.1
Munditia mulieribus, labor viris conuenit, ibid.n 2
Cultus magna cura, magna virtutis incuria, ib.
Ornatus & ſordes pari modo vitandi ſunt, ibid.n.3
Non faciunt equum meliorem aurei frœni, ibid. n.4
Simia manet ſimia, licet aurea geſtet inſignia, ib n.5

Amor.

Anima potius eſt vbi amat, quam vbi animat, tit. 53. d.1.n.1
Amor eſt velut iunctura, duo copulans, vel copulare appetens, ibid.n.2
Quilibet ſibi maximè amicus eſt, ibid.n 3
Pater filios plus amat, quam filij patrem. ibid.n.4
Opus ſuum quilibet magis diligit, quam ab ipſo diligitur. ibid.
Beneficiplus amant beneficiatos, quam amentur ab illis, ibid.n.5
Matres liberos magis amant quam patres, ibid.n 6
Sic diligendi ſunt homines, vt eorum non diligantur errores, ibid.n.7
Aliud eſt, amare, quod facti ſunt, aliud odiſſe, quod faciunt, ibid
Sic hominis diſpliceant peccata vt non diſpliceat homo, ib.n.8

Analogum.

Analogum absolutè prolatum stat pro famosiore, tit.66.d 2.n.4
Analoga habent idem nomen: rationem v. per nomen significatam partim eandem, partim diuersam, ibid.n.1

Anima.

Anima vegetatiua est animarum prima, tit.10.d 7. n.2
Animæ viuificantis principium in corde est, ibid n.3
Anima est in corpore, sicut monarcha in ciuitate, ib. n.4
Anima est in corde, sicut aranea in tela, ibid.
Anima rationalis est nobilissima formarum, ib n.5
Anima rationalis omnium màximè dominatur, ib n 6
Si Deus iustus est, anima hominis immortalis est, ib. n.7
Anima perfectior continet imperfectiorem, ibid.
Corpus respectu animæ quodammodo seruus est tit.18.d.9.n.3
Animæ & corpus sibi inuicem compatiuntur, tit. 43 d.3.n.1
Vide verbum, Corpus.

Animal.

Omne animal ex anima cõstat & corpore, tit.18.d.6. num 1
Corpora omnia naturalia animæ sunt instrumenta, ibid.n.2
Animalia perfecta non nisi ex semine procreantur, ibid.n.4
Animalia imperfecta plura sunt, quàm perfecta, ibid. n.5
Animalia perfectiora sunt, quæ natura calidiora & humidiora, ib.n.6
Animalis viuere est tale, quale eius humidum & calidum, ibid.
Animalia aquatilia breuioris vitæ sunt, quam terrestria, ibid n.7
Insecta diuisa viuere ad tẽpus possunt, ib.8
Plura mare animalia, quàm tellus nutrit, ib.n.9
Animalia noxia non sunt in mundo superflua. ibid.n. 10
Leo est generosissimus beluarum, ib.n.11

Apostata.

Omnis apostata est osor sui ordinis, tit.53.dist 2.n.6

Appetitus appetibile.

Vbicumque est sensus, ib i & appetitus, tit.41.d 2. n.1
Vires appetitiuæ sequuntur cognoscitiuas, ibid.num. 2

Digitized by Google

Quidquid naturaliter potest desiderari, potest etiam naturaliter cognosci, ib. n.3
Appetitus ad res est, cognitio à rebus, ib.n.4
Appetibile non mouet, nisi mente aut imaginatione perceptum. d.3.n.1
Ignoti nulla cupido, ib. n. 2
Animali non accidit appetitus, nisi ex imaginatione, ibid.n.3
Amor oritur in nobis ex mentis notitia, ibid n.1
Inuisa diligere possumus, incognita nequaquam, ibid.n 2

Aqua.

Aqua est frigidi potius, quàm humidi, tit.18.dist. 3.n 11
Ex vno pugillo terræ generantur 10. pugilli aquæ, ibid.n.15
Igni contraria est aqua, ib.

Aquila.

Aquila non venatur propè nidum, tit. 18. dist.6.n 14
Aquila non captat muscas, ibid.n.15

Arbiter.

Arbiter æquum magis intuetur Iudex legem, tit. 24.d.7.n.4
Arbitrum oportet vtriusque partis causam cognoscere, tit 64.dist.4. n.6
Vide verbum, Index.

Arbor.

Arbor est supra quantitatẽ seminis, sed non supra virtutem, tit.11.d.12 n.5
Sylua est arbore præstantior, tit.18 d.5.n.6
Hedera exsiccat arbores, in quas serpit, ibid.n.7
Vide verbum, Planta.

Ars generatim.

Ars est collectio multarum de vna re comprehensionum ad finem aliquem vtilem vitæ, tit.16,d 1. n.2
Ars est rectaratio factilium ibid.n 4
Arte parendi & imperandi nulla est præstantior, ibid. n.5
Ars est habitus vera cum ratione factiuus operis, ib. d.2 n.1
Ars omnis de se bona est, & ordinatur ad bonum, ibid.n.2
Nulla ars de se ordinatur ad malum, ibid.n.3
Ars est ordinis & compositionis magistra, ibidem n.4
Sua cuique ars pro viatico est, ibid n.5

Artem quæuis alit terra, ib. n.6
Felices sunt artes, si de illis soli artifices iudicent, tit. 13.d.5

Ars in ordine ad naturam.

Ars supponit naturam, tit. 16.d.3.n.1
Ars fabricat supra entitatem factà à natura, ibid.
Ars incipit vbi natura desinit, ibid.n.2
Ars est principium in alio, natura in ipso, ibid.n 3
Ars agit extra, natura intra, ibid.
Ars perficit naturam, ibid. n.4
Artè non conceditur, quod natura negatur, ib.
Ars certior dux est, quam natura, ibid.n.5
Tantum valet institutio, vt vincat naturam, ibid.
Ars supplet defectum naturæ, ibid.n.6
Ars imitatur naturam, ibid. n.7
Neque natura, neque ars deliberat, ibid.n.9

Ars in ordine ad experientiam.

Experientia singularium est ars vniuersalium, tit.16. d 4.n.1
Artes vsu magis, quam ratione constant, ibid.n.2
Possessio artis & scientiæ honorabilior est, quam experientiæ, ib.n 3
Natura facit habilem, ars facilem, vsus verò potentem, ibid n 4

Ars in ordine ad materiam.

A domo, quæ est in anima fit domus in materia, tit. 16.d 5.n.1
Ea, quæ ab arte fiunt, fiunt ab agente vniuoco, ibid.
Ars non quamlibet assumit materiam, sed aptam, ib. n.2
Ars sibi facit materiam, ib. n.3
Idiotam supere facit pulcritudo materiæ, artificem verò pulcritudo artis, ibid.
Ars longa est, & vita breuis, ibid n.4

Artifex.

Boni artificis est, prius fingere, post facere, tit. 16. d.6.n.1
Quilibet artifex naturaliter diligit suum opus, ibid. n.1
Faber adest ligno, & figulus limo, ib.n.3
Quam quisque artem nouit in hac se exerceat, ibid. n.4
Miserum est artem profiteri & ad eius perfectionem non aspirare, ibid n.5

Astra.

Digitized by Google

Astra inclinant, sed non necessitant, tit 18.d 2.n.8
Exspectandum est iudicium à stellis secundis, ibid.n.9

Auaritia, Auarus.

Auaritia facit homines odiosos, t. 27.d 4.n.1
Nulla in re placet auarus nisi in morte, ibid.
Senes naturaliter sunt auari, ibid.n.2
Absurdum est, eo plus quærere viatici, quo minus est reliquum viæ ibid.
Auaritia est idololatria, ib. n 5
Auaro nihil est scelestius, ibid.n 4
Tam deest auaro quod habet, quam quod non habet, ibid.n.3.
Radix omnium malorum est cupiditas, ibid.n.6
Prodigus est longè melior auaro, ibid.n.7

Auctoritas.

Non tam auctoritatis in disputando, quam rationis momenta quærenda sunt, tit.32 d.1 n.3
Omissis auctoritatibus re ac ratione quærenda est veritas, ibid n.4
Auctoritas negatiua nihil probat, ibid.n.5
Nemo amandus est ita, vt eius amore veritas deseratur, ibid.n.6
Auctoritas diuina præualet omni rationi humanæ, t. 33.d 2.n 7

Audacia, audax.

Audaces fortuna iuuat, tit. 53.d.8.n.1
Elanguet ardor, qui citò minimum tumet, ibid.n.2
Periculosa est audacia, si vires non suppetant spiritibus, ibid.n.3
Iniusta passi audaciores fiũt, ibid.
Quo quisque in Deo est fidentior, eo audacior, ib.

Audire, auditus.

Auditus est sensus disciplinæ, tit.38 d.2.n.1
Cœcus est surdo docilior, ibid n.2
Res visa fortius mouet, quam audita, ibid n.3
Sensus audiendi obtusior est quàm videndi, ibid. n.4
Audire acerba tolerabilius est, quàm videre, ibid.
Audiendo magis, quàm legendo recreatur homo, ibid.
Melior est testis oculatus vnus, quam auriti decem, ibid n.7
Surdi à natiuitate sunt etiam muti, t.54.d 3.n.3

Aurora.

Aurora est musis amica, tit. 39.d.4.n.7

Digitized by Google

Aurum.

Aurum ex omnibus metallis est nobilissimum, tit. 18. d 4.n.7
Aurum inter metalla solum non crematur, ibid.num 8
Aurum igne non minuitur; sed depuratur, ibid.

Beatitudo.

BEatitudo est secretis malis omnibus cumulata bonorum complexio, tit.56.d.1.n.5
Omnis homo naturaliter beatus esse desiderat, tit. 56 d.5 n.1
Vide verbum, Felicitas.

Bellum.

Bellum geritur vt in pace viuatur. t.33.d.6.n.6
Facilè bellum sumitur, at ægrè consumatur, t.25.d. 9.n.8
In bello paruæ res magnum in vtramque partem momentum habent, ibid.nu. 7
Inemendabilis est error, qui violentia maretis committitur, ibid.n.5
Diu apparandum est bellum vt vincas celerius, t.25 d. 11.n.4
Fama bellum conficit, t.32. d.2 n.16
Felix ciuitas, quæ tempore pacis de bello cogitat, tit. 5; d.7.n.2
Primis euentibus fiducia gignitur aut metus, tit.32. d.2.n.15

Beneficium, beneficus.

Habet in aduersis, qui commodat in prosperis, tit.58. d.4 n.10
Nemo non sibi profuit, qui alteri prodest, ibid.
Benefici plus amant beneficiatos, quam amentur ab illis, t.53.d.1.n.5
Vide verbum, Amicitia, & Liberalitas.

Benevolentia.

Beneuolentia est principiũ amicitiæ, tit 58 dist.2.n.1
Beneuolentia latere potest, amicitia non potest, ibid. n.4
Vide verbum, amicitia.

Bonitas Bonum generatim.

Omne ens est bonum, tit.5. distin 2.num.1
Omne quod est, in quantum est, bonum est, ibid. nu.2
Bonum & ens conuertuntur, ibid.num.4
Bonum reperitur in quolibet prædicamento, ibid. n.3
In Mathematicis non est bonum nec finis, ibid n 5

Bonum

Digitized by Google

Bonum est in rebus ante operationem intellectus, ib. n. 6
Bonum & malum sunt in rebus, verum & falsum in intellectu, ibid. num. 7
Cuius vsus bonus est, ipsum quoque bonum est, ibid. n 8
Bonum connumeratum bono facit ipsum melius, ibid. n. 9

Bonum publicum & priuatum.

Bonum commune excellentius est priuato, tit. 5. dist. 3. n. 1
Omne bonum est diffusiuũ sui, ibid. n. 2
Nemo bonus sibi soli est, ibid. n. 3
Diuinus amor non dimisit Deum esse sine germine, ibid. n. 4
Bonum commune præferendum est bono priuato, ibid n. 5
Publica vtilitas priuatorum commodis est præferenda, ibid n. 6
Omne bonum particulare tendit ad complementum boni totalis, ibid. n. 7
Bonum vniuersi consistit in ordine, ibid. n. 6
Omne bonum, quanto vniuersalius, tanto excellentius, ibid. n. 9
Omne bonum, quanto vniuersalius, tanto diuinius ibid.
Omnibus, qui Remp. adiuuerint, certus est, ac definitus in cœlo locus ibid.

Bonum in ordine ad malum

Bonum est ex integra causa, malum ex singulis defectibus, tit 5 d. 4. num 1
Bonum difficilius constituitur, quam malum, ibid.
Tanto res quæpiã est melior, quanto peius eius contrarium, ibid. num. 3
Tanto res quæpiam est peior, quanto melius est & eius contrarium, ib. n. 4
Tanto res quępiã est melior quanto peior est eius priuatio, ibid. n 5
Tanto res est deterior, quãto melior est eius priuatio, ibid. n. 7
Id est melius quod est optimo propinquius, t. 34 d. 7 n. 7

Bonum in ordine ad appetitum.

Bonum est, quod omnia appetunt, tit. 5 d 5 n 1
Amabile bonum, cuique autem proprium, ibid. n. 2
Omne bonum est appetibile, ibid. n 3

Bonum & appetibile sunt idem, ibid n.4
Bonum & finis sunt idem, ibid.n.5
Id quod per se bonum est, per se est appetibile, ibid. n.6
Beatitudo est bonum perfectum & per se sufficiens, ibid
Bonum nobilius præferendum est bono minus nobili, ibid nu 7
Bona sine tristitia eligibiliora sunt bonis cum tristitia, ibid.n.8
Id est expetibilius, quo priuari grauius dolemus, ib. n.9
Nihil appetitur, nisi sub specie alicuius boni, ibid. n.10
Id quod propter se expetitur, melius est, quã quod propter aliud, ibid n.11
Bonum sub ratione boni non potest odio haberi, tit.5.dist.6.n.2

Bonum & malum in ordine ad leges.

Omne bonum est prosequendum, vt omne malũ fugiendum, tit. 5. dist. 7. n 1
Prohibitio malorũ vniuersalior est, quam præceptio bonorum, ibid n 2
Melius est facere bonum, quàm omittere malum, ibid.n.3
Deterius est, facere malum, quam omittere bonum, ibid n.4
Carere bono habet rationem mali, ibid.n.7
Non sunt facienda mala, vt eueniant bona, ibid.n.8
Non licet se defendere cum damno innocentis, ib.n.9

Bonum & malum hominis.

Bonum hominis est, secundum rationem esse, t.5 d.8 n.1
Malum hominis est, quod est præter rationem, ib.n 2
Bonum animę est optimum bonum, ibid.n.3
Omnium humanorum bonorum libertas est maximum ibidem n 4
Bona inferioris ordinis non æquiparantur bonis ordinis superioris, ib.n 5
Quilibet præsumitur bonus quamdiu non conuincitur malus, ibid n.6
Bonus non est, qui bonis actibus non delectatur, ibid n 7
Aliud est, bonum esse hominem, aliud bonum ciuem, ibid.n.8
Ciuis boni est, posse & præesse, & subesse, tit.21.d. 10 n.10
Nemo bonus nisi solus Deus, tit. 5. distin. 1 n. 7

Digitized by Google

INDEX.

Calor.

CAlor eſt qualitas vitalis, tit. 44 d. 2 n. 1
Calor vitalis nobiſcum oritur & nobiſcum moritur. ibid.
Corpora calidiora magis viuacia ſunt, quàm minus calida, ibid n 3
Calor naturalis corrumpitur à calore extraneo, ib. n. 4
Indi abundant calore aſcititio, germani natiuo, ibid. n. 5
Siccitas eſt lima caloris, tit. 44 d. 4. n. 5

Caritas.

Caritas eſt regina virtutum. tit. 33. d 4 n. 1.
Caritas eſt forma omnium virtutum, ibid. n 2
Caritas eſt vita animæ, ibid. n. 3
Amor dei nunquam eſt otioſus, ibid n. 4
Radix omnium bonorum eſt caritas ibid. n 5
Caritas incipit à ſeipſo, ibid n. 6
Arctius quid eſt vnitas, quàm vnio, ib. n. 7
Proximus egomet mihi, ibid.
Ne quidquam ſapit, qui ſibi non ſapit, ibid.
Omnis pars naturaliter plus diligit totum, quam ſeipſam, ibid. nu 8
Probatio dilectionis exhibitio eſt operis, ibid nu 10
Cupiditatis diminutio augmentum eſt caritatis, ib. n 11
Amor eſt virtus vnitiua, ib. n. 12

Caſus.

Nemini caſus, ſed culpa eſt imputanda, tit. 14. diſtin. 2. n. 5
Quæ fiunt ſemper aut plerumque non fiunt, ibid. n. 6
Caſus vbique valet, ibid. n. 7
Ingenuorum eſt, non caſibus, ſed arte viuere, diſt. 5. n 2
Qui ſecundos amat euentus, dimicet arte non caſu. ibid. n. 4
Ad nouos caſus temporum nouæ conſiliorum rationes ſunt accommodandæ ibid. n. 6
Vide, Fortuna.

Cauſa generatim.

Cauſa eſt principium per ſe influens eſſe in aliud, tit. 8 d. 2. n. 1
Primum in vnoquoque genere eſt cauſa reliquorũ, ibid. n. 3
Primum in vnoquoque genere eſt menſura ceterorum, ibid. n. 4
Propter quod vnumquodque tale eſt illud magis eſt tale, ibid. n. 6

Quod eſt maximè tale ceteris eſt cauſa, vt ſint talia ibid n 8
Quod eſt cauſa cauſæ, eſt etiam cauſa cauſati, ibid. n.9
Cauſæ ſunt ſibi mutuo cauſæ, ibid.n.10
Idem poteſt eſſe cauſa contrariorum effectuum, tit. 8.d.6.n.1
Eiuſdem effectus poſſunt eſſe plures cauſæ, ibid.n. 2
Cauſæ per accidens ſunt infinitæ, ib.n.3,
Quantò cauſa eſt altior tanto vniuerſalior, ibid. n.4
Diuerſorum effectuum diuerſæ ſunt cauſæ, ibid n.5
Vnicuique effectui debet aſſignari cauſa conueniens, ibid.n.6

Ordo temporis & naturæ inter cauſas & effectus.

Omnis cauſa prior eſt ſuo effectu. tit.8.d.3.n.1
Cauſa in actu & effectus in actu ſunt ſimul, ibid.nu. 2
Poſita cauſa ponitur effectus, ibid.nu.3
Sublata cauſa tollitur effectus, ibid.nu 5
Non ſimul domus & ædificator corrumpitur, ib.
Quæ ſunt potentiæ, non ſemper ſimul ſunt & non ſunt, ibidem.
Cauſa in potentia & effectus in potentia ſunt ſimul, ibid.n.6
Sublata cauſa in potentia tollitur effectus in potentia, ib.n 7

Ordo dignitatis inter cauſas & effectus.

Omnis cauſa eſt nobilior ſuo effectu, tit.8.diſt.4. n.1
Nullus effectus nobilior eſt ſuis cauſis, ibid.nu.2
Nulla cauſa vi ſua poteſt edere effectum nobiliorẽ ſe, ibid.n.3
Subſtantia non fit ex non ſubſtantijs, ibid.n.4
Cauſa æquiuoca producit effectum ignobilioris naturæ, quam ſit ipſa, ibid. n.5
Effectus ſequitur debiliorem partem ſuæ cauſæ, ibid.n.6

Similitudo &c.

Effectus gerit ſimilitudinẽ ſuæ cauſæ, tit. 8.d.5.nu 1
Quicquid eſt in effectu, eſt in cauſa, ibid.n.2
Quorum cauſæ bonæ ſunt, ipſa ſunt bona, ibid.nu.3
Quorum cauſæ ſunt vtiles, ipſa ſunt vtilia, ibid.n.4
Quorum cauſæ ſunt honeſtæ, ipſa ſunt honeſta, ibid.n.5
Quorum cauſæ ſunt dele-

Digitized by Google

ctabiles, ipſa ſunt delectabilia, ibid.n 6
Quorum cauſæ malæ ſunt, ipſa ſunt mala, ibid. nu 8
Cuius conditionis eſt cauſa eiuſdem quodam modo eſt effectus, ibid.num. 11
Cibus. *Vide verbum alimentum.*

Ciuis.

Ciuis non tam ſui ipſius eſt quam ciuitatis, tit.33.d. 4.n 9
Aliud eſt, bonum eſſe hominem, aliud bonum ciuem, t. 5.d.8.num .8
Ciuis boni eſt, poſſe & præeſſe,& ſubeſſe, t. 21 d.10. n.10

Circulus.

Circularis figura eſt perfecta,tit. 45.d.2 n.1
Figura ſphærica eſt ad motum aptiſſima, ibid nu.2
Linea circularis eſt omniũ minima, ibid n 3
Vulnera circularia difficilius ſanantur,ibid num.4
Vide verbum, Figura.

Clementia.

Clementia eſt moderatio aliquid ex debita pœna remittens, tit.28.diſt 7. num.1
Clementia eſt propria ſuperiorum ibid.n.2
Satius eſt, nocentem abſoluere, quàm innocentem condemnare, ibid. nu 3
In pœnis benignior eſt interpretatio facienda,ibid. n 4
Primis erroribus benignior eſt clementia, ibid.num.5
Apum reges aculeum habent, ſed eo non vtuntur, tit.25.d.6.n.3
Apum principes minimè irritantur, ibid.n.4
Dij laneos habent pedes, ſed ferreas manus, tit.27. d.9.n.15

Cælum.

Cœlum eſt quintum corpus ſimplex, tit.18.diſt. 2.n.1
Cœlum eſt primum elementum, ibid.n.2
Mundus ſuperior florem inferioris, inferior fæcẽ habet ſuperioris, ibidem n 3
Cœlum & aſtra nobiliſſima eorum ſunt quæ ſub ſenſum cadunt, ibidem 4
Cœlum non ſuſcipit peregrinas impreſſiones, ibid. n.5
In corporibus cœleſtibus non reperitur malum, ib. n.6
Mundus inferior gubernatur à ſuperiore, ibid.n.7
Corruptibile & incorruptibile differunt genere, ib. n.10

Cognitio, Cognoſcibile.

Res in tantum eſt cognoſcibilis, in quantum ens eſt, tit. 36. d. 2 n. 1
Sicut ſe res habet ad eſſe, ita etiam ad cognoſci, ibid. n. 2
Tum vnumquodque cognoſcimus, cum omnes eius cauſas cognoſcimus, ib. n. 3
Eadem ſunt principia eſſendi & cognoſcendi, ib. n. 4
Cognitio fieri non poteſt niſi cognoſcendâ præcedant, ibid. n. 5
Notitia generatur à cognoſcente & cognito, tit. 51 d. 2 n. 2
Modus cognoſcendi ſequitur modum eſſendi, t. 36. d. 3 n. 1
In ſimplicibus aut totum cognoſcitur, aut totum ignoratur, ibid. n. 2
Compoſitum non cognoſcitur, niſi ſciantur componentia, ibid. n. 3
Vnumquodque cognoſcitur, prout eſt actu. ib. n. 4
Omnis cognitio præſupponit ſuum obiectum, ib. n. 5
Omnis noſtra cognitio pēdet à ſenſu, tit. 16. d. 4. n. 1
materia prima nō eſt, quoad nos per ſe cognoſcibilis, ibid. n. 2
Quo res eſt magis naturalis eo minus cognoſcibilis, ibid. n. 3
Quo res eſt remotior à ſenſu, eo perfectiorem habet cognoſcendi gradum, ibid. n. 4
Cognitio nobilior eſt actione, tit. 51. d. 1. n. 1
Contemplatio nobiliſſima eſt hominis operatio, ib.
Cognitio ad artes ſufficit, ad virtutes parum vel nihil prodeſt, ib. n. 2
Omnis cognitio fit per aliquam abſtractionem, ib. n. 3
Quo res magis abſtrahitur à materia, eo perfectius cognoſcitur, ibid. n. 4
Perfectio cognitionis in eo conſiſtit, vt res cognoſcatur ſicuti eſt, ibid. n. 5

Commune.

Quod commune eſt, nullius eſt tit. 5 d. 3 n. 2
De proprijs maximè curant homines, de communibus autem minus, ibid.
Qui quærit bonum commune, quærit & propriū, tit. 1 d. 10 n. 7
Vide, bonum publicum & priuatum.

Comparatio.

Omnis comparatio fit inter comparata diſtincta, tit. 46. d. 5 n. 7
Comparatio non fit, niſi in rebus eiuſdem generis, ibid. n. 8
Omnis cōparatio eſt odio-

Digitized by Google

ſa, ibid.n.9
Vide Similitudo.

Conceptus.

Conceptus ſunt ſimilitudines rerum obiectarum, tit.54 d.2.n 1
Conceptus ſunt idem apud omnes, ibid n.2
Conceptus non ſunt æquiuoci, ibid.
Vnumquodque vt verè cõcipiatur, debet concipi ſicuti eſt, ibid.n.3
Eſſentia rei poteſt concipi ſine proprietatibus, ibid. n.4
Eſſentia rei poteſt concipi ſine aliquo, quod eſt de eſſentia, ibid.n.7

Concordia.

Concordia res paruæ creſcunt, diſcordia maximæ dilabuntur, tit.31.d.6.n.1
Omne regnum in ſeipſum diuiſũ deſolabitur, ib.n.2
Vires imperij in conſenſu obedientium ſunt, ib.n.3
Diſcordiæ magnatum ſunt, diſſoluendæ, ib n.4
Vbi eſt multitudo, ibi confuſio, ibid.n.5

Concretum.

Vbicumque ſunt plura concreta, ibi & plura abſtracta, tit.66.d 3.n.3
Concreta eiuſdẽ ſpeciei non multiplicantur, niſi multiplicentur ſubiecta ib.4
Subſtantiua non multiplicantur, niſi multiplicato ſignificato formali, ib.n.5
Vide verbum, Abſtractum.

Conſcientia.

Conſcientia mille teſtes, tit. 49 diſt 2.n.1
Mala facinora conſcientia flagellantur. ibid.num.2
Omnis inordinatus animus ſibi eſt pœna, ibid.
Proprium eſt nocentium trepidare, ibid.n.3
Hominem improbum vel mus mordeat, ibid n.4
Ne ſpina quidem vulnerabit bonum, ibid.
Magis delectat bona conſcientia inter moleſtias, quam mala inter delicias, ibid.
Nullum theatrum virtuti conſcientia maius, ibid d. 3.n 4

Conſequentia.

In bona conſequentia non datur antecedens verum & conſequens falſum, t. 54 d.9.n.1
Ex vero non niſi verum. ib. n.2
Quidquid ſtat cum antecedente, ſtat cum conſequente, ibid nu.3
Non quidquid ſtat cum conſequente ſtat cum antecedente, ibid nu.4
Quidquid repugnat conſequenti repugnat antecedenti, ibid.nu.5

Non quidquid repugnat antecedenti, repugnat cõsequenti, ibid. n 6
In bona consequentia ex contradictorio consequentis infertur contradictorium antecedentis, ibid.n.7
Ex affirmatione vnius rectè infertur negatio contrarij, ibid n.8
Ex negatione vnius non sequitur necessariò affirmatio contrarij ib.n 9
Ex pari ratione sequitur par consequentia, ibid.nu.10
Qui vult antecedens vult etiam consequens, ibid. n.11
Cum quid prohibetur, prohibentur omnia, quæ sequuntur ex illo, ibidem.
Posito possibili in actu, nullum sequitur inconueniens, ibid.nu.12
Possibile est illud, quo posito esse, nullum sequitur impossibile, ib. n.13

Consilium, consulere.

Proprium prudentis est, benè consulere, tit. 25.d. 9.n.1
Consilium non est de præteritis, ibid.n.2
Consilium non est de impossibilibus, ibid.
Facilè decipitur, qui respicit ad pauca, ib.n.3
Gladiator in arena consiliũ capit, ibid.n.4
In repentinis actio fit ex præexistente habitu, ibid.
Turpe & muliebre est dicere non putabam, ibid. n.5
Consilij vim nescit, qui iudicat ex euentu, ibid.n.6
Malo nodo malus quærendus est cuneus, ibid n.10
Facilè cum valemus, recta consilia ægrotis damus, ib.n.11
Admonendo sapimus omnes, ibid.
Consilij non fraudulenti nulla est obligatio, ibid. n.12
Malum consilium consulto. ri pessimum, ib n.13
Consilium mulierum ἄχυρον, ibid.nu.15
Superbiæ est, nunquam mutare velle consilium, ibid.n 18
Nemo bene iudicat in causa propria, tit 25.d 10. n.1
Nemo est qui sibi sapientius suadere possit seipso, ibid.n.2
Securius est consilium accipere, quam dare, ibid. n 3
Consulere oportet tardè, consulta exequi festinanter, tit. 15 d.11 n.1
Calida consilia & audacia prima specie læta, euentu tristia sunt, ibid.n. 3
Duo aduersissima rectę mẽti celeritas & ira, ibid n. 4

Digitized by Google

Plura auſpicijs geruntur & conſilijs, quam telis & manibus, ibid.n.5
Cupido & ira ſunt peſſimi conſultores, ib n.6
Malè fiunt, quæ cum aliquâ perturbatione fiunt ibid. n 7
Verbum in conſilio valet, in certamine factum, ib. n.8

Conſtantia.

Quod ſemel placuit, amplius diſplicere non poteſt, tit.29.d.7.n.1
A conſtantia alienum non eſt, ſeruire tempori, ibid. n.2
Et poſt malam ſegetem ſerendum eſt, ib.n 3
Nemo poteſt res inſtabiles amare, & ipſe ſtabilis permanere, ib.n.4
Non contriſtabit iuſtum, quidquid acciderit. ibid.
Pulcrorum etiam autumnus pulcer eſt ib.n 5
Optimum conſtantiæ præſidium eſt, non curare, tit. 29 d.6.n.3
Nihil eſt, quod non expugnet pertinax opera, & intenta ac diligens cura, tit.1.d. 4.

Conſuetudo.

Conſuetudo eſt altera natura, tit.15.d.7.n.1
Magna vis ineſt conſuetudini, ibid.n.2
Conſuetudinem mutare difficile eſt, ib n.4
Difficulter eraditur, quod rudes anni perbiberunt, ibid.
Facilius eſt conſuetudinem mutare, quàm naturam, ibid n.5
Lupus pilum mutat, non mentem. ibid.nu 6
Bona conſuetudo excutere debet, quod mala introduxit, ibid n.7
Bona conſuetudo ſeruanda eſt, ſed non ſe ſola, ibid. n 8
Conſuetudo habet vim legis, tit.60.d.5n.1
Mos populi Dei pro lege habendus eſt, ibid.
Optima legum interpres eſt conſuetudo, ibid.num.2
Arte non conceditur, quod naturaliter denegatur, ib. n 3

Continentia.

Continentia non eſt virtus, ſed quiddam virtutis habet admixtum, tit.18.d. 5.n.1
Continere omnes cupiditates præclarũ magis, quam difficile, ibid.n.2

Continuum.

Continuum eſt id, cuius partes communi termino copulantur, tit.21.d.3.n.5

Vide, Quantitas.

Contradictoria.

Contradicentium nullum eſt medium. t.65.d 7 n.1
Contradictio eſt pugna affirmationis & negationis, ibid.n 2
Oppoſitio contradictoria eſt maxima, ib.nu.3
Contrarietas eſt maxima diſtantia, ib.n.4
Contradictio eſt cauſa, vt cetera ſint oppoſita, ibid. n.5
Ex quauis oppoſitione poteſt inferri contradictio. ibid n 6
De quolibet vera eſt affir. matio vel negatio. ibid. n.7
Impoſſibile eſt, duo contradictoria eſſe ſimul vera, ibid n 8
Impoſſibile eſt, duo contradictoria eſſe ſimul falſa, ibid n 9
Contradictio in adiecto ſe. ipſam interimit, ibidem n 10

Contraria generatim.

Contrariorum eadem eſt ſcientia, tit.65. diſtin.2. n.1
Contraria iuxta ſe poſita magis elucescunt, ibid.
Contraria maximè diſtant ſub eodem genere, ibid.
Eo vnumquodque eſt melius, quo eius contrarium deterius, 15 n.4
Peſſimum eſt, quod eſt contrarium optimo, ibid n 5
Contrariorum eadem eſt ratio, ibid n.6
Plura ſunt malis contraria, quam bonis, ibidem n. 7
Vni vnum tantum eſt contrarium, tit. 65 diſtin.3. n 1
Omnia contraria ſunt etiam priuantia, tit.65 diſt.8. n.7
In quolibet genere eſt vna prima contrarietas, ibid. n.9

Contraria in ordine ad ſubiectum.

Contrariorum idem eſt ſubiectum, tit.65 diſt.4. n.1
Contraria circa eandem verſantur materiam, ibid, n 2
Contraria inon poſſunt ſimul eſſe in eodem ſubiecto, ibid.n.3
Quæ ſuis contrarijs minus permixta ſunt, magis talia ſunt, ibid.n.3
De natura contrariorum eſt, ſe mutuò expellere, ibid n 5
Contrarietas eſt oppoſitio ſecundum formam, ib.n.6
Illud non eſt in ſubiecto, quo inhærente ſequitur duo contraria eſſe ſimul, ibid n.7

Digitized by Google

Illud non eſt in ſubiecto, cuius contrarium non poteſt eidem ineſſe, ibid. n.8
Contraria in re, non ſunt contraria in mente, ib. n 9

Cauſa & effectus contrarij.

Idem non poteſt eſſe principium oppoſitorum, tit. 65 d.5. n. 1
Cauſæ contrariæ contrarios habent effectus, ibid. n. 3
Contraria de cõtrarijs dicta ſunt probabilia, ibid n. 4
Contrariorum contrariæ ſunt cauſæ, ib n 5
Conſeruatiuum vnius contrarij eſt deſtructiuum alterius, ib n.6
Contraria contrarijs curantur, ibid.nu.7
Contrarietas vbi non eſt, ibi nec generatio & corruptio, ibid.nu 11

Cor.

Cor nullum patitur graue vitium, tit.43 diſtin 2.n.4
Cor fons eſt caloris naturalis, tit.44 d.2 n 5
Cor eſt fons vitæ, ibidem
Corde infrigidato moritur animal, tit.44 diſtin.3.n.4

Corpus.

Corpora omnia naturalia animæ ſunt inſtrumenta. t.18.d 6.n.2
Corpus totum animæ gratia eſt conditum, t.10 d.7.n.2
Anima ſe habet ad corpus, vt dominus ad ſeruum, tit.18.d.5.n.3
Multis ſeruit, qui ſeruit corpori, ibid.
In corpore affecto facilis eſt offenſio, tit. 43 d. 2. n.1
Corpora ſana permultos ferunt errores, ibid.num.2
Corpus quantitatiuum. *Vide, Quantitas.*

Corruptibile, corruptio.

Corruptibile & incorruptibile differunt genere, tit.18 d.2 n.10
Corruptio eſt mutatio ex ſubiecto in non ſubiectum, tit.50.d 3.n.1
Corruptio eſt de genere malorum, ibid.n.2
Quidquid corrumpitur, à ſuo contrario corrumpitur, ibid.d 4 n 3
Corrumpi impoſſibile eſt, vbi non eſt contrarium, ibid n.5
Vnumquodque reſoluitur in ea, ex quibus conſtat, ibid n.6
Vnius corruptio alterius eſt generatio, ibid. diſt. 5. n. 2
Omne alterabile eſt corruptibile, ibid.n.5
Corrumpere facilius eſt, quam conficere, ibid.d. 6 n 2
Frigus eſt cauſa corruptionis, tit.44.d.3.n.2

Creatio. *Vide, Deus vt creator.*

Crudelitas.

Crudeles cauſam puniendi habent, modum non habent, tit 28. diſtin. 7. n. 9
Hominum naturæ maximè inimica eſt crudelitas, ibid num. 10
Imperia crudelia magis acerba ſunt, quam diutur, na, tit. 25. d. 6. n. 5
Culpa. *Vide clementia, error Peccatum.*

Damnatio, Damnum.

NEmo damnari debet, antequam audiatur, t. 24 d 7. n. 2
Damnum quod ſua culpa quis ſentit, ſibi debet, non alij imputare, tit. 54. .d. 4.. n. 4

Dare.

Nemo plus iuris poteſt transferre in alium, quam ſibi competere dignoſcatur, tit. 47 d 4. n. 2
Quod quis non habet, non poteſt dare, ibid. n. 3

Definitio.

Definitio eſt oratio, quæ eſſentiam alicuius, naturamque declarat, tit. 54. d. 7. n. 1
Ratio quam nomen ſignificat, eſt definitio rei, ibid. n. 2
Vnius rei vna tantum eſt definitio, ibid. n. 3
Omnis definitio in iure ciuili periculoſa eſt, ibid. n. 4
Definitio notior eſt ſuo definito. ibid. n. 5
In definitione nihil de aliquo prædicatur, ibid n. 6
Omnis definitio eſt affirmatiua, ibid. num. 7
Cui tribuitur definitio, tribuitur definitum, ibid. n. 8
Cui non tribuitur definitio nec definitum tribuitur, ibid. n. 9
Quidquid conuenit definitioni conuenit definito, ibidem num. 10
Quidquid non conuenit definitioni, nec conuenit definito, ibid. nu. 11
Si definitio definitioni conuenit, etiam definitum definito, ibid. n. 12
Si non conuenit definitio definitioni, nec definitum definito, ibid. n. 13
Quod magis ſuſcipit rei definitionem, id magis tale eſt, ibid n 14
Quando res definit eſſe, perdit nomen & definitionem, ibid. n. 15

Delectatio.

Digitized by Google

Omne animal naturaliter appetit delectationem, tit.53 distin 4. nu 1
Delectatio perficit operationem, ibid.n.2
Delectatio conseruat operantem in opere suo, ib. .num.3
Quod connaturale est, id quoque delectabile, ibid, n.4
Consueta sunt delectabilia, ibid n.5
Delectabilius est, contemplari iam cognita, quam inquirere ignota, ibidem
Cantilenam notam suauius audimus, quam ignotam ibid.
Rarò contingentia sunt delectabilia, ibid n.6
Varietas & nouitas delectat ibid.
Omnium rerum est satietas ibid.
Iucunda est rerum vicissitudo ib n.7
Iucundissimum est potiri eo, quod cupias, ibid.n.8
Id cuique voluptati est, cuius amator est quisque, ibid n 9.
Improbæ naturæ improba voluptas est, ibid n.10
Iuuenilis delectationis velox est transmutatio, ib. n.11
Omni homini conuerso ad Deum, mutatur delectatio, non subtrahitur, ib, n.18
Anima sine delectatione esse non potest, ibid.n.19

Demonstratio.

Demonstratio est syllogismus efficiens scientiã, t. 54 d.11.n.1
Illa demonstratio melior est, quæ melioribus vti. tur principijs, ibid n.2
Demonstratio affirmatiua dignior est, quam negatiua, ibid.n.4
Impossibile est, omnium esse demonstrationem, ib. n.5
Principiorum non est demonstratio, ib n.6
Definitionis non est demonstratio. ib.n.7
In demonstrationibus non est processus in infinitum ibid.n.8
Petere principium est, non demonstrare propositum, ibid.n 9
Demonstratio non debet transferri de genere in genus, ibid.n.10
Essentiæ est definitio, proprietatum demonstratio. tit.30.d.7.n.4

Denominatio.

Denominatio sumitur à potiori, tit.66.d.4.n.1
Omnis denominatio intrinsecà supponit rem denominantem intrinsecam, ibid.n 2
Omnis denominatio ex-

trinseca supponit rem denominantem extrinsecam, ibid nu.3
Argumentum non valet ab in esse ad denominari, nisi eo modo denominet, que inest ibid.n.4

Desiderium.

Appetitus est ratione carentiæ, tit.53.d.3.n 1
Desideria crescunt in infinitum, ibid.n.2
Omnibus innatum est desiderium excellentiæ, ib n.3
Finis curarum est perfectio desideriorum, ibid n.4
Trahit sua quemque voluptas, ibidem
Omne, quod secundum hominis cupiditatem est voluntariũ iudicatur, ib n.5
Omnis res necessaria molesta est, ibid.n.6

Deus.

Deus est, tit. 7 distin.2. n.1.
Deus est ipsum esse, ibid. n.2
Esse est actualitas omnium actuum, ibid n 3
Deus est ipsum quod est, extra quod nihil omninò est, ib n 4
Deus est quoddam substantiæ pleagus infinitũ, ibidem.
Deus est ens per essentiam, ibid.n.5
Deus eminenter continet omne ens per participationem, ibid n.6
Deus est, & quę sunt, & quę non sunt, ibid n 7

Dei operatio ad intra.

Operatio Dei est immortalitas, tit 7 d.6 n 1
Operatio Dei est vita perpetua, ibid.n.2
Diuinitati inest motus perpetuus, ibid.n.3
Deus est sua intellectio, ib. n.4
Deus est sua operatio, ibid. n 5
Deus semper intelligit seipsum, ibid. n 6
Deus nihil intelligit extra se ibid.n 7
Intellectus Dei vilescceret, si aliquid extra se cognosceret, ibid n.8
Oculu Dei est fortissimus, ibid nu.9
Magna nobis est necessitas probitatis Deus omnia videns, ibid n.10

Deus vnus est trinus.

Deus si non est vnus, Deus non est, tit 7.d 3.n 1
In Diuinis omnia sunt vnũ, vbi non obuiat relationũ oppositio, ibid n.2
Actio, quæ in Deo est, habet se, vt potentia actiua, ibid n.3
Sola relatio multiplicat Tri-

Digitized by Google

nitatem, ibid.n.4
Quidquid eſt propriũ deitatis, quatenus deitas eſt, non multiplicatur in diuinis, ibid.n 5
quidquid eſt proprium perſonæ, quatenus perſona eſt, multiplicatur in diuinis, ibid.n.6

Dei attributa.

Deus eſt actus purus, tit.7. d.4.n.1
In Deo nõ diſtinguitur quo eſt, & quod eſt, ibid nu.3
Solus Deus ſtat in eſſentia, ibid n.4
Deus eſt ens, quo melius excogitari non poteſt, ib. d.5.n.1
In Deo ſunt omnia, ibid.n.2
Quidquid eſt in Deo, eſt ipſe Deus, ibid.n.3
*D*eus qualitatis eſt expers, ibid.n 4
Deus eſt ſine quantitate magnus, ſine qualitate bonus, & ſine tempore ſempiternus, ibid.
Vide verbo, Æternitas.

Actio Dei ad extra.

Deus operatur liberè extra ſe, tit.12.d.5.n.1
Non eſt ſub neceſſitate Deus, ibid n 2
Si Deus ageret ad extra neceſſitate naturæ, produceret alterum Deum, ibid. n.3
Opera Trinitatis ad extra ſunt indiuiſa, ib n 4
Quàm facilè Deus intelligit ac vult, tam facilè operatur, ibid.n 5
Placitum Dei neceſſitas ſequitur, voluntatem comitatur effectus, ibid.n.6
Dictum & factũm in Deo ſunt idem, ibid n 7
Deus ſemper congruè operatur ad fines rerum, ibid. d.6 n.1
Deus ſemper facit ex poſſibilibus id, quod eſt melius, ibid.n.2
*D*eus ſemper poteſt facere meliora in infinitum, ibid. n.3
Plus Deus poteſt facere, quàm intellectus noſter intelligere, ib.n.4
Optimi eſt optimum agere, ibid n.5
Deus neceſſariò ſe amat perfectiſſimè intenſiuè, non extenſiuè, ibid.n 6
Opera *D*ei ſunt perfecta, ibid.n.7

Deus vt Creator.

Sine Deo nec fuit aliquid, nec eſt, nec erit, tit 12.d. 1.n.1
Ab ipſo, & in ipſo, & per ipſum ſunt omnia, ibid n.2
Niſi faciat omnia Deus, aut ſuperbus eſt, aut imbecillis, ibid.n 3
Deus creaturam tuam fecit

ex nihilo, ib.n.4
Voluntas creantis etiam sine materia sibi sufficit, ibid.
Si ex aliquo Deus fecit omnia, non fecit omnia, ib. n.5
Quod est maximè ens, causa est omnis entis, ibid n 6
Quæ habent causem finalem habent & efficientem, ib. n 7
Deus est causa finalis rerum æternarum, ibid n 8
Ab hoc ente omnibus derivatum est esse & viuere, ibid.n 9
Deus est primum efficiens & vltimus finis rerum omnium, ibid.n.10
Deus complectitur primum medium, & finem omniũ entium. ibid n 11
Omne ens præter Deum, est creatum à Deo, ibid. n. 12
Quidquid à Deo factum non est, vel est Deus, vel nihil, ibid nu.3

Deus vt gubernator.

Vnus est princeps & gubernator vniuersi, tit.12.d.2. n.1
Principatuum pluralitas non est bona, ibid n.2
Deus est princeps & gubernator vniuersi, ibid.n.3
Deus est nobis lex æterna, ibid.n.4
Mundus est liber & imago Dei, ibid.nu.5
Deus est anima mundi, ib. n 6

Deus vt conservator & immutator.

Deus est causa causarum custodiens & regens omnia, tit.12 d.3 n 1
A Deo dependet omne esse creaturæ, ibid.n 2
Cessante actione conservatiua Dei, in nihilum abeunt creaturæ, ibid n 3
Diuinum omnium principium existit, per quod sunt & permanent vniuersa, ibid n.4
Mens omnia exornat, omniumque est causa, ibid. n 5
Æquum non est, summi momenti rem casui tribuere, ibid.n.6

Deus vt cooperator.

Omnis causa secunda essentialiter subordinata est causæ primæ, tit 12.d.4. n.1
In causis essentialiter subordinatis inferior non agit sine superiore, ibid.n.2
Deus omnibus mundi partibus assistit cooperando, ibid.n 3
Omnis actio causæ secũdæ pendet ab actuali consensu causæ primæ, ibid. n.4

Digitized by Google

Nil ſine Deo, ibid.n.5
Omnis creatura eſt in potentia obedientiali reſpectu creatoris, ibid n.6
Nullum agens creatum pendet eſſentialiter ab alio agente creato, n 7
Cauſa ſecunda non agit niſi mota à prima, ibid nu 8
Cauſa ſecunda applicatur ad agendum à prima, ib. n.9
Cauſa ſecunda agit in virtute primæ, ib.n.10
Virtus diuina virtus eſt omnium cauſarum, ibid. n.11
Prima cauſa facit, vt ſecunda faciat, ib.n.12
Nulla bona facit homo, quæ non facit Deus, vt faciat homo, ibid.
Deo præſente nullus officit ob ex, ibid.n.13
Cauſa prima ſupplet, quod deficit cauſas ſecundas ib. n 14
Quidquid Deus facit cum cauſa ſecunda, poteſt facere ſe ſolo, ibid n 15
Deus eſt primum efficiens, eminenter continens omnem efficientiam, ib. n.16

Verecundè de Deo loquendum.

Nunquam verecundiores nos eſſe oportet, quam cum de Deo agitur, tit.7. d.7.n.1
De Deo etiam vera loqui periculoſum eſt ibid n.2
Deum cogitare difficile eſt, eloqui impoſſibile, ibid. n.3
Multa Deo conueniunt, quæ nulli competunt creaturæ, ib.n.4

Differentia, differre.

Genus ſe habet, vt materia, differentia vt forma, tit. 3.d.8.n.2
Differentiæ ſubſtantiæ ſubſtantia eſt, accidentis accidens, ibid.n.5
Differentiæ ſubſtantiales per accidentarias manifeſtatur, ibid.n 6
Sæpe loco differentiarum ſubſtantialium adhibentur accidentales, ibid.
Nulla differentia includit genus, quod diuidit, ibid.n.7
Differentiæ non ſuſcipiunt magis & minus, ibid nu. 9
Actus eſt, qui facit differre, tit.64.diſt 2. nu.7
Vide, Diſtinctio, genus, & ſpecies.

Diſcere, Diſcipulus.

Addiſcentem oportet credere, tit 32 d.2.n.1
Impoſſibile eſt, omnium eſſe demonſtrationem, ibid.nu.1
Amicus Plato, ſed magis

Digitized by Google

amica veritas, ibid.n.3
Malè eloquentia sine moribus discitur, tit.40.d.2. n.7
Dispares mores dispatia studia sequuntur, tit 58.d. 3.n.7
Qui claudo cohabitat, claudicare discit, ibid.n.8
Optima discuntur ab optimis. ibid.n.9
Addiscere omnibus hominibus est iucundissimum, tit.30.dist 3.n.3

Dispensare.

Dispensare est cum licentia infernum intrare, tit. 60. dist 3.n.5
Vide verbo, Lex, & Priuilegium.

Dispositio.

Dispositio ad formam est eiusdem ordinis cum ipsa forma, t.10 d.6 n.3
Vide verbo, Actio, Forma, Habitus.
Disputatio *Vide, Auctoritas, & Syllogismus.*

Dissimilitudo.

Dissimilia sunt opposita similibus, tit 46.d.3 n.5
Tanta est vultuũ diuersitas, quanta hominum & sententiarum, ibid.d.5 n.4
Omne simile habet aliquid dissimile, ibid.n.6

Distinctio generatim.

Quæcunque possunt à se mutuò separari, distinguuntur a parte rei, tit. 64 d.2.n 1
quæcunque possunt à se mutuò separatim existere, distinguuntur realiter, ibid nu.2
Quæ vna productione generantur, sunt idē, ib.n.3
Idem manens idem non potest existere sine aliquo sui, ibid n.4
Vnio non tollit distinctionem, sed separationem, ibid.n.5
Per quod vnumquodque in suo esse constituitur, per idem ab alijs distinguitur, ibid.n.6
Omnis distinctio fit per aliquem actum, ibid n 8

Distinctio speciatim.

Quæcunque differunt genere, etiam specie differũt, & numero, ib d.3.n.1
Quęcunque differũt genere realiter, differũt specie & numero realiter, ibid.n.2
Quæcunque differunt genere prędicamentaliter, differunt specie & numero prædicamentaliter, ib 3
Quæcunque magis differunt, quam numero, differunt specie, ibid n.4
Quęcunque differunt realiter, eadem essentialiter, ibid.n 5

Digitized by Google

Aliud est differre essentialiter, aliud essentiali specie differre, ibid.n.6
Aliud est, differre, aliud, esse diuersum, ib n 7

Conditiones distinguentis.

Qui bene distinguit, bene docet, ibid.d.4 n.1
Bona distinctio est difficultatis solutio, ib.n.2
Vniuscuiusque rei quidditas per distinctionem attingitur, ib.n.3
Omnis distinctio fieri debet per membra opposita ibid n. 4
Differentiam ponens inter aliqua, cognoscit vtrumque sub propria ratione, ibid n 5
Arbitrum oportet vtriusque partis causam cognoscere, ibid.n.6
Soluere vinculum nemo potest, qui nodum ignorat, ibid.n 7

Diues, diuitiæ.

Diuitijs qui excedunt, difficulter obediunt rationi, tit.47.d.5.n.2
Agricola in nouum annum diues est, ibid n 4
Spes alit agricolas, ibid.
Nunquam parum est, quod satis est, ibid.n.5
Nunquam satis est, quod multum est, ibid n 6
Victus & vestitus Christianorum diuitiæ sunt, ib.n.7
Hoc habent pessimum animi magna fortuna insolentes, quem læserunt & oderunt, tit.53 d 2.n.4
Amor diuitiarum crescit in infinitum, tit.53.d 3 n.2

Diuisio.

Diuisio est oratio, qua totum in suas partes diuiditur, tit.54. d.6 n 1
Diuisio est veluti imperfectus syllogismus, ibid.n.2
Diuisione nihil probatur aut refellitur, ibid.n.3
Omnis diuisio fieri debet secundum vniuscuiusque rei naturam, ibid. num.4
Diuisio natura est posterior compositione, ib n.5
Diuisio vtilis est ad definitionem, ibid n 6

Dolor.

Ex duobus doloribus, qui vehementior est, sensum obscurat alterius, t. 44 d.1 n 1
Quidquid præter cupiditatem est, id omne dolorem infert, tit.53 dist.3.n 7
Vide, verbo Tristitia.

Dominus.

Dominus qualis sit, familia ostendit, tit.25 dist 3. n.1
Oculus domini pascit equos ibid.n.2

Impossibile est, non diligentis Domini seruos esse diligentes, ibid.n 5
Totum bonum serui est Domini, tit.11.d.3.n,7

Dubitare, Dubitatio.

Dubitare de singulis non est inutile, tit.3.d.5.n 1
Dubitatio primus ad scientiam gradus est, ibid.n.2
Qui non dubitat, ille aut nihil scitus aut omnia intelligit, ibid.n.3
Qui dubitat, & admiratur, planè se ignotare ostendit, ibid.n.4

Dubium.

Dubia in meliorem partem sunt interpretanda, tit. 26.d.8.n.1
In dubio non est præsumendum delictum, ibid. n.2
In dubijs non facilè definias, sed suspensam teneas sententiam, ibid.n. 3

Duratio *Vide, Ætas, Æternitas, Tempus.*

Effectus.

NVllus effectus est de essentia sua causæ, tit. 11.d.2.n 5
Omnis causa realiter distinguitur à suo effectu. ibid. n.6
Omne, quod fit, necesse est ab alio fieri, ibid n 7
Similia a similibus oriuntur ibid d.8.n 1
Omnis effectus gerit similitudinem suæ causæ, ibid. n 5
Non ex omni ligno fit Mercurius, ibid d.9.n.4
Determinatum fit ex determinato. ibidem.
Quidquid fit, fit ex subiecto, ibid.d.10.n.8
Manifestum est, id quod fit, compositum esse, ibidem.
Formæ confiunt composito ibid.n.9

Efficiens.

Causa efficiens est id, unde est primum principium mutationis & quietis, t. 11.d 2.n.1
Quorum efficientia bona sunt, ipsa sunt bona, tit 8. d.5 n.7
Quorum efficientia mala sunt, ipsa sunt mala, ib. n.8
Quorum interimentia bona sunt, ipsa sunt mala, ibid. n 9
Quorum interimentia mala sunt, ipsa sunt bona, ibid.nu.10
Actio est perfectio agentis, tit. 11.d 2.n.2
Maximum creaturæ ornamentum est, creatorem imitari, ibid.n.3

Digitized by Google

Omnium diuiniſſimum eſt, Dei cooperatorem fieri, ibid.
Omne agens nobilius eſt patiente, ibid.n 4
Vnumquodque eſt propter operationem, ibid. d. 3. n 1
Omne ens habet aliquam propriam actionem, ib. n. 2
Sicut ſe res habet ad eſſe ita ad operari, ibid. n.3
Modus operandi ſequitur modum eſſendi, ibid.n. 4

Electio.

Electioni aduerſatur cupiditas,t.25 d 10.n.4
Id magis eligendum, quod melior diſciplina eligendum præcipit, ibid.n.5
Id melius eſt, quod magis eligit Prudens, ibid nu 6
Cuius conſequens eſt maius bonum, id potius eligendum, ibid.n.7
Omnis homo de ſe eſt vertibilis ſecundum electionem, t.11.d.11.n.9

Elementum.

Elementum eſt corpus ſimplex, in quod reſoluuntur mixta, t.16.diſtin.3. n.1
Elementa ſunt ſimilia materiæ, ibid.n.2
Elementa ſunt generabilia & corruptibilia, ibid. n 3
Nullum elementum corrumpitur vniuerſaliter, ibid. nu.4
Elementa non ſunt apud nos ſimplicia, ibid.num.5
Elementa non ſunt odorabilia, ibid.n.6
Nullum elementum nutrit, ibidem num.7
Elementa ſunt tot, quot combinationes poſſibiles primarum qualitatum, ibid.n 8
Præſtantiſſimo elemento præſtantiſſima debetur qualitas, ibid.n.13

Emere.

Carò emitur, quod precario accipitur, tit.27.diſtin 3 n 6
Omnes volunt vili emere & caro vendere, tit.55.d. 5.n 1

Ens.

Omne ens vel eſt à ſe vel ab alio, tit 2 d.6 n 1
Omnis ſubſtantia, quæ Deus non eſt, creatura eſt, ibid num.2
Omnis ſubſtantia, quæ creatura non eſt, Deus eſt, ibid. nu. 3
Quidquid in rebus extat, aut creata natura eſt, aut increata, ibid.n 4

Ens in potentia simpliciter est non ens. ibid.n.5
Entis diuersæ sunt species, ibid.n 6
Ens non est vniuocum, nec æquiuocum, ibid.num.7
Entia non sunt multiplicanda sine necessitate, ib.n.8
Quidquid fieri potest, per pauciora, non debet fieri per plura, ib.n 9
Omne ens est alicui conueniens, ibid.n.10
Omne ens, quanto est perfectius, tanto operatur nobilius, ibid.n 11
Entia nolunt malè gubernari, ibid nu.12

Enunciatio.

Facilè enunciat, qui respicit ad pauca, tit 54.d.4.n 9
Vide, Affirmatio, & Veritas.

Error.

Paruus error in principio, magnus fit in fine, tit 1 d. 4 n 1
Abortio quis aberret, tit.1. d.5 n.1
In via præcipiti periculosus est lapsus, tit.25. dist.9. n.9
Annosa vulpes non facilè capitur laqueo, tit.33 d.11. n.14
Raiò magni errores nisi à magnis prodiere ingenijs, ibid n.16

Esse.

Quidlibet est vel non est, tit.2 d 2.n.1
Necesse est, quidlibet esse, vel non esse, ibid.nu 2
Nullum ens simul est, & non est, ibid n.5
Impossibile est, idem simul esse & non esse, ibid n.6
Ipsum esse est maximum Dei beneficium, tit.2 d. 3.n 1
Ipsum esse est perfectio perfectionum omnium, ibid.n 2
Omnis nobilitas cuiusque rei est sibi secundum esse, ibid n.3
Omne quod creatum est, tanto magis est, quanto similius illi, quod summè est, ibid n 4
Omne quod creatum est, tanto præstantius est, quanto similius illi quod summè magnũ est ib.n.5
Non esse infinitum est malum, ibid.n 6
Vnunquodque dicitur magis esse, cum est actu, quam cum est potentia, ibid n.7
Prius est esse, quam operari, ib n.8
Omne ens naturaliter se in esse conseruare desiderat, ibid.n.9
Vniuersis amabile atque expetibile est suum esse, ib. n.10

Digitized by Google

Omne ens naturaliter, se corrumpientibus, resistit, ib. n 11
Viuere viuentium est esse, ibid.n.14
Viuere in honestis voluptatibus peius est, quam non esse, ibid.nu.15
Qualis quisque est totalia tam dicit, quam agit, & ita viuit, ibid.n.16

Essentia.

Essentiæ rerum sunt æternæ, tit.2.d.4.n 1
Essentia ante existentiam nihil habet reale actu, ib. n.2
Essentiæ non habent causam, ibid n.3
Omnibus creaturis substantiam Deus attulit, ibid. n.4
Essentiam omnia habent per ens primum, ibidem, n.5
Nihil est prius essentia rei, ibid n 6
Essentiæ consistunt in indiuisibili, ibid n 7
Essentiæ se habent sicut numeri, ibid num.8
Nulla res suscipit magis & minus essentialiter, sed entitatiue, ibid.n. 10

Ethica sive Philosophia moralis.

Ethicæ finis non est scire virtutes, sed exercere, tit. 31. distinct. 7. num. 1
Nulla est homini philosophandi caute, nisi vt beatus sit ibid.nu.2
Philosophia est animi cultura, ibid.
Beatæ sunt Resp. cum aut regnant Philosophi, aut reges Philosophantur, ibid.n.3

Exercitatio.

Cuiusque facultatis perfectio natura, arte, & exercitatione comparatur, tit. 30.d.6.n.7
Omnis res proprijs & domesticis exercitijs augetur, ibid.nu.8
Scribendo discimus scribere, ibid n.9
Fabricando fabri fiunt, ibid. n.10
Conuersando discimus bene conuersari, ibid.n.11

Existentia.

Existentia est nobilissimus actus essentiæ, tit 2.d.5. n 1
Existentia creaturæ est præcipua participatio diuini esse, ibid.n 2
Deus est sua existentia, ib. n.3
Existentia est vltima rei actualitas, ibidem n.4.

Quælibet res, vt suam essentiam, ita existentiam habet, ibid n 5
Vniusrei vna est existentia, ibid.n.6
Quale est esse rei, tale & existere, ibid nu.7

Experientia,

Experientiam temporis affert longitudo, tit.30 d. 6 n 1
Experientia per sensum inchoatur, per intellectum perficitur, ibid n 2
Brutorum participant de experientia, ibid num 3
Experientia artem genuit, inexperientia fortunam, ibid n 4
Experientia ad artem se habet, vt memoria ad experientiam, ibid. num 5
Vsus est efficacissimus rerum magister, ibid nu 6
Quisquis in re ciuili intelligens haberi vult, illi opus experientia, ibid.
Experientia in armis plus valet, quàm virtus, ibid. n.7

Falco.

FAlcones non insident cadaueri, tit.18.d.6.n. 16

Falsum.

Bonum & malum sunt in rebus, verum & falsum in intellectu, tit.5 d 2.num.7
Verum & falsum consistit in compositione & diuisione, tit.4.d.2.n.6
Veritas est bonum intellectus nostri, falsitas autem malum, ibid.n.4
Vide veritas, & mendacium.

Fama.

Communis hominum fama non solet omnino dè esse vna, tit.32.distin.2. n.10
Fama in nouis cœptis validissima est, ib n 15
Fama bella conflant, & sæpe quod falso creditum est, veri vicem obtinet, ibid n 16
Famam qui negligit, crudelis est, ibid.n 17

Fames.

Optimum cibi condimentum est fames, tit.35.d. 3.n.1
Optimum potionis condimentum est sitis ibid.n.2
Ambitiosa non est fames, ibid n.3
Fame dominante vacandum est à labore, ibid.num.4
Nihil generosum sapere potest, qui victus quotidiani penuria premitur, ibi n.5
Sitis æquius toleratur, quam fames, ibid.n.6

Digitized by Google

Facilius est potu refici, quàm cibo, ibid.num.7

Fauor.

Odia restringi, fauores conuenit ampliari, tit.28. d.7 n 5
Cum sunt partiũ iura obscura, reo fauendum est potius, quam actori. ibid n.6
Vide verbo clementia.

Felicitas.

Felicitas est finis rerum humanarum, tit. 66. dist. 1. n.1
Felicitas est præmium virtutis, ibid nu-2
Felicitas est summum bonum, ibid.nu.3
Felicitas est status omnium bonorum aggregatione perfectus, ibid.n.4
Summum hominis bonum est operatio hominis, vt homo est, ibid n.1
Contemplatio est perfectissima hominis operatio, ibid n 2

Actus Felicitatis supernaturalis.

Æternæ vitæ possessio est clara Dei visio, ibid.n 3
Nemo beatus, qui non amat, quod habet, etsi optimum sit, ib.n.4
Nemo beatus, qui eo quod amat, non fruitur, ibid n.5
Summa merces hæc est, vt eo fruamur, ibid.num.6
Omnes ipsum gaudium vitam beatam vocant, ibid. n 7
Nemo beatus, qui non fruitur eo, quod est hominis optimum, ib.n.6

Actus Felicitatis naturalis.

Felix est vita eius, qui operatur ex virtute, ibid n.1
Beatitudo est contemplatio virtuti coniuncta, ibidem,
Omnis peccator miser est & omnis iustus beatus, ibid.n.2
Felicitas contemplatiua perfectior est felicitate actiua, ibid.nu.3

Appetitus Felicitatis.

Omnis homo naturaliter beatus esse desiderat, ibid 5.n.1
Beatitudo est infinitè desiderabilis, ibid.n.2
Felicitas sola per seipsam expetitur, ibid.n 3
Vita contemplatiua est felicissima, ibid n.4
Vita contemplatiua est aliquo modo diuina, ibid. n.5

Fidelitas.

Fidelitas est iustitiæ fundamentum, tit.27.d.8.n.8

Digitized by Google

Omne promiſſum cadit in debitum, ibid.n.7.
Promiſſio ſub conditione operis inducit obligationem iuſtitiæ, ibidem.n.2
In malis promiſſis fidem non expedit obſeruari, ib. n.3
Non eſt obligatorium contra bonos mores præſtitum iuramentum, ibid.4
Iuramentum non eſt vinculum iniquitatis, ibid n. 5
Bona fides non patitur vt ſemel exactum iterum exigatur, ibid n 6
Fruſtra ſibi quis fidem poſtulat ab eo ſeruari, cui ipſe non ſeruat, ibid n.7
Studiosè agendum eſt, vt quæ promittuntur, opere compleantur, ib n 8
Fides ſactiſſimum humani pectoris eſt bonum, ibid. n.9
Fidem qui perdit, nihil vltra poteſt eſt perdere, ib.n.10

Fides diuina.

Fides eſt initium ſalutis humanæ, tit.93 d.2n 1
Fides eſt fundamentum omnis iuſtificationis, ibid. n.2
Fides eſt radix omnium virtutum ſupernaturalium, ibid n 3
Intellectui viam fides aperit, infidelitas claudit, ib. n.4
Fides diuina certior eſt quauis ſcientia humana, ibid. n 5
Lumen fidei correctiuũ eſt luminis naturalis, ibid. n 6
Fides Chriſtiana, etſi miraculis non eſſet approbata, honeſtate tamen ſua recipi debuiſſet, ibid n.7
Qui cito credit, leuis eſt corde, ibid.n.8
Hæreſeos ſedimentum Dei eſt abnegatio, ibid. nu. 10

Fides humana.

Quod omnes, vel plures exiſtimant, fidem præſtat tanquam ab experientia ductum, tit.12.d.1 n 7
Nullum iam eſt dictum, quod non dictum ſit prius ibid.d.2 n 6
Antiquiſſimum quodque veriſſimum, ib n.7
Omnis in religione nouitas eſt vanitas, ib.n.8
Famoſum dictum non eſt fa.ſum ſecundũ ſe totum. ibid. n.10
Vox populi vox *Dei*, ibid. n 11
Non oportet attendere, quid quiſque dicat, ſed quid ſapientes, ibid.nu. 12
Magnanimi eſt, magis ſpectare, quid vni ſapienti probetur, quam quid multitudini, ibid.n.13

Digitized by Google

Imprudentis est, niti contra torrentem, ibid.nu.14.
In moralibus facto magis, quàm dicto creditur, ib. n.18
In operibus præcipua certitudo veritatis consistit, ibid.
Qui citò credit, citò decipitur, tit.33.d.2.n.9

Figura.

Figura est character substantiæ, tit 45 d 1.n.1
Minima variatio in figuris mutat speciem, ibid nu.2
Figura non recipit intensionem, aut remissionem, ibid n 4
Figura est in immobilibus, ibid num 5
Isoperimetrarum figurarũ maior est illa, quę plures habet anguos, ib n.4
Circularis figura omniũ isoperimetrarum est capacissima, ibid. num.5

Filius.

Filij assimilantur parentibus tit.47 d 1 n 1
Filij magis assimilantur parentibus secundum irascibilem, quam concupiscibilem, ibid nu 2
Est squila non nascitur rosa ibid.n.3
Mali corui malum ouum, ibid n.4
Omne agens producit sibi simile, ibidem
Amor paternalis maior est, quam filialis, tit.53.dist.1. n.4
Vide, verbo nobilitas.

Finis generatim.

Finis est omnium causarum prima, t.13.d.2 n.1
Finis est primum in intentione & vltimum in executione, ib n 2
Finis opponitur principio, ibid n 3
Finis est causa causarum, ib. n.4
Finis proprium est, mouere non motum, ib.n.6
Finis in practicis respondet principijs in speculatiuis, ibid.n.7
Principium in cognitione est finis in operatione, ib. n.8
Principium operationis est finis in cognitione, ibid. n.9
Cuius finis bonus est, ipsum quoque bonum est, ibid. d.4.n.1
Finis coronat opus, ibid. n 2
Bona intentio minuit malitiam prauæ electionis, ibid nu 3
Ex duobus agentibus, cuius finis nobilior, id præstantius, ibid.n.4
Finis est optimum cuiusque rei, ibid.n.5
Id cuique est melius, quod

Digitized by Google

eius naturæ congruentius, ibidem
Finis cognitio vitæ humanæ est ordinatio, ibid.d. 8 n 1
Qualis vnusquisque erit, talis ei finis esse videtur, ibid.n.4
Vita proposito carens fine insignis stultitiæ est argumentum, ib.n.7

Finis ad media comparatus

Finis nobilior est ijs, quæ sunt ad finem, ibid. d.3. n.1
Eorum, quæ sunt ad finem, id nobilius est, quod ad finem ducit perfectius, ibid.n.2
Voluntas mediorum, vt sic supponit voluntatem finis, ibid nu.3
Qui ordinatè incedit, prius intendit efficaciter finem quam media, ibid.nu.4
Bonum maius non ordinatur ad minus, ib d 4 n 6
Omne bonum particulare tendit ad complementum boni totalis, ibid.d. 5 n 6
In finibus & medijs non datur processus in infinitum ibid.d 6.n.1
Adepto fine cessat actio, ib.n 2
Efficax volitio finis est implicita volitio medij necessarij, ibid d.8.nnm 3
Ratio eorum, quæ sunt ad finem, sumitur ab ipso fine, ibid.num 2
Imprudentis est, finem intendere, & de medijs non cogitare, ibid.n.8

Omnia fieri ob aliquem finem.

Omne ens à natura productum habet aliquem finem, ib d.5.n.1
Deus & natura nihil agunt frustra, ibid n 2
Natura nihil patitur otiosum, ibid.n.4
Vnumquodque est propter suam operationem, ibid. nu 5
Omnis appetitio tendit in finem vltimum, ibid nu.6
Fine suo omnia definiuntur, ibid.d.6.nu 1
In fine consistunt & quiescunt omia, ibid.n.4
Vltima rei perfectio est finis consecutio, ibid n.5
Fecisti nos, Domine, ad te & inquietum est cor nostrum, donec quiescat in te, ibid.n.6

Præcipua finium genera.

Homo est quodammodo finis omniu, ibid.d.7. n.1
Deterius semper est gratia melioris, ibid.n 2
Plantæ sunt animalium causa, ibid. n.3
Cetera animalia sunt causa

Digitized by Google

hominum, ib.n. 4
Vniuersum est propter semetipsum, ib.n.5
Homo conditus est, vt sit Deiauctoris, ibid.num.6
Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus, ibid n.7
Deus est vltimus & vniuersalissimus omnium finis, ibid.n.8
Monas monadem genuit, & in se suum reflexit ardorem, ib n.11
Primum mouens mouet seipsum, ibid.n.12

Finitum.

Finitum est id, quod certis concluditur terminis, tit. 21 d.5.n 2
Finitum est, cui potest fieri additio ibidem
Finitum est omne, quod componitur ex finitis, ibid n 3
Omne finitum æquari potest, & excedi in infinitum, ibid.nu 4
Spatium infinitum non trãsitur tempore finito, tit. 21.d 11.n 4
Spatium finitum non transitur tempore infinito, ibid.
Vires infinitæ sunt infiniti, & finiti finitæ, tit.34.d.2. n.6
Finitorum nihil habet virtutem infinitam, nec infinitorum finitam, ibid.

Flumen.

Magnorum fluminum sunt etiam fontes nobiles, tit. 1.d 3 n.3
Fœmina, *Vide verbo*, *Mas.*

Forma secundum se.

Forma est actus substantialis vnum per se constituens cum materia, tit. 10 d.2.n.1
Forma est ratio quid ditatis ibid n.2
Forma est magis ens, quam materia, ibid.n 4
Actus est nobilior, quàm potentia, ibid. n 5
Forma est pulcrum quid & diuinum, ibid.
Forma est rei perfectio, ib, n.7

Forma, prout specificat.

Omne esse est à Forma, tit. 10 d 3 n.1
Actus separat & distinguit, ibid.nu.2
Omnis species est à forma, ibid n.3
Quo res est remotior à forma, eo imperfectior, ib. nu. 4
Omnis forma communicat totum suum esse composito, ibid.n.5
Omnis forma physica substantialis dat esse completum à primo gradu

ſubſtantiæ, vſque ad vltimum, ibid.n.6
Omnis forma phyſica ſubſtantialis à parte rei eſt ſpecifica, ibid.n.7
Nulla forma eſt indiuiduum genericum tantum ibid n.8

Forma in ordine ad ſubiectum.

Illud eſt ſubiectum formæ, quod per formam actuatur, ibid.d.4.n.1
Omnis forma denominans debet eſſe in ſubiecto, quod denominat, ib.n.2
Omnis forma denominat ſubiectum in quo eſt, ib. n.3
Plures formæ eandem ſimul non informant materiam ibid n.4
Forma adueniens enti in actu non facit vnum per ſe, ſed per accidens, ibid. num.5
Forma non eſt ſeparabilis à materia, tit.10.d.5.n.6

Forma in ordine ad actionem.

Formæ eſt agere, materiæ pati, tit.10.d.6.n 1
Omnis actio eſt à forma, ibid.
Formæ quæ conſtituunt rẽ in actu primo ad operandum, effectiuè concurrũt ad opus, ib.n.2
Qui dat formam, dat conſequentia formam, ibid.n.3
Formæ artificiales non ſunt actiuæ, ibid.n.4
Omnis forma artificialis eſt accidentaria, ib.n.5
Formido, Vide, Timor.

Fortis Fortitudo.

Fortitudo eſt firmitas animi, in ſuſtinendis ac repellendis ijs in quibus animum regere eſt difficile, tit.20.d.1.n.1
Fortes in opere ſunt ferendi, ante vero quieti, ibidem n.3
Fortes fortuna adiuuat, ib. n.5
Monoceros interimi poteſt capi non poteſt, ibidem n 2
Canibus ſeneſcentibus vox redditur grauior, ibidem n 6
Bos laſſus fortius figit pedem, ibid n.7
Bonum eſt fulciri duabus anchoris, ibid. n.8
Melior eſt canis viuus leone mortuo, ibid n.9
Leoni mortuo etiam lepores inſultant, ibid.
Fortes non ſunt, qui ira vel dolore in periculum ruunt, ibid. diſtinct. 3.n.1
Fortitudo non ineſt hominibus maximè efferatis, ibid.n.3
Honeſtas, non feritas eſt in certaminibus præferenda, ibid.

Digitized by Google

Vir fortis non eſt, cui non creſcit animus in ipſa rerum difficultate, tit. 25. d.8.n.4

Fortuna.

Fortuna eſt præter rationem, tit.14.d.1.n.1
Fortuna eſt volubilis, ibid. n 2
Omnium rerum eſt viciſſitudo, ibid n.3
Magna ſeruitus eſt magna fortuna, ibid.n.4
Quanto maior eſt fortuna, tanto minus eſt ſecura, ibid n.5
Fortuna eſt occulta hominibus, ibid.d2.n 1
Fortunam nemo omninò vitare poteſt, ibidem n.2
Cauſæ per accidens ſunt infinitæ, ibid.n.3
Fortuna eſt cauſa & non cauſa, ibid.n 4
Præſtantius eſt, rem laude dignam virtute & labore, quam fortuito acquirere, ibid.d 3.n.1
Ingenuorum eſt, nihil caſu agere, ſed omnia ordinatè, ibid.num.2
Vbi eſt ratio plurima, ibi fortunæ minimum, ibid. nu 3
Præſens fortuna boni eſt conſulenda, ib.n.4
Fronte capillata, poſt eſt occaſio calua, ibid.
Omnis cauſa per accidens reducitur ad aliquam cauſam per ſe, ibid, diſt. 4.n.1
Fortunæ effectus diuinæ ſubiacent voluntati, ibid. n.2
Fortuna virtutem ſequitur, ibid.n.3
Sui cuique mores fingunt fortunam, ibid.n.4
Soleis induſtria multa decrinat incommoda, ibid. n.5

Frigus.

Frigus eſt qualitas mortificatiua, tit.44.diſt 3.n.1
Frigus non ingreditur opera naturæ, ibid.n.2
Corde infrigidato moritur animal, ibid.n.3
Indigeſtio eſt effectus frigiditatis, ibid.n.2
Vinolenti ſunt frigidi, etſi vinum ſit calidum, ibid. nu 5

Fructus.

Prodeunte fructu flos decidit, tit. 44. diſt. 1.num.1

Fuga, Fugere.

Mollitudinis eſt, fugere laborioſa, tit. 53.diſtinct. 3.n.8
Vide, Deſiderium, & Timor.
Futura contingentia, *Vide, Tempus.*

Generabile, Generatio.

GEneratio eſt mutatio à ſubſtantia potentia ad ſubſtantiam actu, tit. 50. d. 2. n. 1
Generabile eſt id, quod cõtingit prius non eſſe, ib. n. 2
Mutatio eſt tranſitus alicuius ex vno in aliud, ibid. n. 3
Generatio eſt via in naturam, ibid. nu 4
Generationis ſubiectum eſt in potentia, alterationis in actu. ib. n 6
Vnius generatio eſt alterius corruptio, ibid. diſt 5. n. 1
Generatio & corruptio ſunt motus contrarij, ibid. d. 4. n. 1
Rerum tranſmutatio nunquam deficit, ibid. n 3
Omne generabile eſt corruptibile, ibid n 5
Generatio & mors communis eſt omnibus animalibus, ibid. n 6
Res inanimatæ longioris ſunt æui, quàm animatæ, ibid. n 7
Generare ſibi ſimile eſt naturaliſſimum viuentibus, ibid. d 6 n. 1
Sol eſt auctor perpetuæ viciſſitudinis rerum, ibid. n. 3
Sol per ſe eſt cauſa ortus, per accidens interitus, ibid. n. 5
Sol & homo generant hominem, ibid. n 5
Homines pinguiores minus fœcundi ſunt, ibid. n. 6

Genus.

GEnus à materia deſumitur, differentia à forma, tit 3. d 8 n 1
Genus ſe habet, vt potentia, differentia vt actus ibid. nn. 3
Differentia eſt nobilior genere, ibid. n. 4
Differentia nulla ſuperior genus eſt inferioris, ibid. n. 8
In genere latent æquiuocationes, ibid. n. 9
Genus non eſt particeps differentiarum, ibid num. 10
Genus non continet actu ſuas ſpecies, ibid. n. 11

Gloria.

Gloria eſt effectus honoris & laudis, tit 57. diſt 1. n 3
Gloria eſt clara cum laude notitia, ibid n 4
Gloria eſt vmbra virtutis, ibid. n. 5
Fama popularis adumbrata eſt imago gloriæ, ibid. n. 4
Gloria eſt pabulum inuidiæ, ibid d 5. n. 3

Vide, Honor.

Gratia

Digitized by Google

Gratia.

Gratia ſupponit naturam, Tit. 33. d. 1. n. 1.
Gratia nõ deſtruit naturam, ſed perficit. ibid. n. 1
Quo quiſque ſanctior eſt, eo appetitus illi ſubiectior. ibid. n 3.
Gratia eſt ſemen gloriæ. ib. n. 4.
Principium meriti non cadit ſub meritum. n. 5
Faciẽti, quod in ſe eſt, Deus non denegat gratiã. ib. n. 6

Gratitudo.

Qui gratè beneficium accipit, primam eius penſionẽ ſoluit. T. 27. d. 5. n. 1
Recuſare non decet, quod donatur. ib. n. 2
Hoſtium munera non ſunt munera. ib. n. 3
Ingratiſſimus omnium eſt, qui beneficii oblitus eſt, ib. n. 4.
Qui feſtinat reddere, non habet animum grati hominis, ſed debitoris, ib. n. 5
Qui nimis cito cupit ſoluere inuitus debet. ib. n. 6
Qui inuitus debet, ingratus eſt. ib. n. 7
Benefactori potius retribuendũ eſt, quam largiendum amico. ib. n. 8
Iuſtum eſt, facere gratiã ei, qui gratiam fecit. ibid.
Deo & Parentibus nũquam redditur æquiualẽs. ib. n. 9

Gubernatio.

Vide. *Prudentia Gubernatrix.*

Gula.

Plures gula occiduntur, quàm gladio. Tit. 28. d. 4. n. 1.
Nunquàm inuenit finem libido. ib. n. 2. Vide, *Temperantia.*

Guſtus.

Guſtus eſt ſenſus alimenti. Tit. 38. d. 4. n. 1.
Olfactus eſt quidam guſtus. ibid.
Guſtus eſt quidam tactus. ib. n. 2.
Guſtabile eſt quoddam tangibile. ibid. n. 3
Guſtu ratiũs vtuntur intemperantes. ib. n. 4
Omne ſuaue miſtum ſuauiori, ſuauius redditur. ib. n. 5.
Ægrotis omnia videntur amara. ib. n. 6.

Habitus generatim.

HAbitus eſt, quo bene vel malè nos habemus ad actus. Tit. 23. d. 2. n. 1
Habitus dat facilitatem operandi: non autem poteſtatem. ib. n. 2
Habitus ſupernaturales dãt facultatem operis non facilitatem. ib. n. 3

Digitized by Google

Habitus ſunt in poteſtate habentis. ib. n. 4
Habitus mentis in corporis ſtatu cernitur. Tit. 28. d. 1. n. 3.

Habitus vt generatur & corrumpitur.

Habitus generatur ex actibus. ib. d. 3. n. 1
Habitus actualitate ſui perficitur. ib. n. 2
Actibus remiſſis non intenditur habitus. ib. n. 3
Actus non intendit habitum, niſi ſit intenſior ipſo habitu. ib. n. 4
Intenſio per ſe non fit, niſi à ſimili in ſpecie. ib. n. 5
Remiſſio fit per admixtionem contrarii. ibid. d. 4. n. 1.
Actibus contrariis corrumpitur habitus. ib. d. 4. n. 2
Scientia corrumpitur per obliuionem. ib. n. 3
Continuatio habitus non requirit continuitatem actus. ib. n. 4
Actus non contrariatur directè habitui, ſed actui. ibid. n. 5.

Habitus vt ſpecificatur.

Habitus ſpecificatur ab actu. ib. d. 5. n. 1
Actus ſpecificatur ab obiecto & modo tendendi in obiectum. ib. n. 2
Habitus eſt proportionatus ſuis actibus. ib. d. 6. n. 1
Eo ſunt actus nobiliores, quo à nobiliore habitu procedunt. ib n. 1
Actus eſt nobilior ſuo habitu. ibid. n. 3
Actus ſecundum omnes modos prioritatis eſt prior habitu. ibid.
Habitus & potentia definiuntur per ordinem ad actus & obiecta. ib. n. 4
Omnis habitus cognoſcitur ex ſuo actu. ibid.

Habitus pro veſte.

Vide *amictus.*

Homo.

Homo eſt paruus mundus. T. 18. d. 7. n. 1.
Homo eſt omnis creatura. ib. n. 2.
Homo naturaliter eſt animal politicum. ib. n. 3
Homo eſt optimum cunctorum animalium. ibid. n. 4.
Homo alienus à lege & iuſtitia eſt peſſimum omniū animalium. ib. n. 5
Homo beſtialis centies millies peior eſt beſtia. ibid. n. 6.
Homo ſolus ex omnibus animalibus erectus eſt. ib. n. 7.
Homo ortus eſt ad mundum contemplandum & mirandum. ibid.
Hominis eſt ſpectare im-

Digitized by Google

mortalia. T. 2. d. 3. n. 11
Quot homines, tot sententiæ. Tit. 3. d. 9. n. 13
Homo mortuus non est homo. T. 18. d. 7. n. 8
Homo sapiens est maximè felix. ibid. n. 9
Homo homini Deus. Tit. 5. d. 4. n. 9.
Homo homini lupus. ibidem.

Honor.

Honor est signum bonæ existimationis. Tit. 57. d. 1. n. 1.
Honor est exhibitio reuerentiæ in testimonium excellentiæ. ibid.
Honor est præmium virtutis. ib. n. 2
Virtuti tribui nullus honor dignus potest. ibid.
Honor est externorum bonorum maximum. ibid. n. 9.
Honor potius est in honorante, quàm in honorato. ib. n 10.

Quis dignus honore, quis indignus.

Solus bonus est honorabilis. ib. d. 2. n. 1.
Honorem omnes natura apperunt. ib. n. 2
Non omnes digna honoribus agunt. ibid.
Infamibus portæ non pateant dignitatum. ib. n. 3.
Dignitatibus viri dandi sunt; non dignitates hominibus ibid. n. 4.
Sera præmia sunt magnifica. ib. n. 5
Populus honorat non semper, quæ, optima sunt; sed quæ optima videntur. ib. n. 6.

Honoris adiuncta.

Magistratus ostendit virũ. ib. d. 3. n. 1.
Honores mutant mores. ib. n. 2.
Gloria est pabulum inuidiæ. ib. n. 3.
Gloriæ pulchritudo citò marcescit, seu morbo quodam. ibid.
Sola miseria caret inuidiâ. ib. n. 4.
Dignitatum via in confragosa ducit fastigia. ib. n. 5
Imperium cupientibus nihil medium inter summa & præcipitia. ibidem.

Honor imaginum.

Honor dependet ab intentione honorantis. ibid. d. 4. n. 1.
Idem est motus in imaginem, & rem cuius est imago. ib. n 2.
Imaginis honor ad prototypon peruenit. ib. n. 3
Qui adorat imaginem, in ea Regem adorat. ibid. num. 4.

Imaginis natura est, vt exemplar suum imitatione referat. ib. n. 5

Humidum, Humor.

Humidissima quæque & incalescunt, & refrigescunt quàm maximè. Tit. 44. d. 4. n. 1.
Humorum subtilium homo modico motu multum debilitatur. ib. n. 2
Humida omnium difficillimè concoquuntur. ibid. nu. 3.
Humidum excellens mortem accelerat. ibid. n. 4

Humilis, humilitas.

Humilitas est laudabilis sui ad ima deiectio. Tit. 28. d. 6. n. 1.
Humilitas est virtus, qua quis verissima sui cognitione sibi vilescit. ibid. nu. 1.
Summè humilis summè est magnanimus. ib. n. 4
Electus quisque humilis est, sterilis non est, ibid. num. 5.
Humilis quotidie magna non agit; sed de se magna non sentit. ib. n. 6
Nihil humilitate altius, nihil arrogantia depressius. ibid. n. 7.
Virtutum stabile fundamentum est humilitas. ibid. num. 8.
Humilitas est custos virtutum. ibid.
Verè humilis vilis vult reputari, non humilis prædicari. ib. n. 9

Idem.

IDem manens idem non potest existere sine aliquo sui. Tit. 64. dist. 2. num. 4.
Idem est principium constituens rem in esse proprio, & distinguens eam à quouis alio. ib. n. 6.
Quæcunque sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se. T. 54. d. 10. n. 2
Quæcunque non sunt eadem vni tertio, nec sunt eadem inter se. ibid. num. 3.
Idem & diuersum reuocantur ad vnum. Tit. 4. d. 5. n. 5.
Vide *ergo, Gnum, Individuum, Distinctio.*

Ignis.

Ignis est calidi magis, quàm sicci. Tit. 18. dist. 3. num. 13.
Ex vno pugillo æris generantur decem pugilli ignis. ib. n. 16
Igne excepto, omnia compurrescunt. ibid. n. 18.
Ignis occultatus seruatur, suffocatus extinguitur. ib. num. 19.

Digitized by Google

Si igni apponerentur infinita combuſtibilia, creſceret in infinitum. Tit. 21. d. 5. n. 5.
Ignis nunquam dicit, ſufficit. ibidem.
Parua ſæpe ſcintilla contempta magnum excitauit incendium. Tit. 49. d. 8. n. 7.

Ignorantia.

Longiùs homo in ignorantia viuit, quam in ſcientia. Tit. 3. d. 11. n. 1
Maxima pars eorum, quæ ſcimus, eſt minima eorum, quæ ignoramus. ibid. n. 2.
Scientes vniuerſale, ſæpe ignorant ipſum ſingulare. ib. n. 3
Scire poſſumus in vniuerſali, & ſimpliciter ignorare. ib. n. 4
Ignorare, quam parum ſciamus, eſt ipſam ignorantiam ignorare. ibid. num. 5.
Hoſpitem non decet ſemper eſſe hoſpitem. ibid. n. 6.
Non omnes, qui habent citharam, ſunt citharœdi, ibidem. num. 8.
Ibi præſumitur ignorantia, vbi ſcientia non probatur. ibid. n. 9.
Quædam ignorare melius eſt, quàm ſcire. ibid. n. 10.
Ignorare vitia melius eſt, quàm ſcire. ibid. n. 11.
Omnis rerum notitia bona eſt. ibid. n. 12.

Imaginatio.

Imaginari poſſumus, quod volumus, non autem opinari. Tit. 39. diſt. 3. n. 1.
Imaginatio non ſit ſine ſenſu. ibid. d. 4. n. 5.
Exiſtimatio non ſit ſine imaginatione. ibid.
Ad ea, quæ imaginamur, perinde afficimur, atque ad ea, quæ cernimus in pictura. Tit. 42. diſt. 3. num. 3.
Affectus animi ſequuntur apprehenſionem phantaſiæ. T. 52. d. 3. n. 3.

Imitatio.

Probrum non eſt, probos auctores imitari. Tit. 31. d. 6. n. 3.

Imperator.

Boni duces bonos creant milites. T. 25. d. 5. n. 1
Gubernatio bona plures requirit, quàm leges & litteras. ib. n. 2

Melior est exercitus cervorum, duce leone; quam leonum duce cervo. ibid. n. 3.
Tanti exercitus est, quanti Imperator. ib. n. 4
Nemo bene imperat, qui nũquam sub imperio fuit. ib. n. 5.
Nihil arma foris, nisi sit consilium domi. ib. n. 6.
Imperator bonus, & idem robustus miles. ib. n. 7

Improbus.

Improborum anima est in seditione. T. 49. d. 3. n. 1
Improbi pœnitentia sunt pleni. ibid. n. 2
Improbi seipsos fugiunt. ib. n. 3.
Improbi nihil habẽt, quod sit amabile. ib. n. 4
Vide, *Conscientia.*

Indiuiduum.

Quodlibet indiuiduum speciei perfectioris melius est quolibet indiuiduo speciei imperfectioris. T. 3. d. 9. n. 2.
Idem numero maximè est idem, ib. n. 8
Illa sunt idem numero, quorum materia est vna. ib. n. 9.
Manente forma manet idẽtitas rei ibid. n. 10.
Nullum indiuiduum est sub genere, quod non sit in certa specie illius generis. ib. n. 11
Conditiones indiuiduantes sunt primò diuersæ ibi. n. 12.
Indiuidua sunt infinita. T. 21. d. 5. n. 6.

Indiuisibile.

Indiuisibile non habet partes. T. 21. d. 6. n. 1.
Indiuisibile cum attingitur, totum attingitur. ib. n. 2.
Indiuisibile quocunque se diuertit totum diuertit. ib. n. 3.
Indiuisibile non est æquale, vel inæquale. ib. n. 4
Indiuisibili quantitatis respondet indiuisibile substantiæ. ib. n. 5

Infinitum.

Infinitum est, Cuius semper aliquid est extra. T. 21. d. 6. n. 7.
Infinitum non potest pertransiri. ib. n. 8
Infinitum nõ dicitur æquale, nec maius, nec minus. ib. n. 9.
Infinitum, vt infinitũ ignotum est. ib. n. 10
Scientia & demonstratio non sunt de infinitis. ibid.
Infinita relinquenda sunt ab arte. ib. n. 11

Infirmitas.

Multum patibilia patiuntur à paruis actiuis. T. 43. d. 1. n. 1.

Digitized by Google

Patitur facilè, quod tenuiũ est partium. ib. n. 2
Quidquid recipitur, ad modum recipientis recipitur. ibid.
Quanto aliquid est maioris passibilitatis, tanto est minoris posse. ib. n. 3
In corpore affecto facilis est offensio. ib d. 2. n. 1
Infirmi facilè irascuntur. ib. n. 2.
Impotentia sensuum, animæ est defectio. ib. d. 3. n. 3.

Ingenium.

Molles carne sunt ingeniosi. T. 39. d. 5. n. 3.
Vbi sensus vegetior, ibi & intellectus viuacior. ibid. n. 4.
Per sensum Tactus discernimus sapientes ab insipientibus. ib. n. 5
Ingenium, vbi intenderis, valet. ib. n. 6
A magnis ingeniis, vti magnæ virtutes, ita magna etiam vitia proficiscuntur. ib. n. 7.
Ingratitudo. Vide *Gratitudo.*

Initium.

Omnia omnium negotia similia ordinariè sunt suis initiis. T. 1. d. 3. n. 4.
Malorum initiis facilius obsistitur, quam incrementis. ib. d. 4. n. 4
Vide, *Principium.*

Iniuria.

Scienti & consentienti non fit iniuria, neque dolus. T. 26. d. 6. n. 2.
Pronius est iniuriæ, quàm beneficio vicem reddere. T. 27. d 9. n. 3.
Summum ius summa iniuria T. 28. d. 7. n. 8.
Qui ius suum quærit, non facit alteri iniuriam. ibid.
Magni animi est iniurias despicere. T. 29. d 6 n. 3.

Instrumentum.

Omne instrumẽtum est alicuius rei gratia. T. 11. d. 13. n. 1.
Instrumentum operatur in virtute agentis principalis. ib. n. 2
Instrumẽti vtilitas nulla est, nisi in vsu agentis. ib. n. 3.
Ad omnem officij functionem opus est instrumento, ib. n. 4.
Accidentia sunt instrumenta substantiæ. ib n. 5
Seruus est instrumentũ animatum. ib. n. 6
Instrumentũ est seruus inanimatus. ib. n. 7
Amicitia non est artifici ad instrumentum. ib. n. 8
Totum bonum instrumenti est artificis. ibid.
Qui facit per alium, perinde est, ac qui facit per seipsum. ibid. n. 9
Clauis non ideo repudianda

Digitized by Google

eſt, quod lignea ſit, modo ſuo fungatur officio. ibid.
Manus eſt inſtrumentum inſtrumentorum. ib. n. 10

Intellectus generatim.

Intellectus eſt ens in pura potentia. Tit. 39. d. 1. n. 1.
Intellectus omnia intelligit. ib. n. 2
Intellectus eſt potentia omnia. ib. n. 3
Omnis noſtra notitia pendet à ſenſu. ib. n. 4
Anima eſt quodammodo omnia. ib. n 5
Intellectus eſt forma formarum. ib. n. 6
Intellectus nullius corporis eſt actus. ib. n 7

Intelligibile & modus intelligendi.

Nihil eſt per ſe intelligibile niſi ens. ib. d. 2. n. 1
Intellectus & intelligibile debent eſſe proportionata. ib. n. 2
Res ſuperiores leuiter à nobis intelliguntur. ib. n. 3
Oculus humanus ad ſpiritualia caligat. ib. n. 4
Omne intellectum, in quantum intellectum oportet eſſe in intelligente, ib. n. 5
Verbum eſt medium inter intellectum & rem intellectam. ib. n. 6
Omne intelligere in nobis eſt propriè dicere. ib. n 7
Excellentia intelligibilium non lædit intellectum; ſed perficit. ib. d. 5. n. 1
Intellectorum vilitas non tollit nobilitatem intelligentiæ. ib. n. 2

Intellectus in ordine ad Voluntatem.

Imaginari poſſumus, quod volumus, non autem opinari. ib. d. 3. n. 1.
Intellectus non poteſt diſſentire manifeſtæ veritati. ib. n. 2
Intellectus ad verum neceſſitari poteſt, ad falſum ne quidem à Deo. ib. n. 3.
Primus actus intellectus nō eſt voluntarius. ib. n. 4

Intellectus in ordine ad ſenſum.

Nihil eſt in intellectu, quod non prius fuerit in aliquo ſenſu. ibid. d. 4. n. 1.
Qui nihil ſentit, nihil addiſcere poteſt vel intelligere. ib. n. 2
Qui contemplatur, neceſſariò cum phantaſmate contemplatur. ib. n. 3
Anima nunquam intelligit ſine phantaſmate. ib. n. 4
Intelligens neceſſariò phantaſmata ſpeculatur. ib. n. 5.
Cœcus non iudicat de coloribus. ibid.
Talis eſt mentis contemplatio, qualis ſenſuum obſecundatio. ib. n. 6.

Digitized by Google

Intelligentia.

Intelligentiæ ſunt primæ poſt Deum ſubſtantiæ. Tit.18.d.1.n.1.
Imago Dei eſt intelligẽtia. ib. n. 2.
Intelligentiæ ſunt actus puri. ib. n.3.
Deus & mens ſunt in prædicamento ſubſtantiæ, ibid. n. 4.
Intelligentiæ non ſciuntur, niſi per motum. ib. n. 5.
Intelligentiæ ſunt plenæ formis. ib. n. 6.
Anima rationalis eſt infima in genere intellectualiũ. ibid. n.7.

Intentio.

Intentio eſt oculus mentis. Tit.55. d.1. n. 4.
Intentio eſt finis, electio, mediorum. ib. n. 5.
Vide *Electio, Finis, Voluntas.*

Inuentio.

Facilè eſt, inuentis aliquid addere. T.1. d.3. n.2.
Vide, *Principium.*

Inuidia.

Inuidia eſt odium alienæ felicitatis. T. 33. d. 5. n.1.
Æmulatio bona eſt, & bonorum, inuidia mala, & malorum. ib. n. 2.
Bonus nulla tangitur inuidia. ib. n. 3.
Inuidia eſt vitium diabolicum. ibi. n.4.
Inuidentia eſt peccatum iuſtiſſimum. ibid. n.5
Excellentiæ nimiæ ſunt odioſæ. ibid. n.6
Iactantiæ comes eſt inuidia. ib. n. 7
Inuidus eſt vicinorum oculus. ib. n. 8
Magnanimi eſt, non ſentire morſus inuidiæ. ib.n.9.

Ira.

Iræ incontinentia minus turpis eſt, quam voluptatum. Tit.53.d.6.n.1.
Ira eſt maximus ad pericula ſubeunda aculeus. ib. nu. 2.
Ira eſt cos fortitudinis.ibid.
Ira eſt ſatellitium rationis. ib. n. 3.
Difficulter conciliantur acerbi. ib. n.4.
Iræ fratrum ſunt acerbiſſimæ. ib. n. 5.
Patientia læſa fit furor. ibi.
Habet & muſca ſplenem. ib. n. 6.
Et formicæ ſua bilis ineſt. ibid.
Infirmi facilè iraſcuntur. ib. n.7.
Ira dulcior eſt melle liquente. ib. n. 8.
Ira non manifeſtata grauiter affligit interiùs.ib.n 9
Ignis igne non extinguitur. ibid. n. 10.
Oleum camino non oportet addere. ibid.
Ira breuis eſt furor, ib. n.11.
Ira eſt mater diſſenſionis. ibid. n. 12.

Iudex.

Boni iudicis est, audire rationes vtrimque oppositas. Tit.26 d. 7. n.1
Nemo damnari debet, antequam audiatur, ib.n.2
Iudex procedit secundũ allegata & probata. ib.n.3
Iudex nihil ex arbitrio suo agit; sed iuxta leges & iura pronunciat. ibid.
Arbiter æquum magis intuetur, iudex legem, ib.n.4
Nemo potest esse iudex in causa propria. ib.d.8 n. 5.

Affectus in iudicando.

Quilibet iudicat, prout est affectus. Tit. 26. d 9.n.1
Affectio excellens offuscat iudicatoriã actionẽ. ib n.2
Amor, odium, & proprium commodum faciunt sæpe Iudicem non cernere verum. ibid. n. 3.
Plura homines iudicãt amore & odio, aut aliqua permotione mentis, quam veritatis præscripto. ibi. n. 4.
Iuramentum. Vide, *Fidelitas.*

Ius.

Ius est iustum per æqualitatem vnius, cum altero. T.26. d.2. n.1.
Ius naturæ est immutabile. ibid.n.2.
Iure naturæ omnia sunt cõmunia. nu.3
Ius gentium est sedium occupatio. ib. n.4
Ius gentium supponit ius naturale. ib. n. 5
Ab vno casu in iure expresso non licet argumentari ad alium. T.30. d. 3. n.1
quæ à iure communi exorbitant, non sunt in consequentiam trahenda. ibi
Qui ius suum quærit, non facit alteri iniuriam. T.28. d.4. n. 7.

Iustitia, Iustus.

Iustitia in se omnes virtutes complectitur. T.26. d 4 n.1
Iustitia est omnium mandatorũ plena custodia. ib.n.2
Iustitia est constans & perpetua voluntas ius suum cuique tribuendi. ib.n. 4
Iustitia est præclarissima virtutum, & neque hesperus ita, nec lucifer admirabilis. ib. d.5. n.1
Vigor iustitiæ necessarius est in ciuitate. T.27.d.1.n.1
Vbi rigor, ibi & vigor. ib.n.2
Optimus est, qui ad seipsum & ad alios virtute vtitur. T. 26.d. 5. n 1,
Pessimus est, qui ad seipsum & ad alios prauitate vitur. ib. n.2
Homines frugi omnia rectè faciunt. ib.n. 3
Bona bonis eueniunt, malis mala. ib. n.4
Volenti non fit iniuria. ib. d. 6. n. 1.
Nihil patitur à seipso. ib.n.3
Iustè operari difficile est homini iustitiam non habenti.

Digitized by Google

Iuuenis. Vide *Adolescens, Ætas, Prudentia.*

Labor.

GEneroſos animos labor nutrit. Tit. 49. d. 9. n. 1
Plus ferrum rubigine in alto otio, quam exercitio conteritur. ib. n. 2
Dii laboribus omnia vendunt. ib. n. 3
Nihil magnificum, quod nõ idem ſit arduum. ibid.
Omnia fiunt cũ motu. ib. n. 4
Multæ manus onus leuius reddunt. ib. n. 5
Manus manũ lauat. ib. n. 6
Lunæ radiis non matureſcit botrus. ib. n. 7
Mente ſimul & corpore laborare nõ cõuenit. ib. n. 11
Mollitudinis eſt, fugere laborioſa. T. 53. d. 3. n. 8

Laudare, laus.

Honorari dignius eſt, quàm laudari. T. 57. d. 1. n. 6
Diuinius eſt id, quod honorabile, quàm quod laudabile. ib. n. 7
Laudes Deorum plerumque ridiculæ ſunt. ibid.
Peius eſt, frigide laudare, quàm apertè reprehẽdere. ib. n. 8.
Vide, *Gloria & honor.*

Legatus.

Legatus non cæditur, neque violatur. T. 25. d. 7. n. 3

Legere, lectio.

Multum legendum eſt, non multa. T. 40. d. 4. n. 1
Faſtidientis ſtomachi eſt, multa deguſtare. ib. n. 2
Non multum legendum eſt, ſed multa. ib. n. 3
Non multâ lectione legenda multa. ibid.
Omiſſis fontibus, non ſunt quærendi riuuli. ib. n. 4.
Vide verbo, *Liber.*

Lex.

Lex habet vim directiuam & coactiuam. T. 60. d. 1. n. 1
Lex eſt menſura actuum humanorum. ibid.
Lex perpetuitatem habet, præceptũ non item. ib. n. 3
Ex malis moribus naſcũtur bonæ leges. ib. n. 4
In legibus ſalus ſita eſt ciuitatis. ib. d. 2. n. 1
Omnia legalia factiua ſunt, & cõſeruatiua ſalutis. ibi.
Intentio Legiſlatoris eſt, ciues efficere bonos, ib. n. 2
Iniuſta lex nõ eſt lex. ib. n. 3
Magis pugnandum eſt pro legibus, quàm pro mœnibus. ib. n. 5.
Legem ſæpius mutare eſt infirmare vim legis. ib. d. 3. n. 2.
Lex in præſumptione fundata non obligat, quando præſumptio falſa eſt. n. 3.
Ceſſante ratione legis in aliquo caſu particulari, non ceſſat eius diſpoſitio, ſi ratio legis non ceſſet in vniuerſum. ib. n. 4.
Multa concedunt leges, quę diuina punit iuſtitia. ibid. n. 5.

Digitized by Google

Habitus ſunt in poteſtate habentis. ib. n. 4
Habitus mentis in corporis ſtatu cernitur. Tit. 28. d. 1. n. 3.

Habitus vt generatur & corrumpitur.

Habitus generatur ex actibus. ib. d. 3. n. 1
Habitus actualitate ſui perficitur. ib. n. 2
Actibus remiſſis non intenditur habitus. ib. n. 3
Actus non intēdit habitum, niſi ſit intenſior ipſo habitu. ib. n. 4
Intenſio per ſe non fit, niſi à ſimili in ſpecie. ib. n. 5
Remiſſio fit per admixtionem contrarii. ibid. d. 4. n. 1.
Actibus contrariis corrumpitur habitus. ib. d. 4. n. 2
Scientia corrumpitur per obliuionem. ib. n. 3
Continuatio habitus non requirit continuitatem actus. ib. n. 4
Actus non contrariatur directè habitui, ſed actui. ibid. n. 5.

Habitus vt ſpecificatur.

Habitus ſpecificatur ab actu. ib. d. 5. n. 1
Actus ſpecificatur ab obiecto & modo tendendi in obiectum. ib. n. 2
Habitus eſt proportionatus ſuis actibus. ib. d. 6. n. 1
Eo ſunt actus nobiliores, quo à nobiliore habitu procedunt. ib n. 2
Actus eſt nobilior ſuo habitu. ibid. n. 3
Actus ſecundum omnes modos prioritatis eſt prior habitu. ibid.
Habitus & potentia definiuntur per ordinem ad actus & obiecta. ib. n. 4
Omnis habitus cognoſcitur ex ſuo actu. ibid.

Habitus pro veſte.

Vide *amictus.*

Homo.

Homo eſt paruus mundus. T. 18. d. 7. n. 1.
Homo eſt omnis creatura. ib. n. 2.
Homo naturaliter eſt animal politicum. ib. n. 3
Homo eſt optimum cunctorum animalium. ibid. n. 4.
Homo alienus à lege & iuſtitia eſt peſſimum omniū animalium. ib. n. 5
Homo beſtialis centies millies peior eſt beſtia. ibid. n. 6.
Homo ſolus ex omnibus animalibus erectus eſt. ib. n. 7.
Homo ortus eſt ad mundum contemplandum & mirandum. ibid.
Hominis eſt ſpectare im-

Digitized by Google

mortalia. T. 2. d. 3. n. 11
Quot homines, totsententiæ. Tit. 3. d. 9. n. 13
Homo mortuus non est homo. T. 18. d. 7. n. 8
Homo sapiens est maximè felix. ibid. n. 9
Homo homini Deus. Tit. 5. d. 4. n 9.
Homo homini lupus. ibidem.

Honor.

Honor est signum bonæ existimationis. Tit. 57. d. 1. n. 1.
Honor est exhibitio reuerentiæ in testimonium excellentiæ. ibid.
Honor est præmium virtutis. ib. n. 2
Virtuti tribui nullus honor dignus potest. ibid.
Honor est externorum bonorum maximum. ibid. n. 9.
Honor potius est in honorante, quàm in honorato. ib. n 10.

Quis dignus honore, quis indignus.

Solus bonus est honorabilis. ib. d. 2. n. 1.
Honorem omnes natura appetunt. ib. n. 2
Non omnes digna honoribus agunt. ibid.
Infamibus portæ non pateant dignitatum. ib. n. 3.
Dignitatibus viri dandi sunt; non dignitates hominibus ibid. n. 4.
Sera præmia sunt magnifica. ib. n. 5
Populus honorat non semper, quæ, optima sunt; sed quæ optima videntur. ib. n. 6.

Honoris adiuncta.

Magistratus ostendit virũ. ib. d. 3. n. 1.
Honores mutant mores. ib. n. 2.
Gloria est pabulum inuidiæ. ib. n. 3.
Gloriæ pulchritudo citò marcescit, seu morbo quodam. ibid.
Sola miseria caret inuidiâ. ib. n. 4.
Dignitatum via in confragosa ducit fastigia. ib. n. 5
Imperium cupientibus nihil medium inter summa & præcipitia. ibidem.

Honor imaginum.

Honor dependet ab intentione honorantis. ibid. d. 4. n. 1.
Idem est motus in imaginem, & rem cuius est imago. ib. n. 2.
Imaginis honor ad prototypon peruenit. ib. n. 3
Qui adorat imaginem, in ea Regem adorat. ibid. num. 4.

Imaginis natura est, vt exemplar suum imitatione referat. ib. n. 5

Humidum, Humor.

Humidissima quæque & incalescunt, & refrigescunt quàm maximè. Tit. 44. d. 4. n. 1.
Humorum subtilium homo modico motu multum debilitatur. ib. n. 2
Humida omnium difficillimè concoquuntur. ibid. nu. 3.
Humidum excellens mortem accelerat. ibid. n. 4

Humilis, humilitas.

Humilitas est laudabilis sui ad ima deiectio. Tit. 28. d. 6. n. 1.
Humilitas est virtus, qua quis verissima sui cognitione sibi vilescit. ibid. nu. 1.
Summè humilis summè est magnanimus. ib. n. 4
Electus quisque humilis est, sterilis non est, ibid. num. 5.
Humilis quotidie magna non agit; sed de se magna non sentit. ib. n. 6
Nihil humilitate altius, nihil arrogantia depressius. ibid. n. 7.
Virtutum stabile fundamentum est humilitas. ibid. num. 8.
Humilitas est custos virtutum. ibid.
Verè humilis vilis vult reputari, non humilis prædicari. ib. n. 9

Idem.

IDem manens idem non potest existere sine aliquo sui. Tit. 64. dist. 2. num. 4.
Idem est principium constituens rem in esse proprio, & distinguens eam à quouis alio. ib. n. 6.
Quæcunque sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se. T. 54. d. 10. n. 2
Quæcunque non sunt eadem vni tertio, nec sunt eadem inter se. ibid. num. 3.
Idem & diuersum reuocantur ad vnum. Tit. 4. d. 5. n. 5.
Vide *ergo, Gnum, Indiuiduum, Distinctio.*

Ignis.

Ignis est calidi magis, quàm sicci. Tit. 18. dist. 3. num. 13.
Ex vno pugillo aëris generantur decem pugilli ignis. ib. n. 16
Igne excepto, omnia compurrescunt. ibid. n. 18.
Ignis occultatus seruatur, suffocatus extinguitur. ib. num. 19.

Digitized by Google

Si igni apponerentur infinita combuſtibilia, creſceret in infinitum. Tit. 21. d. 5. n. 5.
Ignis nunquam dicit, ſufficit. ibidem.
Parua ſæpe ſcintilla contempta magnum excitauit incendium. Tit. 49. d. 8. n. 7.

Ignorantia.

Longiùs homo in ignorantia viuit, quam in ſcientia. Tit. 3. d. 11. n. 1
Maxima pars eorum, quæ ſcimus, eſt minima eorum, quæ ignoramus. ibid. n. 2.
Scientes vniuerſale, ſæpe ignorant ipſum ſingulare. ib. n. 3
Scire poſſumus in vniuerſali, & ſimpliciter ignorare. ib. n. 4
Ignorare, quam parum ſciamus, eſt ipſam ignorantiam ignorare. ibid. num. 5.
Hoſpitem non decet ſemper eſſe hoſpitem. ibid. n. 6.
Non omnes, qui habent citharam, ſunt citharœdi, ibidem. num. 8.
Ibi præſumitur ignorantia, vbi ſcientia non probatur. ibid. n. 9.
Quædam ignorare melius eſt, quàm ſcire. ibid. n. 10.
Ignorare vitia melius eſt, quàm ſcire. ibid. n. 11.
Omnis rerum notitia bona eſt. ibid. n. 12.

Imaginatio.

Imaginari poſſumus, quod volumus, non autem opinari. Tit. 39. diſt. 3. n. 1.
Imaginatio non ſit ſine ſenſu. ibid. d. 4. n. 5.
Exiſtimatio non ſit ſine imaginatione. ibid.
Ad ea, quæ imaginamur, perinde afficimur, atque ad ea, quæ cernimus in pictura. Tit. 42. diſt. 3. num. 3.
Affectus animi ſequuntur apprehenſionem phantaſiæ. T. 52. d. 3. n. 3.

Imitatio.

Probrum non eſt, probos auctores imitari. Tit. 31. d. 6. n. 3.

Imperator.

Boni duces bonos creant milites. T. 25. d. 5. n. 1
Gubernatio bona plures requirit, quàm leges & litteras. ib. n. 2

Digitized by Google

Melior est exercitus cernorum, duce leone; quam leonum duce ceruo. ibid. n. 3.
Tanti exercitus est, quanti Imperator. ib. n. 4
Nemo bene imperat, qui nũquam sub imperio fuit. ib. n. 5.
Nihil arma foris, nisi sit consilium domi. ib. n. 6.
Imperator bonus, & idem robustus miles. ib. n. 7

Improbus.

Improborum anima est in seditione. T. 49. d. 3. n. 1
Improbi pœnitentia sunt pleni. ibid. n. 2
Improbi seipsos fugiunt. ib. n. 3.
Improbi nihil habẽt, quod sit amabile. ib. n. 4
Vide, *Conscientia.*

Indiuiduum.

Quodlibet indiuiduum speciei perfectioris melius est quolibet indiuiduo speciei imperfectioris. T. 3. d. 9. n. 2.
Idem numero maximè est idem, ib n. 8
Illa sunt idem numero, quorum materia est vna. ib. n. 9.
Manente forma manet idẽtitas rei ibid. n. 10.
Nullum indiuiduum est sub genere, quod non sit in certa specie illius generis. ib. n. 11
Conditiones indiuiduantes sunt primò diuersæ. ibi. n. 12.
Indiuidua sunt infinita. T. 21. d. 5. n. 6.

Indiuisibile.

Indiuisibile non habet partes. T. 21. d. 6. n. 1.
Indiuisibile cum attingitur, totum attingitur. ib. n. 2.
Indiuisibile quocunque se diuertit totum diuertit. ib. n. 3.
Indiuisibile non est æquale, vel inæquale. ib. n. 4
Indiuisibili quantitatis respondet indiuisibile substantiæ. ib. n. 5

Infinitum.

Infinitum est, Cuius semper aliquid est extra. T. 21. d. 6. n. 7.
Infinitum non potest pertransiri. ib. n. 8
Infinitum nõ dicitur æquale, nec maius, nec minus. ib. n. 9.
Infinitum, vt infinitũ ignotum est. ib. n. 10
Scientia & demonstratio non sunt de infinitis. ibid.
Infinita relinquenda sunt ab arte. ib. n. 11

Infirmitas.

Multum patibilia patiuntur à paruis actiuis. T. 43. d. 1. n. 1.

Digitized by Google

Patitur facilè, quod tenuiũ est partium. ib. n. 2
Quidquid recipitur, ad modum recipientis recipitur. ibid.
Quanto aliquid est maioris passibilitatis, tanto est minoris posse. ib. n. 3
In corpore affecto facilis est offensio. ib d. 2. n. 1
Infirmi facilè irascuntur. ib. n. 2.
Impotentia sensuum, animæ est defectio ib. d. 3. n. 3.

Ingenium.

Molles carne sunt ingeniosi. T. 39. d. 5. n. 3.
Vbi sensus vegetior, ibi & intellectus viuacior. ibid. n. 4.
Per sensum Tactus discernimus sapientes ab insipientibus. ib. n. 5
Ingenium, vbi intenderis, valet. ib. n. 6
A magnis ingeniis, vti magnæ virtutes, ita magna etiam vitia proficiscuntur. ib. n. 7.
Ingratitudo. Vide *Gratitudo.*

Initium.

Omnia omnium negotia similia ordinariè sunt suis initiis. T. 1. d. 3. n. 4.
Malorum initiis facilius obsistitur, quam incrementis. ib. d. 4. n. 4
Vide, *Principium.*

Iniuria.

Scienti & consentienti non fit iniuria, neque dolus. T. 26. d. 6. n. 2.
Pronius est iniuriæ, quàm beneficio vicem reddere. T. 27. d 9. n. 3.
Summum ius summa iniuria T. 28. d. 7. n. 8.
Qui ius suum quærit, non facit alteri iniuriam. ibid.
Magni animi est iniurias despicere. T. 29. d 6 n. 3.

Instrumentum.

Omne instrumẽtum est alicuius rei gratia. T. 11. d. 13. n. 1.
Instrumentum operatur in virtute agentis principalis. ib. n. 2
Instrumẽti vtilitas nulla est, nisi in vsu agentis. ib. n. 3.
Ad omnem officij functionem opus est instrumento, ib. n. 4.
Accidentia sunt instrumenta substantiæ. ib n. 5
Seruus est instrumentũ animatum. ib. n. 6
Instrumentũ est seruus inanimatus. ib. n. 7
Amicitia non est artifici ad instrumentum. ib. n. 8
Totum bonum instrumenti est artificis. ibid.
Qui facit per alium, perinde est, ac qui facit per seipsum. ibid. n. 9
Clauis non ideo repudianda

est, quod lignea sit, modo suo fungatur officio. ibid.
Manus est instrumentum instrumentorum. ib. n. 10

Intellectus generatim.

Intellectus est ens in pura potentia. Tit. 39. d. 1. n. 1.
Intellectus omnia intelligit. ib. n. 2
Intellectus est potentia omnia. ib. n. 3
Omnis nostra notitia pendet à sensu. ib. n. 4
Anima est quodammodo omnia. ib. n 5
Intellectus est forma formarum. ib. n. 6
Intellectus nullius corporis est actus. ib. n 7

Intelligibile & modus intelligendi.

Nihil est per se intelligibile nisi ens. ib. d. 2. n. 1
Intellectus & intelligibile debent esse proportionata. ib. n. 2
Res superiores leuiter à nobis intelliguntur. ib. n. 3
Oculus humanus ad spiritualia caligat. ib. n. 4
Omne intellectum, in quantum intellectum oportet esse in intelligente. ib. n. 5
Verbum est medium inter intellectum & rem intellectam. ib. n. 6
Omne intelligere in nobis est propriè dicere. ib. n 7
Excellentia intelligibilium non lædit intellectum; sed perficit. ib. d. 5. n. 1
Intellectorum vilitas non tollit nobilitatem intelligentiæ. ib. n. 2

Intellectus in ordine ad Voluntatem.

Imaginari possumus, quod volumus, non autem opinari. ib. d. 3. n. 1.
Intellectus non potest dissentire manifestæ veritati. ib. n. 2
Intellectus ad verum necessitari potest, ad falsum ne quidem à Deo. ib. n. 3.
Primus actus intellectus nō est voluntarius. ib. n. 4

Intellectus in ordine ad sensum.

Nihil est in intellectu, quod non prius fuerit in aliquo sensu. ibid. d. 4. n. 1.
Qui nihil sentit, nihil addiscere potest vel intelligere. ib. n. 2
qui contemplatur, necessariò cum phantasmate contemplatur. ib. n. 3
Anima nunquam intelligit sine phantasmate. ib. n. 4
Intelligens necessariò phantasmata speculatur. ib. n. 5.
Cœcus non iudicat de coloribus. ibid.
Talis est mentis contemplatio, qualis sensuum obsecundatio. ib. n. 6.

Digitized by Google

Intelligentia.

Intelligentiæ ſunt primæ poſt Deum ſubſtantiæ. Tit. 18. d. 1. n. 1.
Imago Dei eſt intelligẽtia. ib. n. 2.
Intelligentiæ ſunt actus puri. ib. n. 3.
Deus & mens ſunt in prædicamento ſubſtantiæ, ibid. n. 4.
Intelligentiæ non ſciuntur, niſi per motum. ib. n. 5.
Intelligentiæ ſunt plenæ formis. ib. n. 6.
Anima rationalis eſt infima in genere intellectualiũ. ibid. n. 7.

Intentio.

Intentio eſt oculus mentis. Tit. 55. d. 1. n. 4.
Intentio eſt finis, electio, mediorum. ib. n. 5.
Vide *Electio, Finis, Voluntas.*

Inuentio.

Facilè eſt, inuentis aliquid addere. T. 1. d. 3. n. 2.
Vide, *Principium.*

Inuidia.

Inuidia eſt odium alienæ felicitatis. T. 33. d. 5. n. 1.
Æmulatio bona eſt, & bonorum, inuidia mala, & malorum. ib. n. 2.
Bonus nulla tangitur inuidia. ib. n. 3.
Inuidia eſt vitium diabolicum. ibi. n. 4.
Inuidentia eſt peccatum iuſtiſſimum. ibid. n. 5
Excellentiæ nimiæ ſunt odioſæ. ibid. n. 6
Iactantiæ comes eſt inuidia. ib. n. 7
Inuidus eſt vicinorum oculus. ib. n. 8
Magnanimi eſt, non ſentire morſus inuidiæ. ib. n. 9.

Ira.

Iræ incontinentia minus turpis eſt, quam voluptatum. Tit. 53. d. 6. n. 1.
Ira eſt maximus ad pericula ſubeunda aculeus. ib. nu. 1.
Ira eſt cos fortitudinis. ibid.
Ira eſt ſatellitium rationis. ib. n. 3.
Difficulter conciliantur acerbi. ib. n. 4.
Iræ fratrum ſunt acerbiſſimæ. ib. n. 5.
Patientia læſa fit furor. ibi.
Habet & muſca ſplenem. ib. n. 6.
Et formicæ ſua bilis ineſt. ibid.
Infirmi facilè iraſcuntur. ib. n. 7.
Ira dulcior eſt melle liquente. ib. n. 8.
Ira non manifeſtata grauiter affligit interiùs. ib. n 9
Ignis igne non extinguitur. ibid. n. 10.
Oleum camino non oportet addere. ibid.
Ira breuis eſt furor. ib. n. 11.
Ira eſt mater diſſenſionis. ibid. n. 12.

INDEX.

Iudex.

Boni iudicis est, audire rationes vtrimque oppositas. Tit. 26 d. 7. n. 1
Nemo damnari debet, antequam audiatur. ib. n. 2
Iudex procedit secundũ allegata & probata. ib. n. 3
Iudex nihil ex arbitrio suo agit; sed iuxta leges & iura pronunciat. ibid.
Arbiter æquum magis intuetur, iudex legem. ib. n. 4
Nemo potest esse iudex in causa propria. ib. d. 8 n. 5.

Affectus in iudicando.

Quilibet iudicat, prout est affectus. Tit. 26. d 9. n. 1
Affectio excellens offuscat iudicatoriã actionẽ. ib n. 2
Amor, odium, & proprium commodum faciunt sæpe Iudicem non cernere verum. ibid. n. 3.
Plura homines iudicãt amore & odio, aut aliqua permotione mentis, quam veritatis præscripto. ibi. n. 4.
Iuramentum. Vide, *Fidelitas.*

Ius.

Ius est iustum per æqualitatem vnius, cum altero. T. 26. d. 2. n. 1.
Ius naturæ est immutabile. ibid. n. 2.
Iure naturæ omnia sunt cõmunia. ibi. n. 3
Ius gentium est sedium occupatio. ib. n. 4
Ius gentium supponit ius naturale. ib. n. 5
Ab vno casu in iure expresso non licet argumentari ad alium. T. 30. d. 3. n. 1
quæ à iure communi exorbitant, non sunt in consequentiam trahenda. ibi.
Qui ius suum quærit, non facit alteri iniuriam. T. 28. d. 4. n. 7.

Iustitia, Iustè.

Iustitia in se omnes virtutes complectitur. T. 26. d 4 n. 1
Iustitia est omnium mandatorũ plena custodia. ib. n. 2
Iustitia est constans & perpetua voluntas ius suum cuique tribuendi. ib. n. 4
Iustitia est præclarissima virtutum, & neque hesperus ita, nec lucifer admirabilis. ib. d. 5. n. 1
Vigor iustitiæ necessarius est in ciuitate. T. 27. d. 1. n. 1
Vbi rigor, ibi & vigor. ib. n. 2
Optimus est, qui ad seipsum & ad alios virtute vtitur. T. 26. d. 5. n 1,
Pessimus est, qui ad seipsum & ad alios prauitate vtitur. ib. n. 2
Homines frugi omnia rectè faciunt. ib. n. 3
Bona bonis eueniunt, malis mala. ib. n. 4
Volenti non fit iniuria. ib. d. 6. n. 1.
Nihil patitur à seipso. ib. n. 3
Iustè operari difficile est homini iustitiam non habenti. ib. n. 5

Digitized by Google

Iuuenis. Vide *Adoleſcens, Ætas, Prudentia.*

Labor.

GEneroſos animos labor nutrit. Tit. 49 d. 9. n. 1
Plus ferrum rubigine in alto otio, quam exercitio conteritur. ib. n. 2
Dii laboribus omnia vendunt. ib. n. 3
Nihil magnificum, quod nõ idem ſit arduum. ibid.
Omnia fiunt cũ motu. ib. n. 4
Multæ manus onus leuius reddunt. ib. n. 5
Mànus manũ lauat. ib. n. 6
Lunæ radiis non matureſcit botrus. ib. n. 7
Mente ſimul & corpore laborare nõ cõuenit. ib. n. 11
Mollitudinis eſt, fugere laborioſa. T. 53. d. 3. n. 8

Laudare, laus.

Honorari dignius eſt, quàm laudari. T. 57. d. 1. n. 6
Diuinius eſt id, quod honorabile, quàm quod laudabile. ib. n 7
Laudes Deorum plerumque ridiculæ ſunt. ibid.
Peius eſt, frigide laudare, quàm apertè reprehẽdere. ib. n. 8.
Vide, *Gloria & honor.*

Legatus.

Legatus non cæditur, neque violatur. T. 25. d 7. n. 3

Legere, lectio.

Multum legendum eſt, non multa. T. 40. d. 4. n. 1
Faſtidientis ſtomachi eſt, multa deguſtare. ib. n. 2
Non multum legendum eſt, ſed multa. ib. n. 3
Non multâ lectione legendo multa. ibid.
Omiſſis fontibus, non ſunt quærendi riuuli. ib. n. 4
Vide verbo, *Liber.*

Lex.

Lex habet vim directiuam & coactiuam. T. 60 d. 1. n. 1
Lex eſt menſura actuum humanorum. ibid.
Lex perpetuitatem habet, præceptũ non item. ib. n. 3
Ex malis moribus naſcũtur bonæ leges. ib. n. 4
In legibus ſalus ſita eſt ciuitatis. ib. d. 2. n. 1
Omnia legalia factiua ſunt, & cõſeruatiua ſalutis. ibi.
Intentio Legiſlatoris eſt, ciues efficere bonos, ib. n. 2
Iniuſta lex nõ eſt lex. ib. n. 3
Magis pugnandum eſt pro legibus, quàm pro mœnibus. ib. n. 5.
Legem ſæpius mutare eſt infirmare vim legis. ib. d. 3. n. 2.
Lex in præſumptione fundata non obligat, quando præſumptio falſa eſt. n. 3.
Ceſſante ratione legis in aliquo caſu particulari, non ceſſat eius diſpoſitio, ſi ratio legis non ceſſet in vniuerſum. ib. n. 4.
Multa concedunt leges, quę diuina pnniet iuſtitia. ibid. n. 5.

Non omnium, quæ à maioribus ſtatuta ſunt, dari ratio poteſt. ib. n. 6
Neceſſitas non ſubditur legi. ib. d. 4. n. 1
Conſuetudo habet vim legis. ib. n. 2
Vide. *Neceſſitas*, & *Conſuetudo*.

Liber.

Nullus liber tam malus eſt, vt nõ aliqua ex parte proſit. T. 40. d. 4. n. 5.
Nullus ferè liber tam bonus eſt, quin aliquid etiã mali contineat. ibid.
Magnum volumen magnum malum. ibid.
Libro, nũ refert quàm multos habeas; ſed quàm bonos. ib. n. 3
Libri ſunt magiſtri mortui. Vide, *Lectio & Legere.*

Liberalitas.

Virtutis proprium eſt magis beneficio afficere, quam affici. T. 27. d. 3. n. 1.
Beatius eſt dare, quàm accipere. ib. n. 2
Beneficium magis in affectu conſiſtit, quam in effectu. ib. n. 3.
Beneficii compenſatio magis in affectu conſiſtit, quã in effectu. ib. n. 4
Ingratum eſt beneficium, quod diu intra manus dantis hæſit. ib. n. 5
Qui cito dat bis dat. ibid
Blanda negatio pro beneficio eſt, ib. n. 8
Manifeſtè negare eſt irreuerentiã. ibid.
Inuito non datur beneficiũ. ib. n. 9.
Liberales ex omnibus virtute prædictis maximè amantur. ib. n. 10
Vitia hominum liberalitate teguntur, auaritia nudantur. ibid.
Domini liberalis non debet eſſe ſeruus auarus. ibid.

Libertas.

Omnium humanorum bonorum libertas eſt maximum. T. 5. d. 8. n. 4.
Nemo liber eſt, niſi qui ſibi imperat. ibid.
Nemo ſit alterius, qui ſuus eſſe poteſt.
Beneficium accipere eſt libertatem vendere. T. 27. d. 3 n. 7.

Linea.

Linea eſt quantitas vnius dimenſionis. T. 21. d. 7. n. 1.
Vide, *Quantitas*.

Lis.

Nulla lis iuſta eſt, niſi neceſſaria. T. 24. d. 5. n. 5.
Periculoſa eſt lis cum regibus. T. 25. d. 7. n. 1.
Procul à Ioue & procul à fulmine. ibid.
Nemo contẽdit, niſi pro re, quam æſtimat magnam. T. 29. d. 4. n. 1.
Meum & tuum ſunt cauſa potiſſima diſſenſionum. T. 43. d. 4. n. 5.

Locus.

Locus eſt æqualis locato. T. 61. d. 3. n. 1.

Digitized by Google

Locus eſt extrinſecus locato. ib. n. 2
Locus locatum allicit & conſeruat. ib n. 4.
Vnumquodque rationabiliter appetit ſuum locum, ibid. n. 4.
Vnumquodque manet in proprio loco non irrationabiliter. ib. n. 5.
Domus amica domus optima. ib. n. 6.
Locis calidis homines ſapiẽtiores ſunt, quam frigidis. ib. n. 7.
Idem eſt locus totius & partis, ib. n. 8.
Partes, niſi ſeorſim ponantur, non ſunt in loco; ſed in toto. ib. n. 9

Logica.

Logica eſt vtiliſſima ad omnem Philoſophiam. T. 31. d 2. n. 1.
Logica eſt diſciplina diſciplinarum. ib. n. 2.
Sine Logica, qui vidẽtur ſcire, neſciũt ſe ſcire. ib. n. 3.
Abſurdum eſt, ſimul quærere ſcientiam & modum ſciendi. ib. n. 4.

Loqui.

Loquendum vt multi, ſapiendum vt pauci. T. 66. d. 1. n. 10.
Vide, *Vocabulum, & Vox.*

Lux, Lumen.

Lux eſt qualitas primi corporis alterantis. Tit. 44. d. 1. n. 1.
Ad præſentiam ſolis lux ſtellarum obſcuratur; ſed aëris perficitur. ib. n. 2.
Lumen maius offuſcat minus. ibid.
Superuacaneus eſt Lychnus, ſi ſol apparuerit. ibid.
Lumẽ eſt color ignis. ib. n. 4
Qui egent lucerna, oleum affundunt.

Magiſtratus.

Magiſtratuum præſentia veram gignit reuerentiam. T. 25. d 8. n. 3
Officium Magiſtratus eſt, ſtatuere potius, quàm iubere. ib. n. 4
Iubere imperioſius eſt ibid.
Magiſtratus oſtendit virum. T. 57. d. 3. n. 1.
Deus pugnat pro Magiſtratu. Tit. 25. d. 7. n. 3
Optimatum gubernatio ſæpe mutatur. T. 25. d. 7. n. 4.
A mulieribus non regitur ciuitas. ib. d. 9. n. 16
Inferiora reguntur à ſuperioribus. ib. n. 17.

Magis & Minus.

Nulla res ſuſcipit magis & minus eſſentialiter; ſed entitatiuè. T. 2. d. 4. n. 10.
A quo res habet eſſe ab eodem habet magis & minus eſſe. T. 34. d. 2. n. 5.
Magis & minus non diuerſificant ſpeciem. Tit. 45. d 1. n. 1.
Id magis vel minus eſt tale, quod minus vel magis habet admixtum contrarii. Tit. 65. d. 4. n. 7.

Propter quod vnumquodque tale est, idipsum magis est tale. T. 8. d. 2. n. 6

Magnanimitas Magnanimus.

Magnanimitas est omnium virtutum ornamentum. T. 19. d. 4. n. 1.

Magnanimi est, quod in quaque virtute est magnũ ib. n. 2.

Magnanimi est, neque secundis rebus insolescere, neque deiici aduersis, ib. 3

Magnanimi est magna contemnere. ib. n. 4

Magnanimi est, dignum se magno honore æstimare. ib. n. 5.

Magnanimi est, acceptum beneficium maiore compensare. ib. n. 6.

Magnanimi est, neminem, aut vix quemquam rogare. ib. n. 7.

Magnanimi est, non posse alterius nutu viuere, nisi amici. ib. n. 8

Magnanimus omnia apertè dicit & agit. ib. n. 9

Magnanimus non est contentiosus. ib. n. 10

Leo ad latratus canum vix lentè respicit. ib. n. 11

Magnanimus pauca facit; sed magna. ib. n. 12

Aquila non captat muscas. ibid.

Magnificentia, Magnificus.

Magnifici est, vt quidquid fecerit, magnificè id faciat. Tit. 29. d. 4. n. 13

Magnificentia parum distinguitur à magnanimitate. ibidem.

Magnitudo, Magnum.

Magnitudo est id, quod in continua est diuisibile. Ti. 21. d. 3. n. 2.

Data quacunque magnitudine sumi potest alia maior vel minor. ib. d. 5. n. 5

Omnium natura constantium terminus est, & ratio quantitatis. ibid.

Perficiendi cuiusque animalis certa est magnitudo tũ ad maius, tum ad minus, ib.

Magni corpore tardi sunt mente. ib. d. 8. n. 4

Statura procera digna est imperio. ib. n 5

Magnum & paruum dicuntur respectiuè. T. 46. d. 4. n. 1

Nihil per se magnum dicitur aut paruum. ib. n. 2

Maius & minus.

Vbi datur maior & minor distantia, datur & maxima. T. 54. d. 2. n. 10.

Quisquis potest id, quod est maius, potest etiam quod est minus. ib. d. 3. n. 2

Si hoc genus melius est illo: Ergo optimum in hoc præstãtius est eo, quod est optimũ in illo. T. 46. d. 3. n. 10

Si id, quod verisimilius est, non est verum; Ergo nec id, quod minus videtur verisimile. ib. n. 8

Si id, quod minus vero simile est, verum est, erit & id, quod est magis

Digitized by Google

vero ſimile. ib.n.9
Si hoc genus eſt deterius illo; Ergo peſſimum in hoc peius eſt eo, quod eſt peſſimum in illo. ib. n. 11.
Cui licet id, quod plus eſt, licet vtique quod eſt minus. ib. n.12

Malum, malus.

Defectu eſſẽtię nihil eſt malum. T. 5. d. 4. n.2.
Malum ſuperadditum malo, facit ipſum deterius. ibid. n. 6.
Nullum malum eſt ſummũ malum. ib. n.7
Nihil adeo malum eſt, quin poſſit fieri deterius. ibid.
Nihil adeo noxiũ eſt, quod non aliquando proſit. ib. n. 8.
Nihil tam innoxium eſt, quod non interdum obſit ibid. n. 9.
Nullus ad malum intendens operatur. ib.d. 6. n. 1
Malum ſub ratione mali nũquam amatur. ib.n. 2
Malum eſt præter intentionem in rebus. ib. n. 3
Nemo volens miſer eſt, aut inuitè beatus. ib. n. 4
Nemo vſpiam adeo à lege diſcedit, vt animi cauſa malus ſit. ib. n. 5
Ex duobus malis minus eſt eligendum. ib. n. 6
Minus malũ reſpectu maioris habet rationem boni. 7.
Non ſunt facienda mala, vt eueniant bona. ibid.
Semel malus ſemper præſumitur malus. ib. d. 9. n. 9
Nemo repente fit peſſimus. ib. n. 10.

Manſuetus.

Vir manſuetus maximè eſt compos ſui. T. 28. d. 8. n. 1.
Mãſueti ingenio quieti ſunt & ſtabili. ib. n. 2
Mãſuetus ad veniam promptior eſt, quam ad vltionem. ibid.
Improuidus eſt omnis, qui operatur ex ira. ib. n. 3
Per iram ſapientia perditur. ib. n. 4.
Iracundia eſt omnium vitiorum ianua. ib. n. 5
Patientiæ ignis bonos purgat, malos abſumit ibid. n. 6.

Martyr.

Martyrem non pœna; ſed cauſa facit. T. 29. d. 2. n. 4.
Pœna communis eſt latroni & martyri; ſed cauſa diſpar. ibid.

Mas & Fœmina.

Maſculinum genus naturaliter dignius eſt fœmino. T. 18. d. 8. n. 1.
Mulier eſt adiutorium hominis. ibid.
Mulieres parere natæ ſunt, homines imperare. ibid.
Fœmina eſt quaſi mas læſus. ib. n. 2.
Fœmina eſt mas occaſionatus. ibid.
Natura particularis nunquã intendit producere fœminam. ib. n. 3
Vir & mulier non differunt

ſpecie. ib. n. 4
Viri eſt acquirere diuitias, fœminæ conſeruare. T. 25. d. 8. n. 6.
Mares longioris ſunt vitæ, quam fœminæ. T. 18. d. 8. n. 5.
Fœminæ maioris ſunt pietatis, quam viri. ib. n. 6
Dentes maribus pluresſunt, quam fœminis. ib. n. 7
Mulier non fit ambidextra. ib. n. 8.

Materia.

Materia eſt primum ex quo res componitur & vltimũ in quod reſoluitur. T. 9. d. 2. n. 1.
Materia non eſt quid, nec aliud quicquam eorum, quibus Ens determinatur. ib. n. 2
Materia negatione cognoſcitur ib. n. 3
Materia eſt magnum & paruum. ib. n. 4
Materia eſt maximum potentia, minimum actu. ib.
Materia eſt fundamentũ rerum omnium naturalium. ib. d. 1. n. 4.
Materia eſt non Ens. ibid. d. 3. n. 1.
Priuatio eſt non ens per ſe: materia autem ſecundum accidens. ib. n. 2
Materia eſt aliquo modo ſubſtantia. ibid. n. 3
Materia eſt ſubſtantia poſtremæ notæ. ibid. n. 5
Materia eſt mediũ inter Ens & non Ens. ib. n. 6
Materia eſt de genere relatiuorum. ib. n. 7

Appetitus materiæ, & cætera attributa.

Materia appetit formam. T. 9. d. 4. n. 1.
Materia nunquam eſt ſine paſſione. ib. n. 2
Materia eſt nullius actiuitatis. ib. n. 3
Formæ eſt agere, materiæ pati. ibid.
Materia eſt ingenerabilis & incorruptibilis. ib. n. 4
Materia eſt cauſa conſeruationis rerum. ib. n. 5
Materia eſt radix corruptionis. ib. n. 6
Materia ſemper machinatur maleficium formæ. ib n. 7.
quæ materia conſtãt, poſſunt eſſe & non eſſe. ibid. n. 8.
Omnis potentia eſt contradictionis. ib. n. 6
Eorum tantum eſt materia, quorum eſt ad inuicẽ generatio & tranſmutatio. ib n. 10.
Quæcũque abſque eo, quod tranſmutentur ſunt, aut non, horum materia non eſt. ibid. n. 11.
Impoſſibile eſt, habenti materiam non exiſtere contrarium. ib. n. 12
In materiam diſpoſitam facilè introducitur forma. ib. n. 13.

Mathe-

Digitized by Google

INDEX.

Mathematica.

In Mathematicis non eſt materia ſed forma. T.31. d.3. n.1.

Entia Mathematica nõ ſunt ſubſtantiæ. ib. n.3

Puer poteſt eſſe Mathematicus ; ſapiens eſſe non poteſt. ib.n.4

Arithmetica & Geometria ſunt primæ Mathematicæ. ib. n.5

Sine Arithmetica ſocietas hominum non poteſt eõſiſtere. ib.n.6

Geometria eſt ſubtiliſſima ſcientiarum. ib. n.7

Geometra eſt ſpeculator veritatis. ib n.8

Arithmetica & Geometria ſunt ſorores. ib.n.9

Nemo bonus aſtronomus, qui non & Phyſicus. ibid. n.10.

Medicina, Medicus.

Ibi incipit Medicus, vbi Phyſicus deſinit. T. 31. d. 4.n.1.

Philoſophia & medicina ſũt ſorores. ib.n.5

qui bonus medicus, idem & Philoſophus. ib. n.6

Natura opifex, medicus eſt miniſter. ib.n.7

Natura optimus eſt ſui ipſius medicus. ib.n.8

Non eſt in medico ſemper, releuetur vt æger. ib.n.9.

Quod ignorat medicina nõ ſanat. ib. n.10

Medici non ſiunt ex libris. ib.n.12,

Medicos oportet non tantum eſſe prudentes ; ſed etiam fortunatos. T. 25. d. 2. n. 7.

Melius eſt ſanare vitioſas partes, quam exſecare. T. 27. d 9.n.4.

qui medicè viuit myſticè viuit. T. 35. d.1. n.7.

qui mendicè viuit, miſerè viuit. ibid.

qui integra ſunt corporis valetudine, medicationes ægrè ferunt. T. 43. d. 2. n.3.

Ægrotanti animo medicus eſt oratio. T. 43 d. 3. n. 4.

In principiis non eſt vtendum medicamentis validis. T. 65. d 5.n.7.

Medicinæ fiunt per contraria. ib. n.8.

Quicunque morbi ex repletione fiunt, eos cũaluatio ſanat. ibid.

Quicunque morbi ex euaſuatione fiunt, eos repletio ſanat. ibid.

Medium.

Medium eſt quodammodo ipſa extrema. T 65.d.3. n.2.

Medium, quod ex extremis conſtat, virtute continet extrema. ib. n 3

Mediũ & extrema ſunt eiuſdem generis. ib. n. 4

Medium participat de vtroque. ibid.

Mel.

Mel dulcius eſt, quod eſt craſſius. T. 16. d. 4. n. 6.

Infimum mellis, medium

vini, ſummum olei eſt optimum. ibid.

Membrum.

Membra officiorum gratiâ ſunt, ad quæ accommodantur. T. 10. d. 7. n. 1.

Memoria.

Memoria eſt locus formarum. Tit. 40. d. 1. n. 1.
Memoria non ſolum hominibus; ſed aliis etiam animalibus ineſt. ib. n. 2.
Memoria ſequitur phantaſiam. ib. n. 3.
Muſarum mater eſt memoria. ib. n. 4.
Tantum ſcimus, quantum memoria tenemus. ib. n. 5.
Memoria eſt præteritorum. ibid. d. 2. n. 1.
Præſentis non eſt memoria, ſed ſenſus. ib. n. 2.
Honeſtorum memoria magis delectat, quam vtilium. ib. n. 3.
Memoria honeſtarũ rerum, quam maximè iucunda eſt. ibid.
Memoria præteritorum malorum iucunda eſt. ib. n 4.
Quilibet inuitus audit ſua peccata. ibid.
Magis recordamur eorum, quibus vehementer intendimus, ib. n. 5.
Tenaciſſimi ſumus eorum, quæ rudibus annis percepimus. ib. n. 6.
Memoria excolendo, ſicut alia omnia, augetur. ibid. d. 3. n. 1.
Ordo memoriæ maximè lumen adfert. ib. n. 2.
Memoriam ſaluant meditationes. ib. n. 3.
Nihil æquè, ac memoria, vel cura augetur, vel negligẽtia intercidit. ib. n. 4
Qui motu ſunt multi, parum ſunt memoratiui. ib. n. 5.

Mendacium.

Mendacium per ſe improbum eſt, & vituperabile. Tit. 27. d. 7. n. 3.
Mendacem oportet memorem eſſe ſui. ib. n. 4.
Mendacij & veriſimilitudinis difficilis eſt connexio. ib. n. 5.
Laborioſa ſunt figmenta mendacij. ib. n. 6.
Veritatis eſt ſimplex oratio. ib. n. 7.
Falſum qui dicit, nihil dicit. ib. n. 8.
Mendaces etſi vera dicant: fide tamen habentur indigni. ib. d. 8. n. 10.

Menſura.

Menſura eſt id, quo primo quantitas cognoſcitur. T. 21. d. 2. n. 5.
Diſtantia maxima non mẽſuratur, niſi ſecundum lineam rectã. T. 49 d. 3. n. 4.
Modus eſt, quem menſura præfigit. T. 24. d. 4. n. 3.
Primum in vnoquoque genere eſt menſura cæterorum. Tit. 8. d. 2. n. 4.

Metaphyſica.

Metaphyſica eſt princeps & domina ſcientiarum. Tit. 31. d. 5. n. 1.

Digitized by Google

Metaphysica est naturalis Theologia. ib. n. 2.
Metaphysica est naturalis Sapientia. ib. n. 3.
Metaphysica est scientia maximè doctrinalis. ib. nu. 4.
Metaphysica cõfirmat principia scientiarum. Tit. 1. d. 7. n. 4.
Miles. Vide, *Imperator.*

Mixtum

Omnia mixta ex simplicibus constant omnibus. Tit. 18. d. 4. n. 1.
Elementa in mixtis quodãmodo manent, quodammodo non manẽt. ib. n. 2.
Elementa in mixtis non manent actu; manent potentia. ibid. n. 3
Omne mixtum mouetur secundum prædominãs elementum. ib n. 4.
Quidlibet mouetur, secundum quod est mobile. ibi.

Modestia.

Vitæ compositio plurimum confert ad existimationẽ boni viri. Tit. 28. d. 9. n. 1.
Mores ex motionibus discernuntur. ib. n. 2.
Habitus mentis in corporis statu cernitur. ib. n. 3
Vox quædam animi est corporis motus. ibid.
Solutè viuentes despicabiles fiunt. ib. n. 4.
Quando vita contemnitur etiam doctrina vilipenditur. Tit. 31. dist. 5. n. 9.

Modus.

Modus non existit nisi modificet actu. T. 10. d. 2. n. 1.
Modus est, qui nec diuinitus esse potest sine re cuius est modus. ib. n. 2.
Nullus modus est maioris entitatis, quam res, cuius est modus. ib. n. 3.
Omnis modus dicit transcendentalem habitudinem ad rem, cuius est modus. ibid. n. 4.
Modus rei diuersus non diuersificat eius speciem. ib. n. 5.

Mors.

Mors est extinctio caloris nativi in humido. T. 44. d. 3. n. 4.
Mors est vitæ priuatio. Tit. 50. d. 3. n. 3.
Mors in senectute est sine dolore. ib. n. 4.
Mors omnium terribiliũ est maximè terribile. ib. n. 5.
Beati mortui, qui in Domino moriuntur. ib. n. 6
Glorioſa mors turpi vitæ anteferenda est. ib. n. 7.

Motus generatim.

Motus est actus entis in potentia, prout in potentia est. T. 49. d. 2. n. 1.
In omni motu sunt duo termini. ib. n. 2.
Terminus à quo, prior est termino ad quem. ib. n. 3
Quantũ receditur à termino à quo, tantũ acceditur ad terminũ ad quem. ib. n. 4.

Digitized by Google

Motus ſpecificatur à termino ad quem. ib. n. 5.
Motus rectus & circularis differunt ſpecie. ib. n. 6
Omne mutatum eſſe antecedit motus. ib. n 7
Motus non eſt in certo prædicamento. ib. n. 8

Motus in ordine ad oppoſitionem.

Omnis motus eſt inter terminos oppoſitos. ib. d. 3. n 1.
Motus in circulo facti ad oppoſitas partes ſunt contrarii. ib n. 2
Motui circulari nullus eſt oppoſitus. ib. n. 3.
Motus rectus ſolum eſt contrarius motui recto. ibid. n. 4.
Motus ſecundum naturam contrarius eſt motui præter naturam. ibid. n. 5.
Motus ſurſum contrarius eſt motui deorsū ib. n. 6.
Contrariorum cõtrarii ſunt motus. ib. n. 7.

Motus in ordine ad mouens.

In mouentibus & motis nõ datur proceſſus in infinitum. ib. d. 4. n. 1
Primum mouens in vnoquoque genere eſt non motum in illo genere motus. ib. n. 2
Primum mouens eſt immobile. ib. n. 3.
Proprium eſt primi Motoris mouere non motum. ib. n. 4.
Proprium eſt primi alterantis, alterare, cum ipſum non alteretur. ib. n. 5
Nullum corpus mouet non motum. ib. n. 8.

Motus in ordine ad mobile.

Motus vni corpori præternaturalis alteri eſt naturalis. ibi d. 5. n. 1.
Corporis ſimplicis ſimplex eſt motus. ib. n. 2.
Mores ex motionibus diſcernuntur. ibid.
Omne corpus naturale, habet intrinſecum principium ſui motus. ib. n. 3.
Motoris & moti idem eſt actus. ib. n. 4.
Idem ſecundum idem non mouetur ſimul diuerſis lationibus. num. 5.
Vnius vnus eſt motus. ibid.
Mouens & motum debent eſſe ſimul. T. 11. d. 11. n. 1.
Omnia, quæ mouentur, quieſcunt, cùm venerint in proprium locum. Tit. 13. d 6. n. 4.
Vnumquodque mouetur, ſecundum quod eſt mobile. T. 18 d. 4. n 4.

Motus in ordine ad tempus, ſpatium, &c.

Non fit tranſitus ab extremo ad extremum, niſi per medium. ib. d. 6. n. 1.

Digitized by Google

Vbicunque est priùs & posterius, ibi & successio. ib. n. 2.
Nulla latitudo subito acquiritur & deperditur. ibi.
Motus non fit in instanti. ib. n. 4.
Omne, quod mouetur motu locali physico, est diuisibile. ib n. 4
Motus naturalis in fine est velocior. ib.n.5
Motus cœli omnium motuum est velocissimus. ib. n. 7.

Motus moderatus.

Qui ordinatè incedit, finem perfectissimè attingit T1. 49. d 8 n. 1.
Sat cito, si sat bene ibi.n.2.
Qui nimium properat, serius absoluit ib.n.3.
Melior est gressus lentior per iter rectum, quam velocitas festina per deuium. ibid.
Manu ferendum est, non Thylaco. ib. n. 4.
Non est cuiusuis appellere Corinthum ib n.5.
Nemo repente fit summus. ibid n.6.
Iuuat commodum quamlibet pusillum. ib. n. 8.
Qui spernit modica paulatim decidit. ibi.
Motus violentus. Vide, *Labor, quies, Violentum.*

Mundus.

A Deo dependet tum cælũ, tum vniuersa rerum natura. T. 12. d 3. n. 2.
Pulcherrima res mundus: opus enim Dei est. ibid; d. 6. n. 8.
Mundus ad vnum optimum dirigitur. Ti. 13. d. 7 n. 9.
Vnum optimum est Deus ipse. ib n. 10.
Deus est in mundo, quod in naui gubernator. T. 12. d. 2. n. 2.
Deus est in mundo, quod in curru agitator. ibidem.
Deus est in mundo, quod in ciuitate lex. ibidem.

Natura.

NAtura est principium motus & quietis. T. 15. d. 2. n. 1.
quidquid mouetur naturaliter à natura mouetur. ibid. n. 2.
Deus est auctor naturæ. ib. nu. 3.
Deus est natura naturans. ib n. 4.
Deus cum natura operatur, ib. n. 5.
Id cuique est naturale, quod ille fecerit, à quo est omnis ordo naturæ. n. 6.
Natura diuinæ immortalitatis est æmula. Ti. 2. d 3, n. 12.

Processus & ordo Naturæ.

Natura procedit ab imperfectioribus ad perfectiora. T. 15. d. 3. n. 2.

Natura exordium capit à perfectis. ib. n.2
Perfectum prius est naturâ imperfecto ib.n.3.
Id natura est prius, quod generatione est posterius. ib. n. 4.
Natura non agit inordinatè ibid. n. 5.
Natura in suis operibus nõ facit saltum. ib. n.6.

Ratio & perfectio Naturæ.

Omnia, quæ natura, vel arte fiunt, ratione aliqua fiunt. ib. d. 4. n. 1.
Natura ordinat res omnes, & illis tribuit æquitatem. ib. n. 2.
Natura agit propter finẽ. ib.
Opus naturæ est opus intelligentiæ. ib. n. 3.
Natura nihil agit temerè, num. 4.
Natura est ars Dei. n. 5.
Natura semper facit optimũ, quod potest. d. 5. n. 1.
Natura semper desiderat id, quod est melius. ib. n. 2.
Natura fugit vbique, quod molestum est. n. 3.
Natura nunquam deficit in necessariis. n. 4.
Natura non redundat in superfluis. n. 5.
Natura, quod potest facere vno instrumento, non facit duobus. ib. n. 6
Natura quod alibi demit, alibi restituit. n. 7.
Naturæ miracula cuilibet enti sunt indita n. 8.
Omnis res naturæ digna est sui contemplatione. n. 9.

Vis & constantia Naturæ.

Natura non patitur vacuum ib. d. 6. n. 1.
Natura semper agit eodem modo. n. 2.
Naturæ est determinata ad vnum. n. 3.
Naturæ resistere difficile est. n. 4.
Naturam expellas furca, tamen vsque recurret. ibid.
Assuetudo non fit contra naturam. n. 5.
Nihil præcepta & artes valent nisi adiuuãte natura. Tit. 15. d. 7. n. 5.
Vide, *Consuetudo, & Habitus.*

Necessitas.

Necessitas non habet legem. T. 60. d. 4. n. 1
Propter necessitatem illicitum fit licitum. ibid.
Ingens telum est necessitas ibid. n. 2.
Necessitas facit omnia communia. ib. n. 3.

Nobilis, Nobilitas.

Vera Nobilitas est, facere voluntatem Dei. T. 47. d. 2. n. 1.
Præstat vt parentes glorientur de filio, quàm filius ob parentes, ib. n. 2
Si quid boni est in nobilitate, est necessitas imitandi maiores. ib. n. 3

Digitized by Google

Nemo in gloriam noſtram vixit, nec quod ante nos fuit, noſtrum eſt ibid.
Summa apud Deum nobilitas eſt, clarum eſſe virtutibus. ib. n. 4.
Nobilius eſt, non acceptam nobilitatem parere, quam acceptam vanè extollere. ibid. n. 5.
Omnes pari ſorte naſcimur; ſola virtute diſtinguimur. ib. n. 6.
Omnis nobilitas cuiuſque rei eſt ſibi ſecundum eſſe. T. 2. d. 3. n. 3.
Notitia. Vide *Cognitio & Scientia.*

Numerus.

Numerus efficitur diuiſione quantitatis. T. 21. d. 9 n. 2
Numerus eſt ex vnitatibus compoſita multitudo. ib. n. 4.
Vnitas omnem numerum metitur. ib. n. 5.
Omnes numeri differentes eſſentialiter differunt. ib. nu. 6.
Vltima vnitas eſt forma numeri. ib. n. 7.
Omnis numerus eſt par vel impar. n. 8.
Numero Deus impare gaudet. ib. n. 9.
Tria ſunt omnia. n. 10.
Quouis numero dato poteſt dari maior in infinitum. ib. d. 5. n. 1.

Nunc, Nunquam.

Nunc nunquam eſt aliàs. T. 62. d. 2. n. 3.
Nunquam bene, qui nunquam malè. T. 1. d. 4.

Nutritio.

Vnumquodque nutritur iis, quibus conſtat. Tit. 35. d. 1. n. 3.
Ingeſtione corpus non alitur; ſed digeſtione. ibid. nu 4.
Cibum minuere, laborem augere ſalubre eſt. n. 5.
Quod ſapit hoc nutrit. n. 6.
Optimum condimentum fames. ib. n. 7
qui mendicè viuit, miſerè viuit. n. 8.

Obedientia.

Obedientia ſola virtus eſt, quæ cæteras virtutes menti inſerit, inſertáſque cuſtodit. Tit. 27. d. 2 n. 1.
Obedientia eſt mater virtutum. ib. n. 2
Obediẽtia melior eſt, quam victimæ. n. 3.
per victimas aliena caro, per obedientiam propria voluntas mactatur. n 4.
quidlibet inferius perficitur per ſubiectionẽ ad ſuum ſuperius. n. 5.
Virtus cuiuſlibet ſubiecti eſt, vt bene ſubdatur ſuo principanti. n. 6.
Obedientiæ vis eſt infinita. n. 7.
Verus obediens eſt ſicuti inſtrumentum in manu artificis, n. 8.

Digitized by Google

Nescit iudicare, quisquis perfectè didicerit obedire. n. 9.
Obedientia, quæ maioribus præbetur, Deo exhibetur. n. 10.
Obiectum. Vide, *Potentia, Habitus, actus, &c.*

Obligatio.

Omnis obligatio aut in dãdo, aut in faciendo consistit. T. 34. d. 6. n. 7.
Nemo obligatur ad impossibile. ibid.
Vide, *Promissio.*

Oculus.

Oculis potius est habenda fides, quam auribus. T. 38. d. 2. n. 6.
Oculis magis oportet credere, quàm opinionibus. ib. n. 7,
Vide, *Visus.*

Odium.

Perfectum odium est, quod nec iustitia, nec scientia caret. T. 53. d. 2. n. 1.
Ama tanquam osurus, oderis tanquam amaturus. ib. n. 2.
Mores amici noueris, non oderis. n. 3.
Proprium est ingenii humani, odisse, quem læserit. n. 4.
quem quisque odit, periisse expetit. n. 5.
Omnis Apostata osor est, sui ordinis. n. 6.
Virtuosus & felix nihil operantur odibile. n. 7.

Odoratus.

Odorandi sensus dignitate est medius, necessitate extremus. T. 38. d. 3. n. 1.
Odor est sicci, sapor humidi. ib. n. 2.
Rosæ suauius olent, quibus vmbilicus est asper. n. 3.
Rarò somniamus de odoribus. ib. n. 4

Oleum.

Oleum inter omnes liquores supereminet. T. 18. d. 4. n. 5.
Infimum mellis, medium vini, summum olei est optimum. ib. n. 6
Oleum camino oportet addere. T. 65. d. 5. n. 9.
Oleo incendium non extinguitur. ib. n. 10

Onus.

Qui sentit onus sentire debet & commodum. T. 47. d. 3. n. 4.
Rationi congruit, vt succedat in onere, qui substituitur in honore. ib. n. 5.
Beneficium datur propter officium. ibid.
Multæ manus onus leuius reddunt. T. 49. d. 9. n. 5.

Opinio

Opinionum æquè probabilium sequi licet alteruträ. T. 32. d. 1. n. 1.
In dubiis tutior pars est eligenda. ib. n. 2
Opinionibus prudentum assentiendum, vt demonstrationibus. ib. n. 3
Opinio vehemens & stabilis

Digitized by Google

videtur certa. ib. n.4
Non omne id est probabile, quod videtur probabile, ib. n. 5.
Opinio, in quam omnes consentiunt, vix potest esse vana. num. 7.
Opinionem sequitur fides. ibid.

Oppositæ.

Oppositorum eadem est disciplina. T.65.d.1.n.1.
Oppositorum oppositi sunt effectus. ibid. n. 2.
Nulla opposita possunt simul reperiri in eadem re. nu.3.
Nulla opposita de eadem re possunt simul affirmari. nu. 5.
De quocunque affirmatur alterum oppositorum, negatur alterum. nu. 6
Maiori bono maius malum opponitur, ib. n. 7
Id est melius, cuius oppositum est peius. ib.n.8
Quod operatur propositum in proposito, idem operatur oppositum in opposito. ibid. d.5. n.2.

Opus, operari.

Quilibet artifex naturaliter diligit suum opus. T. 16. d. 6. n. 2.
quidquid non est aptum esse sine alio, non est aptum operari. T. 34. d. 2. n. 4.
Ab eodem res habet esse & operari. ibid. n. 5.
Animal vigilans semper laborat. ib. d. 4. n 5.
Ex operationibus cognoscitur potentia. ib. n. 11.
Vbicunque sunt operationes specie distinctæ, ibi & potentiæ, ib. n. 12.
Operantis artificium cognoscitur ex operatione. T. 36. d.3. n.4.
Vide, *Actio, agens, Efficiens, Effectus.*

Ordo.

Ordo est habitudo ad vnum primum. T.61.d.5.n 3
Omnium rerum est ordo. ib. n. 2.
Ordo est rerum omniũ parens & præsidium. ibid.
Ordo est causa pulchritudinis & stabilitatis. ibid.

Otium.

Satius est otiosũ esse, quàm nihil agere. T. 49.d.9.n.8.
Principem non decet solidam dormire noctem. ibi. nu. 9.
Radix desperationis est ignauia. ibid. n 12.
Pigritia est nutrix egestatis. num. 13.
Corpus sine motu putrescit. nu. 14.
Vide, *Labor, & Motus.*

Panis.

Panis est alimentum alimentorum. T.35.d.2.n 4
Vide, *Alimentum, & Nutritio.*

Digitized by Google

Parens. Vide, *Generans, filius, Nobilitas.*

Pars.

Omnis pars eſt propter ſuũ totum. T. 21. d. 10. n. 4.
In toto partem non eſt dubium contineri. ibid. n. 5.
Pars ſe habet ad totum, ſicut materia ad formam. n. 6.
Omnis pars turpis eſt, quæ non congruit ſuo toti n. 7
Pars ignobilior eſt propter nobiliorem. n. 8.
Eadẽ eſt ratio totius & partium. ib. n. 11
Partes, niſi ſeorſim ponantur, non ſunt in loco, ſed in toto. Tit. 61. d. 3. n. 9.

Parvus.

Parui corpore acuti ſunt mente. T. 21. d. 8. n. 3.
Ea plus habent admirationis quæ molis minimum. ib. n. 6.
Rerum natura nunquã magis, quam in minimis tota eſt. ibid.
Homogenea non diuiduntur ad minimum. ib. d. 5. n. 5.
Multa parua ipſum ſunt magnum. ib. d. 11. n. 5.

Paſſio generatim.

Actio eſt paſſio quæ in omni operis perfectione requiritur. T. 48. d. 3. n. 1.
Vnumquodque agit, ſecundum quod eſt actu. ib. n. 4.
Vnumquodque patitur, ſecundum quod eſt potentia. ibid.
Vbicunque eſt paſſio, ibi imperfectio. ib. n. 6
Omnis paſſio abiicit à ſubſtantia. ib. n. 7
Vide, *actio.*

Paſſio & perturbatio animi.

Paſſiones ſunt ſeminaria boni & mali. T. 51. d. 2. n. 2.
Omnis paſſio inclinat cum impetu in obiectum. ib. n. 3.
Paſſio appetitus cauſat in corpore tranſmutationem. n. 4.
Paſſiones omnes in lætitia finiunt, vel dolore. n. 5.
Virtutis eſt, dolere, & lætari, vti oportet. n. 6.

Paſſionum cauſæ.

Paſſionum cauſæ à corporis diſpoſitione pendent. ib. d. 3. n. 1.
Paſſiones naſcuntur ex opinione. ib. n 2.
Affectus animi ſequũtur apprehenſionem phantaſiæ. n. 3.
Motuũ diuerſitas ex diuerſitate complexionum gignitur. n. 4.

Homines non pati, niſi à ſeipſis.

Nemo læditur, niſi à ſeipſo. ib. d. 4. n. 1.

Digitized by Google

Nihil patitur à ſeipſo. ibid.
Homines non rebus turbantur; ſed iis, quas de rebus habent, opinionibus. ib. n. 2.
Omnis inordinatus animus ſuaipſius ſibi pœna eſt. ib. n. 3.
Damnũ, quod quis ſua culpa ſentit, ſibi debet, non aliis imputare. n. 4.

Paſſiones domanda.

Quælibet virtus affectus animi prærequirit ſedatos. ib. d. 5. n. 1.
Ibi pax eſſe non poteſt, vbi non eſt ſubiectio repugnantium. ib n. 2.
Anima quieſcens, fit ſapiens. n. 3.
Conturbatus animus non eſt aptus ad exequendum munus ſuum. n. 4.
Affectum & cogitationes in quiete & ſtatu ponere, id ſcire eſt, & ſapere. ibid.

Patientia.

Patientia eſt galea virtutum. T. 29. d. 6. n. 1.
Omnis, qui ſe præſtare ceteris ſtudet, iniuriarum meminiſſe non debet. ib. n. 3.
Iniurias contemnere nobiliſſimum victoriæ genus eſt ib n. 3.
Fulgentiſſima victoria eſt, vincere patiendo. ib. n. 4.
Patientia, martyrii genus eſt. ib. n. 5
Patientia vincit omnia. ib. n. 6.
Patientia vincit, non colluctando; ſed ſufferendo. ib. n. 7.
Impatiens, dum pati recuſat, non ſe liberat à malis; ſed ea facit grauiora. ibid. n. 8.

Paupertas.

Animi elatio paupertate domatur. T. 47. d. 5. n. 3.
Affatim diues eſt, qui cum Chriſto pauper eſt. ib. n. 8.
Vide, *Diuitiæ, & Pecunia.*

Pax.

Bellum geritur, vt in pace viuatur. T. 33. d. 6. n. 6.
Ibi pax eſſe non poteſt, vbi non eſt ſubiectio repugnantium. T. 52. d. 5. n. 2.
Nulla pax regni ſociis. T. 65. d. 4. n. 2.
Vide, *Concordia.*

Peccatum.

Omne peccatum eſt voluntarium. T. 55. d. 3. n. 1.
Peccatum adeo eſt voluntarium, vt ſi nõ ſit voluntarium, non ſit peccatum. ib. n. 2.
Nemo peccat inuitus. ibid. n. 3.
Concupiſcere naturale eſt: at malè concupiſcere voluntarium. ib. n. 4.
Non nocet ſenſus, vbi non eſt conſenſus. ibid.
Nemo tenetur ad culpam,

Digitized by Google

nisi propria voluntate deflexerit. nu. 5.
Delictum personæ redundare non debet in detrimentum Ecclesiæ. n. 6
Facientem & consentientem par pœna constringit. n. 7.
Omne peccatum est mendacium. n. 8.
Ab impiis egredietur impietas. n. 9.
Præstat millies mori, quam Deum vel leuissimè offendere. n. 10.
Initium salutis est notitia peccati. n. 11.
Initium operum bonorum confessio est operum malorum, n. 12.
Non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum. ibid. n. 13.
Peccati venia non datur, nisi correcto. ib. n. 4.

Pecunia.

Pecuniæ obediunt omnia. T. 47. d 5. n. 1.
Munera excœcant oculos sapientum. ib d.
Non est census in crimine; sed affectus ib. n 9.
Vbi amici, ibi opes. T. 58. d 4 n 3.
Tolerabilius est, viuere sine pecunia, quam sine amicis. ib. n. 4.
Habere amicum, bonum est præstantissimum. ibi.
Vide, *Amicitia*, *Diuitiæ*, *Paupertas*.

Perfectio, Perfectum.

Perfectum est, cui nihil deest. T. 6. d. 2. n. 1.
Bonum & perfectum conuertuntur. ib. n. 2.
Perfectum est, quod habet omnia. ib. n. 3
Ens simplicius est perfectius. ib. n. 4.
Omnia nascuntur imperfecta. ibid. d. 3. n. 2.
Imperfecta sunt priora perfectis. ib n. 2.
Imperfectum est inchoatio perfecti. nu. 3.
Arduia sunt rerum magnarum principia. ib. n 4.
Omne imperfectum est propter perfectius. ib. n. 5.

Studium perfectionis.

Omne imperfectum appetit sui perfectionem. Tit. 6. d 4. n. 1.
Id cuique bonum est, vnde perficitur. ibid, nu. 2.
Omne ens prius in hoc propendet, vt seipsum perficiat, quam vt aliud. ibid n. 3.
Tum vnumquodque perfectum est, cum attingit propriam virtutem. ib. nu. 4.
Quo res est futura perfectior, eo plurium indigentior. num. 5.
Perfectio cuiusque rei est difficillima. nu. 6.

Digitized by Google

Perfectio in ordine ad Operationem.

Perfectum est, quod sibi simile potest generare ib. d. 5 n. 1.
Satius est vnum facere insigniter, quàm multa mediocriter. ib. n. 2
Agere multa rectè, & sæpe difficile est. ibid.
Impar inuenitur ad singula, qui confusa mente diuiditur ad multa. n. 4.
Perfectissimo Enti debetur perfectissimus modus agendi. n. 5.
Sicut se res habet ad esse, ita ad operari. ibid.

Periculum.

In via præcipiti periculosus est lapsus. Tit. 25. d. 9. n. 9.
Malo modo malus quærendus est cuneus. ib. n. 10
Nunquam periculum sine periculo vincitur. ibid.
Maior est animus inferenti periculum, quam propulsanti. ib. d. 11. n. 6.
Tueri se infirmioris est, inuadere fortioris. ibid.
Furiosorum est, nihil metuere. T. 29 d. 3. n 1.
Fortes non sunt, qui ira vel furore in periculum ruũt. ibid.
Fortitudo est considerata periculorum susceptio & laborum perpessio. ibid. d. 2. n. 1.
Perseuerantia, Vide, *Constantia, Fortitudo, Magnanimitas.*

Philosophia.

Philosophia est cognitio rerum, vt sunt. T. 31. d. 1. nu. 1.
Philosophia est mortis contemplatio. ib. n 2.
Philosophia dominatur fato. n. 3.
Philosophia est præstantissimum animi humani bonum. n. 4.
Philosophiæ imperitus nec se scit, nec aliquid aliud. n. 5.
Philosophia mirabiles parit voluptates. n. 6.
Philosophari nõ potest animus curis occupatus. n. 7.

Physica.

Physica est secunda Philosophia. T 31. d. 4. n 1.
Si non essent substantiæ immateriales Physica esset prima Philosophia. n 2.
Medicina incipit, vbi Physica desinit n. 3.
Sanitatis & ægritudinis principia cognoscere Naturalis est. n. 4.
Vide, *Medicina*

Pietas.

Pietas est virtus, qua parentibus, sanguine iunctis, & patriæ cultus debitus exhibetur. T. 27. dist. 1. nu 5.
Pietas est caput omniũ virtutum. ib. n. 4.
Vna custodia pietas. ib. n. 8.

Pium virum non malus genius, non fatum ipſum deuincit. ibid.
Nulla vis maior pietate vera. ib.n.9
Rectè nouit viuere, qui rectè nouit orare. ib. n.10.

Planta.

Plantarum genus primum eſt genus animātium. Tit. 18. d. 5. n. 1.
Planta non eſt propter plātam; ſed propter animal. ibid. n. 2.
Plantæ montanę magis ſunt medicinales. ibid. n. 3.
Plantæ omnes ſine cultu ſylueſcunt. ib. n. 4.
Non conualeſcit planta, quæ ſæpius transfertur. nu. 5.

Pœna.

Bona bonis euęniunt, malis mala. Tit. 49. d.1. n. 1.
Fœcem improbitatis bibunt impij. ib. n.2.
Dii laneos habent pedes; ſed ferreas manus. ibid.
Per quæ quis peccat, per eadem torquetur. n.3
Supplicium ſceleris eſt in ſcelere. ib. n.4
Non eſt grauius ſupplicium odio publico. n. 5.
Omnis inordinatus animus ſibi ipſi eſt pœna. ibid. d 2. n. 2.
Nemo puniendus eſt ſine cauſa. Tit.5.d 7 n.6.
Pœna communis eſt latroni & martyri; ſed cauſa diſpar. Tit. 29. d. 2. n. 4.
Facientem & conſentientem par pœna conſtringit, Tit. 55.d.3.n.7.

Politica.

Politica ordinat reliquas artes. T.31.d.7 n.6.
Politica maximè omnium dominatur. ib. n.7.
Finis Politicæ continet omnium facultatum fines. ib. n.8.
Finis Politicæ eſt optimus in rebus humanis. ibid.
Quiſquis in re ciuili intelligens haberi vult, illi opus eſt experientia. ibid. d. 6. n. 6.
Vide, *Prudentia gubernatrix.*

Poſſeſſor.

In pari cauſa melior eſt conditio poſſidentis. Tit. 47. d. 4. n. 1.
Non tutò poſſidetur, quod ab omnibus concupiſcitur. ib. n.4.
Malè parta, malè dilabuntur. num 6.
Vide, *Præſcriptio.*

Poſſibile.

Quidquid non implicat cōtradictionem, poteſt fieri per abſolutam Dei potentiam. T. 34. d.6. n. 1.
Quidquid implicat contradictionem eſt impoſſibile per abſolutam Dei potentiam. ib. n. 2.

Digitized by Google

Quod non decet Deum, id Deo eſt impoſſibile. ibid. n. 3.
In myſterio prorſus ſupernaturali ratio facti eſt potentia facientis. ib. n. 4
Illud eſt impoſſibile, quod nunquam fieri potuit. ib. n. 5.
Nemo tenetur ad impoſſibile. n. 6.
Poſito poſſibili in actu, nullum ſequitur incõueniens. T. 34. d. 9. n. 12.
Poſſibile eſt illud, quo poſito in eſſe, nihil ſequitur impoſſibile. ib. n. 13.

Potentia generatim.

Omnis potentia fundatur in aliqua eſſentia. T. 34. d. 2. n. 1.
Qualis eſt eſſentia rei, talis & potentia. ib. n. 2.
Qualis eſt potentia rei, talis etiam eſt actus. ibid num. 3.
Omnis creatura, ſicut eſſẽtiam, ita & potentiam habet finitam. n. 7.
Potentia rerum explicatur per maximum, quod ſic. n. 8.
Impotentia rei explicatur per minimum quod non. nu. 9.
Non omnia poſſumus omnes. n. 11.
Quidquid poteſt virtus inferior, poteſt etiam ſuperior. ib. d. 3. n. 2

Potentia ſpeciatim.

Potentia libera poſitis omnibus ad agendum requiſitis poteſt agere & non agere. diſt. 1. n. 3.
Potentiæ rationales ſe habent ad oppoſita. nu. 4.
Potentia naturalis poſitis omnibus ad agendum requiſitis agit neceſſariò. nu. 5.
Potentiæ irrationales determinatæ ſunt ad vnum. num 6.
Omni potentiæ actiuæ naturali reſpondet paſſiua proportionata. n. 7.
Omni potentiæ paſſiuæ reſpondet actiua proportionata. n. 8.
Omnis potentia actiua perficit paſſiuam. n. 9.

Potentia in ordine ad actum.

Fruſtra eſt potentia, quæ non reducitur ad actum. ibid. d. 4. n. 1.
Fruſtra dicimus calceamentum, cuius non eſt calceatio. n. 2.
Potentia Dei ſuiipſius eſt, non actuum. n. 3.
Eſſe in actu præſtantius eſt, quàm eſſe in potentia ib. nu. 4.
Si Deus non eſſet in actu, non eſſet Deus. ibidem. nu. 5.
Animal ſemper laborat. ibid. n. 6.

INDEX.

Actus est perfectior sua potentia. num.8.
Esse in actu melius est, quam esse in potentia in bonis: non verò in malis. ib. n.7.
Potentia præcedit suum actum. num.9
Actus & potentia sunt eiusdem generis. ibid.
Eius est actus cuius est Potentia. nu.10.
Ex actibus cognoscitur Potentia. ibid.
Vbicunque sunt actus adæquati distincti ibi & Potentiæ. ibid.

Potentia in ordine ad obiectum.

Obiecta mouent potentias. ib. d.5.n.1.
Potentiæ specificantur per actus & obiecta. n.2.
Potentia superior respicit vniuersaliorem rationem obiecti, quam Potentia inferior. nu.3.
Obiectum Potentiæ realis est reale. nu.4.
Quod circa præstantiorem materiam versatur, aut certiùs eam attingit, præstantius est. n.5.
Nullà Potentia versatur extra suum obiectũ. n.6.
Omnis potentia potest percipere suum obiectũ. n.7.

Præceptum.

Vbi consilium datur, offerentis arbitrium est, vbi præceptum, necessitas est seruientis. T.60.d.1.n.1.
Præceptum exspirat cum morte præcipientis. ibid. n.2.
Longum iter est per præcepta, breue & efficax per exempla. ib.d.2.n.3

Prædicatio.

Cum quippiam de quopiam prædicatur, vt de subiecto, ea quæ de prædicato dicuntur, dicuntur etiã de subiecto. T.54.d.8.n.1
Cum quippiam de quopiam prædicatur, vt de subiecto, ea, quæ de prædicato negantur, negantur etiam de subiecto. n.2.
Quidquid vniuersè affirmatur de subiecto, affirmatur de quouis contento sub illo. ib.n.3
Dici de omni. n.4.
Esse in toto. n.5.
Quidquid vniuersè negatur de subiecto, negatur de quouis contento sub illo. ib.n.6.
Dici de nullo. n.7
Esse in nullo. ibid.
Quædam dicuntur de subiecto, & non sunt in subiecto. ibid. n.9.
Quædam sunt in subiecto, & non dicuntur de subiecto. ib. n.10.
Quædam dicuntur de subiecto & sunt in subiecto. ib. n.11.
Quædam nec sunt in subiecto, nec dicuntur de subiecto. n.12. Subiecta stant materialiter. ib.n.13

Incre-

Digitized by Google

Incrementum prædicati sequitur incrementum subiecti. n.14
Essendi modi proportionales sunt modis prædicandi. n.17.

Præmium.

Nemo meretur præmium, nisi per actum bonum. T.5. d.7. n.5.
Probos mores sua præmia non deserunt. Tit 56. d.1. n. 1.
Virtus est bonarum rerum conciliatrix. ib. n.2.
Vna res virtus est, quæ nos immortalitate donare possit. ibid.
Maiori virtuti maius debetur præmium. ib. n.3.
Ad magna præmia per magnos venitur labores. n.4.
Sera præmia sunt magnifica. T 57. d. 2. n. 5.

Præscriptio.

Possessor malæ fidei nunquam præscribit. Tit.60. d. 5. n 4.
Non firmatur tractu temporis, quod ab initio de iure non subsitit. n. 5.

Princeps.

Princeps se habere debet ad subditos, sicut pastor ad oues. T. 25. d. 6. n.1.
Boni Pastoris est, tondere oues, & non deglubere. ib. n. 2.
Apum Principes minimè irritantur & feriunt. ibid. n 4.
Nihil tam vtile, quàm amari. ib. n. 6.
Nihil tam inutile, quam odio haberi. ib. n. 7
Vnum & inexpugnabile munimentum est amor ciuium. n. 8.
Reges à ciuibus custodiuntur, Tyranni à mercenariis externis. ib. n. 9
Regis obiectum est honestum, Tyranni quod placet. n.12
Reges volentibus, Tyranni dominantur inuitis. n.13.
Regum omnium non vnus est modus potestatis. nu.14.
Vide, V. *Imperator*, & C. *Prudentia gubernatrix.*

Principium generatim.

Principium est primũ, vndè aliquid est, aut fit, aut cognoscitur. Tit.1. d. 1. n. 1.
Omne principium prius est suo principiato. ibid. d. 2. n.1.
Quidlibet cognoscitur, dum in sua principia resoluitur. ib. n.2.
Cognitionis certitudo ex certitudine principiorum dependet. n. 3.
Diuersorum diuersa sunt principia. n. 4.
Eiusdem rei non debent esse plura principia. n. 5.

Valor, Principia.

Principium cuiuisque rei maximum est. ib. d. 3. n. 5.

Principia mole parua, virtute sunt magna. ib. n. 2
Principium est operis totius dimidium. n. 3.
Principium plus quàm dimidium totius esse videtur. n. 4.
Principia complexa per se nota.
Principia sunt tanquam locus ostij in domo, quẽ nemo ignorat. ib. d. 5. n. 1.
Impossibile est, arbitrari oppositum eius, quod est per se notum. ib. n. 3.
Intellectus omnis est rectus. n. 4.
Notitia principiorum habetur ex terminis. n. 5.
Principia sunt, quæ non per alia; sed per se fidem habent. n. 6.
Principia alia inductione, alia sensu, alia assuetudine innotescunt. n. 7.
Contra negantes principia non est disputandum. ib. d. 7. n. 1.
Prima negantes principia difficilè sanantur. n 2
Omnis scientia supponit sua principia. n. 3.
Principiis Metaphysicæ sublatis, tolluntur omniũ scientiarũ principia. n. 4.
Cognitio nulla certior cognitione principiorum. n. 5.
Vsus eorum in scientiis.
Omnis scientia habetur per aliqua principia per se nota. ib. d. 5. n. 8
Scientiæ procedunt ex propriis. ib. d. 6. n. 1
Diuersæ scientiæ procedunt ex diuersis principiis. ib. n. 2.
Omnes scientię conueniunt in iis, quæ sunt communia. n. 3.
Omnes scientiæ dignitatibus vtuntur. ib. n. 4
Communia primum, dein singula considerandasũt. ib. n. 5.
Principium in speculatiuis se habet, vt finis in practicis. ib. n. 6
Omnis scientia virtute continetur in suis principiis. n. 7.
Philosophia omnibus scientiis principia subministrat. n. 8.
Priuatio.
Priuatio non cognoscitur, nisi per habitum oppositum. T. 65. d. 6. n. 1.
Rectum est sui obliqui index. n 2.
Priuatio est per se non ens. n. 3.
Habitus & priuatio sunt circa idem. n. 4.
Priuationis, vt priuatio est, nulla est differentia. n. 5.
A priuatione ad habitũ non est regressus. n. 6.
Omnis contrarietas habet priuationem alterius contrarij. n. 7.
Habitus & priuatio sunt prima contrarietas. n. 8.
Contrarietatis principium

Digitized by Google

eſt oppoſitio priuationis & habitus. ib. d. 7. n. 4.

Priuilegium.

Lex bonum commune reſpicit, priuilegium priuatum. T. 60. d. 2. n. 3.
Quod alicui gratiosè conceditur, trahi non debet ad exemplum. ib. d. 3. n. 1

Prius & Poſterius.

Quod eſt prius priore eſt etiam prius poſteriore. T. 62. d. 5. n. 1.
Quod eſt poſterius poſteriore, eſt etiam poſterius priore. ib. n. 2
Omne poſterius dicit ordinem ad prius. n. 3.
Omne prius dicit ordinem ad poſterius. ibid.
Poſterius non poteſt eſſe, ſine priore. n. 4.
Vbicunque eſt perpetua duorum reciprocatio, ibi neutrius in tempore præceſſio. n. 5.
Inter prius & poſterius natura non valet conuertentia. n. 6.
Poſterius non tollit naturam prioris. ibid.
Qui prior eſt tempore potior eſt iure. ib. n. 7
Mora ſua cuilibet eſt nociua. n. 8.
Parum quod diſtat nihil diſtare videtur. n. 9.

Prodigus.

Vide, *Auaritia, & auarus.*

Proditio, Proditor.

Proditio placet, diſplicet proditor. Tit. 26. d. 7. nu. 8.

Promiſſio. Vide. *Fidelitas.*

Proportio.

Proportio eſt optima rerum conciliatrix. T. 46. d. 4. n. 3.
Finiti ad infinitum nulla eſt proportio. ib. n. 4
Qualis eſt proportio partis ad partem, talis eſt totius ad totum. ib. n. 5
Totum vt ſe habet ad totum, ita ſingulæ partes, ad ſingulas partes. n. 6.
Vt ſe habet ſimpliciter ad ſimpliciter, ita maius ad maius. n. 7.
Sicut vnum ſe habet ad vnum, ita duo ad duo. n. 8.
Sicut totum ſenſibile ſe habet ad ſenſum, ita totum intelligibile ad intellectum. n. 9.

Proprietas.

Proprium innaſcitur ſpeciei. T. 19. d. 3. n. 13.
Vbicunque ſunt proprietates eiuſdem ſpeciei, ibi & eſſentiæ. T. 34. d. 7. n. 1
Vna ſpecie proprietas non manat ex gradibus eſſentiæ ſpecie diuerſis. ib. n. 2.
Ex proprietatibus cognoſcitur eſſentia. n. 3.
Proprietas ſpecifica nobilior eſt, quã generica. n. 4.
Proprietas ſeparabilis eſt à ſubiecto, quoad realitatẽ,

bon quoad conuenientiam. n. 5.
Quod propriium est melioris rei melius est, quàm quod deterioris. n 6
Quod magis proprium est rei, eidem est melius. n. 7.
Qui tollit proprietates tollit essentiam. T. 19. d. 2. nu. 2.
Omnes gentes habent sicuti peculiaria mala, ita etiam peculiatia bona.

Prudentia generatim.

Prudentia est habitus agendi vera cum ratione circa ea, quæ homini bona sunt, vel mala. T. 25. d. 1. n. 1.
Prudentia est primus fons officii. ib. d. 2. n 1.
Prudentia est lucerna corporis nostri. ibid.
Prudentia est regula virtutum moralium. ib. n. 2.
Prudentia est forma virtutum moralium. n. 3.
Principium formale virtutis est bonum rationis. n. 4.
Prudentia est mater fortitudinis. nu. 5.
Prudentia potest falli speculatiuè non practicè. num 6.
Nemo est prudens, nisi qui est bonus. ib. d. 3. n. 1.
Bonam vitam scientia perfecta efficit. ib. n. 2.
Qui moderatur sermones suos, doctus & prudens est. num. 3.
Custos prudentiæ est Temperantia. n. 4.
Intemperantia corrumpit æstimationem prudentiæ. n. 5.

Prudentia gubernatrix.

Prudentia est virtus propria eorum, qui aliis præsunt. ib. d. 4 n. 1.
Virtutem perfectam habere debet, qui imperat. ib. n 2.
Beata est Resp. cui dominatur princeps sapiens. nu. 3.
Finis Politicæ est feliciter viuere. ibid.
Integritas præsidentium salus est subditorum. n. 4.
Ad Regis exemplum orbis componitur. n. 5.
Simia est in tecto Rex, fatuus in solio. n. 7.
Gubernatio bona plura requirit, quam leges & litteras. ib. d. 5. n. 2.
Optimatum gubernatio sæpe mutatur. ib. d. 7 n. 4.
Principatuum pluralitas nó est bona. ib. n. 5.

Puer.

Pueri magis sequuntur ea, quæ vident, quam, quæ audiunt. Tit. 40. d. 2. n. 7.
Puerilis delectationis velox est transmutatio. T. 53. d 4. n. 11.
Puer potest esse Mathematicus: Sapiens esse non potest. Tit. 31. d. 3. nu. 4.

Digitized by Google

Vide, *Adoleſcẽs, ætas, ſcientia.*

Punctum.

Punctum eſt, cuius pars nulla eſt. T. 21. d. 6. n. 1.
Ex quolibet pũcto ad quodlibet punctum duci poteſt linea. ib d. 7. n. 5.
Puſillanimitas. Vide, *Magnanimitas & Superbia.*

Qualitas.

QValitas eſt, qua quidam dicuntur quales. Tit. 21. d. 1. n. 1.
Qualitas eſt perfectiua ſubſtantiæ. ib. d. 2. n. 1.
Qualitas eſt forma ſubſtantiæ. ib. n. 2.
Subſtantia nobilior nobiliores habet qualitates. nu. 3.
Qualitas eſt nobilior quantitate. n. 4.
Qualitas formam conſequitur, quantitas materiam. nu. 5.
Quale eſt poſterius qualitate. n. 6.
Quale nobis eſt notius qualitate. nu. 7.
Omnis prima qualitas magis eſt actiua, quam eius contraria ſit reſiſtitiua. T. 43. d. 1. n. 4.

Quantitas generatim.

Quantitas ſequitur materiam, qualitas formam. Tit. 21. d. 2 n. 1.
Quantitas aſſimilatur materiæ, qualitas formæ. ibid. n. 2.
Quantitas non eſt de genere actionum. n. 3.
Quantitas non recipitur in ſubiecto ſpirituali. n. 4
Quantum numerabile multitudo eſt, menſurabile magnitudo. n. 5.
Omne quantum eſt diuiſibile. ib. d. 3. n. 1.
Magnitudo eſt id, quod in continua eſt diuiſibile. nu. 2.
Multitudo eſt id, quod in non continua eſt diuiſibile. n. 3.
Omne quantum eſt æquale, alteri, vel inæquale. d. 4. n. 1.
Omne quantum vel eſt finitum vel infinitum. d. 5. n. 1.

Quantitas longa, lata, & profunda.

Linea eſt quantitas vnius dimenſionis. ibid. d. 7. nu. 1.
Linea eſt longitudo latitudinis expers. n. 2.
Superficies eſt quantitas duarum dimenſionum. ibid.
Superficies eſt, quæ latitudinem & longitudinem tantum habet. ibid.
Linea in latum eſt indiuiſibilis, ſuperficies in profundum. ib. n. 3.

Linea prior est superficie. nu. 4.
Longitudo prior est latitudine. ibid.
Omnis linea & in se, & in quamuis aliam duci potest. n. 5.
Nulla dies sine linea. n. 6.
Corpus est quantitas trinæ dimensionis. ibid. d. 8. n. 1.
Corporum penetratio non datur naturaliter. ibid. nu. 2.
Corpora duo impossibile est esse simul. n. 3.

Quies.

Quod est aptum moueri, idem & quiescere. T. 49. d. 10. n. 1.
Natura est principium motus & quietis. ibid.
Quod est aptum quiescere, idem & moueri. ibid.
Quies omnis est in tempore. ib. n. 2.
Animalia conseruat requies. n. 3.
Humana omnia ad operandum assiduè sunt imbecilla. n. 4.
Animorum impetus assiduus labor frangit. n. 6.
Animalia, quæ nimis laborant, minus viuunt. nu. 8.
Quies est summum remedium membri affecti. nu. 9.
Anima quiescens fit sapiens. T. 52. d. 5. n. 3.

Recreatio.

Requies & ludus in vita videntur necessaria. T 49. d. 10. n. 5.
Arcus semper intensus rumpitur. ib. n. 7.
Iucundissima est nauigatio circa terram, ambulatio circa mare. n. 8.
Vide, *Delectatio*, *Quies*, *Violentum*.

Relatio, Relatum.

Relatio prædicamentalis est accidens reale, cuius totum esse est, ad aliud esse. Tit. 46. d. 2. n. 1.
Relata sunt simul. natura. ib. n 2.
Relata dicuntur ad ea, quæ conuertuntur. n 3.
Vno relatiuorum definitè cognito, alterum quoque definitè cognosci necesse est. nu. 4.
à Relatione non denominatur aliquid, quasi extrinsecus existente: sed inhærente. nu. 5.
Quod in vnoquoque relatiuo est ratio fundandi propriam relationé, idem est ratio terminandi alteram correlationem. n. 6.

Religio.

Religio est virtus, quæ Deo exhibet cultum tanquam primo rerum omnium principio. T. 27. d. 1. n. 3.
Deus colitur fide, spe, & charitate. ib. n. 1.

Digitized by Google

Sacrificium est omne opus bonum, quod geritur vt in sancta societate Deo inhæreatur. n.2.
Optimus animus perfectissimus Dei cultus est. ib n.6.
Fulcrum imperiorum est religio & pietas. n.7.
Vide, *Pietas*.

Reminiscentia.

Nullum animal reminisci præter hominem potest. T.40.d.3.n.5.
Non reminiscimur post mortem. ib.n.2.
Vide, *Memoria*.

Repugnantia.

Nulla repugnantia possunt simul reperiri in eadem re. Tit.65.d.1.n.4.
Vide verbo, *Oppositæ*.

Sanguis.

SAnguis est vltimum alimentum animalis. T.35. d.2.n.3.
Sanguinis copia caloris indicium est. ibid.

Sanitas.

Corpora sana permultos ferunt errores. Tit.43. d.2.n.2.
In corpore affecto facilis est offensio. ib.n.1.
Corpus & anima sibi inuicem compatiuntur. ib. d.3.n.1.
Melior est animi æquitas, quàm corporis sanitas. ib.n.3.
A sanitate in anima fit sanitas in natura. T.53.d.4. n.19.

Sapientia.

Sapientia est rerum humanarum & diuinarum scientia. Tit.31.d.5.n.3.
Signum sapientis est, posse docere. ib.n.4.
Occultæ musices nullus respectus. n.5.
Sapientis est loqui sententias. n.7.
Sapientis est ordinare, & non ordinari. n.8
Quando vita contemnitur etiam doctrina vilipenditur. ib.n.9.
Sapientis est, non disceptare de nominibus. n.10
Sapientia non inest homini à natura. n.11.
Sapiens sit alius ab alio. ib. d.6.n.1.
Vbi fuerit humilitas, ibi & Sapientia. n.2.
Id sapit quisque, quod quisque didicit. n.4.
Auloedus sit, qui Cith. zœdus esse non potest. ib.n.5.
Nemo mortalium omnibus horis sapit. n.6.
Serò sapiunt Phryges. n.7.
Accepto malo sapiunt stulti. n.8.
Euentus stultorum Magister est. ibid.
Feliciter is sapit, qui alieno periculo sapit. n.9.
Vir sapiens vates est optimus. n.10.

Satisfactio.

Modus satisfaciendi sequitur modum essendi. T. 11. d. 3. n. 5.

Scientia. Scire.

Scientia est cognitio rei per causam. T. 30. d. 2. n. 1.

Scire est rem per causam cognoscere. ib. n. 2.

Nihil scitur, sine causa. n. 3.

Indisciplinati est, quærere causam, vbi causa non datur. ibid.

Omnis homo naturaliter scire desiderat. ib. d. 3. n. 1.

Addiscere omnibus hominibus est iucundissimum. ib. n. 3.

Scientia non habet oforem, nisi ignorantem. n 4.

Quomodo gignatur Scientia.

Omnis doctrina, omnisque disciplina διανοητική, ex præcedente fit cognitione. ib. d 4. n. 1

Ignota per nota nobis innotescunt. ib. n. 2.

Quidquid constat, vel sensu constat. vel ratione, vel reuelatione. n. 3.

Omnis nostra scientia pendet à sensu. n. 4.

Vniuersalissima sunt nobis cognitu difficillima. n 5

Varietas scientiarum à natura prognata est. ib.

Cuiusque facultatis perfectio naturâ, disciplina, & exercitatione cõparatur. ib. d 6. n. 7.

Docilis ab alio, solers sit sapiens à seipso. ib. n. 18

Scientia obiectum.

Vnius vt vnũ, vna est scientia. ib. d. 7. n. 1

Obiectum materiale est cõmune scientiis, formale non item. n. 2.

Omnis scientia supponit suum obiectum. n 3.

Quod non est, nullus scit. quod quid est. ibid.

De essentia habetur scientia definitiua, de proprietatibus demonstratiua. n. 4.

Non Ens non est scibile. ib. d. 8. n. 1.

Solum Ens reale est scibile. ib. n. 2.

Falsi non est scientia. n. 3.

Nihil scitur nisi verum n. 4.

De Accidentibus non est scientia demonstratiua. ib. n. 5.

Scientia est eorum, quæ aliter se habere non possunt. ibid. & n. 8.

De Ente per accidens non est scientia. ib. n. 6.

Scientia est de necessariis. ibid.

Obiectum scientiæ est Ens per se. n. 7.

Obiectum scientiæ est ingenerabile & incorruptibile. n. 9.

Sciẽtiæ omnes sunt vniuersales. n. 10.

Ipsum scibile est æternum. n. 11.

Scibile quod est, est demõstrabile. n. 12.

Sciens non est, qui non he-

Digitized by Google

bet causam, per quam res est n. 13.

Munia scientiæ.

Eiusdem scientiæ est, considerare totum & partes. ib. d. 9. n. 1.

Eiusdem scientiæ est, considerare finem, & ea, quæ sunt ad finem. ib. n. 2.

Eiusdem scientiæ est, considerare subiectum, & accidentia subiecti. n. 3.

Eiusdem facultatis est, verum & verisimile videre. n. 4.

Eiusdem scientiæ est, agere de eo, quod est tale, & quod videtur tale. n. 5.

Omnis scientia prius methodicè agit de extremis simplicibus, quam de compositis. T. 23. d. 10. n. 2

Scientiarum distinctio, & specificatio.

Scientiæ specificatur ab obiecto. T. 30. d. 10. n. 1.

Omnis scientia sumit nobilitatem suam ab obiecto. ib. n. 2.

Scientiæ subalternæ non faciunt numerum in scientiis. n. 3.

Omnis cognitio practica fundatur in aliqua speculatiua. n. 4.

Practicæ finis est opus, speculatiuæ veritas. n 5

Per speculatiuam scimus, vt sciamus, per practicam scimus, vt operemur. n. 6.

Intellectus extensione fit practicus. n. 7.

Scriptura.

Scriptura est liber sacerdotalis. T. 31. d. 8. n. 5

Verbum Dei est pharmacũ ad omnes animæ morbos. ib. n 6.

Verbũ Dei est manna cuiuslibet saporis. n. 7

In scriptura agnus natat & elephas mergitur. n. 8.

Seditio

Seditio oritur propter inæqualitatem. T. 25. d. 7. n. 6.

Senectus, Vide *ætas*.

Sensus, sentire.

Sentire commune est omnibus animalibus. T. 37. d. 1. n. 1.

Sensus recipit formas sine materia. ib. n. 2.

Quod à sensu percipitur, hoc agendo sensum mouet. n 3.

Sentire est quoddam pati. ib.

Vnus sensus vnius est oppositionis. n. 4.

Sensus fenestræ sunt animę. n. 5.

Nil nisi corporeũ cadit sub sensum. n. 6

Vt res agit in sensum, ita ab eo cognoscitur. d. 7. n. 1.

Sensus non decipitur circa proprium obiectum. n. 2.

Error sensuum ad æstimatiuam pertinet. n. 3.

Sensus & sẽsibile in actu necessariò sunt simul. n. 4.

Sensus & sensibilis idem est actus. ibid.

Sensus percipit sola præsentia. n. 5.

Digitized by Google

Sensus est singularium, intellectus vniuersaliū. n. 6.
Sola qualitatum exuperantia sentitur. ib. d. 3. n. 1.
Vehemens sensibile lædit sensum. n. 2.
Tangibilium exuperantia non modo sensum; sed & animal corrumpit. n. 3.
Sensus non delectatur extremis. n. 4.
Sensus vbi est, ibi & voluptas & dolor. Tit. 31. d. 2. n. 1.

Seruus.

Iure naturæ nemo seruus est, nemo Dominus. T. 47 d. 3. n. 1.
Quidam natura serui sunt, quidam Domini. ib. n. 2.
Quisque est sui iuris in iis, quæ pertinent ad statum vitæ. n. 3.
Vide, §. *Dominus.*
Nulla, seruitus turpior est, quam voluntaria. ibid. n 6.
Bonus etiamsi seruiat, liber est, malus etsi regnet seruus est. ibid.

Significatio.

Significatio totius orationis conflatur ex significationibus partium. T. 54. d. 5. n. 1.
Significationis potius quàm vocis habenda est ratio. ib. n. 2.
Vniuersalis enunciatio æquipollet aggregationi omnium suarum singularium. ib. n. 3.
Qui totum dicit, nihil excludit. ib. n. 4.
Particularis enunciatio æquipollet disiunctioni suarum singularium. nu. 5.
De æquipollentibus idem est iudicium. n. 6.

Similitudo.

Similia sunt, quorum qualitas est vna. T. 46. d. 3. nu. 1.
Similia dissimiliaque per qualitates solas dicuntur. ib. n. 2.
De similibus idem est iudicium. n. 3.
Quod in vno similium valet, valet & in cæteris. n. 4
Quod non valet in vno similium, non valet in cæteris. n. 5.
Quod rei melioris similius, id est melius. n. 6.
Omnis similitudo claudicat. ib. d. 4. n. 10.
Similitudo communior est, quam identitas. d. 5. n. 1.
Similitudo est causa deceptionis. n. 2.
Non tam ouum ouo est simile. n. 3.
Omne Ens enti comparatum aut est simile, aut dissimile. n. 5.
Singulare. Vide, *Individuum, & Vniuersale.*
Sitis. Vide, *Fames.*

Situs.

Situs est dispositio totius corporis consurgens ex vbicationibus partium. T. 61. d. 5. n. 1.

Digitized by Google

Diſpoſitio eſt ordo habentis partes. ib. n. 2.
Ordo eſt habitudo ad vnum primum. n. 3.
Omnia ordine cõtinẽtur. n. 3
Res naturales cõtiguæ ſunt inter ſe vſque ad cælũ ib.
Sobrietas. Vide, *Abſtinentia, & Temperantia.*

Sodalitas.

Improborum ſodalitas mater eſt flagitiorum. T. 57. d. 3. n. 8.
Vna ſcabioſa ouis totum gregem inficit. ibid.
Quales amicos quiſque habeat, talem ſcias. ib. n. 7.
Inter bonos bene agitur. ib. n. 9.
Vide, *Amicitia.*

Somnus.

Somnus eſt perfectiſſima quies animalis. T. 49. d. 10. n. 10.
Somnus eſt quies virtutum animalium, & labor naturalium. ib. n. 11
Somnus eſt otium animæ. n. 12.
Somnus eſt propter ſalutem animalium. n. 13.
Refrigeratio ſomnum conciliat. n. 14.
Somniculoſi ſemper grauantur capite. n. 15.
Spatium. Vide, *Finitum, Locus, Motus.*

Species.

Quælibet ſpecies generis perfectioris nobilior eſt qualibet ſpecie generis imperfectioris T. 3. d. 9. n. 4
Ex duabus ſpeciebus non componitur tertia. ibid. nu. 3.
Species ad inuicem non debent permiſceri. n. 4.
Species entium ſeſe habent, vt numeri. ib. n. 5.
De quocunque negatur genus, de eodem negatur & ſpecies. n. 6.
Omnis ſpecies includit in ſe genus ſuperius. n. 7.

Spes.

Spes eſt anchora vitæ Chriſtianæ. T. 33. d. 3. n. 1.
Spes eſt galea ſalutis. ibid. nu. 2.
Spes eſt primum remedium afflicti. n. 3.
Spes, quæ differtur, affligit animam. n. 4.
Chriſtiani hominis ſpes Chriſtus eſt. nu. 5.
In parietem caducum ne inclines. n. 6.
Fluuij ſurſum fluere non poſſunt. n. 7.
Qui ſpem non habet ad rem non perueniet. ib. nu. 8.
Nulla re magis, quam deſperatione deſipimus. nu.
In ſpe iucunda ſunt, quæ præſentia cum ſunt, prodeſſe vel oblectare videntur. T. 33. d. 2. nu. 3,

Digitized by Google

Subſtantia ſecundum ſe.
Solius ſubſtantiæ eſt definitio. T. 17. d. 2. n. 1.
Subſtãtia eſt ens per ſe ſubſiſtens. ib. n. 2.
Primæ ſubſtantiæ magis entia ſunt, quã ſecundæ. n. 3.
Genera & ſpecies ſubſtantiarum non ſunt ſubſtantiæ. n. 4.
Ablatis primis ſubſtantiis impoſſibile eſt, aliquid remanere. n 5.
Subſtantia non componitur ex non ſubſtantiis. n. 6.
Subſtantia non eſt per ſe ſenſibilis. n. 7
Nulla ſubſtantia eſt in ſubiecto. ib d. 4. n. 1.
Subſtantiæ nihil eſt contrarium. n. 2.
Subſtantia non ſuſcipit magis & minus. n. 3.
Omnis ſubſtantia eſt ſuſceptiua contrariorum. n 4.
Subſtantia in ordine ad accidens.
Ex accidentibus cognoſcitur ſubſtantia. ib. d. 3. n. 1.
Subſtantia eſt prior ratione, quam ſit accidens. nu. 2.
Subſtantia eſt prior cognitione, quam ſit accidens. n. 3.
Subſtantia eſt prior natura, quam accidens. n. 4.
Subſtantia eſt prior tempore, quam accidẽs. n. 5.
Nullum accidens inuenitur abſque ſubſtantia. ibid.
Aliqua ſubſtantia inuenitur abſque accidente. ibid.
Non oportet perdere ſubſtantiam propter accidẽs. nu. 6.
Superbia.
Superbia eſt radix omnium vitiorum. T. 28. d 6. n. 10.
Superbia eſt regina omniũ vitiorum. ib. n. 1.
Vide *Humilitas*.
Superficies. Vide *Quæſtitas*.
Suſpicio.
Omnis homo ex ſe æſtimat alterum. T. 32. d. 3. n. 1.
Facilius vitia cuiuſque, quàm virtutes intendimus. ibid. n. 2.
Suſpicio eſt venenum amicitiæ. n. 3.
Tolerabilius eſt, iudicare malos bonos, quàm bonos malos. n. 4.
Senes ſunt maximè ſuſpicioſi. n. 6.
Syllogiſmus.
Omnis ſyllogiſmus eſt argumentatio formalis. Tit. 54. d. 10. n. 1.
Quæcumque ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe. ib. n. 2.
Quæcũque non ſunt eadem vni tertio, nec ſunt eadem inter ſe. n. 3.
Omnis diſputatio ſit ex quibuſdam præſuppoſitis. n. 4
Cõcluſio ſequitur debiliorẽ partem antecedentis. n. 5.
Cõcluſio nõ deſtruitur, niſi deſtruantur præmiſſæ. n. 6
Arguere in contrarium non eſt ſoluere argumentum. nu. 7.

Digitized by Google

INDEX.

Demonſtratio, eſt ſyllogiſmus efficiens ſcientiam. d. 11. n. 1.

Tactus.

OMne animal præditum eſt ſenſu Tactus. T. 38. d. 5. n. 1.

Tactus fundamentum eſt ſenſuum aliorum. ib. n. 2.

Tactus eſt ſenſus temperamenti. ib. n. 3.

Tactus eſt ſenſus vitæ. n 4.

Tactus eſt ſenſuum viliſſimus. ib. n. 5.

Tactus homini eſt excellentiſſimus. n 6.

Tactus bonitas temperaturæ bonitatem arguit. n. 7.

Tanto inter homines homo eſt aptior mente, quanto eſt melioris Tactus. ib. n. 8.

Temerarium iudicium.

Semper temeritas noxia eſt iudicanti. T. 32. d. 3 n 5.

Vide, *Audacia, Conſilium, Suſpicio.*

Temperantia.

Temperati eſt appetere, quæ oportet, & ſicut oportet. T. 18. d. 2. n. 1.

Temperantia optimum eſt vitæ tuendæ medium ibid. n. 2.

Nemo morbo corripietur, qui cauerit accuratè cruditates. n. 3.

Studium ſanitatis eſt, comedere citra ſatietatem ib. n. 4.

Ordo eſt optima rei cõformitas cum natura. n. 5.

Temperantia omnium virtutum eſt fundamentum. nu. 6.

Intemperans adoleſcentia effœtum corpus reddit. n. 7.

Tempus generatim.

Nihil de tempore habetur niſi nunc. T. 62. d. 2. n. 1.

Præſens nullum habet ſpatium. n. 2.

Nunc nunquam eſt aliàs n. 3

Tempus eſt vnum. n. 4

Tempus eſt in omnibus. n. 5. quæ generantur & corrumpuntur, menſurantur à tempore. ib. n. 6.

Tempus potius eſt cauſa corruptionis, quam generationis. n. 7.

Duratio longa & brevis.

Diuturniora ſunt præſtantiora. ib. d. 3. n. 1.

Quod ſemper aut plurimum eſt vtile, melius eſt, quam quod aliquando. nu. 2.

Quod ſæpe fit, prope accedit ad ſemper. n. 3.

Non quærendum, quid ſemper fiat; ſed quid vt plurimum. n. 4.

Vna hirundo, non facit ver. num. 5.

Felicitas eſt operatio ſecundum virtutem perfectam in vita perfecta. n. 6.

Felices à miſeris, quoad vitæ dimidium nihil differunt. ib. n. 7.

Digitized by Google

Vnumquodque præstantius est eo tempore, quo maiorem vim habet. ibid.

Tempus præsens, præteritum & futurum.

Quod factum est, infectum fieri nequit. ib d. 6. n. 1.
Ad præteritum non est potentia. ib. n. 2.
Longè facilius est Deo reparare, quod fuit, quam creare, quod non fuit. n. 3.
Omne futurum necessariò futurum est. n. 4.
Omne quod est, dum est, necesse est esse. n. 5.
Omne, quod non est, dum non est, necesse est, non esse, n. 6.
Omne scitum à Deo est necessarium. n. 7.
Præscientia Dei non imponit necessitatem futuris contingentibus. n. 8.
Futura non ideo sunt, quia præsciuntur à Deo; sed ideo præsciuntur; quia futura sunt. ibid.
Futurum nobis incertum est n. 10.
Nondum sol omnium dierum occubuit. n. 11.

Terra.

Terra est sicci potius, quàm frigidi. T. 18. d. 3. n. 10.
Terræ medium & Vniuersi est idem. ib. n. 20
Grauissimum omnium est, quod est in medio. n. 21.
Terra est mater terrestriũ. nu. 21.

Theologia.

Theologia est rerum diuinarum Sapientia. T. 31. d. 8. n. 2.
Theologia & multa est, & minima. ib. n. 3.
Euangelium latum & magnum est, & iterum coarctum. n. 4.
Scriptura est substantia Sacerdotij nostri. n. 5.
Diuinæ natura credendo melius, quam disputando cognoscitur. n. 9.
Vnius diuinitatis tres esse personas, non qua ratione probetur; sed à quo dicatur animaduertẽdum est. n. 10.
Fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum. n. 11.

Timor.

Timor facit homines conciliatiuos. Tit. 53. d. 7. n. 1.
Timor virtutum custos est, securitas mater negligentiæ. n. 2.
Qui securus agit, non possidet firmam securitatẽ. n. 3.
Malim videri nimis timidus, quàm parum prudẽs. n. 4.
Cor magnum est pauidis, magnum & mediocre audentibus. ibid.

Totum generatim.

Totum & perfectum sunt penitus idẽ. T. 21. d. 10. n. 1
Totum est, cui nihil deest. ibid.
Totum non cognoscitur ignoratis partibus. ib. n. 2.

Digitized by Google

Totum ſapit naturam ſuarum partium. n. 3.
Et pars eſt in toto, & totum in ſuis partibus. ibid.
Quod conuenit toti ſecundum partem, dicitur etiam de toto. ibid.
Pars eſt materia totius. n. 6.
Totius perfectio eſt recta partium compoſitio. n. 9.
Eadem eſt ratio totius & partium. n. 10.
Eadem eſt virtus Principis & boni viri. ibid.
Omne totum eſt maius ſua parte. ib. d. 12. n. 5.
Plura bona anteponēda ſunt pauciorib⁹. n. 6.
Quod vniuersè bonum eſt, melius eſt eo, quod alicui eſt bonum. n. 7.
Quod ad plura vtile eſt, melius eſt, quam quod ad pauciora. n. 8.
Quiſquis poteſt id, quod eſt maius, poteſt etiam, quod eſt minus. n. 9.

Totius compoſitio & diuiſio.

Vnumquodque ex iis componitur, in quæ reſoluitur. Tit. 21. d 11. n. 1.
Vnumquodque diuiditur in ea, ex quibus componitur. ib. n. 2.
Magnitudo, motus, & tempus æqualiter componū-tur. n. 3.
Magnitudo motus & tempus æqualiter diuidun-tur. ib. n. 4.
Ex multis paruis vnum magnum conſtituitur. n. 5.
Non omne componens eſt pars compoſiti. n. 6.
Illud non diuiditur, quod nullo modo eſt vnum. n. 7.
Poſitis omnibus partibus integrantibus ponitur totum. ib. d. 12. n. 1.
Sublata quacunque parte integrante tollitur totū. ib. n. 2.
Poſito toto integro, ponuntur omnes partes. n. 3
Sublato toto integro aliqua ſaltem pars tollitur. n. 4.

Triſtitia.

Omne animal naturaliter fugit dolorem. T. 53. d. 5. n. 1.
Omnis triſtitia eſt quoddā malum. n. 2.
Dolor corrumpit naturam eius, quod dolore afficitur. n. 3.
Nulla maior eſt pœna, quàm eſſe miſerū, nec videri. n. 4.
Omnis cupiditas eſt cum dolore. n. 5.
Nihil lacryma citius areſcit. n. 6.
quælibet delectatio mitigat quamlibet triſtitiam. n. 7.

Tyrannus.

Tyranno nihil eſt timidius. T. 15. d 6. n. 10.
Neceſſe eſt, multos timeat, quem multi timent. ibid. nu. 11.
Regis obiectum eſt honeſtum; Tyranni quod placet. ib. n. 12.

Vacuum.

Vacuum & locus sunt idem subiecto, definitione duo. T. 61. d. 4. n. 1.
Vacuum est locus priuatus corpore. ib. n. 2
Vacuum est hostis naturæ, n. 3.
Natura non patitur vacuũ. n. 4.

Vbi sine præsentia generatim.

Vbi est præsentia rei vbicatæ. T. 61. d. 1. n. 1.
Omne ens habet suam vbicationem. ib. n. 2.
Omne vbi est immobile. n. 3.
Omne vbi est corruptibile. n. 4.
Quod non est, nusquam est. n. 5.
Quod nusquam est, omnino non est. n. 6.
Necesse est, vt quidquid est, alicubi sit. n. 7.
Quod est, nullibi esse non potest. n. 8.

Vbi in specie.

Deus est, & habitat in seipso. ib. d 2 n. 1.
Totum vniuersum est in seipso. ibidem.
Ante omnia deus erat solus, & ipse sibi mundus & locus & omnia ib n. 2
Deus est circulus, cuius cẽtrum vbique, circunferẽtia nusquam. n. 5.
Mundus est in Deo, sicut spongia in medio mari. n. 4.
Circunscribi localiter proprium est corporum. n. 5.
Omnis creatura certis suæ naturæ circunscripta est limitibus. n. 6.

Vegetatio.

Facultates vegetatrices seruare est vitam seruare. T. 35. d. 1. n. 1.
Qualibet harum facultatum amissa, necesse est reliquas perire. ib. n. 2

Verecundia.

Homini probo non competit verecundia. T. 53. d. 7. n. 4.
Verecundia est displicendi metus. ib. n. 5
Egenti viro inutilis est verecundia. n. 6.
Bonum in adolescente signũ est, cum illi ex alto rubor suffunditur. Tit. 62. d. 4. nu. 2.

Veritas transcendentalis, & Verum.

Omne Ens est verum. T. 4. d. 2. n. 1.
Verum est ens esse, & non Ens non esse. ibid.
Ens & verum conuertuntur. ib. n 2.
Metaphysica maximè est veritatis contemplatrix. n. 3.
Veritas est centrum intellectus. n. 4.
Veritas est bonum intellectus, falsitas malum. ib.
Intellectus est verus, etsi non aliquid de aliquo n. 5.
Verum & falsum consistit in cõpositione & diuisione n. 6.

Verus

Verum & falsum est in mente, & non in rebus. n. 7.

Veritas cognitu difficilis.

Veritatem homo difficulter assequitur. ib. d. 3 n. 1
Veritas consistit in indiuisibili. ib. n. 2
Non omne, quod apparet, est verum. n. 3.
Multa videntur, & non sunt. ibid.
Opinans debet curare de veritate, vt infirmus de sanitate. n. 4.
Veritatis inuentio solutio est dubitationis. n. 5.

Veritas sequitur ipsum esse.

Vt secundum esse vnumquodque se habet, ita & secundum veritatem. ib. d. 4. n. 1.
Veritas sequitur vniuscuiusque rei essentiam. ib. n. 2.
Principia semper existentium verissima sunt. n. 3.
Ex eo, quod res est, vel non est, propositio vera vel falsa est. n. 4.
Verus est intellectus propter rem: non autem res propter intellectum. n. 5
Omnis enunciatio est vera vel falsa. ib. n. 6
Verum dicit, qui composita componit, & diuisa diuidit. ibid.

Et in ipso fundatur.

Omnis veritas fundatur in aliquo esse. ib d. 5. n. 1
Omnis veritas propositionis affirmatiuæ fundatur in identitate extremorum n. 2.
Omnis veritas propositionis negatiuæ fundatur in diuersitate extremorum. n. 3.
In propositionibus affirmatiuis æternæ veritatis est perpetua extremorum identitas. n. 4.
In propositionibus negatiuis æternæ veritatis est perpetua extremorum diuersitas. n. 5.
Omnis veritas propositionis conditionatæ fundatur in veritate absolutæ præiacentis. n. 6.
Naturâ inest mentibus nostris incredibilis cupiditas veri videndi. T. 30. d. 3. n. 2.

Veritas siue Veracitas.

Veritatis potius ratio, quàm opinionis habenda est. T. 27. d. 7. n 1.
Exemplorũ non requiritur veritas; sed claritas. ib. n. 2.
Veritatis est simplex oratio. ib n. 7.
Laboriosa sunt figmenta mẽdacii. ib. n. 6.
Obsequium amicos, veritas odium parit. n. 8.
Vide, *Mendacium.*
Vestimentũ. Vide, *Amictus.*

Via.

Eadem est via Athenis Thebas, & Thebis, Athenas. T. 48. d. 2. n. 2.

Digitized by Google

Vinum.

Vinolenti & vini qualitates contrariæ ſunt. T. 44. d. 3. n. 6.

Vinolenti ſunt frigidi, licet vinum ſit calidum. ibid.

Infimum mellis, medium vini, ſummum olei eſt optimum. T. 18. d. 4. n. 6.

Violentum

Violentũ eſt id, cuius principium eſt extra, nihil conferente paſſo. T. 49. d. 7. n. 1.

Vbicunque eſt violentia, ibi & renitentia. n. 2

Nullum violentum perpetuum. n. 3.

Vi fiunt, quæ contra cupiditatem aut ratiocinationem agentis fiunt. n. 4.

Omne moderatum ab immoderato diſſoluitur. n. 5.

Vehemens mutatio inimica eſt corpori. n. 6.

Inter ſtatum violentum & naturalem datur medius. nu. 7.

Virtus generatim.

Virtus eſt, quæ bonum facit habentem, & opus eius bonum reddit. T. 24. d. 2. nu. 1.

A Virtute boni denominamur & ſumus. ib n. 2

Virtus eſt diſpoſitio perfecti ad optimum. n. 4.

Virtus eſt habitus electivus in mediocritate conſiſtẽs. nu. 5.

Virtutes ſunt inter ſe cõnexæ. ib. d. 5. n. 1

Virtutes ſine prudentia non ſunt virtutes. n. 2

Virtus eſt homini naturalis. ib. d. 6. n. 1.

Nulla virtutum moraliũ hominibus innata eſt ib. n. 2.

Omnibus natura dedit fundamenta virtutum. n. 3.

Virtutum exercitia ſunt per ſeſe delectabilia. n. 4.

Virtus difficulter acquiritur, at quietè poſſidetur. n. 5.

Virtutis actus.

Omnis virtutis laus in actione conſiſtit. d. 3. n. 1.

Virtus naturâ ſua & eſſentialiter ad actionem dirigitur. ibid.

Virtus ſine exercitio eſt quaſi lancea plumbea. ib. n. 2.

Virtuti, vt laudem virtutis mereatur, actio eſt neceſſaria. n. 3.

In via virtutis non progredi eſt regredi. n. 4.

Operatio ſecundum virtutem perfectior eſt ipſa virtute. n. 5.

Melius eſt bene agere, quã poſſe bene agere. ibid.

Athenienſes bona quidem ſciunt, ſed facere negligunt. T. 24. d. 6. n. 1.

Sola verba probitatem non adferunt. ib. n. 2

Virtutis functio.

Eiuſdem virtutis eſt amare bonum, & odiſſe malum ei contrarium. ibid. d. 3. nu. 1.

Digitized by Google

Omnis virtus principalius diligit, ſuum bonum, quã auerſetur malum contrarium. ib. n. 2
Eiuſdem virtutis eſt, appetere bonum abſens, & amplecti præſens. n. 3.
Eiuſdem virtutis eſt vitare malum abſens, & abiicere præſens. n. 4.
Eiuſdem virtutis eſt, amare finem, & ea quæ ſunt ad finem. n. 5.
Eiuſdem virtutis eſt, affectũ moderari & effectum. n. 6.
Virtutis proprium eſt magis, honeſta agere, quam non facere turpia. ibid.

Medium Virtutis.

Virtus conſiſtit in medio; ib. d. 4. n. 1.
Omne nimium cadit in vitium. n. 2.
Modus eſt, quem menſura præfigit. n. 3.
Dimidium eſt plus toto n. 4
Mediũ eſt nobilius ſuis extremis. n. 5.
Iniquum petas, vt iuſtum feras. n. 6.

Virtus in infortunio.

Virtus vel maximè nitet in arduo. ib. d. 7. n. 1.
Virtus preſſa prementes opprimit. ib. n. 2
Virtutem colere poteſt qui vilibus detinetur officiis. n. 3.
Humilis non eſt, qui humilibus nõ delectatur officiis. ibid.
Virtuti locus eſt ſemper & vbique. ib. n. 4
Fortuna opes auferre, non animum poteſt. n. 5.

Pretium & amabilitas Virtutis.

Nihil eſt melius virtute. ib. d. 8. n. 1.
Nihil eſt amabilius virtute. ib. n. 2.
Virtus diuitiis potior eſt, amabiliorq; generis ſplẽdore. ib. n. 3
Gratior eſt pulchro veniẽs è corpore virtus. ib. n. 4
Virtus ipſa magnum ſui decus eſt. ibid.
Virtus eſt proprium hominis bonum. n. 5.

Vis naturalis.

Virtus vnita fortior ſeipſa diſperſa. T. 34. d. 3. n. 1.
Quidquid poteſt virtus inferior, poteſt etiam ſuperior. ib. n. 2
Finitarum rerum finitæ ſunt vires, infinitarum infinitæ. ib. d. 2. n. 6.

Viſus.

Viſus eſt ſenſuum nobiliſſimus. T. 38. d. 1. n. 1.
Viſus eſt ſenſus hominis cariſſimus. ib. n. 2.
Viſus eſt ſenſuum formaliſſimus. n. 3.
Viſus anticipat auditum. n. 4.
Viſus eſt ſpiritualior inter omnes ſenſus. ibid.

Digitized by Google

Non videmus mãticæ quod in tergo eſt. n. 5.
Proprium ſtultitiæ eſt, aliena vitia cernere, obliuiſci ſuorum. ibid.
Cœcus nõ iudicat de colobus. n.6.
Quædam melius eſt non videre, quàm videre. Tit. 30. d. 11. n.10.
Amor & oculi eodem ſolent concurrere. Tit. 51. d. 2. n. 4.

Vita.

Vita conſiſtit in calido & humido. T.44.d.1.n.2.
Vide, *Eſſe*, *Eſſentia*, *Vegetatio*.

Vitium.

Sæpe latet vitium ſub vmbraculo virtutis. T.24. d. 9. n. 1.
Virtute multi non tam præditi eſſe, quam videri volunt. n 2.
Virtus colenda eſt, non imago virtutis. ibid.
Vitia tenacius hærent, quàm virtutes. n.3.
Omnes homines naturaliter vitiis noſtris fauemus. n. 4.
Voluptas eſt peſtis virtutum capitalis. ib. n 5.
Animo per libidinem corrupto nihil honeſtum ineſt. ib. n. 6.
Indulgere voluptati initium eſt omnium malorũ. n 7.

Vnitas & Vnum generatim.

Ens & vnum ſunt idem. T.3. d. 2. n. 1.
Idem eſt principium Vnitatis & entitatis. ib n. 2.
Ens & vnum conuertuntur. ibid. n. 3.
Id magis eſt vnum, quod perfectius. n. 4.
Ens & vnum non ſunt genera. ib. n.5.
Ens & vnum maximè vniuerſalia ſunt. n. 6.
Omne vnum eſt indiuiſibile. n. 7.
Vnum & multa opponũtur. nu. 8.
Vnum in ſubſtantia facit idem. T.46. d.5. n.5.
Vnum in quantitate facit æquale. ibid.
Vnum in qualitate facit ſimile. ibid.

Vnum per ſe, & per accidens.

Ex potentia & actu eiuſdem generis fit vnum per ſe. T.3. d. 11. n. 1.
Ex duobus entibus in potentia fit vnum in actu. ib. n.2.
Ex duobus entibus in actu non fit vnum per ſe. n. 3.
Ex ente & ente fit vnum per accidens. n. 4.
Impoſſibile eſt, ex duobus vnum, aut ex vno duo fieri. ibidem.
Homogenea ſola continuatione fiunt vnũ per ſe. n 5.
quæ differunt ſpecie non faciunt vnum per ſe. n. 6.
quæcunque ſunt vnum per ſe, vel ſunt vnum per idẽ-

Digitized by Google

titatem realem, vel per coniunctionem. n.7.
Multitudo omnis, nisi incomposita futura sit, indiget conciliatrice harmonia. n.8.
Omne Ens per se est vnum simpliciter. n.9.
Omne ens per accidens est multa simpliciter. n.10.

Vniuersale generatim.

Vniuersale est quid vnum in multis non æquiuocè. T.3.d.4. n 1.
Vniuersale est id, quod est aptum, vt in pluribus insit. ib. n. 2.
Vniuersale est id, quod est aptum, vt de pluribus prædicetur. nu.3.
Vniuersale aut nihil est, aut posterius est. n. 4.
Intellectus facit vniuersalitatem in rebus. n.5.
Vniuersale fundamentaliter est in rebus, formaliter in intellectu. n.6.
Vniuersalia non sunt substantiæ. n 7.
Quæ in superioribus sunt vnum, in inferioribus sunt multa. n. 8.
Multiplicato inferiore multiplicatur superius. n. 9.
Multiplicato superiore multiplicatur inferius. n. 10.

Vniuersalium duratio, locus, &c.

Vniuersalia sunt æterna. T. 3. d.5.n. 1.
Vniuersalia sunt semper. n.2.
Vniuersalia sunt incorruptibilia. ib. n. 3.
Vniuersalia sunt vbique. nu. 4.
Vniuersalia sunt priora suis singularibus. n. 5.
Vniuersalia ordine doctrinæ præcedunt singularia. ib. d.6.n. 1.
Ferè difficillima cognitu sunt, quæ magis Vniuersalia sunt. n. 2.
Vniuersalia ora notiora sunt, quam minus Vniuersalia. nu. 3.
Minus Vniuersalia notiora sunt nobis, quam magis Vniuersalia. n.4.
Minus Vniuersalia facilius definiuntur, quam magis Vniuersalia. n. 5.
Vniuersale non significat quod quid; sed quale quid. ibid.

Vniuersale, & habet rationem totius.

Vniuersale est quoddam totum. Tit. 3. d.7. n. 1.
Posita quacunque parte subiecta ponitur totum. ib. n. 2.
Posito toto Vniuersali ponitur aliqua pars subiecta. nu. 3.
Sublatis omnibus partibus subiectis tollitur totum. num 4.
Sublato toto Vniuersali tolluntur omnes partes. ib. nu. 5.

Digitized by Google

INDEX.

Vocabulum.

Nouis rebus inuentis noua licet inuenire vocabula. T. 66. d. 1. n. 1.

Philosophis liberum est, quibus voluerint vti verbis, Theologis ad certam regulam loqui fas est. ib. n. 2.

Ex verbis inordinatè prolatis incurritur hæresis. ib. n. 3.

Verba Scripturæ propriè intelligenda sunt, vbi litteræ circunstantia non cogit ad metaphoram. ib. n. 4.

Verbum ambiguum diuinæ non conuenit Maiestati. nu. 5.

Metaphoræ non sunt vsitandæ in doctrina demõstratiua. nu. 6.

Non est vtendum verbis ambiguis, cum propria suppetunt & distincta. ibid. n. 7.

Iacet sensus in oratione, in qua verba laudantur. n. 8.

In vsu loquendi seruanda est vulgi consuetudo. n. 9.

In sententia de rebus ferendâ iudicium sapientum. nu. 10.

Voluntas.

Voluntas est potentia libera. T. 42. d. 1. n. 1.

Voluntas est potentia cœca. ib. n. 2.

Voluntas tantam vim habet ad volendum, quantam intellectus ad intelligendum. nu. 3.

Voluntas non fertur, nisi in id, quod supponitur esse bonum. n. 4.

Nihil voluntas vult, nisi commoditatem aut rectitudinem. ibid.

Voluntas est domina potentiarum. ib. n. 5.

Voluntas semper agit voluntariè. ib. d. 2. n. 1.

Voluntas coacta etiam est voluntas. ib. n. 2.

Voluntas à nulla creatura necessitari potest ad agẽdum. n. 3.

Voluntas non fertur in incognitum. ib. d. 3. n. 1.

Nihil est volitum, quod non prius sit intellectum. ib. n. 2.

Omnis actus voluntatis supponit actum intellectus proportionatum. ib. nu. 3.

Voluntas non potest mouere, nisi ante mota per intellectum. n. 4.

Voluntas apud Deum pro facto reputatur. Tit. 55. d. 1. n. 1.

Virtus non respicit affectũ, sed effectum. ib. n. 2.

Affectus volũtatis omnium est factorum meritorumque mensura. ibid.

Multa conueniunt actui externo, quæ non competunt interno. n. 3.

Digitized by Google

INDEX.

Voluptas.

mprobæ naturæ ímproba voluptas eſt, probæ proba. T. 53. d. 4. n. 10.
Vnumquodque quærit delectationem ſibi congruam. ibidem.
In voluptatibus melius eſt fieri, quàm factum eſſe. nu. 12.
Voluptas in quiete magis, quàm motu conſiſtit. n. 13.
Voluptati reſiſtere difficilius eſt, quàm iræ. n. 14.
Voluptates experẽdæ ſunt, ſed non à turpibus rebus. nu. 15.
Sine virtute nulli ſolidum eſt gaudium. ibid.
Voluptatem viciſſe voluptas eſt maxima. n. 16.
Nulla maior eſt victoria, quã, quæ de cupiditatibus refertur. ibid.
Malum omne facilius vincitur, quàm voluptas. ib. nu. 17.
Omni homini conuerſo ad Deum mutatur delectatio, non ſubtrahitur. n. 18.
Vide, *Delectatio, & Virtus.*

Vox.

Omnis vox eſt ſignificatiua. Tit. 54. d. 3. n. 1.
Voces ſunt ſigna conceptuum. ib. n. 2.
Locutio proprta eſt hominis. n. 3.
Inſectis animalibus nulla eſt vocis facultas. ibid.
Surdi à natiuitate vocem emittere poſſunt, locutionem non poſſunt. ibid.
Vocis grauitas naturæ generoſæ indicium eſt. ib. nu. 4.
Actio eſt quædam corporis eloquentia. ibid. n. 5.
Taciturnitas mulieri decus adfert, non ita viro. n. 6.

Vſus.

Optimus rerum Magiſter eſt Vſus. T. 5. d. 7. n. 3.
Vſus aſſimilatur naturæ. ibid. n. 4.
Vide, *Conſuetudo, Ars, Habitus.*

FINIS.

A 84 245:23

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

11063

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google